culam huius rei non minimam animadverte-
re licet, quam nec ipſimet Domini Confœde-
rati diſpellere auſi fuerunt, à multis tantum-
modo annis & tempore immemoriali pactum
Confraternitatis repetentes, in concluſo ſuper
formalibus renovationis *ſub dato Naumburgi,
30. Martij Anno 1614. in verbis initialibus:*
Die von unſern hochlöblichſten in GOtt ruhenden Vor-
fahren / vor vielen undencklichen Jahren auffgerichtete
Erbvereinig- und Erbverbrüderung zu erneuern. † Qui- 120
bus etiam verbis uſus eſt Sereniſſimus Saxo-
niæ Elector, *in literis ad Cæſaream Maieſta-
tem, ſub dato Dreſdæ, 19. April. Anno 1626.*
Von vor undencklichen Jahren zu Erhaltung Fried und
Einigkeit / eine Erbverbrüderung auffgerichtet worden:
& rurſus *in literis ſub dato* Dreßden / 28. *Febr.
Anno* 1614. Ew. Keyſerl. Maieſt. gebe ich hiermit allere
unterthänigſt zu erkennen / daß meine hochgeehrte löbliche
in Gott ruhende Vorfahren am Chur- und Fürſtlichen
Hauſe Sachſen / mit den hochlöblichen Chur- und Fürſtli-
chen Häuſern Brandeburg und Heſſen / und deren Vor-
fahren lobſeliger Gedächtnüß / vor vielen undencklichen
Jahren einer beſtändigen und kräfftigen Erbvereinig- und
Erbverbrüderung ſich mit einander verglichen / *&c.* Nec
mirum, † à tot retrò annis certum inveniri 121
haut poſſe initium & momentum, cùm in a-
liis etiam illuſtrioribus ordinationibus Impe-
rij multò majores tenebræ deprehendantur,
Herm. Kirchn. *in Morviller. lib.1.cap.3.num.52.*
Quæ † enim Politicorum & Hiſtoricorum 122
querimoniæ, de incertitudine tùm auctoris,
tùm temporis, in Collegio Septem-Virorum
conſtituto? quæ ſcriptorum concertatio? quis
ſententiarum conflictus? & tamen plerique
tandem in termino ſubſiſtunt incerto, cum † 123
ipſomet Carolo IV. Imper. *in Aur. Bull. tit.1.*
Lonig. Archiv. Vatican. *præfat. in conſil. Pontif.
exhib. de adhort. Bavar. Duc. ad perend. dign.
Elect. confirm. à ſed. Apoſtol.* At ſi omnino uni
ex prædictis opinionibus adhærendum, † tu- 124
tiori videntur nobis ingredi viâ, qui in *Anno*
1373. pedem figunt: (1.) Licet enim VVare-
mundo ab Erenberg concedamus, jam *Anno*
1262. ut vult. Fabr. *vel* 1268. ſecundum Chy-
træum, initum fuiſſe fœdus à Domo Saxonicâ
& Haſſiacâ, non certè propterea liquet, † quod 125
fuerit ſucceſſorium, quo de jam agimus, quia
ſæpiùs hoc confunditur cùm fœdere der Erb-
vereinigung / vt diximus *ſuprà th.*10. tantùm
abeſt ab Hiſtoricis antiquis id factum haud
eſſe, vel fieri potuiſſe. (2.) Cumque de aliâ
confirmationis Imperatoriæ formulâ non ap-
pareat † præter eam, quam *anno 1373 die Luciæ* 126
à Carolo

à Carolo IV. Imp. factam legimus apud Limn.
*dict. cap.8. pag.*214. ex quâ ſolâ tamen de Con-
fraternitatis ſucceſſoriæ formâ & ſubſiſtentiâ
conſtare poteſt, utique in hâc acquieſcimus
cum Reutner. *dict. conſil* 3. *num.*45. uſque dum
de aliâ vetuſtiore certò edocti fuerimus. (3.)
127 † Vt taceamus, colligi haut obſcurè ex verbis
Confirmationis Carolinæ, pactum ſucceſſo-
rium ab eo non renovatum, ſed de novo ini-
tum fuiſſe; ex integro eius contextu paucula
hæc allegari ſufficiat: An einander vermacht und ge-
ben haben / und ihr iedweder der obgenanten Theile dem
andern Theil zu rechten Miterben und Gemeine ſeines
Fürſtenthums / Herrſchafft / Land / Städte / Veſten / Leu-
ten / Gütern und ihren Zugehörungen empfangen und
gäntzlich genommen hat / *&c.* Et poſtea: Von Key-
ſerlicher Macht / Vollkommenheit und von rechtem Wiſ-
ſen / haben wir ſolche Auffrichtungen beyder Theil auffge-
nommen / *&c.*
128 XIX. Quicquid verò tandem ſit, † non
eſt ut in tempus initij tàm anxiè inquiramus,
ſufficit nobis, tale Confraternitatis pactum
inter domum Saxonicam & Haſſiacam reve-
râ eſſe contractum, qvod & à multis Impp.
confirmatum, qvin & ſæpiùs à paciſcentibus
renovatum & qvandoqve extenſum videmus,
VVarem. ab Erenberg *dict. c* 2. *num.*35. Iohan.
Limn. *dict. cap.*8. *num.* 161. Guttich. *dict. loc.*
119 *concl.*3. De renovatione † ſiqvidem *Anno Chri-
ſti* 1431. *Anno* 1457. *Anno* 1471. *&* 1487. factâ, ex
Fabr. Chytr. & aliis hiſtoricis informati atte-
ſtantur Petr. Ritter. *allegat. diſcurſ. de confrat.
& confœder. concluſ.*10. & Remig. Feſch. *dict.
diſſert. de fœder. concl.*24. *lit.* C. ac in ſpecie, po-
ſteriori renovatione Confratres factos dicit
130 Ritter. *cit. loc.* † Fridericum Ducem & Ele-
ctorem Saxoniæ, Iohannem Marchionem
Brandeburgicum & Electorem, Albertum &
Ioh. Agnatos, Duces Saxoniæ, Fridericum &
Sigiſmundum Marchiones Brandeburgenſes,
VVilhelmum ſeniorem, VVilhelmum junio-
rem II. & VVilhelmum minimum III. Comi-
tes Katzenelebogenſes, omnes Landgravios
131 Haſſiæ. † Ac rurſus renovatione reiteratâ *An-
no* 1537. *ſub dato* Freytag / Mittwochs nach *Iudica*, Ioh.
Fridericum Electorem Saxoniæ, Ioachimum
Electorem Brandeburgicum, Henricum &
Iohannem Erneſtum Duces Saxoniæ, Geor-
gium, Iohannem & Albertum Marchiones
Brandeburgicos, & Philippum Landgravium
Haſſię pacto ſucceſſorio obligatos aſſerit idem
132 Ritter. *dict. concl.*10. Cuius fides † licèt ex eo
labefactetur, qvòd indiſtinctè aliis adjungat
Confratrions Electorem Brandeburgicum, de
cujus receptione tamen in Confraternitatem
res planè ambigua eſt, ut maximè confœdera-
tionem de conſervandâ pace unà cum aliis
133 inierit. Attamen de † renovatione *Anno* 1555.
die 12. *Martii* factâ ab Auguſto Electore, Ioh.
Friderico II. Ioh. VVilhelmo & Ioh. Friderico
III. Ducibus Saxoniæ, Philippo Seniore, VVil-
helmo & Ludovico Landgraviis Haſſiæ, cer-
tò nobis conſtat ex inſtrumento renovationis,
qvod extat apud Limn. *dict. c.*8. *num* 162. Licèt
134 Ritterus † hic rurſus immiſceat Marggravios
Brandeburgenſes; in qvo errore etiam hæret
Reinh. Kön. *in theatr polit. part.*1. *cap.*5. *num.*
49. allegans ad hoc Iohan. Sleid. *lib.*26. qvod
ſi æqvè de pacto confœderationis accipiamus,
res expedita erit. † Porrò & *Anno* 1587. 8. *Iuly* 135
à Chriſtiano I. Electore, Friderico VVilhelmo,
Ioh. Ioh. Caſimiro, Ioh. Erneſto Ducibus Sa-
xoniæ, & VVilhelmo, Ludovico, Georgio &
Mauritio Haſſiæ Landgraviis *Naumburgi* pa-
ctum Confraternitatis denuò fuiſſe renovatū,
fidem indubitatam facit, formula renovatio-
nis, qvam legendam exhibet Limn. *dict. cap.*8.
*num.*163. Cujus etiam meminit Dom. Arum. *in
diſc* 6. *ad Aur. Bull. concl.*6. Remig. Feſch. *dict.
concl.*24. *lit.* C. Ioh. Caſp. Guttich, *alleg. diſſert.
de confrat. concl* 3. Et tandem noſtrâ ætate, † 136
Anno 1614. *Menſ. Martio itidem Naumburgi*,
ſingulari cum ſolennitate inter utriuſqve fami-
liæ Principes Confraternitas hæcce de novo
repetita, arctiusqúe † confirmata fuit, Arum. 137
Feſch. Guttich. & Ritter. *citatis locis*. Cujus
tenorem recitat idem Limn. *dict. cap.*8. *pag.*
224. *& ſeqq.* Hæcqve ultima ac noviſſima
eſt renovatio.

CAP. II.

Solennia Confraternitatis-Saxonico-Haſſiaca renovanda qvænam?

XX.

MAgni momenti qvæ ſunt, † haut le- 1
viter & perfunctoriè tractari debent:
mirum ideoqve non eſt, præmiſſis pariter Cu-
rialibus, & certis ſolennibus adhibitis Confra-
ternitatis pactum pangi & renovari, cùm nec
veteres fœderum tractationem abſqve ritibus
ſuſceperint, qvi tamen pro diverſitate populo-
rum varij fuerunt. † Modò enim cæſis victi- 2
mis, ut refert Petrus Martyr, 1. *Sam.*18. *verſ.*3.
in verb. percuſſ. modò junctis manibus, qvod
apud Parthos, Medos & Hircanos in uſu erat,
Alexandr. ab Alexandr. 5. *gen. dier. c.*3. modò
porò ſilice percuſo, qvaliter fœdus inter Ro-
manos & Albanos ſancitum refert Liv. *dec.*1.
*lib.*1. modò lapidis projectione, Agell. *lib.*1.
*cap.*21. modò panis vel ſalis libatione, qvæ
duo maxima erant fœderis ſymbola, Cœl.
Rhodig. 28 *antiqvit.*15. modò vini aut contra-
hentium mutuâ ſangvinis propinatione, Flor.
*lib.*4. *cap.*1 Herodot. *lib.*4. Boëm. *de morib. gent.
lib.*2. *pag.*116. † aliiſque variis modis fœdera 3
firmabant, de qvibus Zvvinger. *theat. vol.*1. *lib.*
2. *pag.*165. Schonb. *lib.*4. *polit.*35. Feſch. *de fœ-
der. concluſ* 14. Camerar. *hor. ſubciſ. cent.*1. *cap.*6.
Iohan. Bodin. 5. *de Republ* 6. Licèt verò ritus
hi omnes ab uſu hodie receſſerint, † nunqvam 4
non tamen fœdera certis ſolennibus pangun-
tur, qvæ & in pacto Confraternitatis renovan-
do obſervari neceſſe eſt: De qvibus cùm nil
certi habuerint Principes confœderati; in no-
viſſimâ Confœderationis & Confraternitatis
renovatione *Anno* 1614. *Naumburgi* celebratâ,
† unanimi conſenſu ſolennia qvædam ac re- 5
qviſita in actibus renovationis obſervanda
conſignari fecerunt, ac ſubſcriptione ſuâ *ſub
dato* 30. *Martii*, corroborarunt; cujus ſcriptu-

Ex tenor mentem ipſorum verbis ſtatim ini-
6 tialibus luculenter aperit, qvæ ſic habent: † Nachdeme wir unterbenannte Chur- und Fürſten der Häuſer Sachſen / Brandeburg und Heſſen / uns nach der Naumburg zuſammen verfüget / die von unſer hochlöblichſten in Gott ruhendē Vorfahren vor vielen undencklichen Jahren auffgerichtete Erbverein- und Erbverbrüderung zu erneuren / und bey gehaltener *deliberation* der *præparatorien* ſich allerhand *difficulteten* ereignet / welche / da ihnen richtige maſſe nicht gegeben würde / das wolmeinende unſerer Vorfahren *intent*, nemblich gute Freundſchafft / *correſpondenz* und Einigkeit zerrütten / ſolche wolangeſehene Verſamblung zu nichte machen / auch andere Widerwertigkeiten unter den Chur- und Fürſtlichen Perſohnen anrichten könte. Als haben wir ſolche *difficulteten* in nothdürfftige reiffe Berathſchlagung gezogen / und nach wolgepflogener reiflicher Erwegung umb gemeiner Ruhe und Friedens willen / auch zu Erhaltung guter *correſpondenz*, Freundſchafft und Einigkeit unter den Erbvereinigten und Erbverbrüderten Chur- und Fürſten / nachfolgenden Schluſſen / wie es bey jetzigen und künfftigen ſolchen Tagen derenthalben gehalten werden ſolle / eine müthiglich verglichen *&c.* Apparet hinc, ſolennia
7 illa requiſita † Confœderationis pariter & Confraternitatis renovandæ actum concernere, cùm uterqve conjunctim expediri ſoleat, ut monuimus *ſuprà th.11. num.27.* At in præſentiarum ea, qvæ pro inſtituto noſtro actui Confraternitatis conveniunt, ſpeciatim delibabimus.

8 XXI. Eſtqve PRIMVM, † indictio conventus ad actum renovationis à Sereniſſimo Saxoniæ Electore, ceu actus hujus Directore longè eminentiſſimo facienda. Directorium enim Serenitati ſuæ competere, nemo mirabitur, cùm ratione dignitatis Electoralis & Archimareſchallatus reliquos Principes confœ-
9 deratos præcedat, † qvidni ergo etiam ratione directorii, qvod honoratiori meritò defertur, & per conſeqvens etiam indictio conventus, qvo de ita verba habent *prædicti Receſſus:* Anfänglichen ſoll einem Churfürſten zu Sachſen / er ſey geſetzwoten oder nicht / das Ausſchreiben zur *renovation* der Erbvereinig- und Erbverbrüderung ſambt dem *directo-*
10 *rio*, wie herkommen / verbleiben † Ex qvo principio etiam Reges Galliarum atqve Hiſpaniarum, ut peculiare directorii ſignum, ſibi poteſtatem indicendi Comitia reſervarunt, Iohan. Bodin. *lib.3. de Republ. cap.7.* Petr. Gregor. Tholoſan.
11 *libr 24 de Republ. c.5. num.3.* † Et competit iure directorij ac Decanatus in Collegio Electorali poteſtas convocandi Coëlectores, & indicendi Comitia Electoralia Archiepiſcopo Moguntino, *Aur. Bull tit.1. §.19. & tit.4. § 2.*
12 veluti † hinc qvoqve in electione Regis Romanorum, Coelectorum vota perqvirit, *dict. tit.4. §.3.* atqve ipſe demum ultimò rogatus ſuum promit, *dict. §.2.* Ioh. Limn. *lib.3. iur publ. cap.4. nu.3.* Cumqve Sereniſſimus Saxo ſit Archimareſchallus Imperii, cujus reſpectu non
13 minima directionis pars, ratione † convocationis ad deliberationes & conſultationes in Comitiis Imperii, vulgò (die Anſage) ei attribuitur, vt apparet ex relatione Sixti Sommers, qvondam Submareſchalli, hereditarii, von des H. Reichs Erbmarſchalls Ambts-Verwaltung *ſub tit.* Von der Anſagung zu der Keyſerlichen oder Königlichen
14 Mayeſt. Hofedienſt und Reichs Rath. & † *tranſactione inter Moguntinum Danielem, & Saxonem Auguſtum Electores, Francofordiæ Anno 1562. initâ, ſub rubr.* Auffſatz und Vergleichung wegen der ſtreitigen Anſage zwiſchen Chur Maintz und Sachſen / *Anno* 1562. Mitwochs nach *Omnium ſanctorum*, zu Franckfurt geſchehen. cujus tenorem retuli *in comment. ad Leg. Reg. cap.12. ſect.6.* abſonum certè foret, in particulari † ſolummodò Princi- 15
pum confœderatorum conventu jus directionis ac indictionis ei denegatum iri. Quod tamen ex propriâ conventione ita fuit attemperatum, † ut Director Sereniſſimus ante indi- 16
ctionem Electori Brandeburgico id ſignificet, & ſalvo directorii jure, de inſtituendo ad renovationem conventu cum eo deliberet; reliquis verò Principibus fas ſit, † pro indicendo 17
renovationis actu Saxoniæ Electorem amicè compellare, *ex prædicto Receſſu:* Den Erbvereinigten und Erbverbrüderten aber unbenommen des *renovation* halber bey dem *Directore* freundliche Erinnerung zu thun / immaſſen dann auch ein Churfürſt zu Sachſen mit einem Churf. zu Brandeburg freundliche *communication* deſſentwegen zu pflegen / doch *abſque præiudicio directorii competentis*, nicht unterlaſſen wird. Non im-
meritò poſtquam † enim renovatio Confra- 18
ternitatis omnes confœderatos concernit, durum admodum eſſet, ab indictione conventus eos prorſus excludi; cùm nec Imperator in Comitiis univerſalibus indicendis, † cui tamen 19
jure Majeſtatis facultas hæc competit Arnold. Clapmar. *l.1. arcan. Rerumpubl. cap.14.* Bornit. *de majeſtat. c.26.* Henning. Arniſ. *de jurib. majeſtat. maior. cap.4.* ſine præſcitu & approbatione Electorum, concluſum ſibi ſoli ſumat, Capitulationis vigore conſtrictus, *in verb.* Die Reichs Täge ohne Wiſſen und Willen der ſechs Churfürſten nicht anſetzen noch auſſchreiben / Ioh. Sleid. *lib.1. hiſt. pag.29.* Melch. Gold. *in polit. Imp. part. 12.* Tob. Paurmeiſt. *de iuriſdict. Imp. Rom. lib.2. cap.2. num.19.* † quod nec hactenus aliter ob- 20
ſervatum, clauſula *Receſſibus Imperij* annexa (Als haben wir auff vorgehenden Rath / Willen und Bewilligung obgemelter unſerer und des heiligen Reichs Churfürſten nicht umbgehen mögen / eine gemeine Reichs-Verſamblung auſſ zu ſchreiben) luculenter probat, *Receſs. Auguſt. de an 1559. §.* derowegen wir auff vorgehabten ſtatlichen Rath. *Receſſ. Ratisbon. de anno 1567. §.* Weil wir aber. *Receſſ Spirenſ. de anno 1570. verſ.* Als haben wir nicht umbgehen mögen / *&c. Receſſ. Ratisbon. de anno 1576 verſ.* Als haben wir mit Rath. *Auguſt de anno 1582 verſ* derohalben zu nothwendiger. *Ratisbonenſ. de anno 1594. verſ.* Wenn aber dieſe *&c. & anno 1603. verſ.* hierumb und dieweil *&c.* Arum. *de comitiis. cap.5. num.27.* Georg. Spalatin. *de vita Frederici III. Elect. Sax. ac anno 1519. ſub capite:* hernach verzeichnete *Articul* ſeyn in der Wahl eines Römiſchen Keyſers *&c.* apud Hortleder. *de cauſ. belli german. lib.4. cap 3.*

XXII. At qvid opus, inqvies, † indictione 21
conventus ac renovatione Confraternitatis, cùm hæc ſemel contracta & ab imperatore confirmata in perpetuum duret, ſitque tranſitoria in heredes, qvi ex conventioni Anteceſſorum æqvè obligantur. *l.2. § ex his. ff. de V.O. Novell.48. in pr.* & facto defuncti contravenire nulli † heredum fas ſit, *l. cum à matre. 14.* 22
C. de rei vendic. l 24. C. de donat. Ioh. in. Cap. Guttich. *de confraterm. conclus. 8. lit.j.* Petr. Rit-

tar.

ter. *de confrat. theſ.* 12. Quod & ipſiſſima Con-
fraternitatis hujus verba ſatis manifeſtè in-
nuunt, *circa fin.* Vnd daß dieſe vorgeſchriebene und er-
newerte Brüderſchafft / Auff- und Vbergebunge / und alle
Stücke / Punct und *Artical* dieſes Brieffs von uns allen/
und allen unſern Erben / ſtet / gantz und unverbrochen ſol-
len gehalten werden / haben wir ꝛc. vor uns und unſere al-
lerſeits rechte männliche Lehens Erben / Fürſten zu Sachſ.
und Heſſen ꝛc. de qvo pluribus *infrà cap.* 4. Sed
23 nequaquam hinc inferendum, fruſtrà † reno-
vari pactum Confraternitatis ab anteceſſori-
bus initum, quod ſanè prudenter & urgentiſſi-
mis ex cauſis fieri, vel inde apparet; (1.) Ne
quod antiquitùs à tempore immemoriali ab
24 Anteceſſoribus geſtum & actum eſt, † obli-
vioni tradatur, ſed in recenti memoriâ conſer-
vetur ac denuò ſtabiliatur. Quid periculi enim
ſubſit in reticentiâ ac ſepulturâ eorum, quæ à
majoribus peracta fuerunt, neminem fugere
poteſt, & in hiſce ipſis terminis vivum præbet
exemplum intermiſſio renovationis cum Sere-
niſſimo Electore Brandeburgico, ut cum de an-
tiquâ Confraternitate in aula imperiali non
conſtiterit, repulſam tulerint Principes con-
fœderati, novæ Confraternitatis confirmatio-
nem petentes, *infrà cap.* 5. (2.) † Poſtqvam e-
25 tiam pactum Confraternitatis Principes ad de-
fenſionem bonorum ac principatuum utriuſ-
que familiæ obſtringit, ut docet pacti hujus te-
nor, §. Vnd ain nun. *verſ.* So ſollen und wollen wir /
unſer jeglicher den andern getreulich / mit Landen und
Leuten wider aller männiglich / niemanden ausgenommen/
beholffen ſeyn / unſer jeglicher des andern Land und Leute/
ihr Gut und Haabe / gleich ſeinen eigenen Landen und
Leuten helffen / wehren / ſchützen / ſchirmen und verthei-
digen / ꝛc. fieri non poteſt, † ut qvandoqve de
26 negotio, cauſâ & ratione defenſionis, aliiſque
neceſſariis pactum iſtud concernentibus non
ſit deliberandum, qvæ ſanè res præſentiam
confœderatorum reqvirit, ſi præſertim priori-
bus pacti articulis aliqvid addendum, demen-
dum vel immutandum, conſultiùs ducant. †
Contingere etiam poteſt, ut unus ex confœde-
27 ratis pro eâ, qvæ eſt inter Confratres confiden-
tia, id qvod ipſum affligit in ſinum aliorum
deponere, ab iiſqve conſilium & auxilium im-
plorare velit: qvod inter abſentes vix commo-
dè efficietur; qvo & reſpexerunt Domini pa-
ciſcentes in † *Receſſu* ſuper formalibus renova-
28 tionis confecto, *hiſce verbis*: Wann auch einer
unter den Erbvereinig- und Erbverbrüderten Chur- und
Fürſten anliegen hätte / ſolle demſelben nach der *renova-
tion* deſſ Erbvereinig- und Erbverbrüderung / den andern
ſolchen vorzubringen unbenommen ſeyn. Dargegen aber/
ob man mit ſolchen Sachen ſich belegen oder wie weit man
ſich der Beſchwerten annehmen wolle / *de ſuper* ꝛc./ und
ins künfftige dieſe vergleichung mit in die Erbvereinige;
und Erbverbrüderung eingerückt / und alsdann geſchwo-
29 ren werden (3.) Et qvod potiſſimum eſt, † licèt
pactum Anteceſſorum heredes ac ſucceſſores
obliget ad obſervantiam, juramento tamen
corporali eam confirmari viſum fuit Sereniſ-
ſimis ac Illuſtriſſimis Principibus confratri-
bus, qvod paulò poſt explanatum dabimus: At
qvomodo præſtabitur juramentum ab iis, qui
30 ſunt abſentes? ſanè hæc unica cauſa, ad † re-
novationem omnium urgentiſſima videtur.
Quotieſcunqve igitur fit, ut auctâ progenie,
utriuſqve familiæ heredes & ſucceſſores exi-
ſtant, indici poterit conventus, qvò ad renova-
tionem pariter pacti ſucceſſorii, & præſtatio-
nem juriſjurandi adigantur, idque liqveſcit † 31
ex verbis modò allegati *Receſſus*: So offt es nö-
thig/ und viel Fürſten / ſo nicht geſchworen / in den Häu-
ſern befunden / ſoll der Erbvereinig- und Erbverbrüde-
rungs- Tag ausgeſchrieben werden/ &c.

XXIIII. Nonnè autem hoc contra Impe-
rii obſervantiam? qvâ † nec Electoribus ſine 32
ſpeciali Imperatoris permiſſu olim convenire
licuit, Melch. Goldaſt. *de Regno Bohem. lib.* 3.
cap. 5. *num.* 5. Abb. Stadenſ. *in Chron. anno* 1240.
Paul. Bernriedenſ. *in vita Gregorii VII. Papæ*,
nedum reliqvis Imperii Principibus, Peucer.
lib. 5. *Chronicor.* Qvin nec ſine periculo id per-
mitti dixeris: fieri enim † vix poteſt, ut non 33
ipſorum familiares de rebus antè actis loquan-
tur, haut abſque moleſtia & fremitu alterius
partis; alii ſint aliis elegantius veſtiti; ex ipſis
qvoqve Principibus alij aliis ſint decentiores,
unde ludibrium naſcitur & jocus, Philipp.
Cominæus *lib.* 3. *comm. de rebus geſtis Ludovici*
XI. Et vidi, † *inqvit ille*, qvo tempore Caro- 34
lus, Dux Burgundiæ Comitem Palatinum
Rheni per complures dies honorificè tracta-
bat Bruxellæ, Burgundiones dicebant, Germa-
nos eſſe ſordidiores in rebus omnibus, idcò
potiſſimùm qvòd ocreas conjicerent in lectos
cubiculares ſplendidè magnificèqve paratos,
& leviùs multo quàm antea, qvum nondum
vidiſſent de iis judicabant, Germanis autem
diſplicebat luxus ille immodicus & oſtentatio.
hactenus Cominæus. † Conſtat etiam, cùm Fri- 35
dericus III. Imp. & Carolus Dux Burgundiæ
Auguſtæ Trevirorum congrederentur, qvo-
modo offenderit Cæſarem Caroli in congreſ-
ſu faſtus, & affectus in omnibus rebus ſplen-
dor, quo continentiam ſuam & frugalem mo-
deſtiam ſuperari, atque adcò in contemtum ad-
duci videbat, Gerard. de Roo. *lib.* 8. *hiſtor. au-
ſtriac. de anno* 1473. † Quid Carolo IIX. Regi 36
Galliarum in Italiam venienti accidit, ex hi-
ſtoriâ Pierre Matthieu *livr.* 2. *de Henry IV.
narrat. ult. num.* 6. diſcere licet; is enim pro al-
tero Cæſare habitus, ubi primus viſus fuit in S.
Iohan. Lucenſis fano. ut judicaret controver-
ſiam inter Reges Caſtiliæ & Arragoniæ, pallio
indutus humerali caſtanco & pileo groſſo con-
chyliis & imaginibus ornato, Hiſpani dixe-
runt, peregrinum eſſe S. Iacobi Compoſtella-
ni. † Et cùm filius ejus apparebat ſtatura tam 37
parùm convenienre reputationi valoris ejus &
animoſitatis, illi qui de intrinſecis per extrin-
ſeca judicare ſolent, irriſerunt eum & nullum
honorem ipſi exhibuerunt, priuſqvam notâ-
runt, eum à miniſtris ſuis obſervari, Pierre
Matthieu *dict. loc.* Suadent † ergò Politici, ut 38
Principes raró in collocutionem deſcendant,
& congregationes celebrent: vel etiam pro-
pterea, qvòd ut opes potentiamque ſuam oſten-
tent, ſumptuoſiſſimos in congreſſibus mutuis
ſeſe exhibeant, utpote † qui non raro divi- 39
tiarum & pecuniæ fructum haut alium quàm
profuſionem credant, Dom. Arum. *de Comit.
cap* 5. *& in diſcurſ* 1. *ad Aur. Bull.* Et qvis ne-
ſcit, ex legibus Romanis propter ſiniſtram ſuſ-

40 picionem, † abſque ſummi Principis conceſ-
ſione, etiam prætextu ſalutis publicæ, inferio-
ribus Magiſtratibus convenire haut licuiſſe, *l.1.*
ff. de Colleg. illic. l. conventicula C. de Epiſc. &
cleric. Verùm qvia obſtacula hæc noo tàm ip-
41 ſos Principum congreſſus, † qvàm vitioſam
eorum ſtructuram & abuſum impugnant, ini-
quus erit cenſor, fundamentum Comitiorum
particularium penitùs evertens: qvin potius
42 ſectemur exemplum Medicorum, † qvi pro-
pter vitioſos humores ipſum corpus haut de-
ſtruunt; qvod nec Carolo I V. æqvum fuit vi-
ſum, conventus & fœdera pro conſervatione
43 ſtatus publici, Principibus permittenti, † in
Aur. Bull. tit. 15. verſ. doch ausgenommen die Ver-
bündnüs und Eigen/ ꝛc. Idemque cùm repetat &
promittat Imperator recens electus *in Capitu-*
latione, §. Wir laſſen auch zu. *verſ.* ſondern uns in deme
und andern der Güldenen Bull gemeß/ gnädiglich und
44 unverbrüchlich halten ſollen und wollen non eſt, † qvod
conſenſum Imperatoris ſpecialem ad indictio-
nem conventus pro reoovando Confraterni-
tatis pacto reqviramus; licèt ad tollendam
omnem ſuſpicionem ſiniſtram, Majeſtatem
Cæſaream de hoc certiorem per literas ſaltem
reddere, neceſſum duxerint confœderati, Io-
han. Sleidan. *lib. 26. hiſtor.* qvod & in noviſſi-
mo renovationis actu *Anno* 1614. *ſub dato* 28.
45 *Februar.* † à Sereniſſimo Saxone ceu Directo-
re factum novimus: Als habe zu ſolcher Erbeini-
gungn und Erbverbrüderungs-verneuerung/ ich eine per-
ſönliche Zuſammenkunfft auff den 27. inſtehenden Monats
Martii, gegen der Naumburg ausgeſchrieben/ und ne-
benn meinem Hauſe auch die Chur- und Fürſtl. Häuſer
Brandeburg und Heſſen in der Perſohn zu erſcheinen/ und
das jenige/ ſo ſolche Erbeinig- und Erbverbrüderung ver-
mag und in ſich hält/ zu leiſten erfordert/ Inmaſſen ich
dann auch ſolcher Zuſammenkunfft/ vermittels Göttlicher
46 Verleyhung perſönlich beyzuwohnen entſchloſſen † Damit
aber Ew. Keyſerl. Maj. da deroſelben ſolche Zuſammen-
kunfft berichtet werden ſolte/ nicht etwan ungleichen Nach-
dencken deßwegen haben möchte/ ſo habe E. Kayſ. Mayeſt.
zu was Ende dieſe Chur- und Fürſtliche Zuſammenkunfft
angeſehen/ unterthänigſt zu erkennen zu geben/ und die-
ſelbe hierdurch allen widrigen verdachts zu benehmen/ ich
für nothwendig erachtet/ und Ew. Keyſerliche Mayeſt. ne-
bens deroſelben hochgeehrten geliebten Gemahlin/ thue
ich Göttlicher Bewahrung zu langwirtiger glücklicher
Regierung und Keyſerlichem Wohlſtande gantz treulich/
mich aber zu beharrlichen Keyſerl. Gnaden unterthänigſt
befehlen.

XXIV. Secundum jam ſuccedit requi-
47 ſitum, ſeu formale renovationis, † qvod in
comparitione Principum Confratrum conſi-
ſtit; poſtqvàm enim literæ convocatoriæ iis
fuerint inſinuatæ, officium ipſorum eſt, actui
intereſſe, & qvidem in perſonâ conventum ac-
48 cedere, † ſecundùm verba tranſactionis *de anno*
1614. So ſollen die Regierenden und nicht Regierenden/
ſie haben zuvor geſchworen oder nicht/ in der Perſohn zu
erſcheinen ſchuldig ſeyn. Idque imitatione priſco-
49 rum Ordinum, qvos perſonaliter † Comitia
acceſſiſſe, & nunqvam niſi legitimo impedi-
mento detentos, alios vice ſua ablegâſſe, gra-
vi in emanentes conſtitutâ mulctâ, conſtat *ex*
cap. 39. §. 1. Den Keyſerlichen und Königlichen Lands
50 und Lehenrechts. † quæ tamen ſeveritas poſteà
ab uſu receſſit, Dubrav. *lib. 15. hiſtor. Bohem.*
Arum. *de comit. cap. 5. num. 5 num. 40. & 4.* Præ-
ſtat ſiquidem tractationi & renovationi fœ-
derum, contrahentes in perſonâ intereſſe, cùm
multa accidere poſſint, cur ratum non ha-
beant, qvod per Legatos ſuos actum eſt: † cu- 51
jus rei exemplum præbet Ferdinandus Rex
Hiſpaniæ, qvi cum fœdus pepigerat *Anno* 1503.
cum Ludovico XII. Rege Galliarum per Phi-
lippum Auſtriacum generum ſuum, non abſ-
qve præjudicio alterius partis id ratum habe-
re detrectavit, Remig. Felch. *de fœder. concl. 15.*
lit. a. eâque de causâ † in fœdere inter Philip- 52
pum Pulchrum, Galliæ Regem, & Henricum
Britannum inito *Anno* 1303. cautum legitur, ut
Henricus fidem daret præſens aut morbo ne-
ceſſario impeditus per filium ſuum primoge-
nitum; de † qvo alio etiam in fœdere cum 53
Edvardo III. Angliæ Rege *Anno* 1330. fuit à
contrahentibus proſpectum, Iohan. Bodin. *de*
Republ. lib. 2. cap. 9. pag. 178.

XXV. Non eqvidem inficiamur, † gra- 54
viſſimis ſæpè negotiis domi Principes detine-
ri, quo minus abeſſe qveant. Nam ut *Anton.*
de Guevarrâ ait, perſonæ illuſtres ob Princi-
patus amplitudinem à ſervitute, ne dum curis
graviſſimis immunes haut ſunt; multis † enim 55
partibus intolerabilius eſt, animum curis ac ſo-
licitudinibus oneratum, qvàm pedes ac colla
ferro vincta habere; Servo ſi lenius ſit, catenæ
laxantur; at Principes ac Dynaſtæ, qvo majo-
res ſunt, eò majoribus obruuntur curis; Princi-
pis ſiqvidem, cui verè cordi eſt ſalus Reipu-
blicæ, ne punctum qvidem temporis qvietus
eſt animus; Servus dum vivit, ſe manumiſſum
iri ſperat: at Principibus nulla vsqve ad mor-
tem ſperanda eſt libertas; Servo compedes
certo pondere impinguntur: at Principibus ſi-
ne menſurâ curæ cumulantur, Guevarra *in ho-*
rol. princ. lib. 1. cap. 29. † Vt nec falsò hinc Rex 56
Alphonſus, cùm inter cœnandum ab impor-
tuno qvodam adeò interpellaretur, ut vix ipſi
poteſtas edendi eſſet, ſucclamaverit: *Aſino-*
rum conditionem longè meliorem qvàm Regum
eſſe, illis namque comedentibus dominos parcere,
Regibus neminem. Panorm. *lib. 1. num 12. de dict.*
& factis Alphonſi. Et Rex † Galliarum Henri-
cus II. multitudine ſollicitantium aliqvandò 57.
ita preſſus, ut ſpiritum trahere impediretur, per
Deum circumſtantes ut ſpacium reſpirandi, fe-
neſtramqve ei aperire concederent, rogare
coactus fuit, Mich. Hoſpitall. *Epiſt. lib* 1. Qvis
non ergò, ſi tam variæ magnæque occupatio-
nes & impedimenta præſentiam Principum
expoſcentia obtingerent, excuſatum eos iri
exiſtimet, † ſi Nuncios vice ſuâ ad conventum 58
renovandæ Confraternitatis ablegent, cùm
præſertim in Comitiis hoc receptum ſit, *Receß.*
Imp. de anno 1512. §. Es ſollen auch die Churfürſten. &
§. *Item* haben wir &c. Nec præſentia eorum
adeò neceſſaria videtur, † poſtqvam Conſilia- 59
rii ablegati longè rectiùs negotia trutinare ſo-
leant. Principes verò qvia intrà Palatia ſua
delitiis dediti, *inquit Guevarra*, vel cogitatio-
ne rerum ſublimium occupari, non niſi fa-
miliares intimos ad ſecretam admittunt con-
ſvetudinem, nonnunqvam etiam otio, convi-
viis ferendo totos ſe dedunt, ne illa qvidem,
quæ in ipſis emendatione indigent, nedum

qvæ in Rebuspublicis medicinam flagitant,
norunt, *in horolog. Princip. lib. 3. cap. 6. num.* 471.
60 † Qvin & legatos mittentes, ingentes ſum-
tuum expenſas qvas præſentia ipſorum non
tàm poſtulat, qvàm flagitat, evitabunt. Sed
61 utut hæc largiamur, minus ritè tamen † ad cō-
ventum noſtræ Confraternitatis ea accommo-
dare licet, qvippe in qvo jurandum ab ipſis in
pactum ſucceſſorium: qvod vel ſolum præſen-
tiam præcisè expoſcit, nec promiſſionem per
Nuntios admittit, ut mox dicemus. Non tamen
adeò rigidi fuerunt Principes Confratres in po-
62 nenda lege, † ut omnem prorſus excuſationis
tationem abſentibus præciderent; veniam po-
tiùs & facultatem per Legatos comparendi
concedentes, ſi cauſa inevitabilis ſubſit, alium-
que modum ac diem jurandi præſcribentes,
63 de quo poſteà; † ita namqve pacti fuerunt:
Doch mögen die Regierenden und Geſchwornen / wie
biſshero gebräulich / durch gnugſame Gevollmächtigte /
im fall Verhinderung vorfiele / den Tag beſuchen laſſen.
64 † Nec enim culpabile eſſe poteſt, qvod fit ur-
gente neceſſitate, *can. ad limina.* 30. *qvæſt.*
Hieron. de Cevallos *in Spec. comm. opin. qvæſt.*
906. *num.* 50.

XXVI. Comparentibus verò Principibus
65 ſive in perſonâ, ſive per Legatos, † de Seſſio-
ne eorundem diſpiciendum: idque TERTIUM
habetur in formalibus huius actus; nec
minimum, ſi penſitemus diſcordias & di-
ſceptationes, qvę ratione ordinis ac ſeſſionis in
ſingulis ferè conventibus recrudeſcere ſolent,
ita ut Legati Principum † ſe in aliorum qvan-
66 doqve locum violenter intrudant, indeq; rur-
ſum exturbentur, Adam. Keller. *de offic. iurid.
polit. lib.* 2. *cap.* 8. Et, ſi ex ambitione Clerico-
rum atque Epiſcoporum duntaxat exempla
67 petere liceat, qvemnam fugiunt † altercatio-
nes inter Hecelonem Hildesheimenſem Epi-
ſcopum, ac Weideradum Abbatem Fulden-
ſem, cruentiſſimæ in feſto Pentecoſtes inter
preces in æde ſacrâ veſpertinas ante ora ac o-
culos Henrici V. Imperatoris factæ? qvas po-
ſteritatis ad horrorem reliqvit depictas Lam-
68 bertus à Schaffnaburg, † qvarum cauſam hiſ-
ce adducit verbis: *Conſvetudo erat in Regno per
multos retro maiores obſervata, ut ſemper in con-
ventu Epiſcoporum Abbas Fuldenſis Archiepi-
ſcopo Moguntino proximus aſſideret. Sed Epiſco-
pus cauſabatur, neminem ſibi intra diœceſin
ſuam poſt Archiepiſcopum debere præferri, in hi-*
69 *ſtor. germ. ſub anno* 1003. † Qvem contentio in-
feliciſſima, qvam idem Abbas VVideradus in
Comitiis Moguntinis aliqvot poſt annos cum
Archiepiſcopo Vbiorum fertur reciprocaſſe,
cum locum ſiniſtrę Imperatoris proximum oc-
70 cupare conaretur? qvod, *ut ait* Crantz, † mul-
ti qvidem meminerant ab antiqvâ obſervan-
tiâ, in eo pręſertim loco eſſe factum, ſed Prin-
ceps Elector & Archiepiſcopus cedere Abba-
ti duxit inglorium, *lib. 6. Saxon. cap.* 46. Qvem
71 † vetera illa inter Herbipolitanum Epiſcopum
Rudolphum & antiqvam Comitum Papeber-
genſium familiam atrociſſima pręlia? Kirchner.
72 *in Legat. lib. 2. cap. 5. num* 96. Qvem illa, † quę
etiamnum in conventibus Imperialibus inter

addit.

Ordines & Status de Subſelliorum jure ultra
modum gliſcunt certamina? Qvorum reſtant
veſtigia Receſſibus Imperii impreſſa, *de anno*
16·0·§. *Item* als ſich im Anfang *de anno* 1542. §. Als ſich
auch etliche Fürſten. *& de anno* 1544. § Vnd nach dem
in ſolcher Verſamblung *&* §. Vnd als ſich im Anfang
† ut hinc forſan non falsò dixerit Iohannes 73
Maoſcius, Magnus Polonię Cancellarius:
*Germanos in Comitiis ſuis ferè nihil aliud agere,
qvàm de Seſſionibus digladiari*, referente Kir-
chner, *dict. cap. 5. nu.* 78. Ita nimirum † diſce- 74
ptant de jure proëdrię & pręcedentiâ, qvibus
illuſtrioris dignitatis character externè eſt po-
ſitus, in Comitiis pariter univerſalibus & par-
ticularibus conventibus, nō ſine damno, qvod
lites ejuſmodi ſecum trahunt, benè animad-
vertentibus Statibus Imperii, † qvando in- 75
qviunt: † Von wegen Miſshelligkeit der *Seſſion*-ſtetten /
wird je zuweiln den Reichs gemeine Obligen und vorfal-
lende Nothdurfft zu rücke gehalten / auch ungleiche *affectio*
dahero verurſachet / in *Receſſ. Imper. de anno* 1603. §.
Der in dem heiligen Reich / *&c.* ut profectò Princi-
pes confœderati in conventu renovationis
Naumburgi *Anno* 1614 *menſ. Martio* celebrato,
† litibus hiſce privatâ conventione obviare, 76
cauſam habuerint urgentiſſimam, qvam non
parùm auxit qvęſtio pręcedentię inter lineam
Altenburgenſem & Vinarienſem, † in qvâ li- 77
cèt Rudolphus II. Imper. *Anno* 1607. 17. *Se-
ptembr.* pro Altenburgenſi pronunciârit, haut
tamen omnes in eo acqvieverunt, litem illam
aliqvoties, etiam tum temporis reaſſumentes,
& neſcio ex qvo non Dicaſterio totius ferè
Europę conſilia & ſententias proferentes, † ut 78
videre eſt ex pręfatione Melch. Goldaſt. ab
Haiminsfeld. *in tract. de maioratu.* Cui tamen
amplificatio Sobolis maſculæ Electoralis, pro
qua Deo ſit laus & honor in ęternum, non mi-
nima ex parte ſacrum impoſuit ſilentium.

XXVII. Qvodnam verò concluſum de pręce-
cedentia in Seſſione? Multum † certè de mo- 79
do ac ordinis ratione fuit à Principibus con-
certatum; nec abs re, ſi tradita Politicorum
perpendemus: Vel enim ex prioritate digni-
tatis; vel per ſortem: vel ut unus in Senatu
pręſedeat; alter ſuffragium prius dicat: velut
unus prius ſedeat, ac ſimul votum proferat
primum; alter verò in ſubſcriptione Receſsus
pręponatur, controverſiam hanc decidendam
autumant, † de qvibus Dom. Arum. *de Co- 80
mit. Imper. cap. 7. num* 111. *& ſeq.* Iohan. Limn.
lib. 4. iur publ. c. ult. Goldaſt. *de maior. lib.* 1. *cap.*
19. Andr. Tiraquell. *de iur. primog. qu.* 17. *&* 19.
Herm. Kirchner. *dict. c. 5. n.* 84. *& ſeqq.* Ventur.
de Valent. *in parth. litig. lib. 2. cap. 5. n.* 9. Vnicui-
qve ſuum relinqvamus judiciū. At neutrum pla-
cuit confœderatis, † qvi amicabili compoſitio- 81
ne rem hanc determinare tutiùs exiſtimave-
runt. A qvo alieni haut prorſus fuêre Status
Imperii in Comitiis Auguſtanis *Anno* 1559. &
qvidem ratione † dignitatis Septemviralis u- 82
triqve Electori Sereniſſimo pręcedentiam
meritò deferri, ac poſt eos Principibus a-
ctu regentibus, ſceptraqve tenentibus ho-
noratiorem locum attribui, judicârunt om-
nes: reliqvorum verò reſpectu, licèt
vix amicabilis compoſitio ſperanda fuerit,

83 amicabiliter tamen † in arbitrio & judicio Se-
reniſſimi Saxonis, prævià cum aliis delibera-
tione habitâ, ſe acquieturos promiſerunt, qvæ
conventio hiſce conſignata legitur verbis, Der
Chur- und Fürſten Seſſiones bey ſolchen außgeſchriebenen
Erbvereinigs- und Erbverbrüderungs-Tagen / ſollen nach-
folgender Geſtalt jetzo und künfftig gehalten werden / daß
beede Chur-Häuſer wegen ihrer *praeminenz* abſonderlich /
die Fürſtl. Häuſer aber / als Sachſen / Brandenburg und
Heſſen / wie einen dem andern vorgehet / doch mit der Maſ-
ſe / die Seſſion einnehmen / daß jeglichen Fürſtl. Hauſes re-
84 gierende Fürſten und Herren den Vorſitz haben. † Die nicht
regierende Herren aber untereinander die Seſſion, wie ein
der *Director*, auff vorgehende mit denen Erbvereinigten
und Erbverbrüderten Chur- und Fürſten / ſo der Seſſion und
Streitigkeiten halber nicht *interesſirt*, gepflogene *com-
munication*. doch *abſque praiudicio cauſa principalis*,
anordnen wird / nach den regierenden Herren halten. Re-
85 ſtrictum verò hoc pactum voluerunt † ad ſo-
lum Confraternitatis ac Confœderationis
conventum, qvippe in quo fraternitatis potiùs
jure, qvàm judicis decreto litem Seſſionis ter-
minari, æqvum fuit viſum, relicto interim u-
86 nicuique † iure ſuo, qvod in Comitiis Impe-
rialibus prætendere habet: veluti apparet ex
clauſulâ annexâ: Und ſoll dieſes allein bey einem ſolchen
Erbvereinigs- und Erbverbrüderungs-Tage alſo geſchehen /
weil man ſich bey demſelben befindet nicht als Reichs-
ſtände / ſondern nahe Verwandte / Erbvereinigte und
Erbverbrüderte Freunde. Dargegen aber dergleichen *Seſ-
ſiones* denen jenigen *Seſſionen* und *precedentzen* in unter-
ſchreiben und ſonſten / ſo auff Reichs- und andern Verſam-
blungen gebräuchlichen / unſchädlichen ſeyn / auch keinem
an ſeinen habenden und erlangten Rechten nachtheilig /
vielweniger zu einem oder dem andern Vortheil angezogen
87 werden. Prudenter id factum, † cùm paucæ ha-
ctenus de jure ac præcedentiâ Seſſionis con-
troverſiæ in Comitiis radicitus fuerint ſopitæ
ac deciſæ, ut notum faciunt *Recess. Imper. Ra-
tisbon anno 1512 verſ.* Item als ſich im Anfange. *& anno
1541. verſ.* Als ſich auch etliche Fürſten. *Spirenſ. anno
1542. verſ.* Als ſich auch etliche. *Norenbergenſ. anno 1542.
verſ.* etliche *Spirenſ.* Als ſich auch *anno 1544 verſ.* Wie-
wol auch *& VVormatienſ. anno 1545. verſ* Wir wollen.
88 Nimirum concertantes † plerumqve ſe fun-
dant in nudâ Seſſuræ poſſeſſione vel qvaſi, al-
legando actus hinc inde exercitos, Andr. Knich.
*de Saxon. non provoc. jur. verb. Ducum Saxon.
cap 6. num* 122. Qvâ decidendi ratione uſus
89 qvoqve eſt † Ferdinandus I. Imp. in dirimen-
dâ lite Ducis Florentini & Ferrarienſis, nimi-
rum ita obſervatum fuiſſe in aulâ Caroli V. ut
Florentinus Oratoribus præcedentia præ Fer-
rarienſibus concederetur, Modeſt. Piſtor. *conſ.*
51. Marzar. *conſ. 26. n. 25.*

XXIIX. Qvartvm renovationis reqvi-
90 ſitum † juramenti præſtationem deſiderat: non
enim ſufficit, obſervantiam ſucceſſionis reci-
procæ ſeu pacti Confraternitatis ſtipulatâ ma-
nu à confœderatis promitti, ſed etiam jura-
mento renovationem confirmari neceſſe eſt,
91 ab iis ſcilicet, † qvi id nondum præſtiterunt,
ſecundùm tenorem renovationis *circa fin. in
verb.* Und daß dieſe vorgeſchriebene und erneuerte Brü-
derſchafft / auff- und übergabe / auch alle Stücke / Punct
und *Articul* dieſes Brieffs / von uns allen / und allen un-
ſern Erben / ſtet / ganz und unverbrochen ſollen gehalten
werden / haben wir unſer einer dem andern Hand in
Hand / in treuen gelobet und zu GOtt geſchworen. Ge-
loben und ſchweeren das auch gegenwärtiglich in und
92 mit Krafft dieſes Brieffes / † und es ſollen unſer jeder
Parthey männliche Lebens Erben / Fürſten zu Sachſen
und Heſſen / dieſe Erbverbrüderung / wann deren einer
oder mehr vierzehen Jahr alt / auch geloben und ſchwe-
ren / wie vor Alters herkommen. Atqve hinc † in 93
noviſſimo renovationis actu Naumburgi *An-
no* 1614. celebrato, juramentum 1. *April. ejuſ-
dem anni* ab undecim Principibus utriusqve
familiæ corporaliter præſtitum, percepimus.
Nonnè autem fruſtrà hoc fieri dixeris, cùm
† nuda Principum promiſſio longè ſufficiens 94
videatur, qvippe qvorum verba multorum
inſtar teſtium eſſe debent, *c. tum à nobis. extr.
de teſt.* Ioach. Myning. *5. obſerv. 34. num. 1.* &
vulgò exiſtimant, injurato potiùs Principi,
qvàm aliis juratis fidem fore adhibendam,
prout ex Iſocrate ſcribit Chaſſan. *de glor. mund.
part. 5. conſiderat. 4.* † Qvis enim à Principibus 95
ſacramentum exiget? qvis fidem illorum ac-
cuſabit? qvis eorum verba abſqve notâ ſacri-
legii in dubium & ſuſpicionem vocabit? *l. 2.
C. de crim. ſacrileg.* Nil magìs ſiqvidem in Prin-
cipe præfulgere debet, qvàm recta fides, ut qvi
immobilis cenſetur, ſicut polus in cœlo & la-
pis angularis in terrâ, Riminald. *conſil. 13. nu. 20.
& ſeqq.* † Sed neutiqvam (1) hæc infringunt 96
propriam Principum conventionem, qvi ſuâ
ſponte ad promiſſionem juratam ſe offerunt:
non ergò habent, qvod aliis imputent, vel de
ullâ ſuſpicione conqverantur, ex ſolâ namqve
eorum voluntate hoc evenit, ut pacta ipſo-
rum ſucceſſoria & Confraternitates juramen-
to corporali confirmentur, † obque majorem 97
ſolennitatem illuſtrentur, Petr. Ritter. *de con-
frat. concl. 4. lit n. apud* Arum. *vol. 1. iur. publ.
diſc.* (2) Nec fruſtrà, poſtqvàm juramentum
actui additum fortius illum firmat, † usqve 98
adeò, ut ſubſiſtat de meliori modo, qvo un-
qvam valere poteſt, *l. cum pater. 77. §. filium
matrem. 23. & ibi* Bartol. *ff. de legat. 2. cap. qvan-
to. extr. de iureiur.* Angel. *conſil. 94. numer. 4.*
Caſtr. *in l. ult. num. 2. C. de non numer. pecun.*
Vincent. Honded. *lib 2. conſil. 41. num* 31 Octav.
Cacheran. *deciſ 75. num. 7.* Anton. Hering. *de
fideiuſſ. cap. 14. num.* 108. † omnem læſionem 99
excludit, *l. 3 § 1.* vbi Dd. *ff. de iureiur.* conſen-
ſum ſpecialem & expreſſum demonſtrat, *cap.
ex reſcripto extr. de iureiur.* Bald. *in l. 1. §. 4. C.
mandat.* Pariſ. *vol. 1. conſ. 72. num.* 18. animum
deliberatum. Alexand. *lib. 5. conſ.* 102. † imò 100
deliberatiſſimum arguit & oſtendit, Socin.
iun. *conſ. 66. nu. 33.* vim veritatis exprimit. Petr.
Fab. *in l. res iudicata, num. 10. ff. de reg. iur.* † 101
pœnitentiam, ſi ullo in caſu de jure locum
habere poteſt, excludit, Gloſſ. *in l. ſi pecu-
niam. in pr. verb. neceſſe habeat, ff. de condict.
cauſ. nat. cauſ. non ſecut.* & tandem animæ fre-
num injicit, Pariſ. 1 *conſil. 69. num* 31. utque † 102
cum Deo contractam cenſeatur, efficit, *cap.
debitores. extr. de iureiur.* Natta. *conſ. 506. num.*
14. iuxta illud Prophetæ: *mihi iurabit om-
nis lingua, Eſai. 45. verſ. 23. in fin.* (3) Ex 103
qvo uſu ferè generali obtinuit, † ut ſolâ
juramenti interpoſitione fœdera ſuſtinean-
tur, Remig. Feſch. *de fœder. concl. 15. lit. b.* ob
metum ſcilicet vindictæ divinæ, qvæ ſeqvi-
tur pejerantes: qvi ſolus Romanorum in
cuſtodiendis fœderibus à tot ſcriptoribus
celebrata religio eſt, Flor. *lib. 2. c. 11.* Agell.
noct.

Digitized by Google

104 *noſt. artic.lib.7.cap.*18. Er hinc † in cauſis pu-
blicis ac Imperii graviſſimis, ſolenne juramen-
tum promiſſioni etiam firmiter factæ præfer-
tur, ut videre eſt in juramento fidelitatis, qvod
Principes Imperii in formâ præſtant, Warem,
ab Erenb. *de fœder.lib.2.fol.*108.

105 XXIX. Qvid autem † ſi Principes ad ob-
ſervantiã Confraternitatis ſe obſtringerent, in-
terpoſitâ fidei promiſſione, bey Fürſtlichen Ehren/
wahren Worten/ Treu und gutem Glauben/ annon ita
106 jurari ſufficeret? Non certè huius promiſſio-
nis modica eſt vis & efficacia, † ſed ex com-
muni Dd. opinione, æqviparatur ea, qvoad
obligationem corporali juramento, *ad c.ad au-
res* 10. *extr. qvod met. cauſ. c.pervenit.extr. de
fidejuſſ.c.pervenit. de iureiur.* Iaſon *in §.ſi qvis,
num.*52. *& ſeqq. inſt. de action.* Matth. Coler.
de proceſſ. execut. part 1.*cap.*10.*nn.*246. *& ſeqq.*
Felin. *in c præterea. extr.de ſponſal. num.*15. Er-
neſt. Cothman. *vol.*3. *Reſponſ.*18 *nu.*123. Schurff.
*cent.*2. *conſ* 37. *num.*11. *&* 21. Weſemb. *conſ.*23.
107 *num.*56. propter fidei nempè exuberantiam, †
qvæ in Principibus & illuſtribus perſonis lu-
mine clariori præfulget, *l* 8. *C.de ſumm.Trinit.*
Idqve in Camerâ practicari, promiſſaque bey
108 Fürſtlichen Ehren und Glauben/ † juramento æqvi-
parari, obſervavit. Andr.Gail. *lib.*2. *obſerv.*59
*nn.*3. Ioach.Mynſing. *cent* 1. *obſerv.*17. Schurff.
*dict conſil.*37. qvod nec Statibus Imperii diſ-
109 plicuit, † ut colligere eſt ex *Receſſ.de anno* 1555.
§. Und da ein Churfürſt/ Fürſt *&c. ibi*: daß die/ ſo Fürſt-
lichen Standes oder Weſens bey Verſprechung und Zu-
ſage Ihrer Fürſtlichen Würden/ und wahren Worten ge-
laſſen. tantamque huic promiſſioni efficaciam
110 tribuere haut dubitavit † Philippus Auſtria-
cus, cum *Anno* 1499. per Cancellarium Galliæ
inveſtiretur de Comitatu Carolino Flandriæ
& Arteſiæ, ut juramenti loco hæc ſaltem ver-
ba poſuerit; *Par ma foy: ainſi le promets & ainſi
le ferai.* Camerar. *hor. ſucciſiv cent.*1. *caſ.*59.
111 Nonnè enim † verba Regis ac Imp. pro jura-
mento ſunt? ut qvondam dixit Archiepiſco-
pus Colonienſis, apud Cranz. *lib.*6. *cap.*46.
qvâ opinione in tantum qvidam ſunt inebria-
112 ti, † ut etiam renunciationibus filiarum Ma-
gnatum & Nobilium, bey Fürſtlichen oder Adeli-
chen Ehren/ juramenti vim attribuant, Sichard.
*in l.ult.num.*13.*verſ.qvartus caſus eſt.C.de edict.
div.Hadrian.tollend.* Ritter. *de confr.th.*4. † Sed
113 fidem hicce demus qvoad obligationem pro-
mittentis, qvæ ex religioſâ hâc aſſertione non
parùm roboratur; adeò ut omnia illa, ad qvæ
qvis ex contractu jurato devinctus tenetur,
ſint adimplenda, Hartm. Piſt. *part* 4. *quæſt.*6.
*num.*2. Andr. Rauchb. *part.*2. *qvæſt.*2. *num* 76.
114 neqvaqvam verò hinc ad † ſubſtantiam & ſo-
liditatem actus inferre licet, qvi ſi corporale
reqvirat juramentum, promiſſio ſub fide Prin-
cipis, bey Fürſtl. Ehren/ wahren Worten und Glauben/
haut ſufficiet, nec pactum Confraternitatis re-
novatæ convalidabit, ut benè tradit Iohan.
Caſp. Guttich *de confrat.concluſ.*9 *lit.a.* Remig.
115 Feſch. *de fœder.concl.*15.*lit.b.* (1) † Non facilè
ſiqvidem qviſqvam dixerit, promiſſionem ſub
fide Principis verum ac corporale eſſe jura-
mentum, qvippe ad qvod certa ſolennia ac ver-
ba reqviruntur, VVeſemb. *in parat ff. de iureiur.
num.*6. Qvotiescunqve igitur † actus aliqvis 116
juramento corporali eſt confirmandus, ſolen-
nia iſta omitti haut debent, qvia formalia non
adimplentur per æqvipollentia, *l.*3. ubi Dd. *ff.
de iureiur.* VVeſemb. *dict.conſ.*23.*num.*56. Felin.
*in c.fraternitatis, num.*12. *extr. de teſtib.* (2) Ex
qvo etiam aliis fœderibus ſolenne apponi iu-
ramentum neceſſe eſt, † nec ſufficit interpoſi- 117
tio fidei, bey Fürſtl. Gräflichen Ehren/ *&c.* ad evi-
tandas nempè cavillationes, & propter obte-
ſtationem Numinis divini, ut ſi non amor vir-
tutis & perfidiæ infamia, ſaltem formido pœ-
næ & iræ divinæ adſtringat fœderatos, VVare-
mund ab Erenberg *de fœder.lib.*2. *cap.*1 *nu.*122.
& ſeqq. Feſch. *dict.loc.* (3) † Et qvidnam pro- 118
miſſio ſub dignitatis ſplendore cum fide Chri-
ſtianâ commune habet? nec enim per eam
Numen invocatur divinum, nec promittens
Deo obligatur, qvod tamen pactum Confra-
ternitatis præcisè reqvirit, *in verb.* Als haben wir
unſer einer dem andern Hand in Hand/ in Treuen zu GOtt
gelobet und geſchworen/ geloben und ſchweren auch diß
gegenwärtiglich/ *&c.* Ita ſcilicet (4) † iuramento 119
vero ac corporali, ad obſervantiam renovatæ
Confraternitatis Principes obſtringuntur ex
propriâ eorum conventione, qvæ etiam here-
des obligat, *verb.* Und es ſollen unſer jeder Partheyen
männliche Lehens-Erben/ Fürſten zu Sachſen und Heſſen/
dieſe Erbverbrüderung/ wann deren einer oder mehr vier-
zehen Jahr alt/ auch geloben und ſchweren/ wie vor al-
ters herkommen. † ut ſic promiſſio ſub fide Prin- 120
cipis, licèt eandem cum vero iuramento habe-
ret efficaciam, ex placito tamen paciſcentium
haut admittenda eſſet.

XXX. Inter alia porrò jurisjurandi ſolen-
nia, haut minimum eſt, ut † formula juramen- 121
ti jurantibus prælegatur, & ab iis præſtatio ju-
risjurandi acceptetur: qvæ functio omnium
conſenſu competit jure directorii, Sereniſſimo
Saxoniæ Electori, modò ipſemet anteà jura-
verit. Cæteroqvin † ſi in actu renovationis ab 122
eo ſimul præſtatio juramenti exigatur, vices
hæ proximè ſeqventi jurato Principi deferun-
tur, qvo de ita habet pactum Confœderato-
rum, † *ſub dato* Naumburg/ 30. *Martii* 1614. Und ſoll 123
in der mit Sachſen und Heſſen auffgerichteten Erbverbrü-
derung/ der Churfürſt zu Sachſen/ da er geſchworen/ im
fall aber nicht/ der älteſte Fürſt dieſer beeden Häuſer/ ſo
geſchworen/ die Gelübde vorleſen/ und den Eyd von den
andern annehmen. Idqve in noviſſimo renovatio-
nis actu tum temporis celebrato † à Du- 124
ce Saxon. Iohan. Caſimiro Coburgenſi, qvi
ipſemet jam anteà in priori Confraternita-
tis renovatæ conventu *anno* 1587. habito
juraverat, factum *ex protocollo* didicimus.
Quoad iurantis qvoqve perſonam hoc nota-
tu dignum, † qvòd non audiatur, ſi ab- 125
ſens per Legatum ac mandatarium juramen-
tum præſtare velit, ex placito Confœdera-
torum *in prædicto Receſſu*: Die Regierenden aber/
ſo nicht geſchworen/ ſo wol auch die nicht Regieren-
den/ ſollen durch Gevollmächtigte nicht zugelaſſen wer-
den/ ſondern den Eyd in der Perſon ablegen. Cur
ita? cùm notiſſimi ſit juris, † iuramen- 126
tum per procuratorem ſpeciale mandatum

addita

habentem præſtari, *l.nam & poſteaqvam.9. §.*
iusjurandum,6.l.ult.§.ſed etſi.ff de iure iur. præ-
127 ſertim ab Illuſtribus perſonis: † qvibus ex ſa-
cris Romani Imperii conſtitutionibus indul-
tum eſt, ut fractæ etiam aut violatæ pacis pu-
blicæ nomine ſuſpecti, ſui purgandi causâ iu-
rent per Procuratores nobiles, reliqvi verò per
ſemetipſos, *Cõſtit. Imper. de pac. publ. anno* 1548.
promulgata, c. Wie gegen denen / die den Friedbrüchig
oder daß ſie den Fried brechen / *&c. Ord. Camer. part.* 2.
128 *cap.*10. † In aulis porrò Principum & Electo-
rum Saxoniæ, juramenta fidelitatis & homagia
ab inferioribus etiam per Procuratores in ani-
mas Principalium ex ſpeciali mandato præſtita
recipi & admitti, docet obſervantia, & atteſta-
129 tur de hoc Rauchb. *part.*1.*qvæſt.*8. *n.*33. † Nec
abnuit ius Saxonicum, in Landrecht *lib.* 2. *artic.*42.
in qvem Gloſc. *ſub verbo;* Ein gebohren Dienſtman/
hiſce commentatur verbis: Allhier wiſſe auch dieſ-
ſen / daß / wo die Fürſten Ende thun ſollen / dieſelbigen mö-
130 gen ſie ihre Mann vor ſich thun laſſen. † Sed generalia
hæc ſunt, qvæ Principes confœderatos non ita
ligant, qvin ſolo placito aliud ſtatuere, & ut
propriâ in perſonâ iusiurandum præſtetur, con-
venire potuiſſent, qvod ab ipſis factum, *ſuprà*
131 monuimus; proculdubio † non abſque ratione,
qvò ſcilicet fortiùs obligarentur & magis ſo-
liciti eſſent de ſalute animæ ipſimet jurantes in
propriâ perſonâ, qvàm ſi per Nuncium admit-
132 terentur, haut penſitantes, † Nuncium qvidem
eorum nomine iurare, ſed non eorum nomi-
ne ob fidem fractam deſcendere in gehennam,
ut in ſimili dicit Auct *diſcurſus von Iuſtitien*
Werck. *pag.*48. Vent. de Val. *in parthen. litigioſ.*
*lib.*2 *cap.*7.*num* 12.

XXXI. Accidit nihilominùs qvandoqve,
133 † ut unus vel alter Confœderatorum iuſtâ ex
causâ abſens mittat Nuncios, qvi nomine ſuo
interſint actui renovationis, *ſupr. th.*25. qvo
ſanè caſu juramentum in perſonâ propriâ ne-
qvit præſtari: annùm ergo tum ſaltem Man-
datarius ad jurandum erit admittendus, vel
præſtatio uſqve in alium conventum differen-
134 da? † Neutrum placuit: ſed alio neceſſitati
remedio ſubveniendum conſtituerunt Princi-
pes confœderati, nempe ut per Legatos, vel
unum ex ipſis Principibus ad hoc deputatum,
aliorum nomine juramentum extra conven-
135 tum in perſonâ præſtitum acceptetur, † pro-
ut verba pacti habent: Würden aber einem groſſe
Ehehafft und unvermeidliche Noth vorſtoſſen / er dieſelbe
bey dem Erbvereinigung und Erbverbrüderungs-Tage anzei-
gen und gläublich beſcheinigen laſſe / die andern anweſen-
de Erbvereinigte und Erbverbrüdere Chur und Fürſten
auch ſolche vor erheblich erkennen / ſo ſolle denſelben ein
Churfürſt zu Sachſen durch Geſandte / oder wen dieſelbe
unter den anweſenden Fürſten bittlichen darzu vermögen
möchten / die Gelübde vorleſen / und von dem Anweſen-
den den Eyd / der gebräuchlichen *notul* nach / nehmen laſ-
136 ſen † Ideoque cùm Ioachimus Erneſtus Marg-
gravius Brandeburgenſis adverſâ valetudine
detentus, in conventu Naumburgenſi *Anno*
1614. haut comparuiſſet, iniunctum fuit à Se-
reniſſimo Saxoniæ Electore, fratri abſentis
Chriſtiano Marggravio Brandeburgenſi, ut
præſtationem iuramenti ad renovationem cõ-
fœderationis ab ipſo acceptaret, qvod & 30.
April. euſdem anni Onolczbachii factum

Marggravius Chriſtianus per literas *ſub dato*
Xyou 8. *May anni illius* Sereniſſimo Saxoni re-
tulit. Ex qvo perſpicuum eſt, † tam firmam 137
de juramento in propriâ perſonâ præſtando
Principes confœderatos ſibi poſuiſſe legem, ut
ne qvidem ex causâ neceſſitatis ab hâc rece-
dere voluerint, cùm tamen aliàs legi ſubjecta
† neceſſitas haut ſit, *l.*1 *ff. de offic. proconſ. l.*7. *§.*3. 138
ff. qvod vi aut clam. ſed ipſa legem faciat, *can.*
remiſſionem, 1. *qvæſt.*1. Theod. Reink. *de regim.*
*ſecul. & eccleſ. lib.*1. *claſſ.*5. *cap.*4. *n.*84.

XXXII. QVINTVM nunc ſubintrat reqvi-
ſitum: † Subſcriptio nempè partium & ſubſi- 139
gnatio. Qvicqvid enim in renovatione Con-
fraternitatis actum & contractum eſt, in ſcri-
pturam redigi debet, non ex naturâ pacti &
contractus, ſed ita ferente conſvetudine, *arg. l.*
44. *ff. de acq. poſſeſſ. l.*29. *§ ſed ne reliqva C. de te-*
ſtam. Remig. Feſch. *de fœder. concluſ.*15. *lit.c.* † 140
ut occurratur pernicioſæ & fallaci multorum
interpretationi, ob qvam ſatius eſt, chartis,
qvàm Druidarum more capita fœderum me-
moriæ mandare, ut de iis retulit Cæſar *de bell.*
*gallic. libr.*5. qvem in finem etiam † fœdus in- 141
ter Roman. & Carthag. tabulis æneis inſcri-
ptum, ab Ædilibus in Iovis Capitolini templo
diligentiſſimè aſſervatum legitur, Polyb. *lib.*
3. Non tamen variare ſolent ſcripturæ ſeu in-
ſtrumenta ſuper renovatione Confraternita-
tis confecta, † niſi forſan pro temporis ra- 142
tione & ſtatus qvalitate qvid adjectum vel
immutatum fuerit. Id namqve moris obtinet
in aulis, ut ſi noviter geſta anteà actis conve-
niant, formula conſignationis prior repeta-
tur, & verba verbis reſpondeant, prout ex
tenore renovationis *de anno* 1587. & 1614. per-
ſpicuum eſt. † Scripturæ porrò accedit ſubſi- 143
gnatio & ſubſcriptio Confœderatorum, ita
tamen, ut ſoli Principes actu regentes ſigilla
apponant, omnes verò ſimul ſua ſcribant, ex
conventione ſpeciali, qvâ de fide facit proto-
collum Conventus de *An.*1614. Et qvidem † 144
in ſubſcriptione eadem præcedentiæ ac ordi-
nis, qvæ in ſeſſione, habetur ratio, indigitante
ſæpius allegato *Receſſu. his verbis:* Und wie es
mit den *Seſſionen* vor gut angeſehen / alſo ſollen auch die
ſubſcriptiones erfolgen. Et poſtea. Solche Gevollmäch-
tigte auch ihre Stelle / wie bey Reichs-Tägen bräuch-
lich / wann Fürſtliche regierende Perſohnen vorhanden /
nach denſelben halten / auch alſo *ſubſcribiren.* Ein Chur-
fürſtlicher Gevollmächtigter aber ſeinen Herren Stelle in
ſeſſione und *ſubſcriptione* vertreten † Alterutrum ſa- 145
nè horum, ſive ſigillum, ſive ſubſcriptio ſuf-
ficere videbatur: nam hæc ſola ad conſenſum
præſtandum facta probat, Paul. de Caſtro *vol.*
1. *conſ.*216. *num* 1. *& ſeq.* Alexand. *vol.*2. *conſil.*
147. *num.*3. *& ſeq.* Paril. *vol.*2 *conſil.*19. *num.*108.
Eſtqve *teſte Budæo,* ſubſcribere idem, qvod ra-
tum habere, confirmare literas, idemqve
ſentire. Vt non immeritò † de Germanorum 146
moribus qvàm rectiſſimè ſcriptores celebra-
rint, nuda eorum promiſſa, verborumque
obligationes & ſcripta pro ſigillorum con-
firmatione fuiſſe; ex qvo, *inqvit Herman.*
Kirchn. † Caroli Magni & veterum alio- 147
rum Impp. literas videre eſt, rarius, nec
niſi majoris momenti ſigillo eſſe corrobora-

ta;

Digitized by Google

tas, ſed tantum certâ notâ & charactere qvo-
dam, qvemadmodum hodiè Notariorum ſi-
gna eſſe ſolent, inſignitas, *in Morviller. lib.4.*
148 *cap.2. num.86.* Rurſus etiam † ſigillum ſine
ſubſcriptione fidem facit, Bald. *in l.diſtrahen-
te.2.num.ult.C.de reb.alien.non alienand.* Ioſeph.
Maſcard. *de probat.concl.1348.num.18.* idemqve
149 operatur qvod ſubſcriptio, † adeò ut ſigillans
omnia contenta in inſtrumento vera fateri cen-
ſeatur, Bald. *lib.1.conſil.175.num.2.* Marſil. *in
Rubr. C.de probat. num.300.* ſcilicet qvia ſigil-
lum ceu imago ſubſtantiæ hominis, habeatur
pro perſonali præſentia, Leonh. à Leg. *in addit.
ad Paul.de Caſtro, lib.1.conſil.13.nu.2.lit.a.* Bald.
150 *lib.3. conſ.354. num.3.* † Hujus rei benè gnarus
Imp. Henricus IV. literas illas, qvas Gunthe-
rius vice Aribonis Archicapellani recognovit,
dataſque in Regiâ villâ Triburiâ *anno Chriſti*
1122. hiſce claudit verbis: *Et ut hæc conſtitutio
ſtabilis inconvulſaque permaneat, Sigilli noſtri
impreſſione chartam hanc inſigniri juſſimus,*
151 Freher. *de reb.german.* † Idemqve in aliis Prin-
cipum literis & diplomatibus, qvæ duntaxat
ſigillis, omiſſâ ſubſcriptione nominis in præ-
ſcription. poſitis confirmata prodierint, ſe ob-
ſervâſſe notat Kirchner, *dict.lib.4.c.3.num.48.*
152 † ut ſic iis, qvæ Principis ſigilli ſui robore con-
firmâſſent, pondus ſubſcriptionis adjicere, vel
ultra ſubſcriptionem ſigilla requirere, fruſtra-
neum foret, ſi non etiam iniqvum ſuperfluâ
153 comprobatione Principes onerare. † Verumq;
nihilominùs Principes confœderati lubentes
in ſe ſuſceperunt onus, rati, rem tanti ponderis
una cum ſubſcriptione etiam ſigilla vel ſaltem
actu Regentium efflagitare, qvo duplici vin-
154 culò fortiùs contrahentes ligentur; † qvia u-
trumqve robur ſcripturæ addit, *l.8.§.non vide-
tur. ff.quib. mod. pign. vel hypoth.* Matth. We-
ſemb. *in parat.ff.de fide inſtrum.n.5.* Conr.Brun.
de Legat.lib.5.cap.12. Decian. *vol.2.conſ.39.n.91.*

XXXIII. Sextum deniqve & ultimum
155 Reqviſitum † in conſenſu & confirmatione
Imperatoris acqvieſcit. Hanc enim Confra-
ternitati Saxonico-Haſſiacæ acceſſiſſe, tenor
renovationem nos certiores reddit verbis ſat
156 expreſſis. † *in pr.* Nachdeme in Vorzeiten unſerer Vor-
eltern / Eltern und Vorfahren / alle ſeliger und löblicher
Gedächtnüß / ſich umb Nutzens und Friedens willen ihre
aller Land / Leute und Unterthanen mit ihren Landen und
Fürſtenthümben durch Römiſche Keyſerliche Bewillie
gung und *confirmation*, laut der Brieffe darüber gegen
157 einander außgangen / zuſammen verbrüdert † Et ipſa
confirmatio hujus pact. primæva, facta à Ca-
rolo IV. Imperatore *anno* 1373. cujus tenorem
recitat Ioh Limn. *lib 4.jur.publ.cap.8.poſt. nn.
171.ſub rubr.* Keyſer Carols des Vierten *confirmation*
und Lehnbrieff über die Erbverbrüderung der Häuſer Sach-
ſen und Heſſen / *ſub dato* an *S.Lucien* Tage / *anno*
1373. Non eqvidem latet nos diſputatio Po-
158 liticorum, † *an pacta ejuſmodi ſucceſſoria ſpe-
ciali confirmatione Imperatoriâ præcisè indigeant?*
cujus negativam ſi qvis vellet tueri deciſio-
nem, fortaſſis non deſtitueretur rationibus: †
159 prout videre eſt ex traditis Petri Ritteri *in diſp.
de confrat. th.3. lit.e. apud* Arum. *tom. 1. jur.
publ. diſſ.12.* Attamen cum Principes Domus

addit,

Saxonicæ & Haſſiacæ confœderati Sereniſſimi
& Illuſtriſſimi, autoritatem & confirmatio-
nem Cæſareæ Majeſtatis deſuper petierint, non
eſt qvod ab ipſorum judicio recedamus, nec
fruſtra id factum exiſtimemus, † in qvo haut 160
nos derelinqvit communis opinio, ut videre
eſt apud Mynſing. *conſil.10.num.39. & ſeqq. &
conſil.32.num.21. & ſeqq.* Nicol. Everhard. jun.
2.conſ.13.num.2. Choppin. *de doman. Franc. lib.
3. tit.6. num.59. & ſeqq.* Dauth. *in expoſit. l.ult.
C.de pact.num.125.* Ant. Teſſaur. *deciſ.225.n 21.*
Andr. Gail. *lib.2.obſervat.127.* Dom. Arum *in
diſcurſ.6 ad Aur.Bull. concl.6.* Bartol. Muſc. *de
ſucceſſ.anomal.membr.1.claſſ.1.concluſ.3. lit.g. &
diſp. de confratern.th.21.* Petr. Heig. *part.1.quæſt.
23.num.44.* Remig. Feſch. *de fœder. concl.14.
lit d.* Ioh Caſp. Güttich. *de confrat.th.6.* Theod.
Reinking *de regim.ſecul. & eccleſ.lib.1. claſſ.4.
cap.18.n.4.* Rumelin. *ad Aur.Bull.part.2.diſſert.
ult.coroll.3.* † Cùm enim hiſce in pactis non ſo- 161
lùm de allodialibus, verùm etiam maximè de
Imperij feudis, qvæ abſqve Domini & Senio-
ris conſenſu nulli ſubjacent proviſioni Vaſal-
lorum, fiat diſpoſitio, utique ſine conſenſu Im-
peratoris pactum Confraternitatis nemo vali-
dum habebit; qvem † & propterea neceſſariũ 162
dicit Gail. *dict.loc. nu.6.* ut causâ cognitâ per-
ſpicuum fiat, an pactum hoc Romano Impe-
rio ſit futurum nocumento, nec ne, Ioh. Caſp.
Güttich. *citat loc.* † Qvin & autoritas Cæſa- 163
rea plurima labefactat tela, qvibus contra pa-
ctionem hanc vulgò inſurgunt, tollit nempe
omnem ſiniſtram ſuſpicionem, mortiſqve affe-
ctatæ votum, maximè ſi confirmationi ſaluta-
ris illa inferatur clauſula: *Ex certâ ſcientiâ &
legitimâ causâ*, qvæ qvoties à Principe aliqvid
ſtatuitur, ſemper præſumitur juſta, omnemque
repellit ſuſpicionem, Mynſing. *4.obſerv.8.nu 3.*
Schonborn. *2.politic.13.* ac tandem † confirma- 164
tio Imperatoria pactum Confraternitatis à re-
gulis juris communis excipit, eaſq; limitat, qvò
minus ambiguũ id reddere qveant, uti pateſcit
ex voto paciſcentium in formulâ Confraterni-
tatis: Daß dieſe unſere Brüderſchafft / Auf und Uberge-
bung / wie vor geſchrieben ſtehet / beſtetiget / bewilliget / und
gevollwortet werde / mit wiſſentlicher Auffgebung aller
Rechte / ſo darwider ſeyn / oder angezogen / auch wie die
in Rechten nambafftig oder deutlich genennet möchten wer-
den / &c. apud Arum. *dict. concl.6.* Num verò † ju- 165
re moderno adhuc Imperatori ſit integrum,
ejuſmodi pacta de novo inita abſque conſenſu
Electorum approbare & confirmare? apud om-
nes non expeditum: de qvo *infr.th.47 & 57.*

XXXIV. Cæterùm † de ipſo Confraterni- 166
tatis pacto hęc intellecta volumus, in qvo ſub-
ſiſtendum, nec ad renovationem ea extendere
licet, niſi novi qvid adjiciatur, aliavè perſona
ac familia in Confraternitatem recipiatur, cu-
jus intuitu cùm novum ineatur pactum, con-
ſenſus ac confirmatio Superioris haut omitten-
da erit; alioqvin † ad nudã pacti ſucceſſorii re- 167
novationẽ Cæſarea confirmatio neceſſaria nõ
eſt: (1.) ſiqvidem ea qvæ per ſe juſta ſunt, ac
ſemel ſubſiſtunt, ulteriori haut indigent con-
firmatione, *l.77. ff.de hered. inſtit.* Socin. *conſ.
92.num.17.* Nicol. Reuſner. *lib.1. conſil.3.nu.59.*

168 *& ſeqq.* quia ſuperfluum eſt, † precibus impe-
trare, qvod iure competit communi, Sonsbec.
*part.9.feud.n.*103 Henning.Arniſ. *lib.1. de iur.*
*Maieſt. cap.*4. Ioh. Limn. *dict.cap.8.num.*23.
169 *(2.)* Quod † advertentes legati Saxonici &
Haſſiaci, cum *anno* 1588. in aula Cæſarea con-
firmationem pacti ſucceſſorii novi cum Do-
mo Brandeburgicâ initi obtinere haud potuiſ-
ſent, de validitate Confraternitatis anterioris
170 Saxonico Haſſiacæ † bene repoſuerunt. Die
Chur und Fürſten zu Sachſen und Heſſen / unſere gnä-
digſte und gnädige Herren haben uns / dero abgeordneten/
auch gnädigſt befohlen / Ew. Käyſ. Maj. wegen ihrer Chur
und Fürſtl. Gnaden darneben unterthänigſt anzuzeigen/
daß ſie en mittler weile nichts deſto weniger bey dero zwi-
ſchen beyden Häuſern Sachſen und Heſſen ele hergebrachten
Erbverbrüderung in alle wege bewenden laſſen / und die-
ſelben hierdurch in keinerley weiſe etwan *derogiret* oder *præ-*
171 *iudiciret* haben wollen. † Nec enim vlteriorẽ anti-
qvioris Confraternitatis confirmationem pe-
tierant, nec neceſſarium hoc duxerant. *(3.)* Id-
qve eò minus, qvòd ſingula qvæqve jura Ele-
ctorum ac Principum, a qvovis recens electo
Rege Romanorum ac Imperatore confirmen-
172 tur hoc ipſo, † qvo jurat ac promittit in *Ca-*
pitulatione, qvod ea non convellere ac immi-
nuere, ſed potiùs defendere ac tueri velit, Ioh.
Sleid. *lib.1. hiſt. pag* 28 Henning.Goden *de elect.*
173 *Reg. Rom.n. c* 7. Verba promiſſionis ita † ha-
bent: Auch andere Fürſten / Grafen / Herren und Stän-
de bey ihren Hoheiten / Würden / Rechten und Gerechtig-
keiten / ꝛc. bleiben laſſen. Und ihnen darzu ihre *Regalia*
und Obrigkeit / Freyheiten / *privilegia*, Pfandſchafften und
Gerechtigkeiten / ſo ſie biſſhero gehabt haben / oder in
Übung geweſen ſeyn etc. in guter beſtändiger Form / ohne
alle Weigerung *confirmiren* und beſtetigen / Sie auch
darbey als erwehlter Römiſcher König handhaben / ſchü-
tzen und ſchirmen / etc. qvo de pluribus in *Comm.*
174 *ad leg. Reg. cap.3.sect.*11. † Abundè hinc confir-
mationem pacti Confraternitatis renovari, fa-
tebitur, qviſqvis denuò id confirmandum con-
tendit.

CAP. III.

Iure nùm ſubſiſtat pactum Confraternitatis Saxonico-Haſſiacæ.

XXXV.

HActenus de requiſitis in renovando Cõ-
fraternitatis pacto obſervandis: nonnè
1 † autem fruſtranea hæcce omnia, cùm ſub ju-
dice adhuc lis ſit, *An pactum ipſum pure ſubſi-
ſtat?* qvod ſi invalidum eſt per renovationem,
licèt milies repeteretur, nunquam convalida-
bitur. Qvæſtio hæc nova non eſt, ſed † par-
2 tim in genere de pactis & conventionibus e-
juſmodi ſucceſſoriis, partim de hâc ipſâ Con-
fraternitate Saxonico-Haſſiacâ, jamdudum à
præſtantiſſimis & graviſſimis ICtis atque Po-
liticis, præſertim verò à Nicol. Reuſner. *vol.1.*
conſ.3. Vdalr. Zaſ. *vol.2.conſil.*1. Socin, jun. *vol.*
1.conſ 143. Decio *conſ.63.vol.1.& 655.vol.4.* Andr.
Gail *lib.2 obſerv.126.&* 127. Nicol. Boët. *deciſ.*
355. Dom. Arum. *in diſſert.6.ad A.B.concl.6.* Ioh.
Limn. *lib.4.iur.publ.c.8.num.126.& multis ſeqq.*
Theod. Reink. *de regim.ſecul.& eccleſ. l.1. claſ.*
*4.c.*18. Warem. ab Erenberg *de fœder. lib.1.c.2.*
n. 36. Bart. Muſcul. *in diſp.de pact. ſucceſ.fam.il-
luſtr.* Remig. Feſch. *de fœder. cõcl.24.lib.b.* Andr.
Knich. *de Sax.non prov.iure.verb. Electorũ.cap.*
2.n.92.& ſeqq. Iac. Menoch. *conſ.825.n.14.& ſeq.*
Fichard. *2.conſ.45.* Hottom. *conſ.72.n.34.* magnâ
induſtriâ & conqviſito labore tractata, venti-
lata, & affirmativè deciſa, ut verè actum agere
cenſeri poſſit, qvi facem illis addere vlteriorẽ
annitatur: † Ne tamen inſtitutum noſtrum ne- 3
glexiſſe videamur, ſummatim ea comprehen-
dere haud inconſultum erit. Impugnari autem
vulgô ſolet pactum noſtrum Confraternitatis
ex eo, qvòd conventiones ejuſmodi † de here- 4
ditate adhuc viventium jure improbentur, &
pro illegitimis ac illicitis habeantur, ſitq; im-
probus, qvi de hereditate adhuc viventis eſt
ſollicitus, *l.2.§.interdum, ff.de vulg.& pupil.ſub-
ſtit.l.15.& l.ult.C.de pact.l.3. C.de collat.l.61. ff.
de V.O.* non ſolùm qvia alterius vitæ inſidian-
di occaſionem præbeant, *d.l.ult. C.de pact.* ſed
† & liberam teſtandi facultatem paciſcentibus 5
auferant, *d.l.15.C.eod.tit.* cùm tamen ſupremæ
voluntatis liber debeat eſſe ſtylus liberumqve
arbitrium, *l.1.C.de SS.Eccleſ.* Iohan. Gœdd. *de
contr.ſtipul.cap.6.concl.7.n.*60. Ioh. Schneidvv.
*ad §.item ſi quis poſtulante.Inſtit.de act.n.*6. Zaſ.
*ad l.61. ff.de V.O. nu.*55. Forſter. *in tract.de pact.*
cap.6. † uſqve adeò, ut pacta ejuſmodi ne qvi- 6
dem juramento confirmata ſuſtineantur, Zaſ.
*dict.loc.n.*48. Ioh. Sichard. *ad d.l.3. C.de collat.*
Ioh. Borch. *de pact.cap.5.n.* 61. *& ſeqq.* Didac.
Covarr. *in Rubr.de teſtament. part.2. n.*15. Petr.
Gregor. *l. 4.ſyntag.iur.univerſ.cap.5.n.2.* Cum-
qve bona utriuſqve familiæ potiſſimùm in feu-
dis Imperii regalibus conſiſtant, † vel horum 7
ſolummodò intuitu pactum ſucceſſorium ſuo
deſtituetur effectu, prohibitâ ſiqvidem feudo-
rum alienatione & commercio per Conſtitu-
tiones Lotharii & Friderici Impp. *tit.52. & 55.*
F.2. † nulla defunctorum Vaſallorum ordina- 9
tio de ſucceſſione in feudis ſubſiſtit, *tit. F.1.*
qvod ex ſolo Georgii Ducis Saxoniæ exemplo
redditur illuſtriſſimum. Hic enim ſine liberis
decedens, etſi fratrem Henricum, ejuſdemq; fi-
lios Mauritium & Auguſtum teſtamento here-
des inſtituerat, hâc lege & conditione, ne reli-
gionem mutarent, & ſi non parerent, Cæſari
Carolo V. & fratri Ferdinando omnem ditio-
nem ſuam attribuerat, donec vel ille, vel filii,
vel ex familiâ Saxonicâ proximus Agnatus cõ-
ditionem adimplevisset, † nil qvicqvam tamen 9
hâc diſpoſitione effecit, nec propoſitum ſuum
obtinuit: ſed Henricus frater non attentâ de-
functi teſtatoris ordinatione, rejectoque teſta-
mento, ab inteſtatò omni jure hereditatẽ adiit
& feuda occupavit, qvamprimùm de morte
fratris cognoviſſet, Thuan. *lib 2.hiſtor.pag* 67. † 10
Nec fortior fuit diſpoſitio teſtamẽtaria Geor-
gii Bavariæ Ducis, qvi licèt præter auri argen-
tiq; vim omnẽ, & ſupellectilẽ planè regiam,
genero ſuo Ruperto, Philippi Palatini Se-
ptemviri filio legaverat, obtinere tamen
haut potuit legatum gener, qvantumvis ſo-
ceri defuncti ditionem armis occupare an-
niteretur, reſiſtente teſtatoris filio Alber-
to Ba-

to Bavariæ Duce, propterea quòd Patri
non jus fuiſſet feudum teſtamento aliena-
re, † ex quo bellum & Cruſio *annal. part.*
3 lib.9. cap.13. Chriſtoph. Beſold. *diſp. nomi-*
copol lib.1.diſſ. 2.num.13. Nimirum uti feudum
11 non prætextu pecuniæ, † ita nec pacti, con-
ventionis aut diſpoſitionis, ſed amore & ho-
nore domini eſt acqvirendum, *tit.27.F.* in tan-
tum, ut ne qvidem ex confirmatione Cæſaris
ejuſmodi † diſpoſitio de feudis roboris qvid
12 accipiat, ademptâ Imperatori poteſtate, ſine
conſenſu Septemvirorum feuda Imperii alie-
nandi & per inveſtituram aliis conferendi, *in*
13 *Capitulatione Cæſar:* † quâ inter alia & hoc
præſcriptum: Wann Lehen dem Reich/ und ihme bey
zeit ſeiner Regierung eröffnet und ledig heimfallen wür-
den/ ſo etwas mercklichen ertrügen / die ſolle er ſeiner nie-
mand verleihen / auch niemanden einige *Expectantz* oder
Anwartung darauff geben/ ſondern zu Unterhaltung des
Reichs/ ſeine und ſeiner Nachkommen/ König und Käy-
ſer behalten / anziehen und *incorporiren*, biß ſo lange das
Reich wieder zu Weſen und auffnehmen käme. Nullum
15 † etenim remedium aliud ad labeſcentis Im-
perii vires nonnihil reſtaurandas æqvius &
melius fuit viſum, quàm ut feuda Imperio
aperta eidem reſerventur & incorporentur,
Fried. Hortled. *in not. ad conſt. Max. I. Imp. de*
inveſt. Ducatûs Würtembergici, tom.1.lib.3. de
cauſ.belli germ.c.1.

XXXVI. Sunt hæc tela contra pactum
Confraternitatis Saxonico-Haſſiacæ parata:
16 † quæ ſi metam, ad qvam diriguntur, attinge-
rent, non modò hoc, ſed & alia qvamplurima
à Principibus Imperii inita in fumum abire
neceſſe eſſet. Nec enim unicum hoc, de qvo
jam agimus, ſucceſſionem inducit reciprocam;
ſed alia adhuc nobis ſuppetunt pacta ſucceſſo-
17 ria. † Ita namqve Ioh. Frideric. II. Ioh. Wil-
helmus & Ioh. Fridericus III. fratres, Duces
Saxoniæ Vinarienſes ex vnâ parte, & Wilhel-
mus, Georgius Erneſtus & Poppo, pater & fi-
lii Principes Hennebergici ab alterâ parte, *an.*
1554. *Kalæ in Thuringiâ* convenerunt: ut his
deficientibus, ad prædictos Duces Saxoniæ
perveniret Comitatus Hennebergicus: atqve
hi contra in diſtrictu Coburgenſi ſuccederent,
18 Spangenb. *lib.5.hiſt.Henneb.c.53.p.272.* † cu-
jus pacti rationem tenor iſtius hiſce exprimit
verbis: Daß unſer beyderſeits Ort Land und Herrſchafft zu
Francken / dieweil ſie mehr als an einem Ort zuſammen
grentzen und ſtoſſen / inmaſſen ſie dann auch vor 100. Jah-
ren zuſammen / und in eine Herrſchafft gegen Henneberg
gehörig geweſen / wann ſie durch eine neue und kräfftige
Erbverbrüderung zuſammen verleibet und vereiniget wür-
den / nicht die geringſte Wolfahrt der Nachbarlichen Frie-
dens halber wiederfahren / und inſonderheit auch das jenige
verhütet werden könte / daß nicht auf unſere eines Fürſt-
lichen Hauſes und Stammen tödlichen und ledigen Ab-
gang ein frembder und unbenachbarter Stam / dem andern
Theil zur Unruhe / Schaden und Nachtheil in dero Oer-
ter einem einſitzen möchte / auch durch denſelben allerley
Neuerungen / wider dieſer Lande alt Herkommen / Ge-
bräuche und Gerechtigkeit alsdann erweckt werden könte /
19 etc. Eique poſteà acceſſerunt † Elector Saxo-
niæ D. Auguſtus, & Philippus Haſſiæ Land-
gravius; confirmante id Carolo V. Imp. *anno*
1555. teſte Molin. *in addit. ad Decian. conſ.* 510.
& Maximiliano II. Imp. *anno* 1572. & 1573. in
perſonâ Iohannis Wilhelmi Ducis Saxoniæ,
Nicol. Reuſn. *lib.1.conſ.3.n.41.* idque haud ſi-

ad.lit.

ne effectu fuit; † poſtqvàm familiâ Henneb. 20
anno 1583. penitùs extinctâ, vigore ejus, Comi-
tatus ille cum omnibus pertinentiis ad Saxo-
niæ Duces pervenerit paucis exceptis, qvi jure
clientelæ ad Haſſiæ Principes tranſlata fuêre,
Dreſſer. *Iſag. hiſt. millen.6.p.2.fol.564.* Knichen
dict.c.2.n.73. Ioh. Limn. *dict.c.8.n.174.* Singula-
ri qvoqve † Confraternitate reſpectu tàm 12
Principatuum, quàm dignitatis Electoralis
junctos volunt Palatinos Rheni cum Ducibus
Bavariæ, Ioh. Bodin. *lib.1. de Republ.c.2.p.20.*
Marqvard. Freher. *in lit. reſponſor. de Electoratu*
S. Rom. Imp. Comitativæ Palatinæ Rheni antiqvi-
tus annexo ad Chriſt. Gevvold. Bart. Muſc. *de*
confr. th. 9. Conſimile pactum † ab Haſſiæ 22
Landgraviis & Comitibus Katzenellnbogen-
ſibus initum, refert ex Molin. *conſ.* 17. Petr.
Ritter. *de pact. ſucceſſ. th.* 10. *lit. a.* ſed malè ad
noſtrum applicatur, † qvia non mutuam con- 23
tinet ſucceſſionem, ſed tantummodò ſimulta-
neam qvandam inveſtituram & ſucceſſionem
ſimplicem de unô eodemqve feudo, demon-
ſtrante Limnæo *dict.cap.8.n.176.*

XXXVII. Parile Confraternitatis exem-
plum vulgò referunt † de Marchionibus 24
Brandeburgenſibus & Ducibus Pomeraniæ ab
an. 1323. ſed minus conſideratè, ſi circumſtan-
tias hujus facti prolixè penſitaverimus. † Cùm 25
enim Ducatum Pomeranicum Ludovicus
Imper. qvondam filio ſuo Marchioni Brande-
burgenſi in feudum contulerat; propterea
qvòd in diſcordi electione Imperatoris, Po-
merani inveſtituram renovare neglexiſſent, re-
ſiſtente tamen Barnimô III. conventum fuit,
† ut extinctâ Lineâ Pomeranicâ, ſuccederent 26
Brandeburgici. Ottone III. duce Stetinenſi ſine
liberis defuncto, qvandoqvidem reliqvi ex ea-
dem familia jus agnationis docere ritè haut po-
tuiſſent, Fridericus Frider. I. Elect. Brandeb.
filius, à Frider. III. Imp. feudum obtinuit. Sed
denuò † refragantibus, qvi ſupererant, Agna- 27
tis, rurſus conventum, ut Brandeburgici inſu-
per titulum gererent Pomeranicum. Quâ de
re tamen ſubinde recruduerunt controverſiæ,
donec tandem *an.* 1529. negotium hoc ita fuit
compoſitum, ut Marchiones præter jam indul-
ta, incertiſſimam futuræ ſucceſſionis teſſeram,
vexillum qvoqve prehendant, qvoticunqve
Pomeraniæ Ducibus inveſtituram renovari
contigerit, † & ſic Pomeranâ ſtirpe maſculâ 28
extinctâ, Marchiones Brandeburgenſes ſucce-
derent, qvam conventionem Charl. V. con-
firmavit, referente pluribus ex Chytr. *Chron.*
Sax. lib 1. *ſ.12. & paſſim.* Andr. Knich. *de non*
provoc. jur. verb. Electorum. cap.2.nu.66. & ſeqq.
Ex qvo perſpicuum, † nullam inter prædictas 29
familias interceſſiſſe pactionem liberam de
mutuâ ſucceſſione, ſed ſaltem tranſactione in-
ter eaſdem Ducatus Pomeranici, ut benè mo-
net Remig. Feſch. *de fæder. concl. 24. lit. c.* vel
ſi mavis hanc tranſactionem inſtar pacti ſuc-
ceſſorii ſubſiſtere: mutuum † non erit pactum 30
ſed uno tantùm ex latere contractum, ſcilicet,
ut Brandeburgenſis ſuccedat familiæ Pomera-
næ, non vice verſâ, Limn. *dict. cap. 8. n. 175.*
Qvo & familiâ Pomeranicâ extinctâ res

31 hodiè devenit. Convenientiùs autem † & ab
utraque parte ſucceſſorium fuit pactum inter
Ioachimum Electorem & Marchionem Bran-
deburgenſem, atque Fridericum ſeniorem,
Fridericum juniorem, nec non Georgium
Duces Lignicenſes atque Brigenſes contra-
32 ctum, † quod tamen poſtea à Ferdinando
Rege Bohemiæ caſſatum, diſcere licet ex Bey-
lagiis Goldaſti *in Bohem. ſub tit.* Käyſer Ferdinandi Citation an die Hertzogen zu Liegnitz und Brieg/ *de ult. Martij anno* 1546. *p.* 262. *&* tit Hertzog Friederichs von der Liegnitz Revers wegen der Erbverbrüderung/ *ſub dato* 11. *Martij anno* 1596. *p.* 272.

33 XXXVIII. Notabile porrò † eſt pactum
ſucceſſorium reciprocum inter Reges Bohe-
miæ & Archiduces Auſtriæ, non ſemel reno-
vatum, ut nempe alterorum ſtirpe extinctâ,
ad alteram familiam Regnum Bohemiæ, aut
Archiducatus Auſtriæ jure pleno & integro
34 totaliter devolvatur, † cuius iure Bohemiam
Auſtriæ accreviſſe, ſtatuunt Renatus Chop-
pinus *lib.* 3. *de doman. Francic. tit.* 1. *n.* 8. Warem.
ab Erenberg *in medit. de fœder. part.* 1. *c.* 2. *n.* 36.
Ludov. Perſon *in orat. de Witteberga.* Henning.
Arniſ. *lib.* 2. *de Republ. cap.* 2. *ſect.* 12. *num.* 31. Ioh.
Paul Windeck. *in comm. de Princip. Elect. orig.*
c. 15. Georg. Schonborn. *lib.* 2. *polit. c.* 13. *n.* 4. *&*
35 6. † Idque ab utriuſque Principatûs Ordini-
bus comprobatum, atque ab imperatoribus,
directis feudorum & ſupremis dominis, de
conſilii Procerum Imperii ſententiâ confirma-
tum, demonſtrat pluribus Melchior Goldaſt.
36 *in Bohem. lib.* 6. *c.* 18. † Etſi verò pactum hoc
ſucceſſionis Auſtriacæ *anno* 1324. pacto diverſo
inter Iohannem Bohemiæ Regem & Leopol-
dum atque Henricum Auſtriæ Duces fuerit
ſublatum, ut videre eſt apud Ioh. Abbatem *in*
Chron. part. 2. *c.* 12. *anno* 1323. rurſus tamen po-
ſteà *anno* 1366. a Carolo IV. Imp. tanquam
Bohemiæ Rege, cum eiſdem Alberto & Leo-
poldo Auſtriæ Ducibus renovatum, ac fœde-
37 re ſempiterno confirmatum fuit, † de quo
certiores nos reddit juramentum Caroli Re-
gium in quo inter alia hæc leguntur verba:
Ob das geſchehe/ daß wir Käyſer Carl von Rom und König zu Böheimb/ König Wentzla von Böheim/ und Marggraf Johann von Mähren/ und unſer aller eheliche Kind/ Söhne und Töchter/ die wir nun haben oder hernach gewinnen/ abgiengen und verfielen ohne eheliche Leibes-Erben. Und auch/ ob dieſelben unſere Kind Leibens-Erben gewinnen/ die auch fürbaß ohne Leibens-Erben verführen/ und unſere Land alſo rechter Leibens-Erben/ die von uns/ unſern Kindern und Kindes-Kindern kommen möchten/ erbloß würden/ daß dann alle die Vorgenannten/ und ander unſere erblich Land und Fürſtenthumb/ Königreiche/ Hertzogthumb/ Marggraffſchafften/ etc. auf die vorgenannten Hertzogen von Oeſterreich/ und auff ihr beeder Leibens-Erben/ Söhne und Töchter/ die ihnen GOtt noch geben mag/ und auff derſelben Kind und Kindes-Kind nach dem rechten Stammen kommen und fallen ſollen/ *& vice versâ &c.* apud Goldaſt. *dict. loc.*
38 ubi porrò refert ac probat, † Regnum quo-
que Vngariæ & Poloniæ in pactum hoc reci-
procæ ſucceſſionis veniſſe, de quo etiam fi-
dem facit David Chytr. *in Chron. Saxon. lib.* 2.
fol. 355. Andr. Knich. *de Sax. non prov. jur. verb.*
Electorum. cap. 2. *num.* 73. *&* 76. War. ab Eren-
39 berg *de fœder. cap.* 1. *num.* 35. † cuiuſque vigore
Carolum V. Imp. Regem Hiſpaniarum, Ar-
chiducem Auſtriæ ſibi titulum Regis Hunga-
riæ ac Bohemiæ aſſumſiſſe, meminit Goldaſt.
loc. citat. & firmat hoc *Receſſus Imperij*, in qui-
bus ſe Regem Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ
præſcripſit, quanquam neutrum illorum Re-
gnorum vnquam adeptus fuerit. † Ad quod 40
pactum etiam provocavit poſteà Ferdinandus
I. cùm defuncto Ludovico peteret à Bohemis
in Regem aſſumi, de quo hiſce verbis Ioh.
Sleidanus: *Ferdinandus Rex*, inquit, † *nite-* 41
batur tranſactione, quam Cæſar Maximilianus,
anno 1491. *cum Ungaris & Ladiſlao Rege fece-*
rat, quâ cautum legitur, quod ſi Ladiſlaus abſ-
que ſobole maſcula decederet, ut tum Maximi-
lianus & ipſius heredes rectâ lineâ deſcendentes,
Regnum illud obtinerent. Cùm ergò Ladiſlai fi-
lius Ludovicus eſſet extinctus non relictis liberis,
Ferdinandus, qui & Maximiliani eſſet à filio
nepos, & Auſtriæ Princeps, & præterea Lu-
dovici ſororem haberet in matrimonio, jure ſibi
Regnum illud deberi, confirmat. Sleid. *lib.* 6. *anno*
15.8. Vid. Ludov. Perſon. *in orat. de Witteberga.*
Frider. Hortleder. *de bell. german. vol.* 2. *lib.* 3.
cap. 85.

XXXIX. Nùm ergò hæc & ſimilia pacta
ſucceſſoria ex prædictis *th.* 35. inita ac nulla
erunt? Nimis † impudenter id dixerit, quiſ- 42
quis dixerit. Non etenim tàm audacter &
temerariè Regum & Principum pacta pru-
denti conſilio & deliberatione inita accre-
dere, vel quicquam fruſtra & illicitè ab iis
geſtum fuiſſe, aſſerere licet. Obſtantibus
præſertim † firmiſſimis argumentis, quibus 43
non modò noſtrum Saxonico--Haſſiacum,
ſed & reliqua Confraternitatis fœdera ſuſti-
nentur. Quorum *Primùm* ponimus in autori-
tate legis: præterquam enim, quòd pacta hæc
† conſuetudine fulciantur immemoriali, pro- 44
ut exempla modò addacta teſtatum faciunt,
Andr. Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 127. Dom. Arum. *ad*
A.B. diſcurſ. 6. *concl.* 6. quæ conſuetudo vim le-
gis habet, *. ſine ſcripto. Inſt. de jur. natur. gent.*
& civil. l. 1. *quæ ſit longa conſuet. cap.* 2. *ubi* Dd.
extr. de maior. & obedient. Anton. Teſſaur. *dec.*
225. *n.* 11. † ipſamet quoque jure & autoritate 45
legis ſuſtinentur, Vdalr. Zaſ. *dict. conſ.* 1. *n.* 22.
Bartol. Marc. *de ſucceſſ. convent. concl.* 1. *num.* 18.
Dauth. *in expoſit. l. ult. C. de pact. nu.* 130. quem-
admodum de Principis contracta aſſeri ſo-
let, † vim legis ipſum habere, & ad eius in- 45
ſtar obligare, *l. pen. ʃ. de donat. int. vir. & uxor.*
l. ult. in fin. C. de quadr. præſcr. Gregor. Lopez 1.
animadverſ. 35. Ioh. Sichard. *ad Auth. ex teſta-*
mento. n. 17. *C. de collat.* Theod Reinking *de re-*
gim. ſecul. & eccleſ. lib. 1. *claſſ.* 1. *c.* 5. *n.* 57. Gail.
dict. obſervat. 127. *num* 8. quod licèt de ſummo
Principe, h. e. Imperatore dictum ſit, † rectè 47
tamen ad Electores & Principes Imperii alios
extenditur, quia in territoriis ſuis & illi juris
dictionem omnimodam, ſupremam & perpe-
tuam habent, cuius ſequela eſt legum con-
dendarum poteſtas, Gail *dict. loc. n.* 8. Reuſn.
dict. conſil 3. *n.* 62. † utuntur plenitudine pote- 48
ſtatis, Ludolph. Rodolph *in tract. de ſuprem.*
ſeu abſol. Princ. poteſt. c. 2. *n.* 3. *&* 10. non obli-
gantur legibus in provinciis & ditionibus ſuis,

Pacian.

49 Pacian. *conſil.* 60. *num.* 14. tollere † poſſint jura
communia inconſulto Imperatore, Ant. Sola
*ad proœm. Conſt. Duc. Sabaud. & Princ. Pede-
mont. gloſſ.* 3. *n.* 16. Petr. Anton. de Petra, *de jur.*
50 *quaſ. per Princip. non tollend. cap.* 6. *p.* 2. *n.* 74. †
Imperatorem in territoriis ſuis repræſentant,
Warem. ab Erenb. *de ſubſid. Regni, cap.* 15. *n.* 5.
Ludolph. Schrad. *de Feud. part.* 9. *part. princip.
ſect.* 10. *n.* 36. Bornit. *de maieſt. c.* 14. Conrad. Rit-
tersh. 1. *pars feud.* 5. *quæſt.* 15. Frider. Pruckman.
in §. ſoluta poteſtas, cap. 4. *membr.* 3 *effect.* 10. *n.* 22.
51 † Regalia qvoqve & iura maieſtatis habent,
Peregr. *de iur. fiſci. l.* 1. *tit.* 2. *n.* 56. & 57. Schrad.
in §. prætorum. n. 4. *Inſt. de iur. natur. gent. & ci-*
52 *vil.* † Quin & de Imperatoris poteſtate parti-
cipant, inqve conſortium eius ſunt recepti,
Bernhard. Zieritz *tract. de princip. prærogat.* ex
qvo veriſſimè ſcripſit Eraſmus Roterodamus
Cardinali Compegio: *Magnam quidem eſſe
Caroli V. potentiam, ſed hoc nomen ab omnibus*
53 *non agnoſci:* † *Germanos verò qui agnoſcerent,
illud ſic agnoſcere, ut imperent verius, quàm
pareant,* Ioh. Sleid. *lib.* 7. *hiſt.* Wolff. *in lect. rer.
memorab. cent.* 16. *p.* 330. Eſtqve hoc ipſum, qvod
idem Sleidan. *in Orat. ad Proceres Imperij, p.*
54 80. conſignavit: † *Quot in Germania ſunt
Principes ac Civitates, totidem videntur eſſe
Reges & capita: Nimirum quia & ipſi parti-
cipes ſunt facti Maieſtatis.*

XL. *Secundum* nobis ſuppeditant funda-
55 mentum † iura fœderum & conventionum
publicarum, in qvæ & facta Confraternitatis
incidunt, ſcilicet qvia non tàm in vim ultimæ
voluntatis, qvàm fœderis & publicæ conven-
tionis valent, benè monente Nicol. Reuſnero
lib. 1. *conſil.* 3. *n.* 29. & 69. Warem. ab Erenb. *de
fœder. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 16. Bart. Muſcul. *de confrat. th.*
56 6. ut † hinc tutò argumentari liceat à fœdere
ad Confraternitatem, eiqve cui jus fœderum
competit, per conſeqventiam neceſſariam
Confraternitatem qvoqve paciſci fas ſit, *arg.
l.* 113. *ff. de Reg. jur. cap. in toto. extr. de reg. jur. in
ſexto.* Quis verò neſcit, † Principes Germaniæ
57 juris fœderum publicæ tranqvillitatis conſer-
vandæ gratia pangendorum compotes eſſe fa-
ctos, ex ſanctione Carolina *in A. B. tit.* 15. *verſ.*
Doch außgenommen die Verbindnüß und Einigung, ſo die
Fürſten und Städte ꝛc. *junct. verſ.* Daß dieſelbe in ihren
Kräfften verbleiben ſollen ꝛc nec nõ *Ordin. Wormatien-
ſi* von Handhabung des Friedens *de an.* 14..*ſub tit.* die
Königl. Majeſt. ſoll keinen Krieg anfahen / *verſ.* auch
ſollen wir / ꝛc. Ioh. Limn. *lib.* 4. *iur. publ. c.* 8. *num.*
58 16. ac nimis † latè hoc extendit idem Carolus
IV. in obligatione *anno* 1349. civitati Fridber-
genſi datâ *in verb.* Auch mögen die vorgenante unſe-
re Bürger ſich verbinden und ſtricken zu den Herren und
zu den Städten / und zu wem ihnen dan nützlich und gut
iſt. Geil. Buxdorff. *ad A. B. dict. tit.* 25. *ubi &
Arum. diſc.* 6. Warem. ab Erenb. *lib.* 1. *de fœ-
der. cap.* 2. *nu.* 13. Chriſt. Beſold. *lib.* 2. *polit. cap.*
59 6. Niſi qvis † nobis objiciat Reformationem
Friderici III. Imp. *de anno* 1441. in quâ fœde-
ra Principum hiſce verbis legimus prohibita
& abrogata *in art.* 12. Auch ſoll im gantzen Römi-
ſchen Reich nun fürbaß hin kein Bindnüß / Vereinigung /
Verſtand / oder einige Verſchreibung aufgerichtet werden /
60 auch die Alten alle abgehen / ꝛc. Idque ad † guſtum

Auct. Conſilij, Ob es heilſam und nützlich ſey / im
Heil. Röm. Reich Uniones oder Bündnüſſe anzurichten /
ita diſſerentis: Aller Regimenten außerſten Verder-
ben und Untergang iſt / wann die Stände und Unter-
thanen ſo weit in Uneinigkeit und Mißtrauen gerathen /
daß ſie ſich trennen / und gegen einander in Verbindnüß
oder Vereinigung begeben. † Hæc ne remoram in- 61
jiciant, præcavendum: facili qvod fieri po-
teſt negocio; (Si 1.) ſanctionem Friderici iis
accenſeamus, qvæ nec à Statibus approbata,
neqve in Imperio unqvã recepta fuêre, Limn.
dict. loc. n. 18. † qvarum & ſimiles ſine effectu 62
promulgatæ reperiuntur, qvalis & illa fuit:
de non tolerandis Doctoribus Iuris in Dica-
ſteriis & Aulis Principum, *dict. reform. artic.* 5.
einſque declarat. ibidẽ, apud Melch. Goldaſt.
tom. 1. der Reichs-Satzungen / *pag.* 167. & 171. (2.)
Eſtque ſanctio † Friderici prior *Ordinat. Wor- 63
mat. prædicta de anno* 1495. quâ ſi qvid duri
contra Principum fœdera à Friderico ſtatutũ,
rurſus à Maximiliano I. abrogatum eſſet. (3.)
Vel tandem ad fœdera illicita, mentem Fri-
derici reſtringere fas erit, † *ex verbis in Ordin.* 64
Wormat. kein Verbindnüß oder Einigung machen / die
dem Reich zu Schaden / Nachtheil / oder zu wider ſeyn
möchten / licita autem fœdera in imperio jure
probantur, † qvæ ſcilicet ad conſervationem 65
tranqvillitatis & pacis publicæ ſpectant; cæte-
roqvin ſi omnia indifferenter relegata velle-
mus, metuendum, ne iniqva verteretur manus
in plurima ab Electoribus & Principibus Im-
perii fœdera, omnium voto jure contracta,
qvorum catalogum hîc ponere inſtituto arce-
mur, Vid. Spangenb. *in Chron. Saxon. de anno*
1212 Lehman. *lib.* 7. *Chron. Spirenſ. cap.* 69. *fol.*
845. *col.* 2. Henr. Rebdorff. *in annal. ann.* 1344.
Matth. Mareſchallus de Pappenheimb *in hiſt.
Auſtral par.* 2. *anno* 1298.

XLI. Ad utilitatem porrò Imperii publi-
cam, dum, fœdera Confraternitatum anhe-
lant, † *Tertium* præſto nobis eſt fundamen- 66
tum ſubſiſtentiæ æqvè firmum. Nec enim à
qvoqvam hiſce fœderibus finem iſtum detra-
ctum iri credimus, ſi vel protectionem Con-
fratrum ex iis redundantem intueamur; vel
jura penſitemus ſubditorum, † qvorum inter- 67
eſt, ne alienis & ignotis dominis ſubiiciantur
*l. invitus. ff. de fideic. libert. l. Titius cùm decede-
ret.* 43 *ff. de act. emt.* Vaſq. *illuſtr. quæſt. lib* 1. *c.* 5.
num. 5. Gail. *dict. obſerv.* 127. *num.* 2. † vel pacem 68
& tranqvillitatem imperii, qvæ ex incertitu-
dine ſucceſſoris, familiâ alterutrâ extinctâ,
non parùm labefactetur, perpendamus, Re-
mig. Fetch. *de fœder. concluſ.* 24. *lit. g.* † aut tan- 69
dem ad conſervationem illuſtrium & ſene-
ſcentium familiarum oculos vertamus, Bets.
de pact. famil. illuſtr. p. 121. Ant. Coler. *de iur.
Imper. german. concl.* 70. qvarum ſplendorem &
dignitatem ſalvam manere Reipubl. intereſt,
l. 1 *§. ſed etſi ſervus. ff. de ventr. inſpic.* Valent.
Forſt. *de ſucceſſ. ab inteſt. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 20. Et ſi
omninò cautas haſcè arrodere qvis præſumat,
† ablegatum eum velimus ad teſtimonium
Caroli IV. qvi pactum Confraternitatis Sa- 70
xonico-Haſſiacæ confirmans, hancce facti
ſui rationem reddit: Und ſonderlich / daß daſſelbige
Heil. Römiſche Reich mit Beſſerungen und Einmütigkeit

Digitized by Google

ſeiner Fürſten ſeliglichen gemehret und geſtärcket werde. Eademque cautam † ipſa Confraternitatis formula exprimit: Nachdem vor zeiten unſere. Vor-Eltern/ꝛc. umb Nutzens und Friedens willen ihrer aller Lande/ Leute und Vnterthanen/ ꝛc. Qvod ſi ita eſt, qvis tam iniqvus rerum cenſor erit, ut inter illicita Confraternitatis pacta referret: qvorum finis ſiqvidem bonus eſt, ea ipſa qvoqve bona fateri neceſſum habemus, Ioh. Caſpar. Güttrich *de confrat. concl.4. lit.e.* cujuſmodi qvæ ſunt,
72 pro benefactis habentur,† etſi contra jus facta fuerint, Gloſſ. *in can.hec qvippe.cauſ.3.qv.6.& can.qvod enim cauſ 23 qv.5.* Bald.*in tit. de pace conſtant.§.hec nos qvoqve.in fin.* Zaſ. *vol.2. conſ.*
73 *1. num.29.* Fiſch. *dict.concluſ.24.lit.g.* † tantus ſcil. publicæ utilitatis favor eſt, ut ea quæ publicè vtilia ſunt, non includantur his, qvæ lege prohibentur, Bartol. *in l.qvemadmodum, C.de agric.& cenſ.* Zaſ.*dict.loc.num.23.*

XLII. *Qvartum* ſuggerit fundamentum
74 favor militaris, † ex qvo multa militum promanarunt privilegia, in qvibus recenſendis Achatius Enenckelius & Claudius Contaræus ſuam nobis probarunt operam. Interalia verò egregium eſt illud, qvod licet inter privatos ſcriptum, qvo comprehenditur, ut is, qvi ſupervixerit, alterius rebus potiatur, ne donationis qvidem mortis cauſâ geſtæ efficaciter ſpeciem
75 oſtendat: † voluntas tamen militum, qvæ ſuper ultimo vitæ ſpiritu, deque familiaris rei decreto, qvoquo modo contemplatione mortis in ſcripturam deducitur, vim poſtremi judicii obtineat, *l.19. C.de pact.* ubi Bartol. Donell. Gothofr.& Dd. *comm.* Henr.Bocer.*de bello lib. 1.cap.27.num.7.* idque ipſum etiam pacta Principum ſucceſſoria Confraternitatis ſuſtinet,
76 iiſque robur tribuit firmiſſimum: † qvia Principes cum feudis & dignitatibus ab Imperatore inveſtiti, iure utuntur militari, qvippe qvi milites & pro ſalute imperii excubias agere, ſemperque Imperatori militare dicuntur, Andr. Gail. *dict. obſerv.127. num.9.* Iacob. Menoch. *conſil.351. num.9.* Ruſin. *dict. conſil.3 numer.36.* Zaſ. *dict.conſ.1 num 36.* Hottom. *conſ.72. num. 41.& ſeq.* Ioh.Caſp.Güttrich. *dict. concl.4. lit.e.*
77 † Alto qvid in ſupercilio ſuccipêdit hoc fundamentum Nicol.Bets. *de ſtat.famil.illuſtr.c.5. pag.118.& ſeq.* ſed non abſque ſugillatione ipſorum Principum Confratrum, qvorum in
78 pactis expreſſa hæc legimus verba: † Thun auch ermeldte Auffs und Vbergebung gegen einander gegenwärtig/ in und mit Krafft dieſes Briefes in der allerbeſtändigſten Form/ Weiſe/ und Maſſe/ als ſolchen *iure publico militari*, und ſonſten zu Rechte geſchehen kan und
79 mag/ etc Vereor tamen, † ne ſi qvis exactiùs in jura militaris teſtamenti inqvirat, ſcrupulus nobis injiciatur ex intellectu & reſtrictione privilegii, qvod circa teſtamenti factionem iis ſolummodò militibus indultum eſt, qvi Rempublicam in bellica expeditione armis tuentur, *§.ſed hactenus,3. ibi: qvatenus militant, & in caſtris degunt. Inſt. de milit. teſt. l. 17.ibi. His ſolis, qvi in expeditionibus occupati*
80 *ſunt. C.de teſt.l.ult. C.de teſt. milit.* † non iis qvi domi vel aliis in locis extra territoria ſed caſtra commorantur, Matth. VVeſemb. *in §. illis autem temporibus, verb. degunt, nu.5. Inſt. de milit.teſt.* Bocer. *dict.lib.1.de bello & duello c.18. num.5.& ſeqq.* Chriſtoph. Beſold. *part.1. conſil.6 num.129.* Matth.Coler.*part.2.deciſ.243.*
num.5. † qvod & verbis clariſſimis expreſſum 81
in Receſſ. Imper. Colonienſ. de anno 1512. titul. von Teſtamens. §. und ſollen die Notarien/ *verſ.* aber die ienigen Ritter/ ſo nicht in ſolcher Vbung und Streit/ noch auch zu Felde liegen/ ſollen ihr Teſtament nach gemeinen Rechten machen. † Malè ergò, *inqvies*, hoc 82
accommodabitur ad Principes, qvi in matriculam Imperij, hoc eſt, in numerum Vaſallorum recepti, milites eqvidem ſunt, ſed non actu militantes; nec in expeditione vel caſtris degentes. Anxius eſt Ioh. Limn. in diluendo hoc ſcrupulo, † *lib.4.jur.publ. c.8.num.140.& ſeqq.* & tandem *num.145.* concludit, Confra- 83
tres illuſtres, licèt in expeditione hodie non ſint, cùm tamen in numeris remanſerint, & ad expeditionem prompti ſint atqve obligati, milites eſſe, & proinde, qvæ benemeritis atqve futuris periculis poſita ſunt privilegia, obtinere & ipſos. Sed abſit, † jure teſtamenti mili- 84
taris pacta Principum ſuſtineri; qvod ſi eſſet, nunqvam non Confratres in periculo revocationis exiſterent, cùm teſtamentum pro lubitu ſemper a teſtatore immutari qveat: firmiora autem ſunt pacta Confraternitatis, invitâ alterâ parte revocationi haud ſubjecta, ut demonſtrabimus *infrà cap.6.* Differunt † ni- 85
mirum ab invicem, ſubſiſtere pacta ſucceſſoria jure militari: & jure militaris teſtamenti, Hoc negamus, illud verò affirmamus ex ipſiſſimis Confraternitatis noſtræ verbis: Als ſolches *iure publico militari*, und ſonſt zu rechte geſchehen kan und mag. † Ne verbulo enim fit mentio teſtamenti 86
militaris; ut proinde nec ſcrupulum inde nobis moveri patiamur. Subſiſtentes in eo, qvòd pacta Principum ſucceſſoria † in vim contra- 87
ctus atqve legis publicæ, non verò in vim ultimæ voluntatis ſuſtineantur; prout de pacto Confraternitatis Saxonico-Haſſiacæ in terminis conſuluerunt Dec. *conſ.655. nu.11.* & Vdalr. Zaſius *2.conſ.1. num.30.& ſeqq.* de qvò *infrà* pleniùs.

XLIII. *Qvintum & ultimum* fundamentum recumbit in Confirmatione & autoritate Imperatoris:† qvæ cùm pactis Confraternita- 88
tis acceſſerit, non eſt, qvod de eorum robore ac validitate ulterius ambigamus, *arg.l.3. C.de legation. lib.10.l.1. & 2. C.ut dignit.ordin.* Ant. Teſſaur. *deciſ. 225. num. 12.* Everh. jun. *vol.2. conſil.11.num.29.* Andr.Gail. *dict. obſervat.127. num.5.* Bartol.Muſcul. *de confrat.th.27.* Qvod ſi verò dubii qvid adhuc reſideat, facilè id removebitur ex † clauſulis, qvæ vulgò confir- 89
mationi pactorum ſucceſſoriorum ex plenitudine poteſtatis inſeruntur: ut nempè valeant omni meliori modo, cum inhibitione, derogatione & caſſatione omnium jurium in contrarium ullo modo tendentium, omnium etiã defectuum ſuppletione: adjecta qvoqve in tranſgreſſores pœnâ, † prout apparet ex con- 90
firmatione Confraternitatis Saxonico-Haſſiacæ Caroli IV. Imperatoris, *anno 1373.* qvæ hæc nobis verba exhibet: Und daß ſolche Brüderſchafft

Digitized by Google

ſchafft / Gemeinſchafft / Sammungen / ewige Brüder-
ſchafft und Leihungen ewiglichen / ſtet / feſt und unzerbro-
chen bleiben / in allermaſſen / als davor begriffen iſt. So
ſetzen / erkennen und ſeuten wie mit gutem Bedacht / rech-
tem Wiſſen / Käyſerlichen Geſetze / daß ewig taugen ſoll /
und auch von Käyſerl. Macht und Vollkommenheit / daß
alle und tegliche unſerer Vorfahren an dem Römiſchen
Reich / Käyſer und Königen beſchriebene und unbeſchrie-
bene Rechte / Geſetze / Behaltungen / Ubungen / Gewohn-
heiten der Lande / etc. ſo dieſer Brüderſchafft einigerley
Hinderung / Jrrſal oder Schaden bringen möchten / alſo
fern ſie ſolche obgeſchriebene Sachen und Stücke ewigli-
chen anrühren mögen / † unnüglichen / unkräfftig und un-
91 mächtig ſeyn und bleiben ſollen / und beyden ehegenanten
Partheyen / ihren obgenanten Erben und Erbnehmen ewig-
lichen keinen Schaden bringen ſollen oder mögen / in kei-
nerley Weiſe / etc. Were auch / daß einig Gebrechen were /
oder erkant und erfunden würde / in allen und iglichen die-
ſen obgeſchriebenen Stücken und Sachen / welcherley die
ſeyn möchten / und ob gewöhnliche Schönheit und Zierde
an nothdürfftigen Worten / Meynungen oder Sinnen un-
terwegen gelaſſen weren / oder ob in dieſer obgeſchriebener
Sachen / rechſertige Ordnungen des Rechten nicht voll-
kömmlichen gehalten weren / † alle ſolche und auch andere
92 Gebrechen / wie man die benennen mag / erfüllen wir von
Käyſerlicher Macht / Vollkommenheit und von Rechten
wiſſen / mit Krafft dieſen unſers Käyſerlichen Brieffes /
Hierumb ſol kein Menſche gethun wider dieſe gegenwerti-
tige Käyſerl. unſere Handveſten nicht thun / oder ſich dar-
wider ſetzen in keine Weiſe / und wer der were / der darwi-
derlichen in frevemlichen thäte / der ſoll / als offt das ge-
ſchicht / † tauſend Marck löthiges Goldes / halb unſer /
93 oder unſern Nachkommen an dem Reiche / und halb denen
wider die das gethan würde / unwiederrufflichen verfallen
ſeyn / und ſollen doch alle obgeſchriebene Sachen und
Stücke in aller dermaſſen / als die darvor begriffen ſeyn /
in gantzen und ewigen Kräfften bleiben.

XLIV. Principaliora hæc ſunt fulcra, ſat
firma, qvibus pacta ſucceſſoria fortiter inni-
tuntur; † plura eqvidem pro ſtabilimento eo-
94 rundem hinc inde à Doctoribus adducuntur:
ſed omnia ac ſingula hic recenſere nimis foret
prolixum. Iisqve poſitis, tela licèt qvis contra
hæc pacta dirigat, parùm tamen offendere po-
terunt, ſi clypeo ex jam commemoratis fir-
mamentis penitò repellantur: feliciter & nul-
lo negotio id fieri poſſe, conſtrictim demon-
ſtrari ſufficiat. Qvòd enim † *Primò* de nulli-
95 tate pactorum ſuper viventis hereditate ex ju-
re civili profertur, id ſuo relinqvimus vigori:
malè verò ad pacta Principum & illuſtrium
perſonarum ea accomodari, ex *primo* eluce-
icit *fulcrò*, qvo diximus, non tàm vi obligatio-
nis & pacti, qvam jure legis publicæ Contra-
ternitatum fœdera ſuſtineri, qvippe qvòd
Principes contrahendo legem conſtituant,
jure communi derogent, & vigore poteſtatis
ac iuriſdictionis omnimodæ ſibi competentis,
publicam ponant ſanctionem, ex legibus pri-
vatorum haut immutandam, *arg. l. jus publi-
cum. ff. de pact.* Zaſ. *dict. conſ.* n. 20. † Cumqve
96 *tertium* potuerimus fundamentum in conſer-
vatione & tranqvillitate Imperii, ad qvam pa-
cta Principum ſucceſſoria tendunt, nemo non
hinc ipſorum favorem animadvertere poteſt,
qvem brevibus ac ponderoſis verbis ita deſcri-
bit Nicol. Reuſner. *dict. conſ.* 3. *n.* 30. † Suntqve
97 pacta Contraternitatis ob multas cauſas favo-
rabilia, partim ob dignitatem familiæ & au-
gmentum Imperii, partim ob pacem ſubdito-
rum, eorumqve defenſionem, qvorum inter-
eſt, ne alienis dominiis ſubiiciantur, cùm ſatis
foret lugubre & deplorandum, videre antiqva

maiorum prædia & caſtra unà cum ſubditis ad
manus pervenire externas, *l. in fundo.* 38. *ff. de
rei vendicat.* † At efficit hic favor, ut ea, qvæ 98
publicè utilia ſunt, non includantur his, qvæ
lege prohibentur, Bartol. *in l. quemadmodum.
C. de agric. & conſ.* Zaſ. *dict. loc. n.* 23. *&* 29. ubi
ex Baldo ſubiicit: *pro beneficio haberi, ſi aliqvid
ratione pacis & qvietis contra jus factum fuerit*,
Theod. Reinking *de regim. ſecul. & eccleſiaſt.
lib. 1. claſſ. 4. cap. 18. num* 8. Reſponſionem etiam
ſuppeditat † *qvartum* fundamentum, qvo de- 99
monſtratum dedimus, iure militari publico
valere pacta Confraternitatis: ſed qvis neſcit,
à pactis hereditariis illicitis & prohibitis, etiam
jure civili militum conventiones & pacta ex-
cipi, *l.* 19. *C. de pact.* Ac tandem † ex *qvinto* 100
percepimus, iura civilia nobis oppoſita, ſan-
ctione Cæſarea publica ex plenitudine pote-
ſtatis hoc in paſſu fuiſſe abrogata, ut ne qvid-
qvam remoræ Confraternitatibus Principum
parare qveant.

XLV. Ex iiſdemqve fundamentis & ratio-
nibus removetur *porrò* votum † captandæ 101
mortis, cuius ſuſpicio eqvidem privatos afficit,
in Principes verò non facilè cadit, autoritate
pariter legis, & favore publico obſtante:
dahero die Chur und Fürſten des Reichs / als *perſonæ pu-
blicæ* den Privatgeſetzen keines wegen unterworffen / uti
reſpondit Domus Saxonica in der Apologia und Ret-
tung der Zwoſchrifften / ſo Anno 1609 von den Chur
und Fürſtlichen Hauſes Sachſen / an der verledigten Gü-
lichſchen Herrſchafften Rechten / ausgangen / *fol.* 9.
Remig. Feich. *de fœder. concl.* 24. *lit. b.* Ioh.
Caſp. Güttich. *de confratern. th.* 4. *lit. d.* † 102
Nec eſt qvod rationem huius præſumptionis
non ſaltem in iure civili, ſed etiam naturali
fundatam dixeris: poſtqvam enim plerique
inter Germanos boni ſunt, utiqve ex hac ra-
tione naturali † Principum ſaltem Germano- 103
rum genius voti ſiniſtri ſuſpicionem vincit
omnem, Nicol. Bets. *de pact. fam. illuſtr. pag.*
110. Frider. Pruckman. *vol. 2. conſ. 9. num.* 140.
ipſis præſertim Principibus per ſpecialem pro-
teſtationem ſiniſtram ſuſpicionem à ſe remo-
ventibus, † hiſce verbis: Alſo were es / das GOtt 104
verhüte / daß unſer einige vorgenandte Parthey ohne rech-
te Leibes Lehns Erben abgienge / ꝛc. Ne qvicqvam ul-
terius de confirmatione Cæſarea addamus, † 105
qvæ omne affectatæ mortis votum tollit, cun-
ctaſque malorum morum reprehenſiones, ma-
chinationes, læſiones & fraudes ceſſare facit, *l.
ult. C. de vendend. reb. civit. l.* 1. *& ibi* Dd. *C. de
his qui propt. med. iud. non appell.* Güttich. *dict.
loc.* Et ſi omninò qvidam ex Principibus, af-
fectibus ſubmitterent habenas, † attamen in 106
familiis integris, ſibi mutuo ſucceſſionis pacto
ſubſtitutis, extantibus pluribus utrinque Agna-
tis, deteſtandum captandæ mortis votum alte-
rius ſive voluntatem ſive poteſtatem ſpectes,
non tàm facilè præſumendum eſſet, ut in ſin-
gulis perſonis, Bets. *dict. loc. p.* 122.

XLVI. Non majoris certè ponderis eſt il-
lud, † qvod per pacta ſucceſſoria, libera te- 107
ſtandi Facultas auferatur: ex qvo enim ut *pri-
mum & ultimum* à nobis adductum funda-
mentum probat, juris civilis diſpoſitio in pa-
ctis hiſce Principum publicis non multùm ae-

Digitized by Google

tenditur, qvin & per confirmationem Cæſa-
108 ream eſt abrogata, † longè infirmius erit om-
ne argumentum ex iure civili petitum, qvàm
vt firma inde deſumatur probatio. Nec qvem-
qvam fore exiſtimaverim, qvi poteſtatem
hanc at rogandi in dubium vocare auſit, cùm
109 factio teſtamenti † à Principe & iure publico
dependeat, *l.35.in pr. C. de inoff. teſt. l.3 ff. qvi teſt. fac. poſſ.* Fern. Vaſq. *de ſucceſſ. lib. 1. §. 1. n. 2. & ſeq.*
Quidni ergò ab eodem tolli, vel ſaltem ex
parte limitari poſſet? ob evidentem maximè
utilitatem publicam, Zaſ. *dict. conſ. 1. n. 44* pro
110 † qvà legum ipſarum mutandarum poteſtatem
habet, Ioh. Bodin. *lib. 1. de Republ. c. 8. n. 110.*
Muſcul. *dict. diſp. de confrat th. 36.* Aut ſi factio-
nem teſtamenti lege haud immutatam mavis,
per pactum Confraternitatis eam neqvaqvam
111 auferri dixerim. † Ex tabulis ſiqvidem Con-
fraternitatis Saxonico-Haſſiacæ perſpicuum
eſt, teſtamenti conficiendi poteſtatem ultimo
decedenti haut denegari, modò ultra 30000.
112 aureos teſtamento non eroget. Qvæ † ſanè
exceptio efficit, ut pactum ſubſiſtat, Iaſon *in l. ſtipul. hoc modo concepta ff. de V. O. n. 19.* Curt.
jun. *conſ. 81. n. 3.* Nicol. Boër. *deciſ. 355. n. 3.* Eoqve
nititur fundamento communis illa Dd. opinio
113 qvâ valere dicitur † donatio omnium bono-
rum præſentium & futurorum deducto uſu-
fructu, qvia ſcilicet de fructibus donator po-
terit teſtari, docente Gail. *dict. obſerv. 127. n. 4.*
Abſonum porrò in iure non eſt, ut facultas te-
114 ſtandi per indirectum † alicui adimatur, ut
per ingreſſum Monaſterii, *auth. ingreſſi C. de SS. Eccleſ.* cui monachus omnia acqvirit, ut
habere neqveat, de qvo teſtetur, *l. 28. verſ. qvia per eum. ff. de vulg. & pupill ſubſtit.* Ant. Fab. *in Cod. lib. 1. tit. 2. defin. 44. n. 8* item per arrogatio-
nem, qvando arrogatus poteſtati patris cum
omnibus facultatibus & bonis ſubiicitur, *l. 2. in fin. l. 15. l. 40. ff. de adopt.* ex qvo teſtari prohi-
betur, *l. 6. & l. 16. ff. qvi teſt. fac. poſſ. l. pen. C. eod. tit.* nec non per venditionem ſui ipſius ad pre-
tium participandum, *§. pen. Inſt. de iur. perſ. l. & ſervorum. §. 1. ff. de ſtat. hom.* aliosqve modos,
de qvibus agit Iac. Rick. *de unione prol. c. 3. n.*
115 *18. 19. 39. & 46.* † qvo & refero ſucceſſionem
ſtatutariam mariti in bonis mobilibus prade-
functæ uxoris, per qvam haud obſcurè adem-
ta eſt ipſi facultas teſtandi, ſi immobilia non
habeat, Chriſtoph. Zobel. *in gloſſ. art. 31. lit. e. verſ. ſimiliter ſi omnia eius bona. lib. 1.* Landrecht.
Frider. Penſold. *in addit. ad Matth. Coler. part.*
116 *2. deciſ. 286. n. 181.* Nimirum † per indirectum
& in conſeqventiam multa admittuntur, qvæ
directò non concederentur. *l. non ſolum. 6. ff. de reſtit. in integr. l. qvod dicimus. 7. ff. de autor. tutor. l. quoties. 3. C. de judic.* Qvid ergò obſtat,
qvò minus etiam per pacta ſucceſſoria factio
teſtamenti reſtringeretur?

XLVII. Qvod tandem de facultate diſpo-
nendi & ordinandi de bonis feudalibus Vaſal-
lo ademtâ objicitur, † id facili negotio refel-
117 litur ex fundamento noſtro ultimo, qvo con-
firmationem Imperatoriam omnem juris de-
fectum ſupplere demonſtravimus. Aliter certè
haud ſubſiſtere pactum ſucceſſorium vel Con-
fraternitatis, probatum dedimus *ſuprà theſ. 33.*
Accedente ergò Cæſareæ Maieſtatis conſenſu
& approbatione, † valebit vtiqve diſpoſitio 118
& ordinatio Vaſalli de bonis feudalibus, *cap. 1. de prohib. feudi alienat. per Frider. cap. Titius. verſ. qvod ſi conſentit. tit. ſi. de feudo defuncti content. cap. 1. verſ. niſi conſentientibus. tit. de alien. feud. patern.* Hartm. Piſtor. *part. 2. qvæſt. 6. num. 71* Ioh. Koppen. *deciſ. 54. num. 67.* Matth.
Weſemb. *de feud. c. 11. n. 12.* Henr. à Roſenthal
de feud. cap. 7. concl. 4. & 5. Nec obicem † po- 119
ni patiamur pacto Confraternitatis Saxonico-
Haſſiacæ ex membro illo Capitulationis, qvo
Imperator ſine conſenſu Statuum Imperii vel
ſaltem Septemvirorum, Principatus ac feuda
Regalia per obitum Vaſalli eiusqve familiæ ad
Imperium devoluta, aliis conferre prohibetur
cùm jamdudum, *anno ſcilicet Chriſti* 1373. † à 120
Carol. IV. ubi de Capitulatione nondum con-
ſtiterit, pactum hoc fuerit confirmatum. Li-
beramqve tum temporis facultatem reinfeu-
dandi feuda Imperio aperta, abſqve conſenſu
Electorum Imperatori competiiſſe, vel ex eo
manifeſtum eſt, † qvod Maximilianus I. Imp. 121
in inveſtiturâ Ducatûs Wirtembergici Ever-
hardo Duci factâ, juri huic renunciaverit, ſpe-
cialiter cavens, ſi Ducatum iſtum ad Impe-
rium reverti contingeret, ſe aut ſucceſſores
ſuos de eo neminem denuò inveſtituros eſſe,
uti probat tenor Conſtitutionis hac de re factæ
in §. und als wir. apud Frider. Hortleder. *de cauſ. belli germ. tom. 1. lib. 3. c. 1.* † cuius mentionem 122
qvoqve facit Melch. Gold. *in notis* zu dem Ca-
darwiſchen Vertrag / in Reichs-Satzungen / *fol. 319.*
Chriſt. Beſold. *in diſput. nomicopol. lib. 1. diſſ. 6.*
Ant. Quetta *conſ. 6. n. 1.* Ant. Col. *de jur. Imp. german. concl. 61.* † Atqve ita Rudolph I. Imp. 123
jure ſibi competente Auſtriam ad Imperium
devolutam filio Alberto Archiducum Auſtriæ
primo plantatori fertur conceſſiſſe; & Wolde-
maro Marchione Brandeburgenſi defuncto,
Ludovicus Bavarus Marchiam in filium tranſ-
tuliſſe, Peucer. *lib. 5. Chron.* Diverſæ † ideo- 124
qve ſunt qvæſtiones an pacta ſucceſſoria olim
confirmatione ſolius Imperatoris, abſqve con-
ſenſu Electorum accedente, potuerint contra-
hi? & an hodiè Imperator, ſi nova inter non-
nullas familias eiuſmodi pacta ſurgant, illa
abſqve præſcitu & voto Septemvirûm qveat
confirmare? Poſteriorem licèt ex poteſtate
Cæſaris coarctatâ negativè determinare lu-
beat: prioris † tamen deciſioni affirmativæ 125
per id nihil decedit, qvia ſcilicet Imperii redi-
tibus nondum adeò imminutis, nulla lex pro-
hibitoria olim erat præſcripta; cùm ergò Ca-
roli IV. poteſtas hoc in paſſu fuerit liberior,
† qvis facta eius temerario auſu impugnare 126
præſumeret? licèt & huic ipſi confirmationi,
Principum & Statuum Imperii nonnullorum
acceſſerit approbatio & conſenſus, † ut colli- 127
gere eſt *ex verbis finalibus Confirmationis Carolina in §.* Dieſer Sache ſeyn Gezeugen der Durchleuch-
tige Fürſt / Herr Wenzlau König zu Böheimb / des
Heil. Reichs Obriſter Schencke / Marggraf zu Branden-
burg und Hertzog in Schleſien / ꝛc. die hochgebornen Frie-
derich / Pfaltzgraff beym Rhein und Hertzog in Beyern /
ꝛc. † Et tandem nominibus aliqvorum expreſſis: Und 128
viel

Digitized by Google

viel unſere und des Reichs Fürſten / Graffen / Edle und Unterthanen / ꝛc.

CAP. IV.

Pactum Confraternitatis Saxonico-Haſſiacæ qvas obliget perſonas?

XLIIX.

1. Circa deciſionem huius qvæſtionis non
eſt, ut anxiæ nos demus indagationi,
cum ipſamet *Rubrica* eam ſuppeditet; ex qvo
enim Confraternitatem dicimus Saxonico-
Haſſiacam, ſatis eluceſcit, inter duas haſce fa-
2. milias pactum ſucceſſorium foveri; utriusq; †
ergò domus Principes, Electores nempe &
Duces Saxoniæ Sereniſſimi, ac Haſſiæ Land-
gravii Illuſtriſſimi eo continentur & obligan-
tur: at non ſolummodò ipſimet paciſcentes,
de qvibus minus fortan dubium, qvia nihil
tàm congruum habetur fidei humanæ, qvam
ea qvæ ſemel placuerunt ſervari, *l.1.ff.de pact.*
præſertim inter Principes, † apud qvos fides
3. rerum promiſſarum, etſi toto mundo exulet,
conſiſtere debet, Petr. Gregor. *lib.8.de Republ.
cap.6.ſect.* 10 qvando maximè juramentum
accedit, qvo nullum vinculum ad fidem ad-
4. ſtringendum eſt arctius, Cicer. *3. offic.* Sed & †
eorum heredes, Bartol. Muſc. *de confrat. th.55.*
Petr. Ritter. *in diſput. eiusd. mat. concl. 12. lit. c.*
& Ioh. Caſp. Guttich. *th. 8. lit. f.* Recipiocent
enim contentionis ſerram Doctores, qvam-
5. diu velint, † an heredes Principatus ſive Re-
gni, prædeceſſoris pacto teneantur, Chriſtoph.
Beſold. *de ſucceſſ. Regiâ l.3.diſſ.2.* Andr. Tiraqv.
de primogen. qv.35.n.19. Petr. Gregor. *lib. 7. de
republ. cap.* 12. in heredes qvoqve Confraterni-
tatem hanc Principes paciſcentes continua-
6. tam voluiſſe, ipſorum † verba expeditum red-
dant in formulâ pacti: Alſo / were es / das Gott
verhüte / daß unſere einige vorgenante Partheÿ / oder un-
ſere Leibes Lehens-Erben nach uns ſtürben / etc. qvi & pro-
pterea obligantur: (1.) vel ſaltem ex jure
7. communi, qvo † omnis obligatio in heredes
activè & paſſivè tranſit, *l. fideiuſſoris. 24. C. de
fideiuß. l. ex contractibus. 49. ff. de obligat. & act.
l. un. C. ut act. ab hered. & contra hered. incip. l.
hereditas. 62. l. heredem. 59. ff. de Reg. jur.* Bart. *in
l. creditores. 3. n. 22. C. de pign.* Et ſi gravare po-
teſt parens filium heredem in teſtamento vel
8. alio modo, ut qvid det, faciat, patiaturvè: †
cur non obligare illum valeret ad alia minùs
oneroſa? nam contravenire facto defuncti,
nulli heredum fas eſt, *l. cùm à matre. 14. C. de
rei vendicat. l. 24. C. de donat. l. 10. C. de ſolut. l. 7.
C. de liber. cauſ. l. 14. C. de evict.* Et militat hic
9. ſententia † Gregorii ad Montan. relata *in
can. juſtitia. 25. quæſt.* 1. ubi ait: *Iuſtitia ac
rationis ordo ſvadet, ut qvi ſua à ſucceſſoribus
deſiderat mandata ſervari, deceſſoris ſui volun-
tatem & mandata cuſtodiat.* (2.) Eoqve mi-
nùs heredes pactum hoc anteceſſorum renue-
10 re poſſunt, † qvanto maiori vinculo, iùrciu-
rando ſcilicet & ipſimet ad obſervantiam con-
ſtringuntur, *ſuprà th.* 28. (3.) Nec ullam recu-

addet.

ſationis cauſam prætendere unqvam poſſunt
ſucceſſores, cùm hæc Anteceſſorum conven-
tio non in eorum præiudicium, † ſed potiùs 11
utilitatem & favorem fuerit introducta, Gūt-
tich. *dict. concl. 8. lit. f.* Quin & ſi prætextu ali-
qvo iuvarentur, obſtaret tamen ipſis confirma-
tio Cæſarea, † ex qva utpote lege publicâ fir- 12
miter obligantur, hoc ipſo dum expreſſa eo-
rū fit mentio in confirmatione: Ihren beeden Par-
theyen / ihren Erben / Erbens-Erben und Nachkommen / ꝛc.

XLIX. Id verò dubii adhuc reſtat, † num 13
etiam heredes maſculi nondum exiſtentes, ſed
adhuc naſcituri ſub hoc Confraternitatis pa-
cto comprehendantur? qvòd ſi enim id nega-
re qvis auſit, fundamento haud carebit ſua aſ-
ſertio, ex ipſis pacti verbis petito: So wir / oder
unſere rechte natürliche Leibes Lehens-Erben toden verfah-
ren oder abſterben würden / qvæ † verba de tem- 14
pore præterito & præſenti, non futuro inter-
pretanda videntur, per *l. ſi ita ff. de aur. & ar-
gent. leg. l. ult. ff. de lib. legat.* ex qvo conſuluit
Decius, clauſulam conſuetam in inſtrumentis
diviſionis bonorum (remittentes ſibi omne
ius) ſaltem intelligi de iure præſenti, non fu-
turo, *conſil. 86. col. 3.* Eſtqve iuris, † qvod le- 15
gatum cognato relictum tantummodo intel-
ligatur de iam exiſtente tempore teſtamenti,
non autem de futuris, qvi à teſtatore nec co-
gniti nec dilecti dicuntur, *l. ſi cognatis. ff. de reb.
dub. l. Titius. & l. item ſi prætor. ff. de ſuis &
legit. hered.* Andr. Tiraqv. *de retract. conſang. §.
1. gloſſ. 9. n. 84.* Sed præſumtiones hæ, qvales-
cunqve etiam tandem ſint, vim ſuam eous-
qve non extendunt, † ut heredes adhuc na- 16
ſcituri à pacto Confraternitatis excipiantur,
benè concludente Petr. Ritter. *de confrat. concl.
12. lit. c. apud Arum. tom. 1. jur. publ. diſc.* 22. Vix
enim verba pacti (vor uns / unſere natürliche Leibes
Lehns-Erben und Nachkommen / ꝛc.) qvicqvam ope-
rarentur, ſi de iam natis ſaltem intelligenda
eſſent, quia ſemper incertum, an heredes ma-
ſculi naſcituri ſint; atqvi hominum pacta &
diſpoſitiones ita ſunt interpretanda, † ut ali- 17
qvid operentur, *l. ſi quando. in pr. ff. de legat. 1.
c. ſi Papa extr. de priv. in ſexto.* Aym. Cravett.
conſ. 272. n. 7. & conſil. 294. n. 3. Cumq; † pactum 18
generaliter de heredibus loqvatur, non eſt, ut
exceptionem admittamus, qvia diſpoſitio ge-
neralis generalem admittit explicationē, *arg. l. 1.
§. gener. ff. de leg. praſt. l. 7. ff de pub. in rem actio.*

L. Ita ſcilicet pactum hoc Confraternitatis
non modò Principes & Duces Saxoniæ, ac
Landgravios Haſſiæ, ſed etiam heredes eorun-
dem jam exiſtentes & adhuc naſcituros con-
cernit: at num etiam † Marchiones Brande- 19
burgenſes? Pleriq; ſanè ICti & politici, iiq; gra-
viſſimi, pacto huic Domum Brandeburgicam
admiſcent, Zaſ. 2. *conſ. 1. in pr.* Nicol. Reuſn. 1.
conſil. 3. n. 45. Andr. Knich. *de Sax. non provoc. jur.
verb. Electorum. c. 2. n. 65. & 72.* War. ab Erenb.
tit. 1. de fœder. c. 2. n. 38. in fin. Petr. Heig. *part. 1.
q. 23. n. 43.* Mel. Gold. *de maj. l. 2. c. 36. n. 5.* Bernh.
Zieritz *de princ. inter ipſos prærogat.* Chriſt. Be-
ſold. *in tract. de ſucceſſ. Reg. & elect. lib. 1. diſſ.
13. n. 3.* Bart. Muſc. *de confrat. th. 7.* Paul Matth.
Wehner. *in practat. obſervat. verb.* Vereinigung.

Petr. Ritter. *de confr. th.10. lit.a.* Treutl. *1.diſp. 6. th. 8. lit. b.* & ibidem Helfric. Vlr. Hunn. *in reſol.* Schonborn. *lib. 2.polit. c.13.* Ant. Col. *de jur. Imper. Romani th. 70.* Auth. *diſcurſ.* warumb die Röm. Catholiſchen in Teutſchland ſich von den Spaniern
20 vnd Jeſuiten abſondern ſollen licèt hi † de tempore non conveniant: Pactum namqve ſucceſſorium inter Auguſtum Elect. Saxoniæ: Ioachimum Electorem Brandeburgicum, & filios Iohannis Friderici Electoris, & Landgravios Haſſiæ Naumburgi ad Salam *anno* 1555. renovatum, ſcribit Schonborn. *dict. c. 13.* allegans ad hoc Sleidan. *lib. 26.* & conſen-
21 tientem haber Ritter. *alleg. loco.* † At de hoc prorſus nihil habetur in formula Confraternitatis *anno.* 1555. renovatæ, qvam exhibet Ioh. Limn. *lib. 4. jur.publ. c 8. num.161.* neqve Sleidan. de pacto ſucceſſorio in der Erbverbrüderung/ ſed de fœdere der Erbvereinigung/ tractat; ut hinc ſuſpecta planè ſit aſſertio Schonborn. & Rit-
22 teri. † Aliâ ideoqve ingreditur viâ Waremb. ab Erenber. *annum* determinans 1587. qvo Confraternitate ſucceſſoriâ, qvæ eſt inter Saxonicam & Haſſiacam familiam, Brandeburgenſes Marchiones comprehenſos fuiſſe autumat, *dict. loc.* Sed qvàm parùm tum temporis peractum fuerit, *ex ſeqventib.* patebit.
23 Divortium verò ab hiſce omnibus facit † Dom. Arum. qvi veroſimile non putat, pacto huic ſucceſſorio Saxonico-Haſſiaco unqvam acceſſiſſe Brandeburgic., propterea qvòd de iis *in literis Confratern. an.*1587. (relatis à Limn. *dict. c. 8. n. 163.*) nullum appareat
24 veſtigium, *in diſc. ad A. B. concl. 6. p. 256.* † meminit namqve *pag. præced. eodem an.* 1587. Chriſtian. I. Electorem, Fridericum-Wilhelmum, Iohannem, Iohannem-Caſimirum, Iohannem-Erneſtum, Duces Saxoniæ: Wilhelmum, Ludovicum, Georgium, Mauritium, Landgravios Haſſiæ Naumburgi Confraternitatis pactum renovaſſe; de qvo etiam fidem facit formula dicta Confraternitatis apud Lim. nec nomina Marchionum Brandeburgicorum ibidem exprimuntur. Anceps autem ipſimet
25 Limnæus, † cui ſubſcribat opinioni, litem hanc ita determinare annititur, qvod qvidem *an.* 1587. Naumburgi de mutuâ ſucceſſione inter familiam Saxonicam Brandeburgenſem atqve Haſſiacam tractatum, certaqve formula deſuper confecta, ſed paciſcentium conſenſu haud roborata & in effectum deducta fuerit, ex ea forſan cauſâ, qvod familiæ Brandeburgicæ Princeps ampliſſimi territorii poſſeſſor, ſucceſſionis pactum inæqvale agnoverit, & tractationi ulteriori feneſtram aperuerit: licèt nec tandem qvicqvam certi aſſerere audeat, *dict. cap.8.num.192.*

26 L I. Expedita † ergò res hæc non eſt apud Politicos, nec habent qvò pedem figant, ſi non acta & protocolla conventuum pro renovando Confraternitatis pacto habitorum inſpexerint. Ex qvibus informatus, priuſqvam animi qvid mihi ſit, depromam, notabilia qvædam præmittenda duxi, qvibus non parùm de-
27 ciſio juvabitur. Eaqve ſuppeditat † Conventio ſpecialis Principum confœderatorum, *ſub dato Naumburgi 30. Martij anno 1614. hiſce verbis* conſignata: Nachdem wir vorenbenante Chur- und Fürſten der Häuſer / Sachſen / Brandenburg und Heſſen / bey jtziger allhier beſchehener *Renovation* der Erbvereinig- und Erbverbrüderung / uns freundlich und wolmeynend erinnert / daß zwiſchen den Häuſern Sachſen / Brandenburg und Heſſen / auch eine Erbverbrüderung vor undencklichen Jahren auffgerichtet / welche *Anno* 158 /. verneuert worden / So haben wir bey unſerer Anweſenheit ſolche wiederumb vor die Hand genommen / und gleichesfalls / wie *Ann.* 1587. geſchehen / vollnzogen / darbey aber uns verglichen / daß wol der Röm. Käyſ. Maj. *Confirmation*, ſo wol der Königl. Würde in Böhmen als Oberſten Hertzogen in Schleſien / wegen Jägerndorff / in Polen Preuſſens halben / ſo wol der vier Churfürſte Mäyntz / Trier / Cöln und Pfaltz / *Conſens* nöthig / man auf beqveme Zeit und Gelegenheit / auch gute und erſprießliche Mittel gedencken ſolle / wañ ſolchen bey höchſtgedachter Ihrer Käyſ: Maj: Königl. Würde in Böhmen / und in Polen / und ihren Churfürſtl. G. G. G. G. unterthänigſt und freundlichſt zu ſuchen. Vnd da einer oder der ander unter den Erbvereinigt- und Erbverbrüderten Chur- und Fürſten ſolche Gelegenheit ſehen / befinden und ſpüren würde / da etwas fruchtbarlichen bey Ihro Käyſerl. Maj. / Königl. Würden in Böhmen und Polen / und Churfürſtl. G. G. G. G. auszurichten / und die bedürffende *Confirmationes* und *Conſens* zu erhalten / ſolches dem *Directori* zu vermelden / welcher nebenſt den andern Erbvereinigten Chur- und Fürſten ſich alsdann einer *Legation* und *Inſtruction* an gebürigen Orten zu vergleichen / und die Nothdurfft zu befördern / biß dahin aber die Eydesleiſtung einzuſtellen / ſolche Vergleichung auch umb mehrer Nachrichtung willen zu Papier bringen laſſen / mit eignen Händen unterſchrieben / und unſern Namen Secreten bedrückt / ꝛc.

L I I. Ex hac Principum Confœderatorum conventione, unam atque alteram facti circumſtantiam notatu digniſſimam colligere poſſumus. Eſtque (1) prima, jamdudum † & à 28
tempore immemoriali Confraternitatem qvãdam ſeu pactum ſucceſſorium, Erbverbrüderung/ inter familiam Saxonicam, Brandeburgicam & Haſſiacam fuiſſe contractum, qvod etiam ab Imperatore Friderico *anno* 1457. confirmatum perhibetur, ut apparet ex literis Sereniſſimi Electoris Sax. ad Cæſaream Majeſtatẽ *ſub dato Dresdæ 30. April. ann.*1626. † proconfir- 29
mando eo fœdere ſcriptis, ibi: Daß vor undencklichen Jahren zu Erhaltung Friede / Ruhe und Einigkeit / die drey Häuſer Sachſen / Brandenburg und Heſſen / unter einander eine Erbverbrüderung auffgerichtet / darinnen verſehen / wie nach Abgang eines gantzen Stammes mit deſſelben hinterlaſſenen Land und Leuten / auch allen andern es gehalten werden ſolle / welche auch Käyſer Friderich im Jahr 145 /. *confirmiret* und bekräfftiget. † qvantum- 30
vis inſtrumentũ confirmationis hujus originale in archivis Cæſareæ Majeſtatis *anno* 1588. repertum haud fuerit, efflagitante id imperatore Rudolpho II. in reſolutione *ſub dato Pragæ 14. Iunii anno* 1588. Principibus cõfœderatis datâ: welches hochgedachte Chur- und Fürſten Ihr. M. juſt. verſehens zu keinem Mißfallen und Verdruß vermercken auch hierzwiſchen Zeit und Gelegenheit haben werden / die angedeutete alte Einigung / und darüber Käyſerliche *Confirmation* zur hand und für zu bringen. † Qvo tem- 31
pore autem & anno Confraternitas hæc cœperit, nõ eſt qvod ſolliciti ſimus, cùm nec ipſimet Principes termini hujus notitiam habuerint exactam. Hoc verò diſcere licet ex *Protocollis*, fœdus illud inviolabiliter ſervatum & in heredes continuatum haud fuiſſe, ut proinde denuò allaboraverint illud contrahere in conventu Naumburgenſi *anno* 1587. † Demnach vor 32
vielen Jahren zwiſchen den dreyen Häuſern / Sachſen / Brandenburg und Heſſen eine Erbverbrüderung auffgerichtet / die zwar hernach erſitzen blieben / Aber *Ann.*

1571.

1571. zu Schönbeck erſtlich / und dann Anno 1587. allhier
zu Naumburg wieder vorgenommen / So were doch die
Zeit / weil Marggraff Georg nicht zur Stelle kommen /
man auch der Sachen halber nicht gnugſamen Bericht ge-
habt / nichts fruchtbarliches derowegen gehandelt worden.
(2.) † De pacto igitur Confraternitatis inter
33 tres haſce familias denuò conventum fuiſſe
an. 1587. *&* 1614. præter alia documenta, jam
dicta nos certiores reddunt. Qvin & conven-
tionem iſtam in inſtrumentum redactam, idq;
tribus illis familiis ſubſcriptum & ſigillatum,
† hæc protocolli verba probant: Und dieweil
34 Churf. Chriſtian dem Erſten die abgeredete Notul zuge-
ſchicket / hätten ſie ſolche *ingroſſiren*, und iedwedern inte-
reſſirten Chur- und Fürſten zu vollziehen / zuſchicken laſſen /
die auch alſo von ihnen vollzogen / und die *originalia*
darauf in den Canzleyen ausgetheilet worden. Cui etiam
accedunt † literæ electorales ſupra adductæ, *ſub dato*
35 30 *April anno* 1616. *in verb.* Es haben auch ſolche die
in Gott ruhenden hochlöblichſten Vorfahren *anno* 1587.
erneuert / und der weiland Röm. *Kayſ.* Maieſt. *Kayſer*
Rudolpho ꝛc. hochlöblichſter Gedächtniß / durch eine
ſonderbare Abſendung / ein *ingroſſirtes Original* ſampt
Abſchrifft Kayſ. Friedrichs *Confirmation*, *inſinuiren*,
und ümb anderweit derſelben Ertheilung unterthänigſt an-
halten laſſen. Non ergò habet Ioh. Limnæus, †
36 qvod de Confraternitate hac paciſcentium
conſenſu roborata ulteriùs dubitet, *dict. c.* 8.
p. 223. Rectiùs verò poſteà concludit *p.* 224. in-
ter illuſtriſſimas familias, Saxonicam, Bran-
deburgenſem atqve Haſſiacam, non ſolùm
longo tempore fœdus defenſionis mutuæ he-
reditarium fuiſſe & eſſe; † ſed etiam poſteà
37 pactum ſucceſſionis mutuæ inter eaſdem par-
tium conſenſu perfectum, atqve denique *an.*
1614. Naumburgi reiteratum. (3.) Ex qvo
porrò manifeſtum redditur, † diſtinctum eſ-
38 ſe hoc fœdus Confraternitatis à noſtro, qvod
inter duas duntaxat familias, Saxonicam &
Haſſiacam, initum diximus, qvò & verba
Sereniſſimi Saxonis collimant, in modò
commemoratis literis Cæſareæ Maieſtati
tranſmiſſis *anno* 1626. Die zwiſchen den Häuſern / Sach-
ſen und Heſſen / hergebrachte Erbverbrüderung zu ver-
neuern / iſt auch die obenangedeutete Erbverbrüderung
der Häuſer / Sachſen / Brandenburg und Heſſen / *reno-
viret* worden. & † Principum Confœderatorum *in*
39 *Replica*, *anno* 1587. *per Legatos exhibita*: Dan ſie en
mitlerweile nichts deſto weniger bey der zwiſchen beyden
Häuſern / Sachſen und Heſſen / als hergebrachter Erbver-
brüderung in allewege bewenden laſſen / und derſelben
hierdurch in keinerley weiſe etwas *derogiret* oder *præjudi-
ciret* haben wollen. ex qvo etiam ſingulum qvod-
qve in peculiare inſtrumentum fuit redactum,
apud Limn. *citat. cap.* 8. *pag.* 224. *& ſeqq.* Non
immeritò ſanè, qvia diverſa qvoqve horum
eſt ratio & effectus, ut ſeqventia demon-
ſtrabunt.

LIII. Notatu (4.) † & hoc maximo-
40 perè dignum, qvòd pactum Confraterni-
tatis Saxonico-Brandeburgico-Haſſiacum,
nec à Cæſare, vel Regibus Bohemiæ &
Poloniæ, nec à reliqvis qvatuor Semptem-
viris fuerit confirmatum, qualem tamen
confirmationem neceſſariam iudicarunt con-
fœderati Principes, ſcilicet qvia ſine con-
ſenſu Dominorum feudalium nulla valet di-
ſpoſitio de feudis, nec abſqve conſenſu &
approbatione Cæſareæ Maieſtatis pacta Prin-
cipum ſucceſſoria effectum ſortiuntur, *ſupra
addit.*

th. 33. ſuſpenſam hanc † confirmationem Cæ- 41
ſaream non modò Protocollum in actu Re-
novationis *anno* 1614. Naumburgi habito
innuit: und were zwar die Kayſerliche *Confirmation* der
Zeit (*nempe anno* 1587.) darüber geſuchet / aber *dilato-
rium reſponſum* erlanget. Sed & reſolutio Cæſarea, *ſub
dato Pragæ* 14. *Iuny anno* 1588. manifeſtè probat: So
weil hierumb Ihrer Keyſerlichen Maieſt. Nothdurfft in alle
wege erfordern / ehe und zuvor ſie ſich darüber ſchließlichen
erklären / denen ſo wichtigen Dingen weiter nachzuden-
cken / damit ſie ſich hernacher den ienigen entſchlieſſen mö-
gen / was Ihr. Maieſt. bey derſelben Nachkommen und
dem Reiche verantwortlich / und den Erbverbrüderten
Chur- und Fürſten ſelbſt zu beſtändiger Wolfahrt gedey-
lichen ſeyn wird. (5.) Denique † & id ſilentio 42
prætereundum haud eſt, qvod fœdus hoc
paciſcentes iuramento ſuo non confirma-
verint: de qvo cum in conventu Naum-
burgi *anno* 1614. deliberabatur, docente
Protocollo: Und were ſolche *Notul* hiebevor alleine
vollzogen / aber nicht beſchworen worden / ſtelleten dem-
nach dahin / weil bey der verſtorbenen Keyſerlichen Ma-
ieſtät erwehnter *Confirmation* halber nichts geſuchet / ob
man ſolche *Notul* zwar itzo abreden / aber ohne Eydesle-
ſtung allein ſiegeln und unterſchreiben / auch hernach mit
Gelegenheit umb die *Confirmation* anhalten wolle / *&c.*
concluſum † tandem fuit, daß die Eydesleiſtung biß 43
nach erlangter Keyſerlichen *Confirmation* einzuſtellen. *in
convent. Principum confœderatorum ſuprà th.*
51. Rationem huius ipſa concluſi verba in-
nuunt, qvia ſcilicet Confirmatio Cæſarea de-
ſuper nondum ſit impetrata, qvæ tamen ad
fœderis huius exiſtentiam formamqve ſub-
ſtantialem præcisè reqviritur, ſine qva fru-
ſtrà actum, qvicqvid actum eſt, *ſuprà th.*
3. † ut ſuſpenſâ hac confirmatione iusju- 44
randum qvoqve ſuſpendendum meritò pa-
ciſcentes exiſtimaverint, ne fruſtrà iuretur;
nunqvam enim præſtari debet juramentum,
qvod præſtitum non juvat, Emeſt. Cothm.
lib. 2. *conſil.* 82. *num.* 20.

LIV. Poſitis hiſce, qvid tandem de
pacto Confraternitatis Saxonico-Brande-
burgico-Haſſiacæ concludendum, verè ex-
peditum eſt. Nimirùm † ad pactum Con- 45
fraternitatis Saxonum & Haſſorum, qva-
tenus tale, & de qvo noſtrum eſt inſti-
tutum, Domus Brandeburgica nunqvam
acceſſit. De novâ autem Confraternitate in-
ter Saxones, Brandeburgenſes & Haſſos,
aliqvoties deliberatum & tractatum, qvin
& concluſum, ac novam deſuper formu-
lam erectam, & à paciſcentibus ſubſcri-
ptione ac ſigillo corroboratam fuiſſe, ex
prædictis informatus nemo diffitebitur. † 46
Sed cùm confirmatio Cæſarea nondum ad-
ſit, fœdus hoc pro non conſummato nec
in effectum deducto habendum, conten-
dit Linea Haſſiaca Darmſtadiana in cau-
ſa Marpurgenſi *in art. ad cauſam princi-
palem pertinentibus.* 104. 110. 111. 112. qvod
& placet Iohanni Caſparo Guttich, *de con-
fraternitat. concluſ.* 3. idqve ut deoſculemur,
cogit nos defectus Cæſareæ confirmationis,
ipſam Confraternitatis exiſtentiam ſubin-
trans, † qvam etiamnum *anno* 1626. à Cæſa- 47
rea Maieſtate nomine Principum Confœde-
ratorum efflagitatam fuiſſe, diſcimus ex literis

Sereniſſimi Saxoniæ Electoris, *ſub dato Dreſda, 6 April. anno 1626.* Wann aber der dreyen Häuſer Nothdurfft erfordert, daß ſolche *Confirmation* bey Er. Keyſerlichen Mateſt. unterthänigſt geſuchet, weil kein Zweiffel, Er. Keyſerl. Mateſt. ſich hierinnen willfährig erzeigen werden, indem weder Er. Keyſerl. Mateſtät noch dem heiligen Römiſchen Reiche etwas daran abgehet. Als gelanget an Er. Keyſerliche Mateſtät vor mich und mein gantzen Hauß, auch die Häuſer Brandenburg und Heſſen mein unterthänigſten Bitten, ſie wollen dieſen Sachen in Berathſchlagung ziehen, und mit gewüriger Keyſerlichen Reſolution der gebetenen *Confirmation* halber, ſich alſo erklären, daß ſämptliche drey Häuſer, Sachſen, Brandenburg unnd Heſſen ſich deſſen zu erfrewen, und Er. Keyſerlichen Mateſtät wegen erzeigter Gnade gebührſamſt zu dancken Urſach haben mögen, Inmaſſen denn Er. Keyſerlichen Mateſtät obangeregte drey Häuſer dergeſtalt ſich verobligiren, daß wie biſhero ſie ſtandhafftig in Er. Keyſerl. Mateſt. Devotion verblieben, und treue Dienſte geleiſtet, ſie auch hinführo zu wieder vorfallender Gelegenheit, ſolche ferner zu *præſtiren* in kein Vergeſſen ſtellen werden, Erwarte hierüber Er. Keyſerlichen Ma-
40 jeſtät gnädigſte Antwort, *&c.* † Sed reſolutio Cæſarea, qvantum percepimus, adhuc eſt in ſuſpenſo.

CAP. V.

Qvænam bona pactum Confraternitatis comprehendat?

LV.

VIdimus hactenus perſonas, qvæ ex pacto noſtro Confraternitatis obligantur; diſpiciendum jam qvoqve eſt de rebus ac bonis
1. ſub eo comprehenſis: horum generalem † facit mentionem formula Confraternitatis *in verbis:* Daß alle dieſelbe abgegangene Fürſtenthumb, Graff- und Herrſchafften, auch alle andere fahrende Habe, nichts ausgeſchloſſen, beweglich und unbeweglich, die wir itzund haben, oder wir und unſere Leiben-Lehens-Erben noch gewinnen mögen, in allermaſſen das vorgeſchrieben ſtehet, auff die andere Parthey und ihre Leibes-Lehens-Erben gäntzlich, zumahln zu Erbe-gen gefallen, und Erblichen bey ihnen und ihren Erben, als ihren rechten Erbderen bleiben ſollen.
2. † Unde hinc vix qvicqvam excipere liceat, cùm generalitas verborum reſtrictionem non admittat, Octav. Cacher. *deciſ.* 94. *n.* 10. Dec. *conſ.* 66. *n.* 2. Cæphal. *conſ.* 59. *n.* 116. Aym. Cravett. *conſ.* 467. *n.* 3. Non ergò de bo-
3. nis futuris ambigendum eſt, † qvin & hæc pacto Confraternitatis ſint ſubiecta, Petr. Ritter. *de confr. th. ult. circa fin.* Ruin. *lib.* 1. *conſil.* 40. *n.* 2. Ioh. Caſp. Guttich *de confr. concl.* 5. *lit. a.* eoſqve minus qvòd verbis diſertis notentur in
4. formula prædicta (oder noch gewinnen möchten,) † qvæ & ſpecialiter exprimi neceſſe viſum fuit Imp. Carolo IV. pactum hoc *an.* 1373. confirmanti *hiſce verbis:* die ſie an beyden Seiten itzund haben, oder hernach ewiglich erwerben und haben werden, wie man die mit ſonderlichen Namen benennen mag, nichts ausgeſchloſſen ſeyn, heiſſen ſollen und mögen, *&c.* ſcilicet ut obvietur diſputationi, an donatio univerſorum ac futurorum bonorum ſubſiſtere qveat
5. † tollit ſiquidem confirmatio Cæſarea omnem ſcrupulum, omnemqve diſceptationis ſerram, qvam vulgò hac de re trahunt Doctores, & pacto huic vim atqve autoritatem tribuit pleniſſimam, *ſuprà th.* 33. *&* 46. licèt inde metuendum haut fuiſſet, fœdus confraternitatis everſum iri, † cum nec privatus qviſqve 6.
bona ſua univerſa ac futura donare inter vivos prohibeatur, ſi non tam opinioni communi & in praxi receptæ inhærere, qvàm iuris rationi ac autoritati ſubſcribere velimus, *l. in ædibus.* 9. §. 1. *ff. de donat. l. ſi rerum.* 2. *C. de donat. qvæ ſub modo. l. ſi qvis argentum.* 35. §. *ſed ſi qvis univerſitatis.* 4. *&* §. *ſeq. C. de donat.* Ioh. Coraſ. *lib.* 6. *miſcellan.* 17. Ant. Fab. *part.* 2. *de error. pragmat. decad.* 48. *error.* 6. Andr. Gail. *lit.* 2. *obſervat.* 11. *n.* 10. Vaud. *lib.* 1. *quæſt.* 31. parùm offendente fulcro, qvod in liberâ teſtandi facultate vulgò ponunt, eoqve, aſſertum hoc deſtructum eunt; † Etſi enim 7.
qvi bona habet, nullà conventione nullovè pacto, ut ne de iis diſponat, vel ut ne à diſpoſitione ſemel factâ recedat, conſtringi poſſit ac debeat, neqvaqvam tamen prohibitum videtur, tale qvid facere, qvo per conſeqventiam neceſſariam efficiatur, non ut propriè loqvendo libera facultas teſtandi tollatur, ſed ut prorſus teſtandi facultas non exiſtat, & nihil, de qvo teſtetur, ſuperſit, Vaud. *lib.* 1. *var. q.* 31. Quin & † ſi qvis particulatim qvotidiè ero- 8.
gando bona ſua efficere poteſt, ut ei morituro nihil ſit reliqvi, de qvo diſponat, qvo non offendatur Regula illa iuris: nihil utiqve obſtare videtur, qvò minùs una largitione efficiatur, Coraſ. *dict. miſcellan.* 17. Reinhard. Bachov. *in animadv. ad Hier. Treutl. vol* 2. *diſp.* 19. *th.* 5. *lit. d.* Sed non anxii ſimus hàc de re qvam iam *ſuprà th.* 46. deciſam dedimus, ipſumqve † 9.
Confraternitatis pactum hoc modo eam voluit determinatam, ut triginta millia florenorum exciperentur, ſuper qvibus Confratribus Illuſtriſſimis permiſſa ſit teſtamenti diſpoſitio, qvæ tamen ipſa ad bona reſtringuntur mobilia, (doch ſoll daſſelbe Teſtament über 30000. *floren* nicht ſeyn, und auch mit keinen Schlöſſern, Städten noch Dörffern, ſondern aus fahrender Habe gemachet und geſetzt ſeyn, ohn alles gefehrde. Theod. Reink. *de regim. ſecul. & eccleſiaſt. lib* 1. *claſſ.* 4. *cap.* 18. *num.* 38. Petr. Ritter. *de confratern. concl.* 11. *lit. d.* Guttich. *cit. loc. concl.* 5. *lit. c.* † Quondam 10
ſanè minor ſumma erat reſervata diſpoſitioni teſtamentariæ, nempe 10000. aureorum, cujus meminit Nic. Reuſn. 1. *conſil.* 3. *n.* 45. *& ſeq.* ſed poſteà *anno* 1587. additum huic fuit augmentum, ut triginta millia florenorum attingat, Reinig. Feich. *de fœder. concl.* 24. *lit. f.* Ritter. *dict. loc.*

LVI. At nonne pactum hoc † ſucceſſorium 11
de bonis univerſis atqve futuris, filiabus adhuc innuptis & indotatis exiſtentibus præiudicabit? ex quo enim fœderi Confraternitatis Saxonico-Haſſiacæ hæc ineſt conditio, ut alterâ familiâ qvoad heredes maſculos extinctâ, da eine Parthey ohne rechte Leibes-Lehns-Erben abgienge, alteri bona & Principatus deferantur, fieri non poteſt, ut non excludantur filiæ: † qvamprimùm enim conventio illa exiſtit, altera paciſcentium familia, excluſis omnibus de extincta ſtirpe exiſtentibus, non ſecùs ac ex teſtamento aut ipſâ lege ſtatim ſuccedit, omniumqve 12

tam

tam mobilium qvàm immobilium bonorum,
13 dominium ſibi acqviſit. † Dixeris forſan, fi-
lias illuſtres jure non conqveri de excluſione à
ſucceſſione, pacto ſpeciali & conſtitutione
Carolinâ pragmaticâ ſibi ademtâ, Vdalr. Zaſ.
lib.1.conſil.1.n.51.& 56. cùm expeditum ferè ſit
apud interpp. conventionibus ſeu ſtatutis fœ-
14 minas à ſucceſſione excludi poſſe: † id qvod
Bartol. Bald. Alexand. Iaſon. & alios in ſuis le-
ctuiis tanqvam certum & cognitum præſup-
ponere, tradit, Zaſ. *dict. loc.* non abſqve evi-
dentibus rationibus, poſtqvam intereſt Reipu-
blicæ, familiarum ordinem & dignitatem con-
15 ſervari, *l.1.§.ſed etſi ſervus.ff. de ventr. inſpic.* †
qvod ſine divitiis fieri neqvit, *l. pietatis. C. de
ſuſpect. tutor. l. creditores. ff. de privil. credit.*
cumqve per maſculos gerantur onera Reipu-
blicæ, *l. fœmina. ff. de Reg. jur.* meritò & hi
commodum ſentire debent, *l.1.§.ult.ff.de aquâ
& aq. pluv. arcend. l. ſecundum naturam. ff. de
Reg. jur.* nec qvenqvam fugit, in fœmina nu-
pta finiri familiæ & agnationis nomen, *l. pro-
16 nunciatio. in fin. ff. de verb. ſignific.* † ſeqvitur
enim forum & familiam viri, *l. fœm. ne. ff. de
ſenat. l. cum quæd. ff. de jurisd.* in qvam etiam
bona transfert non ſine iniuria familiæ pater-
næ; idqve ne fieret, Devs in veteri Teſta-
mento lege cavit, *Num. cap. ult.* veluti hinc
qvoqve lege Voconia mulieres à ſucceſſione
olim prohibitæ ſunt, ut refert ex Cicer. Zaſ.
17 *dict. loco.* † Sed impium eſſet filias privare eo,
qvod iure naturæ ipſis debetur, *l. maximum
vitium. C. de lib. præter.* & licèt conceſſerimus
ſtatuta & conventiones, qvibus à ſucceſſione
fœminæ excluduntur, qvalia per totam ferè
18 Italiam vigent; excipiuntur tamen † ſemper
dotes mulierum, de qvibus filiabus eſt proſpi-
ciendum, ut bene monet Zaſ. *dict. conſil. 2. num.
50.* Quod & curæ ſibi habuerunt Illuſtriſſimi
Confratres in pacto Saxonico-Haſſiaco, ra-
tione dotis filiabus numerandæ ita caventes,
19 ut † ſi plures adſint, ſucceſſor pactitius ſingu-
lis 24000. florenos pro dote ſolvere teneatur:
ſi una tantùm, augeatur 20000. florenis: ſin
duæ, addantur ſaltem 10000. *Vid. ſuprà theſ. 15.
artic. 12. & 13.* Bene omninò, ne filiæ Illuſtres
ab omnibus bonis paternis, tanqvam extraneæ
& indignæ prorſus, remotæ & excluſæ videan-
tur, Ioh. Caſp. Guttich. *concl. 5. lit b.* Remig.
Feſch. *dict. concl. 24. lit. T.* Nec enim præterea
20 † qvicqvam luctantur, provt verba habent
pacti, Vnd ſollen ihnen allen keine weiter Beſſerung/
noch wegen Väterlicher/ Mütterlicher/ noch Brüderlicher
Erbſchafften/ *legitima*, oder aller anderer Angefälle wei-
ter zu reichen zu geben oder folgen zu laſſen ſchuldig ſeyn
ſondern ſie ſollen mit obberührter Summen aller ihrer For-
derung/ ſo ſie zu haben gedächten/ allenthalben vergnüget
und abgerichtet ſeyn und bleiben/ und ſich keiner Succeſſion
und anderer Anfoderung anmaſſen/ in keinerley Weiſe und
Wege. Non ergò pactum Confraternitatis præ-
judicat dotibus filiarum; † At nec viduis ratio-
21 ne dotis, dotalitii & Morgengabæ, ſed familia
extinctâ, viduæ ſalva habent jura ſua mulie-
bria, uſque adeò ut ſi nondum certi qvid de
hiſce conventum, altera familia ſuccedens ad
ſatisfactionem obſtringatur, *ſuprà th. 15. art.*
22 *15. & 16.* † Nullâ ſiqvidem conventione, nul-

liqve diſpoſitione jura hæc viduarum inverti
poſſunt, Georg. Rotſchiz *de dotalit. art. 1.*
Hartm. Piſtor. *part. 1. quæſt. 5. n. 6.* Iacob. Schult.
in addit. ad Mod. Piſtor. p. 3. quæſt. 122. n. 120.

LVII. Ex generalitate porrò Confraterni-
tatis huius ſatis liqveſcit, non ſaltem mobilia 23
ſed & † immobilia bona ſub eâ comprehendi,
de qvo ut minùs dubitetur, viſum fuit Con-
fratribus illuſtribus verbis diſertis & perſpi-
cuis illa exprimere: daß alsdann deſſelben abgegan-
gene Fürſtenthumb/ Graffſchafften und Herrſchafften/
Lehen und Pfandſchafften mit Land und Leuten/ Erbeigen
Kleinodien/ Schulden/ Geld/ Geſchütz und zugehörige
Artollerey/ nichts ausgeſchloſſen/ beweglich oder unbeweg-
lich. Ac jure hoc pactum ſucceſſorium de
Principatibus, Ducatibus, & Comitatibus ceu
feudis regalibus ſubſiſtere, † ambigere vix 24
qviſqvam poterit, penſitans confirmationem
Cæſaream, qvæ omnem de feudis diſpoſitio-
nem convalidat, licèt conſenſus Sereniſſimo-
rum Electorum haud acceſſerit. Vt maximè
enim concedamus, † hodiè non fas eſſe Impe- 25
ratori, de feudis Imperio aperiendis & apertis
alios reinfeudare, irreqviſitis Septemvirorum
votis, ut docent verba Capitulationis, *in §.*
wan auch die Lehen dem Reich und uns/ *&c.* apud Gold.
Politiſche Reichshändel *part. 5. ſect. 1.* Dom. Arum.
diſ. 4. ad A.B. th. 16. († diſſentiente qvantum- 26
vis Bocero, *de regal. cap. 2. n. 61. & c. 4. num. 15.*
qvem compendioſam verſionem Sleidani de-
cepiſſe, conjectat Buxdorff *ad A.B. concl. 87.*)
& per conſeqvens nec pacta eiuſmodi ſuc-
ceſſoria qvod feuda Regalia confirmare, Gut-
tich. *dict. loc. concl. 6.* Feſch. *dict. concl. 24. lit. c.*
ex qvo etiam Sereniſſimi ac Illuſtriſſimi Prin-
cipes confœderati in Confraternitate Saxoni-
co-Brandeburgico-Haſſiacâ ſolius Cæſareæ
Maieſtatis confirmationem haud iudicaverunt
ſufficientem, *th. 51.* † qvondam tamen & 27
tempore Caroli IV. primi pacti noſtri auto-
ris, conſenſum Septemvirorum ad confirma-
tionem pactorum ſucceſſoriorum haut fuiſſe
neceſſarium, *ſupra* demonſtravimus *th. 47.*
in qvo etiamnum acqvieſcimus cum Feſch.
Guttich. *citat. locis, &* Limn. *lib. 4. jur. publ. cap.
8. n. 153.*

LIIX. Quid verò iuris in feudo Electora-
tûs, ſeu ditione Electorali Saxonicâ: num † 28
qvod de univerſitate bonorum in pactum
hoc Sereniſſimorum Saxoniæ Ducum & Illu-
ſtriſſimorum Landgraviorum Haſſiæ dedu-
ctorum iam dictum, ad eam qvoqve extendi
debeat? Deciſionem petere licet † ex verbis 29
Frabricii *de orig. Saxon. libr. 7. fol. 747.* Sed qvid
ille? *Renovatur*, inqvit, *eodem anno* (*puta 1431.
9. Calend. Novembr.*] *fœdus fraternum & here-
ditarium inter Electorem* [*puta Fridericum* II.
placidum] *& fratres, & inter Ludovicum IV.
Haſſiæ Landgravium, exceptâ ditione Electorali
Saxonicâ, qvæ nec in fœderibus maiorum fuit
comprehenſa, qvia ad Imperium pertinet: nec ge-
neri tribuitur, ſed honori*; hæc ille: cuius † verba 30
Arum. *in diſc. 6. ad A.B. th 6.* omiſſo nomine
Electorali (iure propterea reprehenſus à Limn.
dict. c. 8. nu. 166.) ad Ducatus Saxonicos indif-
ferenter trahit, & divortium facit à Fabricio,

eò, qvòd nulla Saxonicæ aut alterius ditionis
exceptio facta fuerit in pacto noſtro Confra-
31 ternitatis; † ſed opus hoc non habuiſſet, cùm
nec Fabricius, nec nos cum ipſo feuda Duca-
tuum Saxonicorum excipiamus: De ditione
ſaltem Electorali vel feudo Electoratûs du-
bium reſidet, idqve ſub Confraternitate haud
comprehenſum dicit Fabrit. de qvo tamen du-
32 bitat † autor den warhafftigen vnd gegründeten Be-
richts / was ſich in dem Fürſtlichen Weymariſchen vnd
Altenburgiſchen *præcedentz* Streit biſshero zugetragen /
part. 4. *p.* 125. & cum eo Guttich. *in diſp. de
confrat. concluſ.* 5. *lit. b.* Vtrqve urget verba
33 Confraternitatis generalia, † qvibus omnia
tàm præſentia qvàm futura bona, nullâ re ex-
ceptâ, adeoqve nec ditione Electorali Saxo-
nicâ, licèt ab initio huius pacti nondum à
Miſnenſibus acqviſitâ, comprehenduntur:
Mit allen vnſern Landen vnd Leuten / die wir itzund haben /
oder hernach gewinnen mögen *Et poſtea*: daſs alsdann
derſelben abgegangenen Fürſtenthumb / Graffſchafften vnd
Herrſchafften / &c. nichts ausgeſchloſſen / beweglich oder
vnbeweglich / die wir itzund haben / oder wir vnd vnſere
34 Leibes Lehns-Erben noch gewinnen mögen / *rc.* † At
talia hæc non ſunt, ut iis dimoveri nos patia-
mur à vero Fabricii aſſerto, cui & Limn. *loco
alleg. num.* 168. ſubſcribit. (1.) Neminem ſi-
qvidem latet, Electoratum eſſe dignitatem,
35 nec dependere à diſpoſitione hominis, † ſed
legis, *tit.* 7. *A. B.* qvare de eo paciſci haud po-
tuere Sereniſſimi Saxoniæ Duces, & conſe-
qventer nec de illa ditione Saxonica, in qva
radicaliter dignitas Electoralis eſt fundata,
hancqve ceu umbra corpus ſubſeqvitur, ita
vt abſqve terra Saxonica eſſe & ſubſiſtere
haud valeat, non ſecus atqve Electoratus Pa-
latinus & Brandeburgicus abſqve Palatinatu
& Marchiâ Brandeburgicâ, *tit.* 20. *Aur. Bull.
ubi* Dom. Arum. *diſc.* 6. *th.* 27. & Rumelin *part.*
2. *diſſert.* 6. *th.* 17. ſcilicet ne officium Electorale
ſit ſine reditu, nec reditus Electoralis ſine di-
gnitate, ut ait Dionyſ. Gothofred. *lib.* 3 *in refut.
36 qv.* 35 *de tutel. Elect. teſtam.* † Regerit eqvidem
Guttich, pactum hoc confirmatum eſſe à Cæ-
ſareâ Majeſtate, cui liberum fuerit vivente
adhuc familiâ, ſub modo expectativo aliam in
caſum contingentiæ de Electoratu vacante
inveſtire, perinde ac extra caſum Confrater-
nitatis, familiâ ſtirpitus extinctâ Electoralem
37 dignitatem cui velit cum annexis conferre, †
veluti extinctâ familiâ Electorali Anhalti-
nâ in Alberto III. à Sigiſmundo Imper. de
Electoratu Marchionem Miſniæ Fridericum
Bellicoſum *anno. Chriſti* 1423. unà cum ter-
38 ra Saxonica inveſtitum novimus, † cuius
inſignia ſolenniter accepit Budæ in Panno-
nia *anno* 1425. David Chytr. *in Sax.* Fabrit.
lib. 7. *orig. Saxon.* Georg. Spalat. *in Chron.
Saxon. tit.* 2. Petr. Albin. *in Chron. Miſn.
tit.* 16. Balth. Mencius von Stamm vnd Ankunft
der Churfürſten zu Sachſen vnd Marggraffen zu Meiſſen /
in Alberto III. Anhaltinô Elector. Saxon. uſ-
39 qve adeò, vt nec † hodierno tempore con-
ſenſum Archi-Principum Electorum ad col-
lationem Electoratuum vacantium requirere
neceſſe ſit, *tit.* 7. *A. B.* prout dedimus proba-
tum *in Comm. ad leg. Reg. cap.* 7. *ſect.* 3. *num.* 27.

ſed benè reſpondet Limn. *dict. cap.* 8. *num.* 170.
† potuiſſe qvidem Imperatorem etiam de 40
feudo Electorali idem conſtituere, qvod de
reliqvis, ſed potentiæ hoc eſſe, qvæ an vn-
qvam in actum fuerit traducta, adhuc demon-
ſtrandum fore. (2.) Cumqve pactum Con-
fraternitatis duntaxat de Ducatibus loqvatur,
von Fürſtenthumben / nec verbulo mentionem
faciat Electoratus, des Churfürſtenthumbs / non
certè præter mentem contrahentium include-
re hunc licet, qvia aliud eſt Fürſtenthumb / aliud
Churfürſtenthumb / tantùm ſiqvidem voluerunt
contrahentes, qvantùm expreſſerunt verbis,
& tantùm expreſſerunt; qvantùm voluerunt,
Limn. *cit. loc.* (3.) Accedit, † qvod cùm in 41
fœdus ſucceſſorium Saxonico-Brandeburgico
Haſſiacum *an.* 1587. Electoratus fuerint dedu-
cti, vt liqvet ex tenore pacti iſtius apud Limn.
dict. c. 8. *n.* 171. *p.* 226. Cæſarea Maieſtas inter alia
ob hoc ipſum qvoqve tanqvam propter rem
novi exempli & antea non conſvetam, con-
firmationem detrectarit: Dieweil † aber J. Keyſ. 42
Maj. die vorgebrachte Einigung in etlichen *Puncten* faſt
wichtig / *rc.* So will darumb J. Keyſ. Maj. Nothdurfft in
alle wege erfodern / ehe vnd zuvor ſie ſich darüber ſchrifftli-
chen erklären / denen ſo wichtigen Dingen weiter nachzu-
dencken / *rc.* Nec ullam hîc injiciant remoram
verba generalia Confraternitatis, qvæ maxi-
mopere Guttich. adverſ. Fabr. urget, † ſiqvi- 43
dem de Ducatibus & Principatibus tantum-
modò loqvuntur, in qvibus ſubſiſtendum eſt,
nec ſano ſenſu ad Electoratum ea extendi poſ-
ſunt, ob dignitatem ſcilicet Electoralem feu-
do huic annexam, qvæ facit, ut exceptum cen-
ſeatur io diſpoſitione generali, qva nunqvam
comprehenduntur † res ſpecialiter privilegia- 44
tæ, *l. decurionibus.* 3. *ubi* Bartol. *C. de ſilentiar.*
Baldus *in l. non plures.* 4. *in fin. C. de SS. Eccleſ.*
Salycet. *in l. ult. notab.* 4. *C. de jur. dot.* Nec ve-
niunt in diſpoſitione generali, † qvæ ſpeciali 45
notâ ſunt digna, *lib.* 1. ubi Dd. *ff. de offic. eius
cui mand. eſt juriſdict.* & in qvibus conceden-
dis Princeps ſe ſolet reddere difficilem, Sylvan.
conſ 56. *n.* 24. Cravett. *conſil.* 172.

LIX. Falluntur ergò, qvi ditionem Electo-
ralem, † vel ipſam etiam Septemviratûs di- 46
gnitatem in pactum Confraternitatis Saxoni-
co-Haſſiacæ deductam autumant, licèt infi-
cias haut eamus, fœdus illud novum Saxoni-
co-Brandeburgico-Haſſiacum, de qvo *ſuprà
th.* 54. à Dominis paciſcentibus ad Electoratus
qvoqve & dignitates Electorales extēſum fuiſ-
ſe, *th. præced. n.* 41. ita † ut Domo Saxonicâ vel 47
Brandeburgicâ (qvod DEVS in perpetuum cle-
menter avertat) radicitùs extinctâ, dignitas
Electoralis cedat familiæ Haſſiacæ, *in §.* da ſich
aber die Fälle. *verſ.* vnd vnter dem Theile / welches als-
dann auff Heſſen fallen wird / die Dignitat der Chur mit
begriffen ſeyn. *Et §.* wo ſich aber *ſeq. verſ.* vnd die Land-
grafen zu Heſſen zwey Theil / vnter welchen zwey Theilen
die Dignitet der Chur mit begriffen ſeyn ſolle / *&c.* Cuius
tamen pacti confirmatio & exiſtentia adhuc in
ſuſpenſo eſt, *ſuprà th.* 53. *&* 54. Anſam nihilomi-
nus id iamdudum præbuit dubitandi, † num 48
Cæſarea Maieſtas in confirmatione eius,
qvoad dignitatem Electoralem, Lineam
Domûs Haſſiacæ Darmſtadianam præferre

qveat

queat Lineæ Caſſelanæ, ſcilicet vt caſu
contingente dignitas Electoralis illi primùm
cedat. Poſtqvam enim utraque linea ex pacto
contrahentium jus habeat acqviſitum, ex natu-
49 ra & qvalitate Electoralis dignitatis, † qvæ
ſemper defertur Primogenito, *tit.7. A.B. ubi*
Arum. *diſc.4.th.4.&* Rumelin. *part.1 diſſ.2.th.*
2. Lineæ Caſſelanæ præcedentiam competere
qvis exiſtimaverit. Sed prorſus abſqve funda-
mento: nec enim qvod de jure ſucceſſionis
qvoad dignitatem Electoralem in certa fami-
lia jam radicatam, *dict.tit.7.A.B.* proviſum eſt,
50 † ad novam Electoratus collationem extendi
debet, qvæ arbitrio Cæſareæ Majeſtatis uſqve
adeò eſt relicta, ut qvemadmodum pacti ſuc-
ceſſorii confirmationem prorſus denegare po-
teſt, ita qvoqve eandem moderari, & certis
legibus determinare qveat, *dict. tit.7. A.B. §.*
da aber derſelben Fürſtenthumb eines im Reich ledig würde *&c.* Heig. *lib.1. quæſt.3. num.27.* Henric. à
51 Roſenthal *de feud.cap.2.concl.1.* † cui ſanè neu-
tra familiæ Haſſiacæ Linea exceptionem juris
qvæſiti opponere valet, cùm dignitas Electora-
lis, ut modò diximus, ex ſola Cæſareæ Maje-
ſtatis gratiâ, nutu & arbitrio dependeat, adeo-
què ante confirmationem & collationem ex-
pectativam nemo Principum paciſcentium de
jure qvæſito gloriari poſſit. Rei hujus exem-
52 plis haud deſtituimur. † Qvem etenim fugit, in
Electoratu Palatino Henricum juniorem, Hen-
rici Leonis Ducis Saxoniæ & Bavariæ filium
ſecundò genitum, ab Henrico IV. Imper. ob
præclara ſua merita creatum fuiſſe Electorem
Palatinum? Nonne etiam dignitas † Electota-
53 lis Saxonica poſt obitum Henrici, ab Imp. Fri-
derico Barbaroſſâ Bernhardo Comiti Aſcaniæ,
Ballenſteti & Walpæ, Marchioni Saliſqvel-
lenſi & Dynaſtæ Bernburgenſi, Alberti Vrſi
Electoris Brandeburgici filio tertio genito, unà
cum Ducatu Saxoniæ ad Albim fuit conceſſa
54 † propterea qvòd Signifer ejus fuerit in bel-
lis; Petr. Albin. *in Chron. Miſnenſ. tit.16.*
Crantz. *in Saxon. lib.6. cap.38.* Munſter. *in*
Coſmograph. lib 3. 442. Et qvis hiſtoriarum ſe-
55 culi noſtri adeô imperitus, ut neſciat, † digni-
tatem Electotalem Saxonicam Ioh. Friderico,
& Lineę ab Erneſto appellitatę ereptam, ab
Imp. Carolo V. *anno* 1547. in Lineam Alberti-
nam tranſlatam, eâqve Mauritium Saxonię
Ducem in caſtris ad VVittebergam donatum
fuiſſe? Chytr. *in Saxon.lib.16.* Ludov. de Avilâ
de bell.german. Ioh. Sleidan. *lib.19.hiſtor.* Reuſ-
ner. *in ſtirp.2.ſtemmat.VVitechin.* Docent qvo-
56 qve Hiſtorici, † Sigismundum Imperatorem
Menſ. Iun. ann. 1417. dignitatem Electoralem
Brandeburgicam, Friderici III. Burggravii
Norinbergenſis filio ſecundo genito Friderico
IV. vel intuitu hujus dignitatis I. in Concilio
Coſtnizenſi conceſſiſſe, Chytr. *in Sax. libr.1.*
Munſter. *in Coſmograph. lib.3. cap.472.* Ita ſci-
57 licet fas eſt Imperatori, † ſepoſitâ nativitatis
ſerie, in bene meritos, & qvibus optimè cu-
piat, dignitatem Electoralem conferre.
Qvidni ergò etiam Lineam Darm-
ſtadianam Caſſelanę
pręferre?

addit.

CAP. VI.

Qvisnam finis, qvique effectus pacti hujus ſucceſſorii?

L X.

Finem hujus Confraternitatis ſi unico ver-
bo qvis determinatum expetat, ponimus
† tranqvillitatem publicam, ſeu Reipubl. ſalu- 1
tem. Panguntur enim fœdera Confraternita-
tis, ut ex mutuâ & ſtabili ſucceſſione, defen-
ſione, fide & concordiâ fraternâ, Familiarum
ſeneſcentium ſplendor & dignitas conſervetur,
Schonborn *2.polit.13.* Iohan. Caſpar. Guttich.
de confratern. concluſ.7. lit.b. Remig. Feſch. *de*
fœder. concl.24. lit.g. † qvam cum amplificari 2
Reipubl. interſit, *l.1. de Republ. cap.2.* uſqve
adeò ut huic intentus publicę utilitati proſpi-
cere dicatur, Angel. Peruſ. *conſ.68.nu.4.* Corn.
conſ.335. num.18. non poteſt non intereſſe Rei-
publicę, Confraternitates ejuſmodi inter Prin-
cipes exiſtere, prout in terminis concludit
Nicol. Reuſn. *1.conſ.7.num.54.* De † qvo cùm 3
paſſim in hâc diſputatione jam fuerit actum,
ulteriore rei hujus dilucidatione ſuperſedemus,
ad effectus pacti noſtri properantes. Qvod ſi
autem de Confœderationibus in genere rectè
dicitur, eas multùm operari, Ludolph Schra- 4
der. *de feud. part.10. ſect.7. num.27.* Cuno *de*
pact. lib.1. cap.24. num.164. venenum Reipu-
blicę paratum extinguere, vitamqve ejus pro-
rogare, VVaremund. ab Erenberg *de fœder. lib.*
1. cap.1. num.69. earumqve beneficio plurium
perſonarum fieri corpus unũ, Iacob. Menoch.
conſil.99.num.39. & habere confœderatos idem
velle idemqve nolle, Grammat. *deciſ.65.num.*
38. † veriſſimè id aſſertum erit de fœderibus
Confraternitatis, qvibus paciſcentes tali jun- 5
guntur affectione, ut ſibi invicem ſalutem
propriam & omnia concredant. Andr. Tira-
qvell. *in l.ſi unqvam. verb. libertus. num.92. &*
ſeq. C. de revocand. donat. Andr. Alciat. *lib.1.*
præſumpt.30. Chaſſan. *in catal.glor. mund. part.*
12. conſid.53. ut hinc magnus de effectibus †
Confraternitatis noſtrę diſſerendi campus ſe 6
efferret, in quo ne prolixiores ſimus, princi-
paliores ſaltem attingere lubet. Eſtque primus
ac pręcipuus, qvod alterius familię ſtirpe ex-
tinctâ ad alteram bona & Principatus heredi-
tario qvaſi jure devolvantur. † Paciſcentes ſi-
qvidem vi & efficaciâ reciproci hujus non ſo- 7
lùm jurejurando, ſed etiam Imperatoriâ au-
toritate corroborati pacti gentilitii, ſibi invi-
cem in omnibus bonis & facultatibus tàm mo-
bilibus qvàm immobilibus, tàm allodialibus
qvàm feudalibus, non ſecus ac naturales fra-
tres unâ agnatione & familiâ producti ſucce-
dunt; † id qvod exemplo Comitatus Henne-
bergici comprobatum damus, qvem per ſimi- 8
lem Confraternitatem *anno* 1583. ad Sereniſſi-
mos Saxoniæ Duces tranſlatum, diximus *ſu-*
prà th.36. nu.20. Guttich. *cit.loc. th.8. lit.a.* &
Comitatum Kazenelnbogenſem parili jure ad

Illuſtriſſimos Haſſiæ Landgravios deveniſſe, refert Molin. *conſil.*17.

9 LXI. Sed ne qvem † vocula ſucceſſionis offendat, reſtrictam eam volumus ad anomalum jus ſuccedendi, qvod neqve ex teſtamentariâ diſpoſitione, neqve ex cauſâ inteſtati, ſed pacto & ſpeciali ſtatuto vel lege competit. Qvemadmodum enim in genere pacta ſucceſſoria ab Illuſtribus perſonis inita, non in vim
10 ultimæ voluntatis, ſed † contractus, mutuæ obligationis, legis & ſtatuti, ex Cæſareâ promiſſione & autoritate ſubſiſtunt, atteſtante Gailio *lib.*2. *obſervat.*127. *num.*9. *& obſervat.* 226.*num.*2. Dauth. *de teſtament. num* 27. Aym. Cravett. *conſil* 139. *numer.* 13. Herman. Vultei. *conſil.*34.*num.*98. Nicol. Reuſner. *lib.*1. *conſil.*3. *num.*39. ita qvoqve de pacto Confraternitatis
11 Saxonico-Haſſiaco † æqvabiliter judicandum, qvod fecerunt in terminis conſulti Dec. *conſ.* 655. *num.*11. Carol. Molin. *conſil.*18. *numer.*27. Marian. Socin. jun. *vol.*1. *conſil.*65. *num.*51. *verſ. ſecundò hoc probatur. & num.*54 55. Vdalr. Zaſ.
12 *dict. conſ.*1. *num* 30. *& ſeqq.* † Abſonum ſanè non eſt, nec novum, ut appellatione pacti ſtatutum veniat, *arg. c. quæ contra. in fin. diſt.*8. ubi generale dicitur pactum ſocietatis humanæ, Regibus obtemperare: qvod tamen non pacto ſed ſtatuto tribuendum: & parili intellectu in veteri Teſtamento, ea qvæ Deus ſtatuit, vocabulo pacti ſæpenumerò edicta ſunt, ex qvo etiam pacti cum ſtatutis ſunt convertibilia, Signor. *conſil* 245. Zaſ. *dict. conſ.*1. *num.*31.
13 † Qvidni ergo eâdem, vel longè etiam probabiliori ratione pacta Principum ſucceſſoria, ſtatuta vocaremus? qvippe qvi non modò vigore Regiminum & poteſtatis, qvam obtinent circa modum ſuccedendi, ſtatuta ipſimet promulgare poſſunt, Bartol. *in l. omnes popul. verſ. quæro quæro. ff de juſtit. & jur.* ſed & qvorum mens ac animus eſt, perpetuis ordinationibus paci, tranqvillitati & qvieti Ducatuum, Comitatuum & dominiorum conſulere, Zaſ. *dict. loc.* † Accedente præſertim confirmatione Cæ-
14 ſareæ Majeſtatis, cujus placita legis habent vigorem, ac pro lege obſervari debent, qvantùmvis non animo concedendæ legis facta fuerint, Petr. Rebuff. *in tract. concord. tit. de Reg. facult. col. ult. verſ. quod Principi placet*, *pag.* 795. Qvibus ita ſtantibus facile eſt colligere, Illuſtriſſimos Confratres, qvi vulgò heredum
15 nomine indigitantur, † tales propriè non eſſe, neqve legitimos, neqve teſtamentarios, ſed ab utriſqve differre & anomalos, irregulares, conventionales ſive pactitios haberi, Dauth. *de teſtam. num.*86. *verſ. nam etſi. in fin. & nu.*115. *verſ. ſeptimo inconſideratè.* Petr. Heig. *part.*1. *quæſt.*23. *nu* 13. Cothman. 3. *conſ.*44. *num.*37. *& ſeq.* Bernhard. Græv. 2. *concl.*27. Cravett. *conſil.* 19. *num.*11. Reuſner. *dict. conſil.*3. *num.*38.
16 LXII. Notabilis huic ſuccedit effectus † communionis & ſocietatis neceſſariò conſeqvens, qvem contractus inter vivos importat: ex qvo ſcilicet res univerſæ paciſcentium, tàm qvoad poſſeſſionem civilem, qvàm qvoad dominium continuò invicem communicantur,
17 licèt † executio in caſum mortis familiæque extinctæ ſuſpendatur, Remig. Feſch. *de fœder. concl.*24. *lit. f.* Ioh. Caſp. Guttich. *de confratern. concl. lit. c.* Theod. Reinking. *de regim. ſecul. & eccleſiaſt. lib.*1. *claſſ.*4. *cap.*18. *nu.*11. Ern. Cothman. *conſil.*78. *num.*176. Competit ideoque virtute hujus Confraternitatis cuilibet familiæ & Confratri in bonis alterius † jus qvæſitum ac 18
radicatum, & inde conſtitutum poſſeſſorium. Idque probant (1) verba confirmationis Carolinæ *de anno* 1373. † daß die Erbverbrüderten / und 19
ihre allerſeits Manns-Leibes-Lehns-Erben / ewigliche gleiche rechte und erbliche Mitgeerben / und gemeiner Lehen und rechter Gewehre ihrer Fürſtenthumben / Graffſchafften / Land / Leute / Güter und Zugehörungen haben / *&c.* qvibus conſtituta denotatur ipſa poſſeſſio, ut benè infert deductio Lineæ Darmſtadianæ *in causâ Marpurgenſi, in articulis ad cauſæ principalis deductionem pertinentibus, art.*86.87.88.
† per voculam enim Gewehr / vulgato idiomate venit poſſeſſio, Landr. *lib.*2. *artic.*29. *in fin.* 20
Lehnrecht *cap.*11. *Ordin. proceſſ. iudic. Elect. Saxon. tit.*44. §. und das hat auch ſtat / *&c. Receſſ. Imper. de anno* 1512. *tit.* von Gotteslåſtern / *ibi*: der ſtreitigen Gewehr und *Poſſeß. &c.* Rectè hinc de jure † ra- 21
dicato ex pacto Confraternitatis excepit Elector Saxoniæ *anno* 1552. in dem Außſchreiben / warumb er zur Kriegerüſtung gedrungen § In geſchweigen. *verb.* zu dem und daß auch wir und dan Hauß zu Sachſen / vermöge einer Erbverbrüderung auff dem Fürſtenthumb Heſſen / im fall ohne männliche Erben zufünfftig ſtünde / ein mercklichen *intereſſe* haben Feſch. *allegat. loc.*
(2) Nec non ipſemet tenor Confraternitatis: 22
daß alsdann derſelben abgegangene Fürſtenthumb / Graffſchafften und Herrſchafften / Lehen und Mannſchafften auff die andere Parthey / und ihre Leibes-Lehens-Erben gäntzlichen / zumahle zu Erbeigen gefallen ſeyn / und erblich bey ihnen und ihren Erben / als ihren rechten Erbherrn bleiben ſollen / † quæ verba (gefallen ſeyn und bleiben ſollen) 23
non futuri ſed præteriti ſunt temporis & actus, juriſque qvæſiti perfectionem innuunt, ſolius executionis effectu dilato. Reinking. *dict. cap.* 18. *num.*24. *in fin.* (3) Accedunt tandem hæc
pacti verba: † daß wir GOtt zu Lob und Ehr / und 24
mit wolbedachtem Rath / und beyſeyn unſerer Räthe / Manne und der unſern / umb angeborner Liebe / rechter Treue / und ſonderlicher Freundſchafft willen / unſern Landen und den unſern zu Friede / und ihnen zum beſten / erblichen ſolche Brüderſchafft erneuert und uns verbrüdert / gütlich vereint / zuſammen geſetzt / gegen einander auff- und übergebungen gethan haben / verneuern die / verbrüdern / vereinigen uns / und thun uns zuſammen / ubi ea
imprimis † notatu digna monet Reinking, 25
(Auff- und Ubergebungen) qvæ ceſſionem inferunt, adeóqve juris tranſlationem operantur, Gloſſ. *in l. ult. ff. de donat.* Ioh. Vincent. Honded. *vol.*1 *conſil.*91 *num.*24. qvibus ſi addantur verba ſubſeqventia (thun auch gemeldte auff- und über-gebungen gegen einander gegenwärtiglich) † de 26
præſenti ceſſionem factam eſſe, ulterius non ambigendum dicit, *in tract. de regim. ſecul. & eccleſiaſt. lib.*1. *claſſ.*4. *cap.*18. *num.*24. Nec qvicqvam obeſt, qvod per ſolam traditionem dominium transferatur, §. *per traditionem. Inſt. de rer. diviſ.* † Licèt enim vera & naturalis non 27
acceſſerit pacto ſucceſſorio traditio; tacita tamen & repræſentata interveniſſe creditur hoc ipſo, qvo qvilibet ſocius & conſors, qvod poſſidet, non ſuo tantummodò, ſed communi nomine poſſidet, atqve ita per conſtitutum civilem poſſeſſionem † in ſocios & conſortes

pro

pro indiviſo transferre intelligitur, *l.1. in fin. ubi* Bartol. *num.1. ff pro ſocio.* Nec enim novum eſt, ut per fictam vel imaginarium duntaxat traditionem res transferatur, *§. interdum etiam & § item ſi quis merces Inſt. de rer. divis. l.1. §. ſi fide iuſſerim.21. verſ. nam pro traditis. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Iacob. Cuiac. *lib.4. obſervat.* Iohan. Harppr. *ad dict. §. per traditio-*
29 *nem. num.2. & §. interdum etiam num.1.* † qvod æqvè per conſtitutum ac veram & realem traditionem fieri poteſt, *l. qvod meo.18 ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. l. qvadam mulier. 77. ff. de rei vendic.* qvin & ex causâ favorabili (qvalis proculdubio etiam eſt Confraternitatis. Andr. Gail *lib.2. obſervat.127. num.2.* Reinking *dict. cap.8. num.9.*) † dominium ſine traditione ac
30 poſſeſſionis apprehenſione transfertur, *l. ult. C. de SS. Eccleſ. l. commiſſa.14. ff. de publican. & vectigal.* Reinking. *dict. loc. n.16.*

LXIII. Porrò ex hiſce prono qvaſi fluit alveo alius Confraternitatis effectus notatu æqvè dignisſimus, † qvod nempe utriqve fa-
31 miliæ in bonis alterius jus irrevocabiliter ſit qvæſitum; qvod nec per teſtamentum, nec aliam ullam diſpoſitionem minui & inverti poteſt, Ioh. Caſpar. Guttich. *de confraatern. concl.8. lit.d.* Reink. *dict. cap 8. nu.19.* Ex qvo enim pactum noſtrum valet † in vim contractus, legis
32 vel ſtatuti, *ſuprà theſ.61.* Gail. *dict obſervat.127. num.8.* Vdalr. Zaſius *dict. conſil.1. nu.29.* firmiſſimè inferre licet, ad effectum ejus irrevocabilem, † qvia portio ex contractu vel jure ſta-
33 tutario debita nullâ aliâ pactione ſeu ordinatione eſt auferenda, *l. ſi arrogator.22. §.1. ff. de adopt. l. Papinianus. 8. § ſi quis impubes. ff. de inoff. teſtam. l. cum patronus, 28. ff. de teſtam. l.3. ff. de interd. & releg. Nov.22. cap.33* Ant. Teſſaur. *deciſ.34. num.3.* Octav. Cacheran. *deciſ.139. n 1.* Atqve hinc fit, qvod portione ſtatutariâ ex bonis defuncti conjugis ſibi debitâ † ſuperſtes
34 privari neqveat, *c. Raynutius 16. in med. verſ. præcepit etiam idem iudex. extr. de teſtam.* Erneſt. Cothman. *vol 1. conſ.74.* Andr Gail. *libr.2. obſervat.86. nu.17.* Hieron. Panichman. *part.2. queſt.5.* Matth. Weſemb. *in parat ff unde vir & uxor. n.3.* Matth. Coler *part.1. deciſ.54 nu. 27.* Et qvis etiam neſcit, pacta futuræ ſucceſſionis, qvæ valent jure contractus, ceſſionis vel donationis inter vivos † non unius ſed mutuo
35 demum utriuſque partis diſſenſu revocari. Matth Weſemb. *conſ 63. in fin.* Nicol. Boër. *deciſ.355.* Aym. Cravett. *conſil.16. nu.11.* Houded. *vol.1. conſil.40. num.69. & 70* ſcilicet qvia nihil tàm naturale, quàm eo genere & modo, qvo qvid colligatum eſt, rurſùs diſſolvi, *l. nihil*
36 *tam naturale. ff de Reg. iur.* † Non ergò uni permittendum, qvod utriuſqve demum partis voluntate & conſenſu fieri poteſt, Reinking. *dict. cap.18. num 22* Planè inficias ire haud poſſumus, extinctâ demum alterâ familiâ, bona ejus ſuperſtitis adminiſtrationi ſubjici, uti ex tenore Confraternitatis liqveſcit; attamen parùm effecti accedit inde revocationi: cùm †
37 dilatâ ſaltem executione actuali in caſum familiæ extinctæ, jus interim radicatum alteri familiæ competit longè firmiſſimum, Dauth. *de teſtam num.268.* Surd. *deciſ.93. num.50. & ſeq.* Rega. Sixtin. *vol.1. conſil. Marpurg.19. nu. 27. & 28.*

LXIV. Effectus qvoqve Confraternitatis Saxonico-Haſſiacæ non minimus conſiſtit † 38
† in mutuâ juriſiurandi & homagii præſtatione, qvæ ab utriuſqve partis ſubditis exigitur, juxta tenorem dictæ Confraternitatis: und jegliche Parthey hat der andern Parthey auff ſolche Brüderſchafft / auff- und übergebung / alle ihre Mannſchafften / ſie ſeyn Graffen / Herren / Ritter oder Knechte / Burgmannen / Voigte / Haupt- und Ambtleute und Bürger / ꝛc. eine rechte Erbhuldigung thun laſſen. Ioh Caſp. Guttich. *dict. loco. concl.9 lit.e.* Theod Reinking. *citat. cap.18. num.25.* Bartol. Muſcul. *de confrat. theſ. 52.* Ex qvo fit, † qvod Elector & Duces Saxo- 39
niæ Principum Haſſiæ ſubditos ac miniſtros, & vice verſâ hi illorum, fideles (ihre liebe Getrewe) appellitent, bene monente Reinking. *loco alleg. num.28.* Vbi notari velim, homagium id præſtari abſente alterâ familiâ, † nec opus 40
eſſe, ut mutuæ homagii literæ invicem exhibeantur, vel nomine alterius familiæ Legati interſint actui huic, licèt qvandoqve propriâ ſponte adfuerint. Quâ de r. † ita verba ha- 41
bent protocolli conventus Naumburgenſis *de anno 1614.* Die Beſchickung wäre nicht *jure Confraternitatis*, ſondern aus freyen Willen geſchehen / bedürffte auch ferner nicht der Außwechſelung der Huldigungs-Brieffe / weil der Lehen und Erbhuldigungs-Eyd alſo *formaliſiret*, daß die Unterthanen auff begebende Fälle ſich ſo bald an den andern Hauß halten müſſen: Formulam ejus hanc ponit Guttich. *dict. loco* † Ihr werdet ſchwe- 42
ren und geloben / daß ihr dem Durchläuchtigſten Hochgebornen Fürſten und Herrn / Herrn *N N* und Ihro Fürſtlich Gnaden Ehelichen menlichen Leibes-Lehens-Erben / treu / hold und gehorſamb ſeyn ſollet / und nach Abſterben derſelben / (welches doch Gott gnädiglich verhüten wolle /) und deren männlichen Leibes-Erben / dem gantzem Hauſe N. und da auch daſſelbe nach ſonderbahrem unerforſchlichem Rath und Willen GOttes gäntzlich mit Tode abgehen ſolte / (welches doch GOtt gnädiglich abwenden wolle /) alsdann dem Fürſtl. Hauſe *N. &c.* & formulam † juramenti Caſſellis *anno* 1567. à ſubditis Haſſiacis Landgraviis & Saxoniæ Duci- 43
bus præſtiti, refert Reinking. *dict. cap.18. n 25.* Ex qvo & hoc inferre licet, præſtationem homagii in alterâ familiâ non inducere jus purum ſubjectionis & ſuperioritatis: prout autumat Reinking. *dict. cap,18. num.26.* † ſed ſuſpenditur id ad caſum contingentiæ, Muſc. *dict.* 44
loc. th.52. Guttich. *locis alleg.* Nam uti homagium purum abſqve ullâ morâ ſubjectionem cauſatur, ita per modum ſeu conditionem attemperatum non prius ſubjectionem importat, niſi modus vel conditio fuerit adimpleta, Muſcul. *dict. th.52.*

LXV. Et tandem ſilentio ſepeliri haud debet † defenſio mutua, qvæ inſignis Confrater- 45
nitatis habetur effectus; de qvo ita loqvitur pactum Saxonico-Haſſiacum: † So ſollen und 46
wollen wie unſer jeglicher dem andern getreulich mit Landen und Leuten wider allermänniglich / niemands außgenommen / beholffen ſeyn / unſer jeglicher den andern Land und Leute / ihr Gut und Haabe / gleich ſeinen eignen Landen und Leuten helffen wehren / ſchützen / ſchirmen und vertheidigen / wann und wie offt das immer noth ohn gefehrde. Cùm enim (1.) † pacto ſucceſſorio talis
contrahatur amicitia, ut Domini Confratres 47
in unam qvaſi coeant eſſentiam, & ex pluribus familiis una conſtituatur, Schonborn.

2.polit.23. Vdalr. Zaſ. *dict. conſil.1. num.7.* juri
& æquitati conſentaneum eſt, ut ab omni in-
juriâ ſe invicem defendant, Bartol. Muſcul. *de*
48 *confrat.th* 47. (2) † Et cur non æqualis nava-
retur opera in defendendis Confratrum pari-
ter & propriis bonis, poſtqvàm utroqve in
caſu propria agitur cauſa, non ſaltèm propter
infallibilem eveniente conditione ſpem ſucce-
dendi, ſed etiam conſtitutum ex utraqve parte
poſſeſſorium, effectu qvantumvis ſuſpenſo,
49 *ſuprà th.62.* (3) † Ne dicamus, qvod injuria
uni de familiis illata ad omnes Confraternita-
te conjunctos ſpectare videatur, *arg. l.1. & l.2.*
ff de lib.cauſ. Guttich. *dict. loc. concluſ.8. lit.g.* ut
hinc pactum ſucceſſorium neceſſariò ſeqva-
tur mutua defenſio. Qvid autem ſi duo Con-
50 fratres † inter ſe bella gerant, cuinam ab aliis
ſuccurrendum? Neutri hoc caſu auxilium præ-
ſtandum, ſtatuit Alberic. Gentil. *lib.3. de jur.*
belli, c 18. eò qvòd nemo teneatur ſuos oppri-
51 mere ſocios. † Tandem tamen idem Gentil.
pro vetuſtiori Confratre concludit, qvia fra-
ternitas, qvæ vetuſtiori nititur jure, ſemper
52 eſt fortior, Schonb. *alleg. loco.* Tutior † vide-
tur deciſio Guttich. *dict. lit.g.* ambobus Con-
fratribus bellum inter ſe gerentibus, illi ſuc-
currendum fore, qvi juſtam belli fovet cau-
ſam: qvia causâ deficiente bellum degenerat
53 in latrocinium. Non opus forſan † de hoc con-
troverti, ſi Confratres ſuum faciant officium,
ac ſine præſcitu, conſilio & permiſſu Confra-
trum, bellum non ſuſcipiant, Alexandr. *3. conſ.*
114. Muſcul. *dict loc. th.*48. Sed manum de ta-
bulâ.

COROLLARIA.

I. *Ipſo quantumvis iure nullum exiſtat teſtamentum, in qvo liberi vel parentes ſunt præteriti, Legata tamen ex eo veniunt præſtanda.*

II. *In teſtamento peſtis tempore confecto, iure civile nihil de numero teſtium ſolenni remiſſum eſt.*

III. *Non debetur Legatum quod quis ſibi vel liberis ſuis in teſtamento ſuâ manu conſcripſit, dictante licet teſtatore aſſignavit.*

IV. *Statuta Laicorum in Civitate aliquâ obligant quoque Miniſtros Eccleſiæ, ſed non Profeſſores in Academiâ.*

V. *Prædia in feudum dati incola à Principe infeudante collectari poſſunt: quia ſubditi Vaſalli ipſius domini ſunt ſubditi.*

VI. *In cauſis quoque matrimonialibus deferri poteſt à judice actori juramentum in ſupplementum: perinde ac Reo jusjurandum purgationis, ſi præſumptiones ſubſint ſufficientes; qualis non eſt nuda ſtupri confeſſio.*

ADD. II.

Ad Limnæi Enucleati l.1. c.13. num.19. ex Carpzovii Diſſ.3. Iurid. Pol. Hiſt. Dogm. III. Lege Imperii prohibentur Septemviri exterum aliquem, qui Germanus non eſt, in Regem Romanorum eligere.

SAt graviter † voto graviſſimo Coëlecto- 1
res monuit Septemvir Moguntinus, ne
Franciſcum I. Galliarum Regem ad faſces Im-
perii evehendo impingerent in Leges, qvibus
cautum eſt: *Ne decus Imperii transferatur ad*
exteros, apud Sleidan. *lib.1 de ſtat. Relig.* Pro-
diit hinc dogma Politicorum, Lege Imperii
Electores prohiberi exterum aliqvem, qvi
Germanus non eſt, in Regem Romanorum
vel Imperatorem eligere; † qvod non ſaltem 2
hoc Archicancellarii voto probatum, ſed &
ipſius Caroli imperatoris, Procerum Hiſpa-
niæ & Ambaſiatorum Gallicorum teſtimonio
ubertim demonſtratum dedimus *ſuprà poſit.23.*
& 24. Nec qvemqvam fore arbitramur, qvi 3
non † è re Imperii Germanici exiſtimet, guber-
nationem Germanis potiùs qvam Principi al-
terius nationis committi; qvod ſi in dubium
vocaretur, documentis bene multis ac gravit-
ſimis firmari poſſet, qvorum recitatione tamen
ipſa nos ſublevat experientia rerum omnium
magiſtra, ſi præſertim ea, qvæ pro hoc argu-
mento *poſit.29.* adduximus, repetantur. † Mul- 4
ta comprehendit verbis pauciſſimis *Comineus,*
inqviens: Etiamſi Princeps aliqvis externus
bene rem gerat & commodè gubernet, atta-
men qvia moribus & ingenio differt, nec eam
erga populum repræſentare poteſt benevolen-
tiam, ac ſi indigena eſſet, facilè inde oriuntur
diſſenſionum occaſiones, qvo fit, ut poſteà
pro defenſione Principatus ad ſe delati ſuo-
rumque fortunarum, militem & copias aliun-
de adducat, eorumqve præſidio ſe muniat, qvi
beneficiis deinde & honoribus ſingulariter ab
eo aucti magnam multitudinis invidiam &
odium in ſe concitant, *lib.8 comm. in fin.* † Non 5
modò hinc Veneti, qvi prudentiæ laudem ha-
bent, peregrinis in Reipublicæ adminiſtratio-
ne omnem præcluſam volunt viam, Patrit.
lib.3. tit.2. de Republ. inſtit. † Sed & aliæ gen- 6
tes à regimine exterorum penitùs abhorrent,
prout ſuo exemplo Hiſpani, Helvetii, Sveci,
Poloni & Belgæ teſtatum fecêre. † Nec abs 7
ratione qvi omnium legum fons & Legiſlato-
rum director habetur, DEVS ter Optimus
Maximus alterius gentis hominem, qvi frater
Iſraëlitarum non eſſet, in Regem ipſorum de-
ſignare prohibuit, *Deut 17. v.5.* ut proinde ne-
mo non multum periculi ſubeſſe crediderit, ſi,
qvod in qvovis Imperio ſummum eſt, regimen
nempe, extero deferatur. † At qvænam ſit lex 8
illa Imperii prohibitiva, cui obſervantiam
ſpondet omnium Coëlectorum nomine Suf-
fragator noſter, à multis hactenus qvæſitum,
nec tamen cognitum iis penitùs fuit. † Etſi
enim

Digitized by Google

enim omnem Aureæ Bullæ, qvæ ſingula qvæ-
qve in electione novi Regis Romanorum ob-
ſervanda exactiſſimè perſeqvitur, contextum
excuſſerimus, omnes periodos ac verba ſolli-
citudine ſummâ qvantumvis ruminaverimus,
nulla tamen, qvâ rei hujus prohibitio ſatis
commodè adſtrui poterit, ſuppeditabitur ſyl-
labâ. † An ergò Moguntinum Electorem le-
10 gem aliqvam, nullibi repertam, ſibi perſvade-
ri paſſum exiſtimabimus? Abſit: nec præſu-
mendum hoc de Archicancellario Imperii, cui
leges Germaniæ ignotæ eſſe non poſſunt, nec
debent. † Dubitationis igitur nubem qvo Po-
11 litici noſtrates diſcuterent, Legem ejuſmodi,
ne alius qvàm Germanus in Imperatorem eli-
gatur, ab Otthone I. promulgatam, Aureæ
Bullæ tamen haut inſertam, autumant, ex Hul-
det. Mut. *lib.14. Chronic. germ.* Dom. Arum.
tom.1. diſcurſ. Academ.6. Ioh Lima. *lib.2. jur.
publ.c.2.* † Sed cùm nec nos, nec alii legem il-
12 lam viderint vel legerint, vigori ſuo illam re-
linqvimus, nil certi interim de lege aliqva ſcri-
pta vel promulgatâ affirmantes; qvæ ſi exti-
tiſſet ulla, qvid opus fuiſſet moniti Proteſtan-
tium: † *Ne Romanorum Rex deſignetur ullus,
13 qui non ſit ex aliqvâ Germaniæ Principum fa-
miliâ progenitus*, apud Ioh. Sleidan. *lib.8. pag.*
223. Nec tamen fidem Archiepiſcopi Mogun-
tini ambiguam reddere præſumimus, qvam
ſatis vindicatam putamus, † ſi dixerimus qvod
14 res eſt, lege nimirum *Aureæ Bullæ*, verbis li-
cèt non expreſſis, tacitè tamen & haud obſcu-
rè prohiberi Electores faſces Imperii extero
deferre hoc ipſo, qvo juramento obſtringun-
tur † eligere talem, qvi ad ſceptra & guberna-
15 tionem ſit idoneus, *tit.2. Aureæ Bull.* nec enim
communi Politicorum voto extraneus qviſ-
qvam pro tali habetur, ut hinc Moguntinus
non abs re & legibus & jurejurando Septem-
viros ad hoc obſtringi dixerit, Sleidan. *dict.
lib.1.* † Cumqve Imperatorem Electores per
16 Legem Regiam ſive Capitulationem obliga-
tum voluerint, ne officia Imperii illuſtria aliis
qvàm Germanis committeret, veluti apparet
ex tenore legum Carolo V. præſcriptarum,
*verſ. Negotiis publicis præficiat non exteros, ve-
rùm Germanos ex Nobilitate delectos*, apud
Sleidan: *lib.1. hiſtor. pag.*29. qvod idem in ſub-
ſeqventium Impp. Capitulationibus legitur re-
peritum, apud Goldaſt. *in polit. Imper. pag.*12.
ſub Anno 1575. † ad parilem utiqve legem ſei-
17 pſos obſtrinxiſſe videntur. Et qvid multis! ſo-
la obſervantia de peregrino ad faſces Imperii
Germanici non admittendo, Moguntinum E-
lectorem tuetur, qvo minùs legem falsò al-
legâſſe dicatur, † poſtqvam obſervantia apud
18 ICtos inſtar legis eſt, ac pro lege habetur,
*arg. l. filius emancipatus, 54 ff. ad Leg. Cornel. de
falſ. l.6. ff. ad SCtum Syllan. l.3. C. de adſ. priv.*
Octav. Cacher. *conſil.2. num.10.* Alexand. *lib.4.
conſil* 117. *num.*10. † Nihil verò offendat nos,
19 qvòd olim admiſſi fuerint ad ſceptra Imperii
Alfonſus Caſtellæ Rex; Richardus Cornubiæ
Dux; & Edouardus Angliæ Rex, omnes ex-
teri: † Turbato ſiqvidem Imperij ſtatu id fa-

ctum, probè obſervavit Petr. Heig. *part.1 qveſt.
5. n.8. & 28.*

ADD. III.

Ad Limnai Enucleati. l.2.c.19. num.3. ex Carpzov. Diſp.3. Iurid. Polit. Hiſtor. Dogm.V. Autoritate non minimâ, qvin & Maieſtate ſplendent Septemviri ac Proceres in imperio univerſi.

NOn poteſt non hinc † ſplendor & au- 1
toritas Septemvirûm Sereniſſimorum
omnibus innoteſcere, qvi leges Imperatori
præſcribentes non modò majeſtatem realem
& ſibi & toti Imperio relictam atteſtantur: ſed
etiam poteſtatem Cæſaris certis conditionibus
temperantes, portionem aliqvam majeſtatis
perſonalis ſibi reſervant, † de qvâ & Ordines 2
ac Status Imperii participant univerſi: eam-
qve libertatis nomine indigitatam voluit in
voto ſuo Coëlectoribus expoſito Archiepi-
ſcopus Moguntinus, multùm de ejus conſer-
vatione ſollicitus: † *Illis namqve*, inqvit, *re-* 3
*gionibus à Franciſco Galliarum Rege oppreſſis,
an incolumem diu nobis libertatem noſtram fore
putatis?* Et rurſus: *Neque communem patriam
aliqvâ volet opprimi ſervitute, & de non trans-
ferendo Imperio, vel imminuendo iure ac liber-
tate noſtra fidem nobis dabit per iuſiurandum,*
Sleidan. *dict. lib.1. pag.20. & 22.* † à qvo nè la- 4
tum ungvem receſſit Saxoniæ Dux Fridericus:
Placere ſibi, in conclavi Electorali atteſtatus,
*ut Carolus Auſtriacus renuncietur Cæſar, verun-
tamen certis legibus, ut & Germaniæ ſua libertas
conſtet*, Sleidan. *ibid. pag 25. in fin.* † Vera li- 5
bertas, qvæ in ipſam evadit Majeſtatem, qvam
ſi qvis exactiùs noſſe cupiat, altâ diſcutiat
mente leges in Capitulatione Imperatori præ-
ſcriptas, ex qvibus de limitatâ ac Ordinibus
Imperii reſervatâ poteſtate ſatis informabitur:
Non etenim fas eſt † Cæſari, ſine Statuum Im- 6
perii vel ſaltem Electorum conſenſu ac volun-
tate de rebus Imperii cum exteris Principibus
fœdus inire: nec non Proceribus Imperii in-
conſultis intra vel extra Imperii fines bellum
ſuſcipere: non vectigalia indicere, nec leges
ferre univerſales, & qvæ ſunt alia Capitula-
tionis membra apud Sleidan *dict. loco pag.30.*
Thuan. *lib 2. hiſtor. fol.27.* Ioach. Cluten. *in
ſyllog. rer. qvotidian. concluſ.21.* † Participant 7
hinc ergò Status ac Principes Imperii de ſum-
mâ Imperatoris poteſtate, adeoqve & de ipsâ
Majeſtate, qvæ verè ac propriè accepta nihil
aliud eſt, qvam ſumma & perpetua poteſtas,
Clem. Timpler. *lib.3 polit. cap.1. qvæſt.1.* Bodin.
*lib.1. de Republ. cap.*8. Henr. Velſten *decad.8.
qvæſt. polit.*8. Dan. Otto *de maieſt. Imper. cap.2.*
† Non modò igitur in ſuis territoriis ac Prin- 8
cipatibus Ordines ac Proceres Imperii pote-
ſtate ingenti ſplendent, iura territorialia exer-
centes, qvorum intuitu vices Imperatoris ſu-
ſtinere, ejuſqve perſonam repræſentare cen-

ſentur, Andr. Knichen. *in priv. Elect. Saxon. de*
non provocand. verb. Ducum Saxon. cap. 1. Bor-
9 nit. *de maieſt. cap.* 14. † Sed & in totius Impe-
rii adminiſtratione poteſtatem ſtatuendi cum
Imperatore, adeoqve jus ſeſſuræ ac dicendæ
ſententiæ, tanqvam Optimates Reipublicę in
comitiis Imperii habent, majeſtatemqve exer-
cent Matth. Stephan. *de iuriſdict. libr.* 2. *p.* 1.
10 *cap.* 7. *nu* 1. † idqve vi legum fundamentalium
ac poteſtatis, non niſi certis conditionibus in
Imperatorem tranſlatæ: qvi enim habenas
Reipublicæ non niſi conditionaliter transfe-
runt, eam illi non ita transferre cenſentur, ut
omni ſe Imperio exuant, & qvicqvid poteſta-
11 tis habent, in alium transfundere velint; † Sed
(qvæ natura conditionis eſt) ſibi qvoqve par-
tem Imperii retinent, imprimis ſi qvæ ex con-
ditionibus adjectis impleta haut fuerit, Illuſtr.
Dux Saxon. *in orat. de german. Leg. Reg. habitâ*
in Academ. Salanâ. apud Goldaſt. *in polit. Im-*
12 *per. part.* 12. *pag* 615. † Exercitium hujus Ma-
jeſtatis ſi qvis exactiùs noſſe cupiat, adeat Co-
mitia, & qvi negotia Imperii gerantur ibidem,
perpendat: Experietur ſanè, omnia ibi non ſo-
lius Cæſaris nomine ac nutu, ſed univerſorum
Imperii Statuum conſenſu & autoritate peragi
& concludi, qvæ unqvam in Comitiis tractan-
13 tur & deciduntur: † Eoqve modo ac medio
& poteſtatem & majeſtatem unà cum Impera-
tore Status & Ordines exercent, vel ſola clau-
ſula de utriusqve partis conſenſu ac conven-
tione concepta ac ſingulis qvibuſcunqve Re-
ceſſibus Imperii annexa docente, Bernh. Ber-
tram *de Comit. th. ult.* Tob. Paurmeiſt. *de iu-*
riſdict. Imper. Roman lib. 1. *cap.* 4. *nu.* 39. *& ſeqq.*
14 † Quo & reſpicit illud Trajan. Boccalin. *in*
theſauro polit. lib 2. *diſcurſ.* 1. Und hat der Römiſche
Keyſer in Teutſchland kein *abſolutum imperium* / ſon-
dern regieret ſolches mehrentheils durch die Reichstäge/
Chriſt. Beiold. *de iuriſdict. Imper. Roman. quæſt.*
15 10. *& polit. lib.* 1. *cap.* 8. Hæc eſt libertas †
Principum Imperii, de qvo Moguntinus in
voto ſuo gloriatur, excellens ſanè, ac furſan
excellentior, ſi qvid ſpecialiter in cauſis con-
tra Principes Germaniæ ſuſceptis, eorumqve
vitam, famam ac bona concernentibus, ob-
16 ſervandum advertamus; † nec enim alibi illæ,
nec coram ſolo Imperatore, ſed aliis Principi-
bus Germaniæ aſſidentibus ventilari ac deci-
di debent, qvod judicium das Fürſten-Recht ap-
17 pellitari conſuevit, † de qvo videre eſt ſenten-
tiam Imperatoris Sigiſmundi *de Anno* 1517. *Con-*
ſtantiæ latam apud Lundorp. *tom.* 2. *actor. publi-*
cor. lib. 1. *tract.* 2. *pag.* 12. ejuſqve veſtigia Hiſto-
18 rici nobis paſſim reliqverunt, † veluti hinc in
legibus pacis inter Henricum IV. & Saxones
ſancitum, ut Imperator Duci Otthoni Duca-
tum Bajoariæ repoſcenti, intra anni ſpacium
juxta Principum juriſdictionem ſatisfaceret,
Monach. Herveld. *in chron. hiſt. germ. ſub anno*
19 1075. † Et cùm Henricus Leo vitricum ſuum
Bavariæ Ducem in jus traxerat, litem inter
eos conſilio Principum compoſitam, memi-
nit Aventin. *lib.* 6. *annal. Boiar.* Parili modo in
20 Curia Goſlariæ celebrata † Henrico Saxoniæ
Duci, judicio Principum Ducatum Bajoariæ
adjudicatum, ſcribit Ottho Friſingenſis *lib.* 2.
de geſtis Freder. I. cap. 10. Et Carolus IV. *Anno*
1353. Spiræ aſſidentibus Electoribus, Moganti-
no, Colonienſi & Palatino judicium exercuiſ-
ſe fertur, cujus ſententiam exhibet Autor in-
format. Donavverd. *part.* 1. *inter documenta,*
num. 13. † Idem controverſiam inter Palati- 21
num ac Bavarum de Electoratus dignitate in
Comitiis ac pleno Electorum conſeſſu exami-
navit ac decidit, apud Freher. *de legit. tut. cu-*
raque Palatin. ejuſdemqve mentionem fa-
ciunt paſſim Hiſtorici, licèt hodie id apud
multos oblivione ſepultum.

ADD. IV.

Ad Limnæi Enucleati l. 1. *c.* 11. *nu.* 2. *Carp-*
zov. Diſp. 4. *Iurid. Polit. Hiſt. Vindiciæ*
Iuridico-Politica. Theologorum Luthe-
ranorum ab Enormi crimine læſæ Ma-
ieſtatis, ex aſſerto Romani Pontificis
Antichriſtianiſmo, ipſis calumnioſè im-
putato ab ICtis Dillingenſibus.

Positio I.

CVrioſè nimis & arroganter ſæpiùs Prin- 1
cipes ac Reges de titulis & ſtemmatibus
contendunt: non abſqve urgenti ſuſpicione
ambitionis & vanitudinis, augurante *Ambro-*
ſio Spinolâ aurei velleris Eqvite & Legato Hi-
ſpanic. † qvi ab Ordinibus Belgicis interro- 2
gatus, cur Archiduces Auſtriæ multarum in
Belgio provinciarum inſignia retinerent? jure
id ipſos facere, *reſpondit*, eo quo Rex † Galliæ 3
ſe Regem Navarræ, Rex Hiſpaniæ Regem
Hieroſolymarum, & Britanniæ Rex ſe Regem
Franciæ iactaret, Domin. Baud. *de induc. belli*
Belgici lib. 2. *pag.* 94. Theodor. Hoping. *de iur.*
inſign. cap 22. *num.* 223. Nimirum † ſunt qvi- 4
dam Principes, qvi multis ſeſe exornant ti-
tulis, multiſqve ditionum nominibus ſibi ap-
plaudunt, ex qvibus forſan aliqvando Vxores
prodierunt, vel qvorum majores poſſeſſores
fuerunt, ſed poſſeſſione deturbati ſunt, vel ceſ-
ſione factâ, vel venditione eam in alios trans-
tulerunt, non alio fine, † qvàm ut generis ſui 5
nobilitatem commendent, vel jus in idea re-
tentum aliis perſvadeant, Petr. Gregor. Tho-
loſ. *lib* 6. *de Republ cap.* 11. *num.* 13. qvos jocosè
æqviparat Ioh. Limn. hoſpitibus Italiæ, † qvi 6
ut diverſoria ſua ſeu cauponas à peregrinanti-
bus magìs freqventari procurent, ferarum e-
xuvias vel januis vel aliis ædium eminentiori-
bus ſignis affigunt, qvaſi cupediorum, qvæ
intus teneant, certos indices, licèt retrò ali-
qvot annorum ſint rara ſpolia, carne iamdu-
dum in aliorum ſuccum & ſangvinem conver-
ſa, *lib.* 6. *iur. publ. cap.* 6. *n.* 41. Nonnulli † etiam,
ludente *Zach. Victor* cum Plautino milite cā- 7
pis Gurguſtidonis, Bombomachide, aliiſqùe
ſeſqvipedalibus titulis ſeipſos vexant, qvibus
in Vtopia, aliavè regione noctis vix locus, *de*
cauſ.

cauſ. exempt. Imper. concluſ. 31. Hoping. *dict. cap. 22. n. 224.*
II. Inane profectò oblectamentum, in qvo
8 † multum nominis, rei nihil, in ſolatium vel
ampliarum ditionum, vel nunqvam poſſeſſa-
rum, Principibus relinqvendum, perindè ut
pueris à blandis nutricibus crepundia dantur.
Hoping. dict. loc. Nolden. *de nobilit. cap. 21. n. 111.*
9 † cum æmuli fuit Pontifices, † qvi ut ha-
bentur ferè omnes, poſt Sergium ad Pontifi-
catum erecti, nomen mutavêre, qvo vel ob-
ſcuritas emendaretur cognominis, † qvod
10 Sergius ab illuſtri, ex qua originem trahebat,
familia *Os porci* obtinuit, Polydor. Vergil. *de
invent. rer. lib. 4. cap. 11. p. 295.* Rhodigin. *antiq.
11 lect. lib. 15. cap. 26. p. 980.* vel, qvod veriùs † ve-
ſtigiis inſiſteretur Petri, cujus nomen à Salva-
tore fuit immutatum, ex L'antipapeſſe de Flo-
rimond de Rœmond. *chap. 30. num. 4. pag. 278.*
Johan. Limn. *lib. 1. jur. publ. cap. 11. num. 66.* In
frequentia titulorum ſuperbire haud erubue-
12 runt, † qvibus tamen veritas magis obfuſcatur
qvàm manifeſtetur, ut cum faceto qvodam
Autore verè dixerimus: *Nuſqvam magis ſcena
& populo ſervitur quàm in titulis Papæ ubi, quò
plus pompæ & oſtentationis apparet, eò minus ſo-
13 lidæ veritatis ſubeſt.* De nomine † enim Ponti-
ficis vel Papæ ne qvicqvam dicatur, qvod An-
no demum Christi 600. ſub Juſtino Impera-
tore, & Hormiſda Pontifice aſſumptum, & vel
14 à † vocula πάππος, qvod avum ſignificat: vel
à *pappo*, carduorum flore, ſive à Scythico Iove
Pappæo, vel tandem à *papillis*, nobiliſſima &
delicatiſſima corporis parte, derivatum autu-
mat Simon Schardius *de elector. orig. cap. 6.* a-
pud Goldaſt. *in polit. imper. part. 1. pag. 52.* vel à
15 *Papæ*, dictione admirativa: † qvaſi admirabi-
lis ſit Papa in terris, ſecundum Ludov. Bolo. *in
addit. ad Cataldin. de Boncompagnis, in tract. de
16 poteſt. papæ num. 2.* & neſcio, qvibus † deriva-
tionibus, vel fanaticis potiùs alluſionibus ex-
perit, Tuſch. *pract. concluſ. lit. P. concluſ. 40. n.
1. tom. 6.* Nicol. Setarius *lib. 3. Mogunt. rer. notat.
17 52. pag. 369. & ſeqq.* illos ſaltem notatos † cupio
titulos, qvibus in luto ambitionis hærentes,
vel ad lapidem vanitatis impingunt, vel more
Mangonum, ex aureis catenis, torqvibus, bul-
lis, & neſcio qvibus crepundiis gloriuſculè
prærogativam mentiuntur.
III. Qvorſum enim Pontifex ſe profitetur
18 Servum ſervorum Dei? Qvo titulo † Grego-
rium Magnum primùm honorari, & ſucceſſo-
ribus formam humilitatis exemplo ſuo ob ſex-
ceptas, qvas à Longobardis paſſus erat, inju-
rias oſtendere voluiſſe, notavit Alb. Abbas Sta-
denſ. *in Chronicis, Anno Chriſti 1058. pag 177.
facie.* Polydor. Vergil. *lib. 8. cap. 1.* Iohan Bo-
din. *lib. 1. de Republ. cap. 9. pag. 105.* Gualther.
in chronol. eccl. polit. ſub anno 1590. Azor. *inſtit.
moral. lib. 5. cap. 34. verſ. qvedam alia &c. partis.*
19 Dixeris forſan, † titulum hunc mutuò ſumtum
ab Imperatore Juſtiniano, qvi ſe ultimum Dei
ſervum vocavit *in l. 1. pr. C. de offic. præfect. prætor.
Afric.* Reſtaur. Catald. *de Imper. q. 4. n. 2.* Qvod
20 ſi ita eſt, myſterii hoc ſubeſt, ut imperare † ma-
lint Pontifices, qvàm ſervire: honorari potiùs
addit.

qvàm honorare. Sint ergo verbotenus Servi
ſervorum, ſe ipſi tamen volunt eſſe Domini
Dominantium, ut benè animadvertit Iaſon *in
l. reſcripta. C. de precib. Imp. offer.* Et venuſtè pa-
riter † ac verè dicit Ioh. Fab. Papa verbis ſe pro- 21
fitetur Servum ſervorum de facto tamen ſe a-
dorari permittit, *in proœm. inſtit. verb. Auguſtus.*
Hoping *de inſign. lib. c. 22. n. 42.*
IV. Aliena ſanè eſt notatio hujus tituli ab
exoſculatione pedum Pontificis notoria: de
qva *in* † *ceremoniali Romana Eccleſia lib. 2. c. 3.* 22
legitur ſtatutum, ut omnes cujuſcunqve ſunt
dignitatis & præeminentiæ, cum primùm in
conſpectum Pontificis pervenerint, diſtanti-
bus ſpaciis, ter debeant ante illum genu flecte-
re, & in honorem Salvatoris noſtri, cujus vi-
ces in terris agit, ejus pedes oſculari. Imperator,
Reges, maximi Principes, Principum & poten-
tum Oratores prima vice ad oſculum manus
& oris recipiuntur, alii ad pedes tantum; Car-
dinales verò profundè ſe inclinant bis, & ter-
tiò flectunt genu, noviter venientes & dextrâ
manum ſub auriphrigio pluviali oſculantur. E-
piſcopi parati genu tantum; Imperatores, Re-
ges & maximi Principes manum & pedem, a-
lii pectus, brachium alii, humerum nonnulli,
qvod myſterio vacare haut creditur, Durand.
lib. 4. rational. Divin. offic. cap. 53. pag. 383. num. 13.
Iohan Limn. *lib. 2. jur. publ. cap. 2. num. 7.* Mo-
rem hunc oſculandi pedes † ſoli convenire 23
Pontifici, ſcribit Marta *de juriſdict. part. 1. cap.
46. num. 1.* & antiqvitus fuiſſe introductum ad
exemplum Magdalenæ, Salvatoris pedes oſcu-
lando ſuorum peccatorum veniam impetran-
tis, nec non † exemplo Caroli Magni Impera- 24
toris, Adriani Pontificis pedes oſculantis, & mul-
torum ſubſeqventium Imperatorum imitatio-
ne firmatum, atteſtatur Iohan. Azot. *inſt. moral.
lib. 5. cap. 45. circa fin. verſ. mos oſculandi pedes
&c.* Majol. *tom. 2. colloq. 6. pag. 484.* Polydor.
Vergil. *de invent. rer. lib. 4. cap. 13.* Ioſeph. Ste-
phan. *in tract. de ador. pedum Roman. pontif.* Qvē
honorem † etiam detrectare noluit Carolus V. 25
Imperator invictiſſimus Clementi VII. Papæ,
cujus pedes in conſpectu Regis Franciæ, Na-
varri, Ducis Sabaudiæ, pluriumqve aliorum
Principum ac Dominorum eſt exoſculatus, re-
ferente Marta *dict. part. 1. cap 18. nu. 20.* Qvin &
ſummi † Principes eò ſe adigi à Pontifice paſſi 26
fuerunt, ut nec in literis honorem hunc negle-
xerint, Epiſtolæ ejuſmodi verba præmittentes:
Poſt pedum oſcula beatorum. Qvam ſcribendi
formulam in omnibus Imperatorum ad Ro-
manum Pontificem literis jam inde à Ludo-
vico Bavaro ad ſua usqve tempora, reperiri,
dicit Iohan. Bodin. *lib. 1. de Republ. cap. 9. pag.
215. in fin.* Et in † literis Ferdinandi I. Impera- 27
toris ad Pontificem de anno 1559. talem repe-
riri ſubſcriptionem: *Ego manus ac pedes veſtræ
ſanctitatis deoſculor,* fidem facit idem Bodin.
dict. loc. pag. 216.
V. Itane Servum ſervorum honorare opor-
tet Principes ac Reges etiam invitos, † adeò 28
ut Papa qvandoqve indignatus fuerit Regi
Hiſpaniarum, propterea qvod ad ſe non miſe-
rit Legatos, qvi creato Pontifici adorationem

pro more exhibuiſſe, ex Guicciard. *lib.7.* refe-
29 rente Alber. Gentil. *de Legat. cap.7.* † Latet
hic anguis ſub herbâ: juſſus herilis ſub titu-
lo ſervili: vox mandantis ſub facto obtem-
perantis, & ſi cauſam hujus tituli qværiveri-
mus, ſuppeditabit fortè eam ſacra hiſtoria, dum
Noah. deſcribens filium ſuum Cham maledi-
cendo imprecatur, qvod futurus ſit ſervus
ſervorum fratribus ſuis, *Geneſ.9. v.25.* Theo-
dor. Reinking *de regim. ſecul. & eccleſ. lib.1.*
30 *claſſ.2.cap.4 num.58.* Converterunt † ſcilicet ita
Pontifices humilitatis veſtes in ambitionis ſto-
lam, vt non malè dixerit Cornel. Agrippa: *O-
mniũ admirabilium admirationem hoc vincere,
quod noſtri ſacerdotes iiſdem mediis ſe cœlum
poſſe aſcendere putant, quibus olim Lucifer cœlo
decidit*, Reinking *dict.cap.4.n.56.*

V I. Qvorſum titulus Beatiſſimi in Chriſto
31 Patris; qvo † Imperatores ac Reges in literis
Pontificem ſalutare conſueverunt, uti exem-
plo Caroli V. & Rudolphi II. Impp. firmat
Limn. *lib.4.jur.publ.cap.6.num.11.& 12.* Svaves
nutritorum blanditiæ, jucunda parentum me-
moria, dulce patris nomen; modò factum cor-
32 reſponderet? Sed vereor, † ne vox ſit Jacobi,
manus verò Eſau, *Geneſ.27 verſ 22.* Dicat in-
ctus Domini Fridericus Barbaroſſa, qvo amore
paterno Pontifex ipſum pedibus calcaverit, te-
terens illud Pſalmiſtæ: *Super aſpidem & baſi-
liſcum ambulabis.* Goldaſt. *in replica pro imper.
cap.13.* Cario *in chron.lib.5. in vit. Freder. Bar-*
33 *baroſſ.* Dreſſer. *in millenar.6. pag.356.* Dicat †
Henricus III. qvam affectionem paternam ſi-
bi exhibuerit Gregorius VII. Papa vitæ ſuæ
inſidiis ſtruendo, ex Benone Cardinale Auct.
34 *Bruti fulm.pag.9.in fin.& ſeqq.* Dicat † Henri-
cus VII. qvâ dilectione paterna, veneno in ho-
ſtiâ Euchariſticâ inſidiis Papæ fuerit ſublatus,
Goldaſt. *in dict.replic.pro imperio pag.13.* Dicat
35 Heinricus III. Gallorum Rex, † qvem ſenſe-
rit paternum amorem à Dominicano ſacrifi-
culo peremptus medicato cultro in viſcera e-
jus adacto, Marian. Jeſuita *lib.1.de reg.inſtit.cap.
6.pag.51.* Warem. ab Erenberg. *lib.1. de fœder.*
36 *cap.1 num.47.* Itanè factum † titulo correſpon-
det paterno? Hæccine patris in Chriſto bea-
tiſſimi dilectio? Ex qva populos etiam innu-
merabiles catervatim ad gehennam, ſecum tra-
hens Pontifex, nec rigoris ac ſeveritatis vult
inſimulari, nec à qvoqvam mortalium redar-
gui, qvi dicat, Domine Papa, qvid facis? *c.ſi
papa. diſtinct.40.*

37 V II. Qvorſum titulo † Principis Princi-
pum & Domini Dominantium inſigniri cupit
Pontifex? Bald. *lib.4.conſil.388.* Henn. Arniſ. *lib.
1.de jur.majeſt.cap 1. num.3.* ſcilicet ut poteſta-
tem in totius orbis terrarum Reges & Princi-
pes ſibi arroget abſolutam, Theodor. Hoeping.
in tract.de jur.inſign.cap 22. num.44. omneque
imperium à ſe tribui adimique probet, Marta
de juriſdict.part.1 cap.29.num.12. Theod. Rein-
king *de regim.ſecul.& eccleſ.lib.1.claſſ.2.cap.8.
num.24* Arniſ. *de jur.majeſt. lib.2. cap.6. num.1.*
38 Ambitioſum † hinc prodit Edictum Pontificis
adverſus Henricum IV. Imperatorem: *Toto
Regno Germaniæ atque Italiæ ei interdicõ, & o-
mnes Chriſtianos vinculo Sacramenti, quo ſe illi
obſtrinxerunt exſolvo, & ne quicquam ei ut Re-
gi obtemperet, veto*, Card. Sigon. *lib.9. hiſtor Ital.*
Cuſpinian. *in vita Henrici IV.* Faſtidioſa ad-
clara † hinc legiuntur verba in Bulla Sixti V. 39
Papæ adverſus Regem Navarrum & Princi-
pem Condenſem: *Quin etiam Proceres feuda-
tarios, Vaſallos, ſubditos & populos Regnorum,
Ducatuum, Principatuum, aliorumque dominio-
rum prædictorum, etiam alium ſuperiorem non
recognoſcentes, & cæteros omnes, qui illis quo-
modocunque juraverunt, à juramento hujusmo-
di ab omni prorſus dominio, fidelitatis & obſe-
quii debito perpetuo abſolutos eſſe, prout nos illos
omnes tam univerſim quam ſingulatim, authori-
tate præſentium abſolvimus ac liberamus, præci-
pimusque & interdicimus iis univerſis & ſingu-
lis, ne illis eorumque monitis, legibus & manda-
tis audiant obedire;* Qvæ verba recitat Marta
de juriſd.part.1.cap.29. num.12. Aut bruti ful-
min. *pag.195.* Gualther. *in Chronol. eccleſiaſt.
polit.ſub anno 1585.* Pari modo † Benedictus 40
XIII. Papa adverſus Ludovicum XII. Galliæ
Regem, qvi Patris patriæ nomen eſt adeptus,
publicis diplomatibus populum ad defectio-
nem ſollicitavit, & ſubjectis facibus inflamma-
re conatus fuit, Bodin. *lib.1.de Republ.cap.9.pag.
219.* Ita ſcilicet Pontifex vi hujus tituli ambi-
tioſi jus & facultatem Imperatorem Roma-
num aliosqve Reges ab Imperio & Regnis re-
movendi ſibi attribuit, † cujus partes hac in re 41
tuetur Jeſuita Joh. Azor. *inſt. moral. lib.10. cap.
8. verſ. ſecundò quæritur. & lib. 11. cap 5. verſ.
octavo quæritur. part.2.* ubi allegat hujus rationes,
Celeſtini Papæ contra Henr. VI. Imperat. refert
Lehemannus *in chron Spirenſib. lib.5.c.68.*

VIII. At qvo jure de hoc titulo gloriatur
Papa? Qvo jure hanc exercet poteſtatem? Lu-
dit & oblectatur † titulorum vanitate, conſcius 42
ſibi bene, qvod titulo prædonis eam obtinue-
rit, qvam Reges & Principes jure vendicarunt.
Non etenim heri hæc nudiusteriius, ſed jam
ante qvadringentos annos, inter Heroem ma-
gnanimum Fridericum I. Ænobarbum Impe-
ratorem & Hadrianum IV. Papam lis de ſuper
vehementiſſimè agitata, ac tandem † com- 43
muni Procerum Imperii conſenſu eſt definita,
Chriſtoph. Lehaman. *dict. lib.5. Chron. Spirenſ.
cap.68.* Ritterſhuſ. *in vitâ Freder.* generali
promulgatâ *Conſtitutione* Colon. à Ludovico
IV. in qvâ ſub pœnâ criminis læſæ Majeſtatis,
privationis feudi, dignitatum, juriſdictionum
& privilegiorum omnium ſeverè mandatum,
† ne qvis Imperium à Papa vel ei ſuppoſitum 44
arbitretur, cujus tenorem refert Albert. de Ro-
ſate *ad l. benè à Zenone. C.de quadr. præſcript.*
Müſter. *in Coſmograph lib.3.de german.pag.476.*
Frid. Hortled. *de cauſ. belli german. Caroli V. lib.
1. cap.41. pag 512* Aventin. *lib.7.annal.* Georg.
Koldeter ab Hoch *apud Freder. Achill. de prin-
cip.inter provinc. Europ. in Orat.contra Ital.pag.*
618. Defenſ. Pac. ad Imp. Ludov. *part.2.cap.3.&
4.* In Galliâ porrò † huic Pontificis temeritati 45
publico SCto obviam itum, teſtatur Johan.
Bodin. *lib.1.de Republ.cap.8.* ut qviſqvam ſcili-
cet Regiam poteſtatem ab arbitrio Pontificis

pendere

Digitized by Google

pendere dicat vel exiſtimet. Qvare Philippus
pulcher Rex Francorum, Bonifacio IIX. ſubie-
46 ctionem urgenti † in hæc reſpondit verba: *Sa-
lutem modicam ſive nullam: Sciat tua fatuitas
maxima, nos in temporalibus neminí ſubeſſe, ſe-
cus credentes fatuos reputamus & dementes,*
Hottom. *in bruto fulm. pag.77.* Petr. Syring.
de pace Relig. conclaſ.29. pag.59. Iohan. Limn.
lib.2.jur.publ.cap.11.num.21. Optimum reſpon-
ſum; qvo ſatis illuſit & titulo & poteſtati Pa-
47 pæ, qvam † nec Curiæ Pariſiorum agnoverunt,
decreto publico Diplomata papalia adverſus
Ludovicum XII. Galliæ Regem publicata la-
cerantes & concidentes; Iohan. Bodin. *dict.
lib.1.de Rep.cap.9.pag.219.*

IX. Et qvorſum tandem titulus Vicarii, qvo
48 non parùm ſuperbit Pontifex Romanus, † ſe-
qve Vicarium Chriſti jactitat, *cap. quanto, &
cap.ult.extr.de translat. prælator.cap.1. extr. ut
eccleſiaſtica benefic. cap. fundamenta, extr. de
elect.in 6to.cap.ad apoſtolica, extr. de re judic. in
6to. cap.1.extr. de homicid.in 6to.* Petr. Albin.
de pontif.poteſtat.§.divini numinis num.15. Petr.
à Monte *de primat.papa.num.7.* Iohan. Hieron.
Alban. *de poteſt. papa part.1. per tot.* Iohan. à
Capiſtr. *de autor.pap part.3 ſecund.part. pr.n.5.*
Catald. de Boncompagn. *in tract.de poteſt. pa-
pa, in prial. num.14.* nempe ut parem ſe conſti-
tuat Chriſto Salvatori, & divinæ majeſtatis fa-
ciat participem, Petr. à Monte, & Catald. de
49 Boncompagn. *dict.loc.* † Sed priusqvam hoc
nobis perſvadeat, perſonam ſuam legitimare,
& ſpeciale mandatum exhibere neceſſum ha-
bet: nec enim Vicario fides habetur priusqvam
oſtenderit mandatum, qvantâvis etiam digni-
tate præcellat, *l.1. C.de mandat. princip.* Bald.
in l.aliqvando. ff.de offic. proconſ. Gerlac. Bux-
dorff. *in diſſert.ad Aur.Bull.concl.71.* Rutg. Ru-
land. *de commiſſ.part.1.lib.3.cap.2.nu.14.& ſeqq.*
Qvod cum hactenus factum haud fuerit, falsò
gloriatur de hoc titulo Pontifex.

50 X. Et nonnè † Vicarius Petri ſalutatur ab
Imperatore Ludovico, in *cap. Ego Ludovicus,
diſtinct 63.* qvando ait: *Ego Imperator ſtatuo &
concedo per hoc pactum confirmationis noſtræ ti-
bi, Beato Petro Principi Apoſtolorum & per te
Vicario tuo, Domino Paſchali ſummo Pontifici
51 &c.* quem titulum agnovit & probavit † Ni-
colaus Papa in Epiſtola ad Michaelem Impe-
ratorem hiſce verbis: *Non quales Sacerdotes
Domini ſint, ſed quid de Domino loquantur, eſt
vobis magnoperè prævidendum: nec in Vicarius
Beati Petri Apoſtoli eſt vobis attendendum, &c.
in can. non quales 1.quæſt.1.* & Gregorius *lib.6.
Epiſt.31* in verb. *Atque promitto tibi & per te
Sancto Petro Apoſtolorum Principi, atque ejus
Vicario, beatiſſimo Gregorio & ſucceſſoribus ip-
ſius, c.juvenes. 1.quæſt.7.* Vicarius † verò Vica-
52 rium conſtituere haut valet, ut expreſsè idem
ſancivit Pontifex *in cap. clericos. extr. de offic.
vicar.* Rebuff. *in pract.canonica. in verb. Forma
Vicariatus num.15.* Bald. *in margarita Innocen-
tiana in verb. Vicarius.* Immola *in Clement.1.n.19.
& 22. de offic. Vicarii.* Ex qvo ergo Papa Pe-
trum Chriſti Vicarium aſſerit *c.ita dominus. di-
ſtinct.19.c.in novo.diſt.21.* non poteſt ipſemet ſi-
bi hunc titulum arrogare.

XI. Titulis hiſce oblectantur Pontifices, † 53
perinde ut pueri crepundiis, ambitioni pariter
& vanitatibus multum dediti. Qvos omnes ſi
arte chymicâ ad qvintam eſſentiam redigere
velis, vereor ne in fumum abeant, ſpumâ An-
tichriſtianiſmi in fundo teſtæ relictâ: ex qvâ
tandem per medium diſtillationis producitur
titulus Antichriſti. Hunc † eqvidem non abſ- 54
qve crimine læſæ majeſtatis attribui Papæ, cla-
mitant pleno ore pontificii, Reosqve ſolùm
Vulcano litandos, ſed etiam bona ipſorum ſine
ſententiâ privativâ in publicum redigenda, au-
ribus Impp. inſuſurrant, Matt. Beuckend. *ad l.2.
ff.de Reg. jur. pag.812.* Qvorum ſunt † hodie 55
antesignani ICti Dillingenſes *in compoſ. pac. c.
11. q.83.* qvi Theologos Lutheranos ob aſſer-
tum Papæ antichriſtianiſmum ceu criminis
læſæ majeſtatis Reos, poteſtate Imperatoriâ
coerceri; publicis edictis ac proſcriptionibus
profligari & capitali ſupplicio puniri expetunt,
dict.q.83.§.159.161 162.& 163. Sed nimis † præci- 56
pitanter agunt, ſententiamqve ſerunt rigoro-
ſam parte adverſâ nondum auditâ, pro more
ſcilicet Ieſuitarum, qvi in ſchola ſua diſputare
norunt per ſyllogiſmos ex igne, aqvâ & là-
queo confectos, qvi fortiùs qvàm qvi primæ
dicuntur figuræ, concludunt, & ubi mors ne-
ceſſariò ingreditur concluſionem, ut loqvitur
Georg. Frider. Limp. Baro apud Frider. Achill.
*in conſultat.de princip inter prov.Europ. in Orat.
contra Hiſpan.* Non ergò † in hâc ſententiâ 57
acqvieſcendum, nec ipſorum deciſio, veluti
ex Apollinari tripode dicto ſine ulteriori inda-
gine & ſub pœna ſilentii credendum; qvin po-
tiùs ineptè, impiè ac minus juridicè criminis
læſæ majeſtatis inſimulari Theologos Luthe-
ranos ex aſſerto Romani Pontificis Antichri-
ſtianiſmo, probatum dabimus. In † qvo ne con- 58
fusè & ſine ordine procedamus, formabimus
(1.) certum controverſiæ hujus ſtatum. (2.)
Proferemus fundamenta pro impugnanda Dil-
lingenſium aſſertione. (3.) Eorundem ratio-
nes refutabimus. (4.) Dogma de Papa Anti-
chriſto pacificationi Religioſæ incluſum. (5.)
Ac tandem Imperatorem Sedis Romanæ &
Eccleſiæ Defenſorem hoc dogmate neqva-
qvam offendi, demonſtrabimus: Qvinqve
hiſce capitibus, auxiliante Ieſu Chriſto vero
capite Eccleſiæ, controverſiam hancce deter-
minantes.

CAP. I.

Qvisnam controverſiæ hujus ſtatus?

INiqvè & contra juris regulas, formamque 1
proceſſus agunt ICti Dillingenſes, qvod
ante veram controverſiæ determinationem,
Cæſareæ Majeſtati totique Imperio perſva-
dere velint; in cauſâ præſenti criminis læſæ
majeſtatis ex aſſerto Papæ antichriſtianiſ-
mo, citra ulteriorem cauſæ cognitionem
adverſus Lutheranos ceu criminis hujus
Reos ab executione procedendum eſſe; Ita

namqve † ſcribunt in compoſit. pacis *cap.11.*
quaſt.83.§.159 pag.633. *Siqvidem hæ ipſa notoriæ*
calumniæ ſunt,& læſæ majeſtatis crimina adver-
ſus Apoſtolicam ſedem, Cæſarem & Principes
catholicos,à quibus Lutheranos prædicantes coër-
cendos eſſe. Item §.161.pag.635. *Quia non conſe-*
batur id pertinere ad fidei aliquam controver-
ſiam, quæ in concilio Epiſcoporum definienda;
Sed notoria calumnia, quæ abſque ullâ indagine
per Imperatoriam poteſtatem mox coercenda eſ-
ſet. Rurſus §.162.pag.653. *Illorum inſaniam præ-*
ſtare publicis edictis ac proſcriptionibus coërce-
re. §.163.pag.636. *Nos in † hâc ſententiâ ſumus:*
3 *non libris aut ſcriptis, ſed auctoritate ac publica po-*
teſtatis autoritate profliganda eſſe. Item §.638.
apparet, quod prædicantes, qui talia ſcribunt &
publicè edunt, eò veſaniæ devenerunt, ut in Sacro
Romano Imperio tolerandi non ſint. §.64. *Tales*
injurioſas blaſphemias & blaſphemas injurias no-
biliſsimo Cæſaris ſupremi Advocati Eccleſiæ offi-
cio coërcere poſtulant catholici: ac tandem pag.
4 635. † *Scire debent prædicantes, ſcripta ſua in*
lucem publicam edita de Papa Romano Anti-
chriſto, aliud non eſſe, quam famoſos & contume-
lioſos libellos ſparſos adverſus duas ſupremas po-
teſtates, Romanum Pontificem ac Cæſarem, imò
adverſus omnes Electores, Principes & cujuſcun-
que ordinis catholicos, ejuſmodi ſcripta, qui im-
primunt, edunt, vendunt, retinent ac inventa non
lacerant, capitali pœnâ plectendi eſſent,&c. No-
5 lunt † ſanè Dillingentes inculpationis ſuæ ra-
tiones reddere, nec crimen læſæ majeſtatis
probare, ſed omnibus eò intendunt viribus, ut
pœnam luant Rei criminis nondum confeſſi
nec convicti. An ignorant forſan, proceſſum
6 capitalem † neqvaqvam ab executione eſſe in-
choandum? nec qvemqvam condemnandum,
priusqvam de crimine convictus vel ſponte
confeſſus fuerit? *c.1.c.primates.2.quæſt.1.l.qui*
ſententiam, C.de pœn. Hippol. de Marſil. *in*
pract.crimin.§.ſecunda quæſtio, num.1. Anton.
Gomez. *tom.3.var.reſolut.cap.12. num 3.* Brun.
à Sole *in conſil.crimin.num.202.* Gandin *in tit.*
de praeſ.& reder. in dub. num 2. Nam iuſcii,† ne-
7 mini Reorum defenſionem eſſe denegandam,
qvippe qvæ in jure naturali fundata, ne beſtiis
qvidem, nedum hominibus, nec diabolo au-
ferri debet, *l.2.[illegible]. ubi* Iaſon *num.17.l.1. §.*
cùm arietes ff ſi quadr. pauper. feciſſe dicat. l.
ſcientiam 45. §. qui cum aliter. ff. ad leg. Aquil.
l.1. ubi Bald. *nu.18. C. unde vi.* Hippol. de Mar-
ſil. *in l.48. §.cognitionem num.47. ff de quæſt.*
Cæpoll. *conſil.crimin.44 num 4. & conſil.66.*
8 *num.3.* An etiam ignotum ipſis, † in cauſis ca-
pitalibus contra Reum neg.utem non eſſe pœ-
nam decernendam, ſi non criminis probatio
luce meridianâ clarior præceſſerit? *l.abſentem*
ff.de pœn.l.ult.C.de probat. Iul.Clar. *lib 5. ſen-*
tent.§.ult.quæſt.63.num.9. & ſeqq. Ioach. Myn-
ſing. *cent.5.obſervat.33.* Andr. Gail. *lib.1. obſer-*
vat.108.n.13. Neutrum certè de ICtis eſt præ-
ſumendum.
9 XIII. Ajunt equidem, † crimen hoc eſſe
notorium in ſuprà allegato §.161.pag.635.*verſ.*
ſed notoria calumnia, quæ abſque ullâ indagine
per Imperatoriam poteſtatem mox coercenda eſ-
ſet. Qvo in caſu ordo juris non ſervatur, *cap.*
pervenit, extr. de jurejur. Iul.Clar. *in pract.q.9.*
in pr. Conrad. *in pract.tit.de tot. crim.n.1.* Foller.
in pract.crim. verb. item quod commiſit crimen
notorium.n.1 Proſp.Farin. *in prax. crimin. lib.1.*
tit.3.q.21. n.60. Anton. Gomez. *in tit. de delict.*
cap.1.n.42 † neqve in notoriis expedit cogno- 10
ſcere, vel ſententiam proferre, ſed exſeqvi vel
punire, *c.de manifeſta & c.manifeſta.2.quæſt.1.*
Dec.*conſ.544.n.6.* Andr.Gail. *libr.1.obſervat nu.*
39.præſertim ſi pœna tendat ad vindictam Rei-
publicæ, vel qvando ratione officii publici qvis
patiatur injuriam, Rol.à Vall. *vol. 2.conſ.48.* ve-
luti hoc declarat Gail exemplo injuriæ judici
factæ; qvàm ipſemet vindicare poteſt, *dict. ob-*
ſervat.39. nu.4. Sed fraudulenter † contra ſuæ 11
conſcientiæ dictamen, & notoriam veritatem,
Dillingani crimen hoc notorium proclamant:
Cum de jure id verè notorium dicatur, qvod
ex actis & probatione teſtium reſultat, *cap.cum*
olim extr.de V.S. cap. cum olim ſignificavit, &
cap ſignificavit.extr.de teſtib.l.ult. C.de probat.
Iacob.Menoch. *de recuper. poſſeſſ. Remed.15.nu.*
265. Aym.Cravett. *conſ.121.n.2.& 3.* Farin. *dict.*
quæſt.21.n 14. & 22. ubi plures adducit autori-
tates,& ampliationibus hoc benè firmat. Nec
† conceſſerimus, in notoriis ita tumultuariè 12
& celeriter procedendum eſſe, ut nec Reus au-
diri, nec defenſionibus ſuis admitti debeat,
qvod ſi fieret, proceſſus procul-dubio nullus
erit, *c.primates, c.notum, c.primo ſemper, 2.quæſt.*
1. Hippol.de Marſil. *in Rubr. ff. ad leg. Corn. de*
falſ.n.49.& ſeqq. Rol à Valle *vol.3.conſil.53 nu.*
34.& ſeqq. † Etſi omninò in notoriis abſqve 13
ullo juris ordine & ſolennibus ad dictamen &
executionem pœnæ properandum eſſet, ut qvi-
dam autumant, *ex c.manifeſta.c quæ Lotharius*
Rex. c.de manifeſta. 2. quæſt.1. Angel. Aretin.
de maleſic. verb.etiam per modum notorii. Mar-
ſil. *in pract. §.ex unicanda nu.5 & ſeqq.* Gram.
deciſ.36.num.50 & ſeqq. de ſolo tamen noto-
rio facti id foret accipiendum, non de † no- 14
torio juris, qvando dubitatur an factum com-
miſſum pro crimine haberi debeat, veluti
hoc explicat Clar. *in pract quæſt.9 num.5.* ut
verè dixerit Conrad notorium propriè & ſtri-
ctè ſumendo illud eſſe, qvod eſt notorium
facti; qvod autem juris, eſt, impropriè eſ-
ſe notorium, *in pract dict.tit.de not. crim.n.8.*
poſt. Anton.de Butr. *in tract.de noter.art.2.n.31.*
XIV. Caveat ergo judex † ne aſſerat deli- 15
ctum notorium, cum non ſit, multa enim di-
cuntur notoria, qvæ non ſunt, *inquit* Iul.Clar.
dict.quæſt.9.nu.5.circa fin. Caveant hinc etiam
ICti Dilligenſes, ne crimen læſæ majeſtatis per
aſſertionem Pontificis antichriſtiani, commiſ-
ſum, dicant notorium, cum † jam ſub judice 16
lis ſit, an aſſertio hæc crimen læſæ majeſtatis
inferat? Qvod equidem Dillingani affirmant,
nos verò conſtanter negamus, & qvàm ſini-
ſtrè, falsò ac calumnioſè hoc noſtratibus im-
putetur, ad oculum demonſtrabimus. Ne
verò confuſè id fiat, nec verus controver-
ſiæ ſtatus in dubio ac incerto relinqvatur, mo-
nitum velimus † *Primò*: Nos ſaltem Theo- 17
logorum Lutheranorum partes jam agere,
corum-

Digitized by Google

eorumqve defenſionem ſuſcipere. Non eqvi-
dem inficiamur, haut ſolos Theologos, verùm
alios etiam intelligentes ac Religionis aman-
tes homines in noſtris Eccleſiis Papam cre-
dere Antichriſtum, adeoqve & illos hac ca-
lumniâ notari & criminis læſæ majeſtatis fal-
ſò inſimulari. Attamen cum Dillingenſes
omnem culpam in ſolos prædicantes (qvo no-
18 mine † Theologos Lutheranos contemptim
notatos volunt, qvos tamen hoc ipſo præter
intentionem ſuam, officio Chriſti & Apoſto-
lorum ſummoq; honore inviti dignantur trāſ-
ferant, eoſqve ſolos ceu Reos læſæ majeſtatis
accuſent, *dict. quæſt* 83 *§.*150. *pag.*625. ibi, *Rectè
etiam Catholici quidam Theologi Lutheranis
prædicantibus obiecerunt, eſſe hoc læſa maieſtatis
crimen, ſi Papam Antichriſtum appellent, &c.*
Et poſtea pag.626. *Atqui id agunt Prædicantes
Lutherani, quando ſedem Apoſtolicam Roma-
nam Antichriſti eſſe volunt, & impium ac ſacri-
legum iuramentum, quo Romanus Imperator, E-
lectores, aliique Principes Eccleſiaſtici ſe Ponti-
fici & ſedi Romanæ obſtringunt,* §.149. pag.625.
ibi: *Si Lutherani prædicantes Papam Antichri-
ſtum eſſe contendunt.* Et §.159. pag.633. in Rubr.
*Quibus rationibus Lutherani Prædicantes oſten-
dere conentur non eſſe iniuriam æſtimandā, ſi ipſi
Papam Antichriſtum vocent,* ac paſſim *in dict.*
19 *qu.*83. utriq; & hiſce † in terminis acqvieſcemus,
noſtraqve tela ultra offenſionem haud dirige-
mus, ne iniqvi cenſores videamur & defenſio
20 noſtra excedat offenſionem † contra naturam
correlativorum, qvorum in omnibus eadem
debet eſſe forma, lex & ratio, Ripa *in l ſi pla-
gii,* 123. *n.*11. *ff. de verb. obligat.* Alexand. *lib.*5.
*conſ.*131 *n.*2. Nicol. Boër. *deciſ.*48. *n.*3.

XV. *Secundò:* Non parùm confundunt
ICti Dillingenſes delictum injuriarum cum
21 crimine læſæ majeſtatis. Mox enim Theolo-
gos Lutheranos ex aſſerto Pontificis Antichri-
ſtianiſmo, injuriarum accuſant, & qvidem
majori ex parte eò tendunt, qvo ipſos hoc
nomine convincere qveant, prout manifeſtum
reddit initium ac titulus qvæſtionis 83. §.118.
pag. 601. ibi: *Eſtne iniuria & contumelia inſi-
gnis adverſus Apoſtolicam Romanam ſedem, re-
dundans in ipſum Romanum Imperatorem, &
Ordines Imperii catholicos, quando prædicantes
Lutherani Papam Antichriſtum eſſe clamitant,*
& §.119. in eadem pag. *Lutherani prædicantes
editis libris demonſtrare conantur, nullam hanc
iniuriam eſſe.* Nec non deciſio qvæſtionis, §.
149. *pag.*823. ibi: *Ad quæſtionem initio propoſi-
tam reſpondemus, eſſe haud dubiè inſignem in-
iuriam & contumeliam adverſus Apoſtolicam
Romanam ſedem, quæ redundet in Romanum
Imperatorem & Ordines Imperii catholicos, ſi
Lutherani prædicantes Papam Antichriſtum
22 *eſſe contendant, &c.* Mox † verò Dillingenſes
ex eodem fundamento Lutheranos læſæ Ma-
jeſtatis Reos proclamant, *in* §.150. *pag* 625.
verb: *Rectè etiam catholici quidam Theologi
Lutheranis Prædicantibus obiecerunt, eſſe hoc
læſæ maieſtatis crimen, ſi Papam Antichriſtum
appellent.* Et pag 626. in verb. *Negari tamen non
poteſt, longè gravius & magis indubitatum eſſe
additi.*

læſa maieſtatis atque rebellionis crimen, &c.
Mox † utramque conjungunt accuſationem 23
§.165. *pag.*640. ibi: *Sed petimus iudicialiter de-
clarari, eſſe hanc notoriam & inſignem iniuriam
ac læſa maieſtatis crimen, à prædicantibus illis
per libros editos commiſſum.* Ita ſcilicet confusè
agunt, ac ſi unum & idem eſſe crimen injuria-
rum & læſæ majeſtatis, qvæ † duo tamen to- 24
tò cœlo ab invicem diſtant, ut notum eſt e-
tiam tyronibus juris, & ſaltem ex pœnis di-
verſis horum delictorum perſpectiſſimum; Nō
ſolùm enim in crimine Majeſtatis Reus vitâ,
† ſed etiam bonis periclitatur, qvæ confiſca- 25
tioni ſunt obnoxia, *l.*5. *C. ad leg. Iul. Maieſt. l.
ult. ff. eod. l.*5. *l.*6. *l.*7. *& l. ult. C. eod. tit. l.*1. *C. de
bon. libertor. Aur. Bull. Caroli IV. Imp. tit.*24.
*Ordin. crimin. Caroli V. Imp. art.*218. qvin &
liberos † infamia paterna comitatur, *dict. l* 5. 26
Injuriarum verò pœna duntaxat eſt arbitraria,
nec facilè cuiqvam † ob injurias etiam atro-
ciſſimas ſupplicium mortis irrogandum, dixi- 27
mus poſt Dan. Moller. *ad Conſt. Elect* 43. *num.*
2. *in Practicâ criminali, part* 2. *quæſt.*94. *num.*
48. Qvò ergò hanc evitemus confuſionem,
maneamus in terminis læſæ majeſtatis, ſepo-
ſito jam delicto injuriarum, qvamvis nec † 28
hoc Lutheranis ullo jure imputari qveat, prout
jamdudum edocuit & clariſſimum fecit D. Ni-
colaus Hunnius, in tractatu, cuius inſcriptio
eſt: *Neceſſaria depulſio duarum graviſſimarum
accuſationum, quibus Ieſuita Auguſtanæ Con-
feſſionis Eccleſias calumnioſè onerare non erube-
ſcunt. I. ac ſi Papam dicendo Antichriſtum, Ro-
manum Imperium, Cæſaream Maieſtatem cæ-
teroſque Status catholicos iniuriâ afficerent, II.
Solennem Religionis pacificationem violarent,* in
lucem edita à D. Wilhelmo Lyſero, & in tra-
ctatu apologetico ſub titulo: *Innocentia Lu-
theranorum, in puncto injuriarum ex aſſerto Ro-
mani Pontificis Antichriſtianiſmo, in Romanum
Imperium, Imperatorem ac Status catholicos re-
dundantium, nec non violatæ pacificationis Re-
ligioſæ, contra ICtos Dillingenſes & Ieſuitam
Adamum Tannerum* Anno 1631. edita, qvo le-
ctorem remittimus, nec enim ipſius tradita &
argumenta hìc repetere placet, nec facibus
Solem adjuvare, qvod ſupervacui impendii &
laboris eſſe, Anacletus Pontifex ſcripſit *in c. ſi
omnia,* 6. *quæſt.*1.

XVI. Tertiò: Diſtinctæ porrò † ſunt 29
qvæſtiones neqvaqvam confundendæ: *An
Pontifex Romanus ſit Antichriſtus?* Et *an pro-
nunciatum de Papa antichriſto, inferat crimen
læſa majeſtatis?* Prior eſt theologica, & fidem
non qvidem ſalvificam ſed hiſtoricam concer-
nit, atqve ex ſacro Codice decidenda: Poſte-
rior verò Juridica, ex legibus & fundamentis
juris definienda. Ne ergò † falcem noſtram in 30
alienam meſſem mittamus, nec mixturam cau-
ſemur theologico-juridicam, ſepoſitâ priori,
ratione inſtituti noſtri in ſolâ poſteriore ſubſi-
ſtimus, committentes illam theologis, qvi de
hâc fusè ſcripſerunt: Et † qvidem *B. Lutherus*
poſt Huſſum, Papam primò ſalutavit Anti- 31
chriſtum; Poſtea ex ungue Leonem cogno-
ſcens, magnum dixit Antichriſtum Anno 1520.

in lib. vom Papſtthumb zu Rom / *tom.1.germ. Ienenſ.*
*fol.*178. cujus aſſertionis veritatem multis pro-
batam dederunt Theologi Lutherani, Geor-
gius Nigrinus, Ægidius Hunnius, Heilbrun-
nerus, Mylius, Zeæmannus, Thummius, D.
Hoë, & Calviniani Dannæus, Lubbertus, Wi-
32 tackerus, Iunius, aliique complures, & † tandē
Theologi Saxonici *in vindiciis pupillæ Evang.*
cap.96. Ob in der heiligen Schrifft gemeſſ ſey / wann der
Pabſt zu Rom der Antichriſt genennet wird. Et ſuppe-
ditat Auguſtana Confeſſio notas aliqvot Anti-
chriſti, qvæ ſi Papæ adoptentur, cuivis obviam
erit conſeqventia infallibilis, qvam Scholæ
Theologorum relinqvimus.

33 XVII. Inſignem tamen † circa notas An-
tichriſti impudentiam ICtorum Dillingenſium
ſilentio hic præterire nolumus, dum contra
propriam conſcientiam & ipſiſſimam verita-
tem ſcribere haut erubeſcant, dogmata qvæ-
c. dam de Romani Pontificis poteſtate, cum
mendacii ac falſationis crimine à Lutheranis
proferri, & catholicis autoribus imputari, qvę
tamen apud Romanæ fidei Doctores ſint inau-
dita, eaqve paſſim referri ajunt in ſcripto; cu-
jus titulus eſt: Gründliche Ausführung der Urſachen/
warumb die Chur und Fürſten / auch andere Stände der
Augſpurgiſchen *Confeſſion* / den Pabſts *Py* IV. ausge-
ſchrieben vermeyntes *concilium*. ſo er gegen *Trident* ange-
34 ſetzet / nicht beſuchen können. Qvàm † verè hoc dixe-
rint Dillingani, paucis videbimus. Falſum eſſe,
inqviunt, pronunciatum & à nullo Doctorum
catholicorum aſſertum *in qvæſt.38. §.145. pag.*
619. qvod Papa immutet rerum naturam, ſub-
ſtantialia unius rei applicando alii. Der Pabſt die
Creaturen zu endern / und eine *ſubſtantz* und Weſen
35 mit dem andern *appliciren* und vereinigen. Audiant, †
qvæſo, Dillingenſes verba Petri Albiniani
Tretii *in tractatu*, qvem aureum appellant. *de*
Pontificia poteſtate, ſcripto ad Clementem VII.
*Pontificem §. Divini numinis, num.*16. ibi: *Unde*
dicitur (ſcilicet Papa) Eccleſiæ arbitrium, l. 1.
in fin. C. de ſumm. Trinit. & fid. cathol. & ideò
etiam immutat ſubſtantialia unius rei, applican-
do alii. Et paulò pòſt: *Item de injuſtitia poteſt*
facere juſtitiam, corrigendo jura & illa immu-
tando, c. ut debitus, de appellat. c. non debet, de
conſ. & affinit. & plenitudinem obtinet poteſtatis,
36 *c. decreto.2.q.1.* Audiant † qvoqve verba Ca-
taldini de Boncompagnis, in ſcripto *de pote-*
ſtate Papæ ad inclitam Civitatem Ferrariæ de
anno 1488. *§. nec mirum, num.*81. ibi: *Ipſe ſolus*
poteſt, facere de aliqvo aliud. Falſo qvoqve
catholicis imputari ajunt, *dict. pag.*619. pro-
nunciatum: Qvod Papa poſſit aliqvid de ni-
hilo facere, Der Pabſt kan aus nichts etwas machen
adduntque teſtes ſunt omnes catholici, talia
inaudita eſſe apud Romanæ orthodoxæ fidei
Doctores, Vel citent auctorem, librum, caput,
in qvo hæc & ſimilia, qvæ per impoſturam
37 afferunt, legi poſſunt. † Poſtulato huic ut oc-
curram, cito & allego prædictos autores ca-
tholicos, nempe Petrum Albianum Tretium,
dict. tract. aur. de pontificia poteſt. § divini nu-
*minis, num.*16. ibi: *Et de nullo poteſt facere ali-*
qvid &c. Et Cataldin. de Boncompagnis *dict.*
§. nec mirum, num. 81. in verb. *Ipſe enim ſolus*
(Papa) poteſt de nihilo aliqvid facere &c. † 38
Idem judicant Dillingenſes de pronunciato:
Qvod Papa ſit omnia & ſuper omnia: Et rurſus
*pag.*620. *Qvod Papa poſſit omnia, qvæ Deus facit.*
Aſt ſi dubitent aut neſciant, num catholici
unqvam id ſtatuerint, † aures præbeant ſcri- 39
pto dicti Petri Albiniani Tretii *in loco allegato,*
*nu.*14. ibi: *In omnibus & per omnia poteſt Pa-*
pa dicere & facere qvicqvid placet, auferendo
jus ſuum, cui voluerit, qvia nemo eſt, qui ei di-
cere poſſit: Cur ita facis? & num.15. *Nam apud*
eum eſt pro ratione voluntas; It: *non habet ſupe-*
riorem: Et ipſe eſt ſuper omnes. Rurſus *num.*11.
Ideò bene dici poteſt de iure *Papam penè om-*
nia poſſe, qvæ Deus poteſt, excepto peccato. Obji-
ciunt porrò † Dillingani, dicterium falsò ca- 40
tholicis imputatum: Qvod Papa ſit Deus. Sed
legant quæſò Ludo. Bolo. *in addit. ad Catald.*
*de Boncompagn. num.*2. ibi: *Papa dicitur ſtupor*
mundi, quia nec Deus eſt nec homo, ſed eſt u-
trumque. Iohan. à Capiſtrano *de authoritate*
*Papæ & concilii. part.3. ſecund. part. princ. num.*1.
Papa eſt Deus in terris &c. num.3. *Papæ igitur*
tanqvam Chriſto flectatur omne genu, & num.6.
ipſe Sponſus Eccleſiæ dicitur, Iohan. Hieron.
Alban Cardinal. *in tract. de poteſtate Papæ. in*
*præfat. n.*22. ubi: *Papa canonicè electus eſt Deus*
in terris. Et *part.1. n.*169. verb. *Qvid ergo dicent*
illi, qvi Papam, qui Chriſtus domini eſt, depoſi
poſſe perhibent. Quo † & facit, qvod Papa à ca- 41
tholicis ponatur fidei fundamentum, ut videre
eſt ex verbis modò allegati Iohan. Hieron Al-
ban. *part.3. num.*71. Hunc Principem Epiſco-
porum (Papam) maximi Viri ita venerati ſunt
ut Hieronymus ille unus omnium doctiſſimus
pariter & ſanctiſſimus, fidem apud illum ſuam
profeſſus, ſcriptum relinqvere non erubuerit:
Hæc eſt fides mea, Papa beatiſſime in quâ ſi quid
erro, cupio abs te emendari. Et poſtea: *Papam*
Ambroſius fidei firmamentum appellare non du-
bitavit. Pergunt † Dillingenſes & falsò catho- 42
licis imputari conqveruntur pronunciatū: *Qvod*
Sacrilegii inſtar ſit, diſputare de facto papæ, cujus
facinora excuſantur: & qvod omnia poſſit papa,
modò contra fidem non ſentiat: Sed legant verba
† ſæpius allegati autoris Catald. de Boncom- 43
pagn. *in tr. de poteſt. pap. §. nec mirum*, ibi: *Nec*
licet de papâ alicui diſputare; Ipſe eſt qui ſupe-
riorem non habet; Facta papæ excuſantur, etiamſi
videantur injuſta. & licet papa faciat, qvod no-
bis videatur injuſtum, nihilominus eſt juſtum.
Nec † non Petr. Albin. *dict. §. divini numinis,* 44
*num.*2. ubi: *Et enim papæ ſemper eſt obediendum*
in ſpiritualibus, & his, qvæ ad animam pertinent
*& ſpectant, niſi fiant contra fidem & nu.*5. *Qvod*
ſi papa præcepit aliqvid injuſtum, cum non ha-
beat ſuperiorem, coram qvo agi poſſit, illi obedien-
dum eſt in ſpiritualibus, qvia nemini licet de ejus
factis judicare. It: nu.29. *Dubitans de poteſtate*
Papæ, dubitat de fide catholicâ & tanqvam ſacri-
legus eſt cenſendus, & inſtar ſacrilegii eſt diſpu-
tare de poteſtate Papæ. Effictum † qvoqve con- 45
tra catholicos aſſerunt Dillingenſes illud, qvod
contra Epiſtolas Apoſtoli poſſit Papa ſtatuere.
Verùm licèt *Ruinus* forſan non ſimpliciter id
dixerit, attamen qvin *Iohan. à Capiſtr.* hoc ſen-
ſerit

Digitized by Google

ſerit & docuerit, inficiari neqveunt, † verba
46 ejus benè perpendentes; *Bene* (inqvit) *poteſt Papa diſpenſare, etiam contra autoritatem Apoſtoli, quia Papa major eſt Apoſtolo, ſicut Petrus fuit majoris autoritatis, qvàm Paulus, unde Papa eſt in loco Petri, & ſic major Pauli.* Vnde ſi par in parem non habet imperium, multo minùs habet imperium minor in majurem. Papa namqve eſt Vicarius Ieſu Chriſti, & non Paulus. Et † eſt valde mirabile, qvod Gloſſa & ſe-
47 qvaces *in cap ſuper eo. de bigamia*, dicant, qvod Epiſcopi poſſint diſpenſare cum bigamis, & Papa non poſſit plus qvàm alii minores Epiſcopi, cum ipſe habeat plenitudinem poteſtatis, cæteri verò partem ſollicitudinis, & ſic tenendum eſt, qvod Papa poſſit diſpenſare cum bigamo, (*addantur verba finalia, nu.* 10.) non obſtante autoritate Apoſtoli, dicentis unius uxoris Virum.

48 XIIX. Perſpicuum hinc eſt, † qvantum honorem, qvantamq; reverentiam Papæ exhibeát catholici, ut cauſam de falsâ inſimulatione cóqverendi non habeant Dillingenſes: Plura qvidem adduci hanc in rem poſſent, ſed noſtri nó eſt inſtituti, Summarim ſaltem † ut Papicolarũ
49 dementia innoteſcat, adducere lubet encomiũ Papæ decantatum a Catald. de Boncompagn, hiice verbis: *Papa non puri hominis, ſed Dei vivi vices gerit in terris, & totius mundi appellatur Dominus. Eſt Sacerdos maximus, ſummus Pontifex, Heres Apoſtolorum, primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, autoritate Moſes, judicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus ipſe eſt, ut Bernhardi utra eloqvic, diligentia Pater ſummus & particeps omnium timentium eum, Chriſtianorum Dux & ordinator, omnium Paſtor, Magiſter ſapientum oppreſſorum refugium, Advocatus pauperum, Miſerorum ſpes, Cæcorum oculus, Muterum lingua, Baculus ſenum, Malorum metus, Bonorum gloria, Potentium Virga, Tyrannorum malleus, Regum Dominus, Moderator Legum, Sol terra, orbis lumen. Vicarius Chriſti, ſucceſſor Petri & mundi arbiter, Dominus & Magiſter.* Hactenus Catald. Boncompagn. *in tract. de poteſtate Papæ.*
50 *§. Proinde loqvar, nu.* 14 Nil † profectò in hoc encomiu omiſſum quam concluſio, in mente retenta, qvæ proculdubiò ex Papâ facit Deũ.

51 XIX. *Qvartò*: Ante omnia † deniqve diſpiciendum: *Qvo reſpectu crimen læſæ majeſtatis impatetur Lutheranis Papam antichriſtum profitentibus?* Qvem duplicem ponunt ICti Dillingenſes, nempe vel ratione Pontificis, vel Imperatoris: De priori ita loqvuntur in §. 150. pag. 625. & 626. *Rectè Catholici Lutheranis prædicantibus objecerunt eſſe hoc de læſa majeſtatis crimine, ſi Papam Antichriſtum appellent. Eſt enim Bartoli & omnium Doctorum ſententia in Extravag. Qvi ſint rebelles, & videre licet apud Froſp. Farinac. qvod Papa ſupra alios Principes majeſtâtem habet, & leges loqventes in crimine læſa majeſtatis, trahantur ad Papam atque ad Cardinales, tanqvam qui lateri ejus proximè conjuncti*
52 *ſunt, &c.* De † poſteriori verò dicit §. 150. p. 626. hiice verbis: *Præterea crimen læſa majeſtatis conaddit.*

ſeri debet, qvatenus contra Imperatorem Romanum ejusqve lateri adhærentes Electores ac Principes catholicos committitur. Nam maximè id crimen læſæ majeſtatis cenſetur, ubi contra Romanorum Imperatores vel Reges aliqvid, qvod dictum tangat, affieratur. Hactenus Dillingenſes.
Exiſtimant ergò † dogmatis hujus profeſſio- 53
ne utroqve reſpectu committi læſæ majeſtatis crimen, tàm contra Papam qvàm Imperatorẽ. Non utiqve mihi perſvaderi patiar, ſeriò prius
† à Dillingenſibus, vel qvovis Ieſuitâ, aliuvè 54
catholico aſſeri, poſtqvam ex omnium confeſſione certiſſimum, Papam à Lutheranis Eccleſiæ caput neqvaqvã agnoſci, nec ſuperioritatem ejus temporalem in alios Reges, Principes ac populum univerſi orbis ullibi fundatam, probari poſſe, Defenſ. pacis *ad Imp. Ludov. part.* 2. *c.* 3. & 4. Act. Papar. Roman. anonym. *cap.* 9 Wolff. *lection memorab. cent* 16. Frid. Hortled. *de cauſ. belli germ. lib.* 1. *cap.* 47. ex qvo funda-
mentum & ratio † hujus delicti formalis, qvæ 55
in ſubjectione conſiſtit, ultro corruit, nec enim qvisqvis alius, qvi ſubditus non eſt, crimen majeſtatis committit, *cap. paſtoralis. §. rurſus. ubi* Gloſſ. *extr. de ſentent. & re judic.* Nicol. Boër. *in tract. de ſedit. c.* 6. *n.* 2. & 3. Ludov. Carer. *in pract. crimin. tract. appellat. in criminalibus. caſ.* 11. *n.* 21. *pag.* 25. Iacob. Menoch. *conſil* 99. *n.* 16. & 17 Iul. Clar. *lib.* 5. *ſentent. §. læſa majeſtatis crimen. num.* 6. & 6. Non itaqve in refellendâ Dillingenſium inculpatione hunc reſpectum attendimus.

XX. In genere verò ſi qvæſiverit aliqvis:
† *Num etiam contra Pontificem Romanum cri-* 56
men majeſtatis committatur? Non ſimpliciter negativè reſpondendum exiſtimaverim: qvam-
vis enim Interpp. † pleriqve ex parte Luthera- 57
norum, Pontifici majeſtatem ſummis viribus detractum eant, veluti Marqvardus Freherus *in comm. ad donat. Conſtantini M. Imper. & in comment. ad donat. Otton. III. Imp.* Matth. Bortzius *in typo jurispr. publ. cap.* 3. *concl.* 10. *lit. b.* Bernh. Zieritz *in tract. de Princip. inter ſe prærogat.* Rumelin. *ad Aur. Bull. part.* 3. *diſſ.* 2. *th.* 12. Ant. Benbellona *in ſuſcitab. Princip. ſeu de pac. Relig. part.* 1. *cap.* 16. *fol.* 264. Ioh. Zabel. *in diſput. Anti. Bodin. concl.* 8. *lit. b.* Elias Rhevvald. *ad leg. Jul. majeſt. vol.* 4. *diſp. Baſilienſ. diſp.* 6 *th.* 16. ex hoc unico fundamento, † qvod regimen
politicum non conveniat Papæ, ſiqvidem 58
Chriſtus, cujus Vicarium ſe jactat Papa, omnem juriſdictionem politicam abs ſe abdicâſſe legitur, *Matth* 20. *verſ.* 25. *Luc.* 12. *verſ.* 22. *Iohan.* 6. *verſ.* 15. & *c.* 18. *verſ.* 36. qvod & Apoſtoli, Præceptoris ſui veſtigiis inſiſtentes fecerunt, *Ioh.* 20. *verſ.* 2. *Matth.* 10. *verſ.* 20. & *c.* 28. *in fin.* 1. *Petr.* 5. *verſ.* 1. & 3. Steterũnt judicandi, non ſederunt judicantes, Marſil. Patav. *in defenſ. pac. part.* 2. *cap.* 5. *pag.* 134. Henr. Eckard. *de ordin. eccleſiaſt. & polit. part.* 1. *c* 6. *quæſt.* 1. qvin potiùs ipſemet Chriſtus, Apoſtoli & ipſorum Succeſſores ſub Principum ſeculi coactivâ juriſdictione vixerunt, eosqve ſic vivere docuerunt, uſqve ad tempora Conſtantini I. Roman. Imperat. Marſil. Patavin. *dict. part.* 2. *cap.* 17. Georg. Sigiſmund. Seld.

Viceecancellar. Ferd. I. Imp *in diſcurſ. von Käyſerl.*
Mayeſt. Wahl und Hoheit. Attamen † ſi dicendum
qvid res eſt, vel confunditur poteſtas eccleſia-
ſtica cum regimine politico, vel omnis Magi-
ſtratus ſecularis reſpectus, Papæ adimitur, cum
tamen hic non tantùm ſit ſpiritualis Pontifex,
60 † ſed etiam Princeps potentiſſimus in S. Petri
patrimonio, ita ut licet in ſpiritualibus non a-
gnoſcatur pro Eccleſiæ Monarcha, in tempo-
ralibus tamen Majeſtas ei neqvaqvam dene-
gari debeat, niſi & Electoribus eccleſiaſticis,
& cæteris in Imperio Archiepiſcopis & Prela-
tis ſuam poteſtatem imminutum ire velimus,
61 † haut abnuente Auguſtanâ Confeſſione, in qvâ
civilis poteſtas ac dominatio ſummo Pontifici
& Epiſcopis non ſimpliciter denegatur, modò
ea cum eccleſiaſticâ non confundatur, *art. ult.*
§. pen. & ult. & in artic. Schmalkaldenſ. in ſub-
ſcript. Philippi. Dan. Otto *in diſcurſ. politic. de*
maieſt. Imp. c. 2. §. 8. Melch. Goldaſt. *in Bohem.*
lib. 3. cap. 13. num. 2 pag 354. Chriſt. Beſold. *in diſ-*
ſert. de Maieſtat. cap. 2. in fin. Ex qvo verè di-
62 xeris, † eandem eſſe Papæ Romani, qvoad ci-
vilem cultum conditionem, qvam Cæſaris
Germanorum, Catholici Hiſpanorum, Chri-
ſtianiſſimi Gallorum, Tzari Moſcorum, Cha-
ni Tartarorum, Sultani Turcarum, Sophi Per-
ſarum, Præſtegiani Æthiopum, ſimiliumque
terrenorum Monarcharum, qvibus honor ci-
vilis debetur, licèt eorum Imperia non uſqve-
qvaqve juſta ac legitima eſſe nobis videantur,
63 Goldaſt. *dict. c. 13.* † Qvod ſi ita eſt, & crimen
majeſtatis adverſus Papam à ſubditis ſuis com-
mitti poſſe, nemo inficias ibit, nam poſito
fundamento majeſtatis, ipſum qvoqve effe-
ctum largiri, neceſſe eſt, Hieron Gigas *in tract.*
de crim. leſ. maieſt. lib. 1. Rubr qualiter & à qui-
bus, num. 2. Dan. Otto *dict. cap. 2. num.* 8. Gol-
daſt. *dict. loc.* Modò aſſertio hęc intra jam di-
ctos limites contineatur, nec extra ditiones &
provincias Papæ extendatur, Dan. Otto *dict.*
loc.

CAP. II.

Fundamenta pro innocentiâ Theologorum Lutheranorum & avertendo crimine Maieſtatis quænam?

XXI.

1 CONſiſtit ergò veriſſimus controverſię
ſtatus in eo: *An Theologi Lutherani in*
ſcriptis ſuis, ſuggeſtu vel Cathedrâ, Papam An-
tichriſtum appellantes ac profitentes, adverſus
Imperatorem Romanum committant crimen læ-
ſæ maieſtatis? Qvod qvidem plenis buccis af-
firmant ICti Dillingenſes, ſed qvam falsè, ca-
lumniosè, petulanter ac minus juridicè id fa-
ciant, argumentis demonſtratum dabimus.
Primumqve petimus † ex genuinâ hujus cri-
2 minis naturâ ac qvalitate, hunc ponentes Syl-
logiſmum:

Qvicunque nihil molitur contra ſummam Imperatoris poteſtatem, is nec crimen Majeſtatis adverſus Imperatorem committit.

Theologi Lutherani dogma de Papa Antichriſto profitentes, contra ſummam Imperatoris poteſtatem nihil moliuntur,
Ergo.

Probationem majoris propoſitionis ſuppedi-
tat ipſa vocabuli notatio, ſeu deſcriptio læſæ
majeſtatis; † per definitionem ſiqvidem no- 3
minis recognoſcimus rerum qvidditates, ſub-
ſtantias, qvalitates, & accidentia, Nicol. Boër.
deciſ. 105. *num.* 8. qvia impoſita ſunt nomina ad
cognitionem rerum, *§. ſi qvis in nomine, Inſtit.*
de legat. undè dicuntur rerum notę *in l. Labeo.*
7. §. 2. ff. de ſuppellect. legat. Eſt autem † notatio 4
duplex, tùm Majeſtatis, tùm lęſionis ejuſdem;
ideoque noſſe oportet, qvid ſit Majeſtas, ſeu
in qvo conſiſtat, & qvomodo ea offendatur
ac lędatur.

XXII. Etſi verò Majeſtas (à magnitudi-
ne † ſic dicta, qvam amplitudinem, magnitu- 5
dinem, decus ac dignitatem rei cujuſqve vo-
cat Cicero *in partit. orat.* qvem ſeqvitur Gloſ-
ſa *in proœm. Inſtit. verb. maieſtatem.* Duar. *ad*
ad l. Iul. Maieſt. cap. 1. Herm. Kirchner. *de Rep.*
diſp. 2. th. 2. in pr. Iohan. Bodin. *de Republ. lib. 1.*
c. 8. in pr. Herman. Vultei. *in §. publica autem 3.*
num. 4. Inſt. de publ. iudic. & lib 1. Iuriſpr. Ro-
man. cap. 47. lit. 4. Pett. Gregor. Tholoſan. *in*
ſyntagm. iur. univerſ lib. 33. c. 1. num. 2. & 3.) di-
verſo accipitur ſenſu, † ut vel authoritatem 6
divinam, *l. 33. § ſacerdotio, ff de arbitr.* vel auto-
ritatem Principis, populi aut Magiſtratus, *l. 1.*
§. 3. C. de caduc. tollend. l pen. ff de iuſt. & iur. l.
33. ff. de iureiurand. l. 9. ff de iuriſdict. vel † Princi- 7
pem ipſum, *in l. 23. ff. de legat. 3. l. 34. C. de donat.*
vel etiam qvandoqve externam perſonæ gra-
vitatem & ſplendorem denotet, Henning, Ar-
niſ. *de maieſt. c. 1.* Tob. Paurmeiſt. *de iuriſdict.*
Imper. Roman. lib. 1. cap. 4. Attamen † propriè 8
loqvendo, Majeſtas eſt ſumma poteſtas, qvaſi
major poteſtas, Neſtor. Dionyſ. Novanenſis
de verb. ſignif. libr. 1. Melch. Goldaſt. *lib. 3. Bo-*
hem. cap. 13. § 3. Eſt enim major, qvi primus eſt,
ſummus & ſupremus, iuxta enallagen compa-
rativi pro ſuperlativo, Goldaſt. *de maior. lib. 2.*
c. 6. n. 4. & ſeqq Chriſtoph. Beſold. *in diſſertat.*
de maieſt. c. 1. num. 2. qvare per Majeſtatem † 9
jus ipſum, qvod in ſummâ conſiſtit poteſta-
te, intelligi debet, ut ſic verè ac propriè ma-
jeſtas dicatur ac definiatur † ſumma poteſtas, 10
qvæ nec tempori nec legibus eſt ſuppoſita,
Beroaldus *in annot. in Sueton. Veſpaſ. c. 7.* Mar-
cil. *in not. ad Inſtit. in proœm fol. 5.* Clem. Tim-
pler. *lib. 3. polit. c. 1. quæſt. 1.* Bodin. *dict. cap. 8.*
Dan. Otto *de maieſt. c. 2. in pr.* Tob. Paurmeiſt.
de iuriſdict. Imper Roman. lib. 1. cap. 4. num. 22.
Chriſtoph. Beſold. *lib. 1. polit. cap. 2. § 7.* Gol-
daſt. *dict. cap. 13. num. 3.* Henn. Arniſ. *lib. 1. de*
maieſt. cap. 3. &c. Offendere † autem ac lædere, 11

in hoc

in hoc crimine idem eſt qvod moliri,provt be-
ne explicant Gigas *in tract. de crim.laeſ.maieſt. Rubr.quid ſit.* Henr. Bocer. *de crim.laeſ.maieſt. c.1.nu.50.* Elias Rehvvald. *ad leg.Iul. Maieſtat. theſ.9.lit.e.* Germanicè vocatur: Meuterey anfangen: vti apparet ex *tit.24. Aur.Bull.* von der Auffſetzung wider der Churfürſten Leib und Leben *&c* §. So iemand mit Fürſten. *in verb.* eine läſterliche beſchäfftige Meuterey anfänge. oder zu ſolcher Meuterey ſich mit Eyde verbindet / *iunct. verſ* So ſol derſelbige als der an der Majeſt. ſchuldig etc. *tit* §. und zwar. *verb.* Solcher ſöter geſammenen Meuterey etc. *&* § *ult. verb.* aus Urſachen der verdamlichen Meuterey. Qvibus ſic poſitis ma-
12 nifeſtum redditur, † crimen maieſtatis eum
committi, qvando qvis contra ſummam po-
teſtatem Imperatoris & Imperii aliqvid moli-
tur, vnde ipſe vel ſtatus damnum patiatur.
Cui porrò conſeqvens, neqvaqvam criminis
huius inſimulandum eſſe eum, qvi contra †
13 ſummam poteſtatem Imperatoris & Imperii
nihil molitur; Eamqve deſcriptionem crimi-
nis probant exemplis Vlpian. *in l.1. & 2.* Mar-
cianus *in l.3.* Scævola *in l.4.* Vernulcius *in l.6 ff. ad Leg.Iul.Maieſtat.* & Impp. Arcad. & Ho-
nor. *in l. quisquis.5.C.eod.tit.* veluti ſi qvis per-
ſonam Imperatoris ipſam, vel eiuſdem Conſi-
liarios offendere, necare & è medio tollere
præſumat & moliatur, *dict.l.5.C ad l.Iul. ma-*
14 *ieſt.* † qvod in ſpecie dicitur perduellionis cri-
men, qvo maximè poteſtas ſumma ac regi-
men Imperii turbatur, læditur & offenditur,
Bocer. *dict.tract. de crim.laeſ.maieſt.c.2. num 9.*
15 *& ſeqq.* Vel ſi qvis † contra ipſum Imperii ſta-
tum, & Rempublicam qvid committat, mi-
lites conducendo, hiſtibus ſe aggregando,
pro magiſtratu ſe gerendo &c. ex qvo Reſpub-
lica ac ſumma Magiſtratûs poteſtas labefacte-
tur & evertatur, *dict.l.1.l.3.l. 4.ff.ad leg.Iul.ma-
ieſt.* Bocer. *dict.cap. 2.* Iuſt. Meier. *in Colleg. Ar-
gentor ad l.48 ff.tit.§.2.& 3.*

16 XXIII. Hæcqve criminis notatio † haud
obſcurè infert, non modò contra ipſum Impe-
ratorem, ſed etiam contra Imperii Status id
17 committi, qvod de Electoribus † ſpecialiter
proviſum in *Aur.Bull. Caroli IV. Imp. dict.tit.*
24. Von der Auffſetzung wider der Churfürſten Leib und
18 Leben / † At idem obtinet in reliqvis Imperii
Statibus, Elias Rhevvald *ad l.Iul.Maieſt. th.9.
lit d* Ex qvo enim ſumma Imperii poteſtas Sta-
tibus Imperii eſt communicata, & induos qva-
ſi ſemiſſes diviſa, † qvorum unum Cæſar, al-
19 terum Ordines obtinent univerſi, vt probat ſe-
nt comitiorum, in qvibus ſi inter Cæſarem
& Ordines, vel maiorem eorum partem res
coire neqveat, nihil actum iudicatur, neqve
Imperator ex plenitudine Poteſtatis, neqve
Ordines invito illo qvicqvam ſtatuere poſ-
ſint, Melch. Goldaſt. *in Replicat.pro Imper.
contra Greiſer.cap.11.pag.105.* Tob. Paurmeiſt
de iuriſdict.Imper.Roman.lib.2.cap.2 n.20. vo-
luti † apparet ex clauſula illâ Receſſibus Im-
20 perii communiſſimâ, qvâ conſenſu & volun-
tate Procerum ac Statuum Imperii omnia di-
cuntur peracta & decreta: Mit einhälligen zeitli-
gen Rath und Willen / auch zugeben und annehmen der
Churfürſten / Geiſtlichen und Weltlichen / Prälaten / Gra-
fen / Freyherren und anderer Stände des heiligen Rö-
miſchen Reichs etc. Atque hinc dicit † Imp. Maxi- 21
milian. Wir haben uns mit des heiligen Reichs Stände
den / und ſie mit uns / nachfolgender Articul und Meynung /
als ein Chriſtlich *Corpus* und Verſamlung gegen und mit
einander vereiniget / verpflichtet und vertragen / *in Receſſ.
Colonienſ.de anno* 1512. non poteſt † non hinc 22
etiam labefactari ſumma poteſtas, adeoqve ip-
ſa maieſtas, ſi vel ſaltem unicum Imperii mem-
brum, in conſortium iſtius poteſtatis recep-
tum, Princeps vel Status offendatur ac læda-
tur, Quin & in ipſum Imperatorem hæc offen-
ſio redundat, † cum ſine iniuriâ, dolore & 23
damno capitis, nullum lædatur membrum,
corporis humani. Æqviparant ſcilicet Politi-
ci Imperium Romanum corpori hominis: Il-
ludqve capite & membris conſtare aiunt, ita ut
Imperator Caput repræſentet, veluti ſi appella-
tur *in Receſſ. Imper.de anno 1566.§.* Und nach-
dem denn auch *& circa fin.ibi:* Wie dann als Römiſcher
Keyſer / und das Oberhaupt im heiligen Römiſchen Reich.
Receſſ Imp de anno 1530.§. Nachdem aber / *ibi:* Oberſtes
Haupt der Chriſtenheit *&c.at.* Caput naturale Impe-
rii, Handlung der Chur und Wahl des Großmächtigſten
König Carls / *&c.* in der Churfürſten Schreiben an den
erwehlten König / *apud Goldaſt.* in Reichs Handlung.
pag.97. Ein natürlich Haupt und Verweſer des heiligen
Römiſchen Reichs. Caput † Eccleſiæ temporale, 24
Aur.Bull.tit.2 §. Ich N. Ertz-Biſchoff *&c. verb.* voll
erwehlen, ein weltlich Haupt dem Chriſtlichen Volcke.
Caput Imperii vigilans, *Receſſ. Imper. de anno
1570.* § nach erledigten *ibi:* haben wir als ein wachend
Haupt des Römiſchen Keyſerthumbs etc. † Status verò 25
ac Proceres Imperii membrorum vicem ſuſti-
neant qvippe qvi capiti ſuo, hoc eſt, Imperato-
ri tanqvàm pia membra uniuntur: Einverleibte
Glieder der Keyſerl. Mayeſt. *Receſſ. Imper. Spirenſ. de
an. 1540.§* und wie wol. *ibi:* daß allen Ständen als Chriſt-
lichen Gliedern des heiligen Reichs die Rettung unſers
Chriſtlichen Glaubens und Vatterlandes Teutſcher Nation
unvermeidlich zuſtehet / *&c. Receſſ. Imper. de anno 1530.§.*
Weiter *ibi:* Chriſtliche Glieder des Reichs. *& Receſſ. Im-
per.de anno 1567.§.* damit auch Churfürſten *ibi:* Und dann
uns als dem Oberhaupt / und ihnen als den Gliedern etc.
Thuan. *lib.2.hiſt.in pr.* Theodor. Reinking *de
regim.ſecul & eccleſ. libr.1. claſſ.3.cap.1.per tot.*
Rhevvald, *dict th.9.lit.d.* Iohan Limn. *lib.1.iur.
publ.cap.7.num.51.&52.* Tiber. Decian. *vol.7.Re-
ſponſ.19.n.128.*

XXIV. Committitur ergo † tantum- 26
modò crimen maieſtatis ab illis, qui contra
Imperatoris ac Statuum Imperii regimen, ſum-
mamqve poteſtatem qvicqvam moliuntur,
qvo eam labefactent, invertantqve: qvod nec
inficias eunt Dillingenſes *in §.150. verſ.præter-
ea crimen &c.* qvam in rem etiam allegant *Ex-
travag. Qui ſint rebell.* in verb. *Decernimus &
pronunciamus, qvod illi omnes & ſinguli ſunt re-
belles & infideles noſtri Imperii, qui quomodocun-
que publicè, vel occultè contra noſtrum honorem
& fidelitatem, rebellionis opera faciunt, & con-
tra noſtri Imperii proſperitatem aliquid machi-
nantur, &c.* Qvo ſenſu & explicationis ner-
vo ſtante, ſi iam † *Minor propoſitio* examini
ſupponatur & ſublimatur, dicat qvi vel tantil- 27
lum iudicii & conſcientiæ habet, an Theologi
Lutherani per aſſertionem Pontificis Anti-
chriſti, qvicqvam contra ſummam poteſtatem
Imperatoris & Imperii ſtatum moliantur: qvòd
iure ipſis imputari poſſe † tantùm abeſt, vt ne

verbulum de perſonâ Imperatoris, ac ſtatu &
regimine Imperii proferant. Ita ſcilicet ca-
lumniari norunt ICti Dillingenſes, quibus tamē
† ſeu affirmantibus onus probationis incum-
29 bit, *l.2.ff. de probat.* Cui ne prorſus deeſſe vi-
deantur, obicem nobis ponere ſatagunt *in §.*
150 *pag.626.verſ.negari tamen &c.* vbi ſic ſcri-
bunt: *Negari tamen non poteſt, longè gravius &*
magis indubitatam eſſe leſæ maieſtatis atque re-
bellionis crimen, ſi aduerſus ipſam Imperialem
dignitatem populus armetur aut concitetur, ver-
bis aut opere, ſicut videre licet apud Farinac.
quæſt.4.8.§.4.num.44. Atqui id ajunt prædican-
tes Lutherani, quando ſedem Apoſtolicam Ro-
manam Antichriſti eſſe volunt, & impium ac ſa-
crilegum juramentum, quo Romanus Imperator,
aliique Principes Eccleſiaſtici ſe Pontifici & ſe-
di Romanæ obſtringunt: qua ipſâ re convellunt
Sacri Romani Imperii ſtatum, quippe qui ſine
obligatione ad ſedem Apoſtolicam, Pontificem, ei-
que adhærentem Catholicam Eccleſiam conſiſte-
re non poteſt. Denique populum vniverſum ab
obedientia & æſtimatione Romani Imperatoris,
Electorum & Principum, dicto modo obligato-
rum Pontifici Romano, quem blaſphemum Anti
chriſtum eſſe dicunt, quantum in ipſis eſt, averte-
30 *re volunt.* Contendunt † nimirum, à Luthera-
nis Theologis Papam Antichriſtum procla-
mantibus, populum contra Imperatorem &
Imperii Status armari, concitari & ab obedien-
tia debita averti, ex præſtito iuramento & fide
promiſſa, qva Cæſar pariter & Principes Ec-
cleſiaſt. et Papæ & ſedi Romanæ ſunt obſtri-
cti, & ſine qva obligatione conſiſtere nequeat
Imperii ſtatus.

XXV. Nolumus vero † Iuramentum, qvo
31 d[illegible] Pontifici Romano ac ſedi Apoſtolicæ
ab Imperatore fuit promiſſa, hic tangere &
examinare, reſervantes illud in *cap.5.* ubi ſpecia-
liter de eo agendum erit. Hoc tantummodò
32 jam [illegible]: *An Theologi Lutherani † per*
aſſertionem Papæ Antichriſti armare velint po-
pulum contra Imperatorem & ſtatum Imperii,
eumque ab obedientia avertere & avocare. quod
profectò abſque Maieſtatis offenſione haut fieret?
33 Reſp.(1.) Sed unde Dillingenſibus hoc, † qvod
ſolius Dei proprium eſt, ad intimi cordis ſenſa
penetrare, [illegible] hominum probare &
cogitationes ac intentionem Theologorum
Lutheranorum cognoſcere. An ne prædicare
verbum Dei eſt avertere homines à debitâ obe-
dientia? an ne dogmata Lutheranæ Religionis
defendere, eſt homines armare adverſus Impe-
ratorem & rebellionem contra Imperium ex-
citare? [illegible] qvalis hæc eſt argu-
34 mentatio? [illegible] conſeqventia? Non certè † ca-
lumniam [illegible], ſed probatio reqviritur in de-
lictis ejuſmodi ſcandaloſis, luce meridianâ cla-
rior, *l. [illegible] ff. de pœn. l. ult. C. de probat.* Iul.
Clar. *lib. [illegible] quæſt.64.num.9. & ſeqq.*
Ioachim. Mynſing. *centur.5. obſervat.33.* Andr.
Gail. *lib.1. obſervat. [illegible]* nec præſumitur
delictum, ſi non probetur, Matth. Stephan. *in*
not. art. 2. Ordin. [illegible] Carolin. Iacob. Menoch.
libr.1. præſumpt. quæſt.36. & 92. Reſp.(2.) Ipſo ſi-
35 nè facto † Theologi Lutherani ab hac calum-
nioſâ rebellionis præſumptione abundanter ſe
liberant, pro concione populo obedientiam
Cæſari & Magiſtratui etiam Catholico præ-
ſtandam ſtudio indefeſſo inculcantes; qvo † 36
de ita ſcribunt *invindiciis pupillæ Evang. c. 88.*
p.669. In unſern Predigten vermahnen wir treulich zu
geben dem Keyſer/was des Keyſers iſt/den Ehren/Ehre/
den Zoll/Zoll/etc. Eſtque hæc ipſa Lutherano-
rum doctrina, qvod † cuivis Magiſtratui etiam 37
infideli & ethnico in temporalibus ſubditi ad
obedientiam ſunt obſtricti, vel ſaltem ex gene-
ralibus ſcripturæ dictis, quæ obedientiam Ma-
giſtratui præſtandam à ſubditis exigunt citra
ullam exceptionem vel limitationem, an Ma-
giſtratus ſit ethnicus vel Chriſtianus, hæreticus
vel orthodoxus, *Rom.13.verſ.1.* Omnis anima
poteſtatibus ſublimioribus ſit ſubiecta, non
enim eſt poteſtas niſi à Deo *1.Petr.2.v.17.* Sub-
iecti eſtote omni humanæ ordinationi propter
dominum: Quare † & Iſraelitæ pro vita & ſa- 38
lute Nabuchodonoſoris, qvi idololatra erat,
orare iubentur, *Ierem.29.verſ.7. Baruch.1. v.11.*
Quin & ipſemet Chriſtus ethnico Magiſtra-
tui tributum perſolvit, *Matth.17 verſ.27.* & ad
Cæſarem ethnicum provocat Paulus, *Actor.25.*
v.11. Iohann Gerhard. *in loc. Theolog. de Ma-*
giſtr. polit. §.481. pag.1297. & ſeqq. Reſp.(2.) Neq
† eſt qvod ex Antichriſtianiſmo Papæ, qvicqvam 39
qvam contra Imperatorem Statumqve Impe-
rii inferant & argumententur Dillingenſes,
eò maximè intenti, vt ſubſiſtentiam Regimi-
nis in autoritate fundent papali. Vt enim ſi-
lentio prætereamus ea, qvæ jamdudum contra
hanc Pontificis arrogantiam & ineptias papi-
colarum, à Politicis pariter ac ICtis prolata, &
à nobis etiam dicta fuere *in comm. ad Leg. Reg.*
c.2. ſect.6.7. & 8. Imperator † ſoli Deo imme- 40
diatè acceptum fert Regimen, nec ullius alte-
rius beneficio qvàm ipſius Dei ordinatione im-
perat, veluti non modò Imperator Iuſtinianus
qvondam id faſſus eſt, à cœleſti Maieſtate Im-
perium ſibi eſſe traditum, *l.1. C. de vet. iur. enucl.*
de cœlo datum, *Novell.73. in præfat. §.1.* & à ſu-
pernâ collatum clementia, *Novell.6. in princ.*
Sed & hoc ipſum † agnovit Carolus V. Imp. in 41
Receſſ. Imp. de Anno 1548. in pr. ibi: Haben wir das
auffgelegtem Ampt/ darzu wir vom allmächtigen GOtt
beruffen ſeyn/ & Maximilianus I. Imper. *in Re-*
ceſſ. Imper. Wormat. de anno 1495. ſub tit. Refor-
mation das heimliche Gerichte in Weſtphalen betreffend/
§. Ehrwürdige/*ib:* Nachdem wir von der Gnaden Gottes
zu der Höhe Römiſcher Königlicher Würden unverdienet
beruffen und kommen ſeyn *&c.* Melch. Goldaſt *tom. 1.*
conſtit. Imper. pag.220. Hieronym. de Cavall. *in*
ſpec. comm. opin quæſt.808. nu.68. Erneſt. Cothm.
4. conſ.11. num.4. & conſil.12. num.2. Marta *de*
juriſdict. cap.6. numero 12 omnium † maxi- 42
mè verò hoc apparet ex verbis, qvæ leguntur
in der Churfürſtl. Ordnung *apud Gold. tom.2.* der Reichs-
ſatzungen/*pag.35.* Der Keyſer hat ſeine Gewalt ohn alle
Mittel von Gott: Iohan. Limn. *lib. 4. iur. publ. cap.*
6. numer.20. Idemqve agnovit Nicolaus Cuſa-
nus, Imperatoris celſitudinem eſſe indepen-
dentem qvod ſui naturam: primò & ſupremè
diſtinctam à ſpirituali, habentem dependen-
tiam immediatam à Deo, *lib.3. Concord. Cath.*
c.5. Qua intuitu † etiam vocatur Dei Vica- 43
rius,

Digitized by Google

nius, *Sap. 6. verſ. 5. Pſalm 82. verſ. 6.* Chaſſan. *in catal. glor. mund. part. 5. conſid. 3.* Octav. Cacher. *deciſ. 30. numer. 5.* Imago divinæ Maieſtatis, Alber. *in pr. ad l. decernim. C. de SS. Eccleſ.* Laudenſ. *in tract. de princ. qu. 155.* & Lex animata vices Dei gerens *Novell. 105. cap. 2. in fin. & ibi gloſſ.* Petr. Martyr. *in lib. 1. Reg. c. 28. fol. 147.* Anton. Fab. *in Cod. libr. 1. tit. 1. verſ. qvarta propoſitio, &c.* Teſtaur. *in præfat. deciſ. numero 14.* Carol. Molin. *in conſuet. Pariſienſ. tit. 1. §. 8. gloſſ. 3.*
44 *num* 8. Nec eſt † qvod electioni in Regem ac Imperatorem qvicqvam iuris tribuamus, quia eſt nudum translationis medium: ex qvo ſub-
45 ſiſtit diſtinctio, † poteſtatem, quæ conceſſa eſt Imperatori & Principibus, à Deo eſſe immediatam, modos verò eam conferendi eſſe ſine dubio humanos; qvam diſtinctionem Ludovicus Imper. in notabili illa ſanctione, apud Albert. de Roſate *ad l. bene à Zenone. C. de quadr. præſcript.* Münſt. *in Coſmograph. libr. 3. de German. pag. 476.* Frider. Hortleder. *de cauſ. Belli German. Caroli V. lib. 1. cap. 47. pag. 512.* haut ob-
46 ſcuris † firmat verbis: *Declaramus, qvod Imperialis dignitas & poteſtas eſt immediatè à ſolo Deo, & qvod de iure & Imperii conſvetudine approbatâ, poſtqvàm aliqvis eligitur in Imperatorem ſive Regem ab Electoribus Imperii concorditer, vel maiori parte eorundem, ſtatim ex ſola electione eſt verus Rex & Imperator Romanorum*
47 *cenſendus & nominandus, &c.* Qvò † & faciunt verba Friderici I. Imperatoris ad Principes Imperii: *Cum per electionem Principum à ſolo Deo Regnum & Imperium noſtrum ſit, cumque Petrus Apoſtolus hac doctrinâ mundum informaverit, Deum timete, Regem honorificate: quicunque nos Imperialem Coronam pro beneficio à Domino Papâ ſuſcepiſſe dixerit, divinæ inſtitutioni & doctrinæ Petri contrarius eſt, & mendacii Reus erit,* apud Redev. *lib. 1. cap. 10.* Nam
48 † & Matthiæ Apoſtoli vocatio procul dubio immediatè erat à Deo, ſors tamen interveniebat, perinde ut in electione Saulis, Clut. *in Syllog. rer. quotid. th. 4. lit. e.* Ioan. Limn. *lib. 4. iur. publ. cap. 6. num. 28.* Paululum altius hæc repetere lubuit, qvo ineptiæ detegantur Dillingenſium, qvi ſtatum Imperii in autoritate papali ita radicatum ſatagunt, ut contra Papam nil dictum exiſtimetur, qvod non ſimul Cæſarem & Status Imperii offendat.

XXVI. *Secundum* innocentiæ Lutheranæ
49 fundamentum petimus à formâ † & modo, qvo crimen Maieſtatis committitur, & ſic argumentatur.

Nulla aſſertio verbalis abſque intuitu operis aut facti infert crimen læſæ maieſtatis.
Dogma de papa Antichriſto eſt talis aſſertio verbalis. Ergo &c.

Non ſanè perſuaderi mihi patiar, *Aſſumptionem* à Dillingenſibus vel alio qvoqvam in du-
50 bium vocatum iri, cum Theologi Lutherani † pro concione in ſuggeſtu, vel in Cathedra & ſcriptis dogma id profitentes, ſolo verbi gladio contra Papam militent, populum doceant, & in verbali informatione ſubſiſtant, nil qvicqvam facti & operis machinantes. Niſi fortaſſe
51 Dillingenſes priorem, † repetant cantilenam, armari ſcilicet & concitari ad rebellionem hoc dogmate auditores, qvod qvàm falsò & calumniosè effutiatur, noſtrisqve Theologis imputetur, *theſ. preced.* demonſtravimus; Contrarium † enim, qvod Principi & Magiſtra- 52
tui etiam heterodoxo & impio parendum, haut reſiſtendum ſit, docent noſtrates, prout notiſſimum eſt, Iohann. Gerhard. *in loc. de Magiſtr. polit. §. 484. pag. 1307.* ſcilicet quia poteſtas non eſt niſi à Deo, *Roman. 13. 1. Petr. 2. verſ. 17.* quæ lex non ſolùm de optimis, ſed vniverſis lata eſt, Iohan. Bodin. *de Republ. lib. 2. cap. 5.* Theodor. Reinking *de regim. ſecul. & eccleſ. lib. 1. claſſ. 1. cap. 3. nu. 8. & 9.*

XXVII. *Maiorem* verò propoſitionem ambiguam reddunt, † qvi etiam maledicto in 53
Principem, crimen maieſtatis committi autumant, veluti ſi quis impiis & iniurioſis verbis adverſus Imperatorem vel populum Romanum utatur, ex Paulo ICto; qvi *libr. 5. ſentent. cap. 29. ſub tit. ad Leg. Iul. Maieſt.* declaratis caſibus, qvibus hoc crimen qvis incurrit, nec non pœnis ei definitis, hæc ſubdit verba. *Qvod crimen non ſolùm facto, ſed & verbis impiis maximè exacerbatur.* Quæ verba ICtum † Mode- 54
ſtinum etiam *in l. famoſi. 7. §. ult. ff. ad Leg. Iul. Maieſt.* ſcripſiſſe, ſed Tribonianum immutaſſe, arbitratur Iacob. Cuiac. *ad Paul. ſent. libr. 5. tit. ad Leg. Iul. Maieſt.* quod & veroſimile videtur Tib. Dec. *in tractat. criminal. libr. 7. cap. 50. num. 29.* Henr. Bocer. *in tract. criminal. laeſ. maieſt. cap. 2. num. 3.* Herman. Vultej. *lib. 1. iurispr. Roman. cap. 47. verſ. multis verò modis.* Elias Rhevvald. *ad Leg. Iul. Maieſt. theſ. 18. lit. e.* † 55
Qvin & ſub Tiberio, & aliqvot poſt eum Impp. leviſſima qvæqve facta & dicta, modò delator non deeſſet, in iudicium hoc fuiſſe deducta, conſtat ex Sveton. *in Tiber. cap. 58. & in Neron. c. 32.* Seneca *libr. 3. de benef. cap. 26.* Briſſon. *4. antiqvit. 12.* Petr. Gregor. Tholoſan. *35. ſyntagm. 7. nu. 1. & 2.* Dionyſ. Gothofr. *ad l. 7. in fin. ff. ad Leg. Iul. Maieſt.* Petr. Heig. *part. 2. quaeſt. 31. num. 49. & ſeqq.* Tiber. Decian. *dict. cap. 50. n. 29.*

XXIIX. Sed ut hoc † conceſſerimus de 56
iure veteri, iiſqve in maledictis & verbis, qvæ factum aliqvod criminoſum inferunt ac important, Paul. *dict. lib. 5. ſent. cap. 29.* vel quæ ipſamet ſunt ſeditioſa & turbulentas important acclamationes, quibus ſalus Principis aut Reipublicæ periclitatur, *l. 28. §. 3. ff. de pœnis*, populuſqve ad arma contra Principem ſuſcipienda concitetur, *l. 1. in fin. ff. ad leg. Iul. Maieſt.* qvales ſunt: *Moriatur vel occidatur Princeps: Libertas, libertas, &c.* Bald. *in l. data verba. C. qui accuſar. non poſſ.* Attamè † hodierno iure, nuda ver- 57
ba iniurioſa & convitia Principi dicta, neqvaqvam crimen læſæ maieſtatis importare, non modò ex communi Interp. concluſio manifeſtum eſt, de qvo Hieronym. Gigas *in tract. de crimin. laeſ. Maieſt. tit. qvaliter & à quibus. quaeſt. 40.* Berarzzol. *1. conſil. 28. numer. 6.* Hartman. Piſtor. *obſervat. 187.* Iacob. Cuiac. *ad Paul. dict. loc.* Iacob. Menoch. *de arbitr. iud. quaeſt. caſ. 377. num 14.* Tiber. Decian. *dict. cap. 50.* Gilhaus. *in arbor. iud. crimin. cap. 2. tit. 3.* Petr.

Heig. *diſt. quæſt.* 31. *numer.* 31. Petr. Theodor *in*
58 *Colleg. crimin. diſput.* 5. *theſ.* 4. *in fin.* ſed etiam †
ex Reſcripto Impp. Theodoſii, Arcadii & Ho-
norii *in l. un. C. ſi quis Imper. maledixerit*, evinci
poteſt. (1) Ecqvis enim non animadvertit di-
verſitatem inter crimen læſæ maieſtatis, & ma-
59 ledictionis in Principem; † vel ſola diſparitate
titulorum *ſub rubr. C. ad Leg. Iul. Maieſt. &*
Rubr. ſi quis Imperat. maledixerit, cum indignā-
te, Aym. Cravett. *conſil.* 6. *num.* 1. Hartmann. Pi-
ſtor. *obſervat.* 187. *num.* 2. (2) Ipſa quoque ſan-
ctio *dict. l. un. C. ſi quis Imper. maledix.* hoc diſ-
60 crimini † ponit, ut judici reum maieſtatis pu-
nienti haud ſit licitum, maledicentiam in Princi-
pem coercere, ſed jubetur Imperatorem de ma-
ledicto & perſona maledicentis reddere certio-
rem: quo, ſi ex levitate proceſſerit, condemne-
tur; ſi ex inſania, miſeratione dignus habeatur; ſi
ab injuria, remittatur & condonetur. Hic ſcili-
cet genuinus dictæ ſanctionis Imperatoriæ
61 ſenſus, † ut bene interpretatur *alleg. l. un.* Cu
jac. *in par. tit. C. ſi quis Imper. maledix. & lib.* 16.
obſervat. 10. Petr. Greg 35. *ſyntagm.* 8 Salmuth.
ad Pancirol. lib. 1. *de triumph. pag.* 638. Henr.
Bocer. *de crim. læſ. maieſt. cap.* 3. *num.* 3 nec ad-
62 mittenda explicatio † Accurſii, vocabulum (*Re-*
mittendum) ad ipſum obtrectatorem reſtrin-
gentis, ut ſit ſenſus: *Reum ad Imperatorem fore*
remittendum, quod & placet Prosp. Farinac. *in*
prax. crim. quæſt. 105. *numero* 419. Cravett. *dict.*
conſil. 6. *numer.* 17. Petr. à Plach. *in epit. delictor.*
lib. 1. *cap.* 4. *numero* 1. Theodor. *d. th.* 4. *in fin.* re-
ſpuunt enim hunc ſenſum præcepta gramma-
ticalia, ut cuivis legenti obviam. (3.) Fluit
63 † hinc porrò, obtrectatorem Principis ſuppli-
cium Reo majeſtatis definitum haudqvaqvam
incurrere, ſed pro arbitrio Imperatoris vel ex-
traordinariè puniri, vel planè abſolvi, cum e-
nim *dict. l. un.* maledicto injurioſo haud cer-
64 tam poſuerit pœnam, † relinqvitur procul du-
bio arbitraria, *l. ſi quis reum. ff. de cuſtod. & ex-*
hibit. reor. l. 1. § exſpilatores. verſ. quib. nulla. ff. de
effract. ut ſic ex diſparitate qvoqve ſupplicii in-
genis horum criminum diverſitas reddatur ma-
nifeſta, & qvod tandem conſeqvitur, dicto vel
dogmate verbali crimen Maieſtatis neqva-
qvam committi.
65 XXIX. *Tertium* eſto argumentum † ab ani-
mo & intentione Lutheranorum deſumptum
hoc:

Qvicunque nec animum doloſum, nec in-
tentionem offendendi Imperatorem ha-
bet, is nec crimen læſæ maieſtatis com-
mittit!

Theologi Lutherani Papam Antichriſtum pro-
fitentes, nec animum nec intentionem eum
modo malitioſam ſ[illegible]vent. Ergò.

Major propoſitio extra omnem contentio-
66 nis aleam poſita eſt, poſtqvam delicta † abſqve
dolo non perpetrantur, nec locum habet deli-
cti pœna, ubi deficit dolus, *l. 1. C. de Sicar. l. qui*
injuriæ. ff. de furt. l. quod Reſpublica. ff. de injuriis,
Maſcard. *in ſpecul. part.* 4. *in pr. numero* 58 *& ſeqq.*
Hippol. de Marſil. *in l. lege Corneliâ. §. cum*
quidam. numero 3. *ff. ad leg. Corn. de ſicar.* Ti-
ber. Decian. *in tract. crim. libr.* 1. *cap.* 4. *numer.*
9. And. Tiraqvell. *de pœn. tempor. cauſ.* 14. *num-*
ero 1. Voluntatem qvoqve † & intentionem in de- 67
lictis potiſſimum ſpectari, expeditum eſt, *l. 1 §* 3.
l. 7 *l.* 14. *ff. ad leg. Corn. de ſicar.* eaqve maleficia
diſtinguit, *dict. l. qui injuriæ. ff. de furt.* in
tantum, ut ſi aliâ ex cauſâ magis, qvàm vo-
luntate peccetur, extra crimen eſſe dicatur,
l. 1. §. divus. 3. in fin. ubi Hippol. de Marſil. *nu-*
mero 49. *ff ad Leg. Corn. de Sicar.* Nam, ut *Au-*
guſtinus ait, † usque adeò peccatum eſt malum 68
voluntarium, ut nullo modo peccatum ſit, ſi
non ſit voluntarium, *c. 1. cauſ.* 15. *quæſt.* 1. An-
gel. Aretin. *in tract. maleſic. verb. & appenſato.*
Iaſon. *in l. ſororem. not.* 2. *C. de his quib. ut indign.*
Socin. *lib.* 1. *conſil.* 123. *num.* 25 Nicol. Reuſn. *lib.*
2. *deciſ.* 16 *num.* 7. Ac, ne quisqvam crimen ma-
jeſtatis ab hac generalitate excipiat, ejus reum
† ſine dolo neminem conſtitui, probant textus 69
clariſſimi *in l. 1. §. 1. verb. quo tenetur is, cuius ope-*
ra dolo malo conſilium initum erit, l. 3. in fin. verb.
quid ſciens dolo malo geſſerit. l. 4. in princ. Cu-
iusque dolo. l. 10 ubi Maieſtatis crimine accuſari
poteſt. cuius ope, conſilio, dolo malo provincia vel
Civitas hoſtibus prodita eſt. ff. ad Leg. Iul. Maieſt.
Henr. Bocer. *de crim. læſ. maieſt. cap.* 1. *numer.* 30.
Elias Rehnvald *ad Leg. Iul. Maieſt. th.* 9.
lit. e.

XXX. Minoris, ſive aſſumptionis proba-
tio, † quia eſt negativa, non nobis ſed Dil- 70
lingenſibus incumbit, *l. 2. ff. de probat. & l. ſi*
23. *C. eod. tit.* Ex quo enim Theologi Luthera-
ni dolum atque animum offendendi Cæſa-
ream Maieſtatem & ſtatus Imperii inficiàn-
tur, acqvieſcentes in propoſito & intentione
docendi ac commonendi populum, ut Papam
ſeductorem fugiant & è Regnò ejus exeant,
qvem Spiritus Sanctus tam manifeſtis judiciis
deſcripſit Antichriſtum; † Dillingenſes ini- 71
qvè dolum & propoſitum delinqvendi ipſis
imputantes, onus probandi in ſe ſuſcipiant
neceſſe eſt. Qvid ergo illi Proteſtationem
Theologorum Lutheranorum † ipſo facto, 72
inqviunt, eſſe contrariam, qvia notoriæ ſint
calumniæ & læſæ maieſtatis crimina adver-
ſus Cæſarem & Principes catholicos, adeò-
que eos coërceri debere, *in §.* 159. *pag* 635.
Reſp. Accuratè, ſi Diis placet † reſponſio, & 73
exacta probatio, qvæ concluſionem infert cer-
tiſſimam ex petitione principii. Sed ſcire de-
buiſſent (1.) dolum & propoſitum delin-
qvendi † neqvaqvam præſumi, Iul. Clar. 74
in pract. § ult. quæſt. 64. *numer.* 2. Ægid Boſſ.
in tit. de tortur. num. 29. Hippol. de Marſil. *in*
pract. crimin. §. expedita. numero 80. & præ-
ſumptionem non delicti, excludere præſumptio-
nem delicti, Ioſeph. Maſcard. *de probat. concluſ.*
1224. *num.* 11 Iacob Menoch *lib.* 2. *de arbitr. iu-*
dic. quæſt. caſ. 411 *& lib.* 1. *præſumpt. quæſt.* 36. *&*
92. Nicol Boer. *deciſ.* 165. Iohann Fichard. *con-*
ſil. 108. *num.* 2. *& conſil.* 120 *num* 5. *tom.* 1. Matth.
Stephani *in not. ad artic.* 28. *Ordin. crimin. Carol.*
(2.) Idqve eo magis, † qvia Theologi Luthera- 75
ni in re licitâ verſantur, & in ſtudio ſuæ voca-
tionis ambulant, auditores ſuos de Papa anti-
chriſto informantes, qvò ſciant fugere filium
perditionis & ejusqve tradita vitare: ipſosque
catho-

Digitized by Google

catholicos admonentes, ut Antichriſtum noſ-
ſe dicant, & in tempore reſipiſcentes è Regno
76 eius exeant, qvod † certè opus pietatis habe-
tur & laude dignum; tantùm abeſt, ut ullo ipſis
vitio verti debeat: qvo illud facit Lutheri
Was offenbahr am Tage iſt, da kan kein Afterreden, noch
falſch Richten oder Zeugen ſeyn; Als daß wir jetzt den
Pabſt mit ſeiner Lehre ſtraffen, ſo öffentlich in Büchern an
Tag gegeben / und in aller Welt ausgeſchrieben iſt / ꝛc.
77 (3) Excludunt porrò † omnem præſumptionem
doli devotæ preces publicæ Lutheranorum
Theologorum pro Imperatore, qvas poſt ha-
bitam concionem ſingulis ferè diebus erga
Deum effundunt, Cæſareamqve Maieſtatem
78 reverentur & honorant: prqvi ipſimet † hoc
fundamento præſumtionem doli avertunt, *in
Vindiciis pupillæ Evangelicæ cap. 88. §.* in unſern
Predigten / *pag. 669 verſ.* Wir beten auff allen Cantzeln alle
Tage für den Römiſchen Keyſer: Wir beten für ihn in der
Litaney: Wir beten für ihn in unſern Betſtunden: Wir wündſchen
dem Römiſchen Keyſer alle Wolfahrt an Seel und
Leib / etc. *It. §.* So viel ermanen wie uns. *in verb.* Wann
gleich die Jeſuiten es dahin brächten / daß wir die Seelen
auffgeben müſten / ſo wolten wir doch ſagen: *Hoc agite Carnifi-
ces, extorqvete animam Deo ſupplicantem pro Imperato-
re:* Wie vor 1400. Jahren die Chriſten zu ſagen pflegten /
dann es heiſt bey uns Evangeliſchen auch / wie Tertullia-
79 nus ſaget (*Apologet. 30.*) † *Chriſtianus nullius eſt
hoſtis, nedum Imperatoris; quem ſciens à Deo
conſtitui, neceſſe eſt, ut & ipſum diligat, & reve-
reatur, & honoret, & ſalvum velit cum toto Ro-
mano Imperio.* Was kan man mehr von uns begehren?
Wir wiſſen / daß die jetzige Römiſche Keyſerliche Maieſt.
ſelbſt mit einem ſolchen allerunterthänigſten Wündſch / und
80 Erklärung allergnädigſt zu frieden ſeyn † *Et pag. 672.* Ob
derowegen ſchon heutiges Tages auch die Römiſchen Key-
ſer unſerer Religion nicht öffentlich zugethan: Ja ob Sie
ſchon zu ſcharffen Anordnungen wider die Evangeliſche
Lehr und Lehrer / durch die Jeſuiten und ihren gleichen / an-
gereitzet worden: So wiſſen wir doch wol / daß wir nichts
deſto weniger umb ihrer habenden Maieſtät und von Gott
verliehenen höchſten weltlichen Ampts gebührlich ſie titu-
liren, von Ihr reden und ſchreiben / und bey unſerm HErrn
81 und Gott für ſie bitten und beten ſollen / etc. Ingenua †
Theologorum Lutheranorum confeſſio, qvæ
contrariam doli præſumptionem in totum
tollit, cui locus non eſt, qvando fortior alia
82 obſtat. Nam præſumptio una tollit † aliam, &
fortior debiliorem vincit, *l. divus. & ibi* Baldus
ff. de in integr. reſtit. cap. illud extr. de præſumpt.
Decius *conſil. 740.* Iaſon. *libr. 2. conſil. 135. in fin.*
83 (4) Et cur tandem Dillingenſes † verba Lu-
theranorum Theologorum contra Papam
prolata ad perſonam Imperatoris torqvent, ac
ſi contra ipſum dicta fuiſſent. Nullum nem-
pe non movent lapidem, quò utriuſque reſpe-
ctum ac regimen tàm arctè connectant, ut u-
num abſqve alio conſiſtere neqveat; qvàm
multùm verò à veritatis tramite aberrent,
84 diximus ſuprà *theſ. 25* ac benè † hoc mo-
nent Theologi Saxonici *in Vindic. pupillæ E-
vang. dict. cap. 88 §.* In unſern Predigten *verb.* Wir
wündſchen dem Römiſchen Keyſer alle Wolfahrt an Seel
und Leib: und machen ſo einen groſſen Unterſcheid
zwiſchen dem Reiche oder Ampt und Stande des Key-
ſers / und zwiſchen dem Ampt und Stande des Pabſts / als
zwiſchen Himmel und Erden.

XXXI. *Qvartum* argumentum ſuggerit
85 nobis † qvalitas ſubiecti in hos crimine, & eſt
tale:

*Qvicunqve non ſunt ſubditi Imperatoris vel
Procerum Imperii, ii nec criminis Maieſta-
tis inſimulari poſſunt.*

*Theologi Lutherani (qvâ tales) non ſunt
ſubditi Imperatoris vel procerum Imperii.*
Ergò.

De veritate maioris propoſitionis dubitan-
dum non eſt, ſiqvidem ex communi Interpp.
calculo & doctrina; non † niſi ſubditus cri- 86
men maieſtatis incurrit, Nicol. Boer. *in tract. de
Seditioſis. cap. 6. numero 2. & 3.* Martin. Laudenſ.
in tract. de crim. læſ. maieſt. quæſt 34. Hieron. Gi-
gas *in eod. tract. libr. 1. Rubr. qualiter & à quibus
crimen læſæ maieſt. commit. quæſt. 34. & 68.* Iul.
Clar. *lib. 5. ſentent. §. læſæ maieſtatis crimen. num.
6. & 7.* Ludov. Carer. *in pract. crim. tract. appel-
lat. in criminal. caſ. 11. num. 21. pag. 25. fac. 2* Henr.
Bocer. *de crim. læſ. maieſt. cap. 1. numer. 25.* Iacob.
Menoch *conſil. 99. num. 16. 17. & 97.* Tiber. De-
cian. *vol. 1. Reſponſ. 18. numero 320. & in tract. cri-
minal. lib. 7. cap. 5. num. 12 & cap. 8. numer. 5.* An-
ton. Gomez. *tom. 3. cap. 2. numer. 10.* Elias Rhe-
vvald. *ad Leg. Iul. Maieſt. theſ. 9. lit. b.* Andr.
Gail *libr. 2. de pace publ. cap 13. num 19.* Iohann.
Harpprecht *in §. publica. 3. num. 30. Inſt. de publi.
iudic.* Henn. Arniſ. *lib. 3. de iur. maieſt. cap. 6. nu.
12.* M. Anton. Peregr. *lib. 5. de iur fiſci. tit. 1. num.
18. verb. illud tamen &c.* Quod & probat tex-
tus in *cap. paſtoralis, §. rurſus. ubi Gloſſ. tit. de
ſent. & re iudic. in Clement.* ubi Robertus Sici- 87
liæ Rex † faciendo confœderationes & con-
ſpirationes in offenſam Henrici Imperato-
ris Romani, expreſsè negatur crimen læ-
ſæ maieſtatis commiſiſſe, propterea, qvod
Imperatori non ſubſit, ut in eum crimen
læſæ maieſtatis contrahere potuerit. Nec
alia † ratio aliud admittit: poſtqvam ma- 88
ieſtas in ſummâ conſiſtit poteſtate, ut diximus
ſupr. th. 22. qvam peregrinus & exteræ nationis
civis, qvi ei non ſubeſt, haud agnoſcit; Ergò nec
eam offendere, nec per conſeqvens crimen Ma-
ieſtatis incurrere poteſt.

XXXII. Minoris probationem ſi à nobis 89
petant Dillingenſes, † opponimus iis dogma
pontificiorum: Quod Clerici à poteſtate Magi-
ſtratus ſecularis ſimpliciter & abſolutè ſint e-
xempti, *cap. cum non ab homine. cap. at ſi Clerici.
extr. de iudic. cap. un. de cler. coniug. in 6to. c. ſi
quis ſuadente 17. quæſt. 3. l. placet. 27. C. de Epiſc.
& Cleric* Bellarm. *in libr. de Clericis cap 28.* de
qvô ita Concilium Lateranenſe ſub Leone X.
*Seſſion. 9. Cùm à iure tàm divino quàm humano
Laicis poteſtas nulla in eccleſiaſticas perſonas at-
tributa ſit, innovamus omnes & ſingulas conſtitu-
tiones &c.* Concil. Tridentin. *Seſſ. 29. cap. 25:
Eccleſiæ & perſonarum eccleſiaſticarum immu-
nitas Dei ordinatione & ſanctionibus canonicis
eſt inſtituta.* Et Soarius in *defenſ. fidei cathol.
adverſus Anglic. ſect. error.* multis propugnat,
Clericos omni iure † divino & humano à po- 90
teſtate Principum ſecularium eſſe exemtos,
non ſolùm in ſpiritualibus & eccleſiaſticis cau-
ſis, ſed etiam in rebus & cauſis temporalibus,
lib. 4. cap. 1. 2. & 3. Quâ ſtante maximâ, ipſi-
met † inferunt & concludunt, Clericos in re- 91
bellione contra Principes ſeculares non poſſe
committere crimen læſæ maieſtatis, Eman. à

Digitized by Google

S22.*in aphoriſmis Confeſſor. verb. Clericus.* qvod
& tuentur Anton. Gomez. *in §. rurſus. num.* 24.
Inſt. de action. Tom. Michael *de iuriſdict. con-*
cluſ. 95. *lit. b.* Elias Rhewald. *ad l. Iul. maieſt. th.*
17. *lit. b.* Roll. à Vall. *vol.* 1. *conſil.* 4. *nu.* 34. Proſp.
Farin. *in prax. rer. crim. lib.* 1. *tit.* 1. *quæſt.* 8. *nu.* 28.
Tiber. Decian. *in pract. crim. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 5.
& lib. 7. *cap.* 8. *n.* 6.

XXXIII. Concluſum hoc Pontificiorum ac-
92 ceptamus qvidem, † at dogma de Clericorum
exemtione non ſimpliciter probamus; aliter &
rectius edocti ex iure pariter divino & huma-
no. Non enim Apoſtolus *Roman.* 13 *v.* 1. o-
mnem animam poteſtatibus ſupereminentibus
ſubditam eſſe iuſſiſſet, ſi Clericos excipere vo-
luiſſet, veluti commentatur in locum illum
93 Chryſoſt. *hom.* 23. *in Epiſt. Rom. in pr.* † hiſce ver-
bis: *Oſtendit Apoſtolus, quod iſta imperentur*
omnibus, & Sacerdotibus & monachis, non ſolùm
ſecularibus, id quod ſtatim in ipſo exordio decla-
rat. cum dicit: Omnis anima poteſtatibus ſuper-
eminentibus ſit ſubdita, etiamſi Apoſtolus ſit, ſive
Evangeliſta, ſive Propheta, ſive quisquis tandem
fuerit, neque enim pietatem ſubvertit iſta ſubie-
ctio. Et non ſimpliciter dicit, obediat, ſed ſubdita
94 *ſit, &c.* Cum qvo † etiam convenit Bernhardus,
Epiſtol. 42. *ad Archiep. Senon. Omnis anima po-*
teſtatibus ſublimioribus ſit ſubdita: ſi omnis, &
veſtra. Quis vos excepit ab univerſitate? ſi quis
tentat excipere, conatur decipere. Et nonne Chri-
ſtus dixit ad Pilatum: Non haberes poteſtatem
ſuper me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper, Io-
han. 19. *verſ.* 11. In qvem locum ita ſcribit Bern-
hard. *dict. Epiſt.* 42. *Quid ſecularitatem contem-*
nitis, nemo ſecularior Pilato, cui Dominus adſtitit
iudicandus. Non haberes, inquit, in me poteſtatem,
niſi deſuper tibi eſſet datum, jam tunc pro ſe lo-
quebatur, & in ſe experiebatur, quod per Apo-
ſtolos clamavit in Eccleſiis: Non eſt poteſtas niſi à
95 *Deo.* Vt † alios taceamus textus, qvos congeſ-
ſit in hanc rem Iohan. Gerhard. *in loc. de magi-*
ſtr. polit. §. 442. *&* 443. *pag.* 1243. *&* 1245. *ac ſeqq.*
Nec in alienum ab hoc eſt ius civile, qvo Cle-
96 rici politicis legibus æqvè ſubiiciuntur † in *l.*
decernimus 26. *C. de Epiſc. & cler. l. omnes.* 10. *C.*
de LL. l. ſi quis ex cōſenſu. 7 *& tot. tit. C. de Epi-*
ſcop. audient. Novell. 3. *in pr. Novell.* 6. *cap.* 8. *No-*
vell. 86. *cap.* 1. *Novell.* 123. *cap.* 8. *&c.* In qvam
ſententiam non modò tranſeunt plurimi etiam
ex pontificiis, Innoc. *in cap.* 2. *extr. de maior. &*
obedient. Carol. Molin. *in addit. ad conſil. Alex.*
8. *lib.* 1. Didac. Covarr. Hiſpan. Epiſc. Segobienſ.
pract. quæſt. cap. 31. *numer.* 2. *verſ. contrar. opinio.*
Marſil. Patavin. *in defenſ. pac. part.* 2. *cap.* 4. *&* 5.
97 † ubi id latiſſimè oſtendit, & Chriſti, Apoſtolo-
rum: aliorumqve orthodoxorum exemplis
comprobat, Octavian. Cacheran. *deciſ. pedem.*
30. *num.* 5. *& ſeqq. uſque ad fin.* Ioſeph. de Seſe *in*
tract. de inhib. cap 8. *num.* 11. *& ſeqq.* Sed etiam
98 † Theologi & Politici Auguſtanæ Confeſſio-
nis unanimiter eam comprobant, Gerhard. *dict.*
loco. Frider. Balduin. *de caſib. conſc. libr.* 4. *caſ.* 13.
& 14. Et tuetur hanc ipſam integro tractatu
Henn Arniſ. *ſubiect. & exempt. Cler.*

XXXIV. Nihilominus hoc temperamen-
ti addimus, † ut reſtringenda ſit Clericorum 99
ſubiectio ad vinculum politicum, qvo civili
ſocietati ſunt obſtricti; Qvoad munus verò ec-
cleſiaſticum, dogma catholicorum facilè lar-
gimur, † miniſtros nempe Eccleſiæ, Magiſtra- 100
tui ſubiectos haud eſſe in actibus eccleſiaſticis
ac ſpiritualibus, ad internam poteſtatem ec-
cleſiaſticam pertinentibus: Nec enim Magi-
ſtratus ſecularis poteſt nec debet illis præſcri-
bere aliam docendi errores & peccata arguen-
di, Sacramenta adminiſtrandi &c. formam,
quàm eſt in verbo ipſis divinitus præſcripta; † 101
qvin potius Chriſtianus Magiſtratus tanqvam
membrum Eccleſiæ ad præconem verbi gerere
ſe debet, ceu ovis ad paſtorem, cuius monita
ſeqvatur & præceptis ex ſacro Codice ſibi præ-
lectis obediat; tantum abeſt, ut imperare ei poſ-
ſit. Ioh. Gerh. *dict. loc. de magiſtratu politico, §.*
440. *pag.* 1235. Theodor Reinking *de regim. ſe-*
cul. & eccleſ. lib. 3. *claſſ.* 2. *cap.* 1. *num.* 32. *&* 33. Ex
hoc ipſum eſt, † qvod propoſitionem noſtram 102
maiorem ad officium reſtrinximus eccleſiaſti-
cum; Cumqve informatio auditorum de Anti-
chriſto, ad munus illud ſpectet: huius intuitu
neqvaqvam Theologos magiſtratui politico
ſubiectos eſſe, & quod conſequens, nec cri-
men maieſtatis adverſus eum committere, fa-
teri nos oportet.

XXXV. *Quintum* argumentum petimus † 103
ab officio & fervore debito miniſtrorum ver-
bi, qvo dogma de Papâ Antichriſto profiten-
tur: eſtqve tale:

Nihil, quod ratione officii, amore ac zelo ortho-
doxæ Religionis ab aliquo profertur: pro
crimine maieſtatis imputari debet.

Dogma de Papâ Antichriſto ratione officii,
amore ac zelo Religionis Orthodoxæ, â
Theologis Lutheranis profertur. Ergò.

Maior probatione non indiget; luce ſua
ſplendens: Nec enim abſqve dolo † crimen 104
læſæ maieſtatis perpetrari, ſuprà diximus *th.*
29. & verè diximus, qvia ut aliis delictis, *l.* 1. *C.*
de ſicar. l. qui iniuriæ ff. de furt. ita etiam in cri-
mine maieſtatis dolus formam dat ſubſtantia-
lem maleficio, idqve verè perficit, *l.* 1 *§.* 1 *l.* 3. *in*
fin. l 4. *in pr. l.* 10. *ff. ad leg. Iul. maieſt.* Bocer. *de*
crim. læſ. maieſt. cap. 1. *num.* 50. Atqvi † dolosè 105
nil agit, qvi officio ſuo fungitur, nam & iniuſta
ac beſtialis cauſa à dolo aliqvem excuſat, *l igi-*
tur. 12. *§. & generaliter.* 3 *ff. de liber. cauſ. l. inter o-*
mnes. 47 *§. rectè dictum eſt.* 7. *ff. de furt.* Iaſon. *in*
l. 1. *§. hoc indicium* 4. *verſ. facit trita regula. ff. ſi*
quis ius dic. non obtemp. Ludolph. Schrader. *in*
miſcell. cap. 16. *tit. iniuſta cauſa an à pœnis excu-*
ſet. Aym. Cravett. *lib.* 1. *conſil.* 6. *num.* 89. Paris *lib.*
4. *conſil.* 149. *numer.* 18. Iul. Clar. *lib.* 5. *ſentent. §.*
ult. quæſt. 60. *numer.* 22. Ægid Boſſ. *in prax. crim.*
tit. de decreto Mediolan. n. 61. Nicol. Boer *deciſ.*
168 *nu.* 11. multò magìs cauſa, iuſta eaqve præ-
gnantiſſima.

XXXVI. In aſſumptione verò qvod dici-
tur, Theologos Lutheranos ratione officii &
ex amore & zelo Religionis dogma de Papâ
Antichriſto profiteri, † id nemo inficias ibit, 106
qui non calumnioſè, veritatem diſſimulare
velit,

Digitized by Google

velit, convictus (1.) notoriâ Theologorum
functione, qvæ in eo conſiſtit † ut verbis &
107 ſcriptis veritatem verbi divini tueantur, ſen-
ſum eius genuinum doceant, vita auditorum
reprehendant, & à falsâ religione & doctrina
Antichriſti fideliter eos dehortentur, nec qvic-
qvam intermittant, qvoàd veram pœniten-
tiam, fidem & exercitium bonorum operum
populus excitetur. At † qvomodo hoc fieri
108 poterit, ſi de filio perditionis Antichriſto eius-
qve perſona & falſis traditionibus qvicqvam
proferre interdictum ipſis eſſet, maximè de
qvia doctrina † Papa Antichriſto articulis fi-
109 dei habetur, Nicol. Hunn. *de innoc. Lutheran. in
poſter. accuſat. capit. §. 811. pag. 521.* ut non magìs
qvàm alios fidei articulos, eum celare poſſint.
(4.) Nec novum eſt, acerba dicteria hoc no-
mine proferri, † cum præeuntem habeamus
110 Salvatorem in Scribas & Phariſeos acriter in-
vectum, qvem Apoſtoli & Patres ſimili fervo-
re ſecuti ſunt. Nam in Conſtantium Impera-
torem ita ſcribit Athanaſius: *Qvid hic, qvod
Antichriſti eſt, omiſit? aut qvid ille, ubi venerit,
plus committere poterit? aut qvomodo ille in ad-
ventu ſuo non reperit ſibi expeditam viam ad
dolos ab iſto præparatam.* Baron. *annal.* 355. §. 12.
nec non in eundem Hilarius: *At nunc fructus
operum tuorum, lupe rapax, audi: Poſtqvam o-
mnia contuliſti arma adverſus fidem occidentis,
& exercitus tuos convertiſti in oves Chriſti; re-
fugere nihil ſub Nerone licuit,* Baron. *dict. loc.* §.
111 31. Eudoxiam Imperatricem † ita perſtringit
Chryſoſtomus: *Rurſum Herodias furit, rurſum
turbatur, rurſum ab Herode caput Iohannis in-
iuriâ petit abſcindi: rurſum Iezabel Nabotho vi-
neam eripere tentat, ac ſanctum Eliam ad mon-
tes perſeqvendo, compellere* Baron. *annal.* 404. §.
4. Quis propterea Apoſtolus & Patres criminis
læſæ maieſtatis inſimulauit? Vt nec hinc Lu-
theranos hoc nomine accuſare liceat. (5.) Quâ
112 † in re nec Magiſtratui ſilentium imponenti eſt
obtemperandum, ſed potius pro veritate divi-
nâ dimicandum, ne ſupremus offendatur Ma-
giſtratus, qvi eſt Rex Regum, & Dominus Do-
minantium, *1. Timoth. 6. v. 15.* cuius mandata ſi
inferiorum Magiſtratuum mandatis præferan-
tur, crimen læſæ maieſtatis neutiqvam com-
mittitur, Iohan. Gerhard. *in loc. de magiſtr. po-
113 lit. §. 475. pag.* 1290. Sed qvid ad † hæc Dillin-
genſes? Pro more ſuo concluſionem negant.
Et fruſtra diſputari à Lutheranis aiunt in noto-
riis calumniis: qvę nō calamo ſed virgâ iudicia-
li ſint coercendę, §. 164 *pag* 640. *in pr.* Nimirum
114 † ſi qvid reſpōſi ipſis ſuppetiiſſet, nō tacuiſſent,
nec in notorietate ignota, nunqvam nota ſub-
ſtitiſſent.

XXXVII. *Sextum* argumentum pro obti-
nendâ Lutheranorum Theologorum innocen-
115 tiâ, ex † iure paritatis inter Catholicos & E-
vangelicos deſumtum, ſit hoc:

*Si Pontificii Lutherum ac Lutheranæ Reli-
gioni addictos dicendo hæreticos, aliaqve in
ipſos jacendo convitia, adverſus Principes
& Status Imperii Evangelicos crimen læſæ
majeſtatis haut committunt: nec Lutherani
Theologi Papam dicendo Antichriſtum, id
addit:
crimen incurrunt.
At verum prius: Ergò & poſterius.*

Neminem opinor fugere, † qvantis calum- 116
niis, qvantisqve conviciis pontificii Lutherum
& Lutheranos proſcindant: Paucula ex infi-
nitis ut adducamus, in B. Lutherum haſce evo-
mitat iniurias Tannerus *part. 1. Anat. Auguſt.
Confeſſ. Fuit Apoſtata à ſacro ordine & Religio-
ne, homo erga Deum perfidus, ſacrilegus, ſacræ
ſcripturæ & Symboli Apoſtolici, Pſeudopropheta,
Pſeudo apoſtolus, Diaboli diſcipulus, contemtor
veteris Eccleſiæ Doctorum, ſuperbus, ebrioſus,
mendax, ſpurcus, maledicus, ſcurra, ſeditioſus,
flagitio, hæreſiarcha &c.* Nec finis aut modus i-
ſtorum maledictorum. Et qvot convitia per 117
depravationes & iniqvas detorſiones ex ver-
bis Lutheri contra illius mentem ac ſenſum e-
liciuntur? Videre licet Gretſeri Lutherum Aca-
demicum, Badiſche motrven, aliaqve pontificio-
rum ſcripta; nil ferè iis freqventius, quàm ut
Lutheri mentionem facientes ad tertium ver-
bum † proferant illud protritum: *Lutherus fuit* 118
*Diaboli diſcipulus, ab illo ſiqvidem didicit impu-
gnare Miſſam.* (qvam falsè autem & calumnio-
sè, manifeſtum ex ipſis Lutheri verbis, *tom. 6.
Ienenſ. German. fol. 82.*) Qvid freqventius de
Luthero, ore fertur pontificio, † qvàm quod 119
marito, cui uxor denegat conjugale debitum,
permiſerit ſcortari cum ancillâ, *tom. 2. Ien. Germ.
fol. 152.* Hie iſt es Zeit/daß der Mann ſage: Wilſt du nicht
ſo wil eine andere/Wil die Frau nicht/ſo komme die Magd.
Qvo in luto etiam hæret ICtus celeberrimus
Anton. Fab. *in Codice ſuo, libr. 1. tit. 1. pag. 9. §* 10.
(Ex propoſito autem † & profligatâ conſcien- 120
tiâ, per ſummam & deteſtabilem iniqvitatem
calumnias haſce B. Luthero imputari, qvivis
candidi pectoris homo fatebitur, ipſa Lutheri
inſpiciens, qvibus conſulere marito voluit, ne
in ſcortationem incidat, obſervato ordine a-
ctionis ab ipſo Chriſto *Matth. 18. verſ. 15. &
ſeqq.* præſcripto, & hodie in Conſiſtoriis Evan-
gelicis laudabiliter recepto.) Non minus qvo-
qve † Religioni Lutheranæ addicti calumniis 121
proſcinduntur & conviciis notantur: Ita enim
Papa Lutherum, ciusqve poſteros in doctrina
declaravit, nec declarare ceſſat hæreticos, hoc
eſt, homines execratos, *c. pudenda. 24. quæſt. 1.*
à Chriſti Eccleſiâ ſeparatos, *c. conventibus, 1.
quæſt. 7.* à Spiritu ſancto deſertos, *c. hæretici, c. di-
dicimus, 24. quæſt. 1.* Anathemata, *cap. ad abolen-
dum. 9. extr. hæret.* cum diabolo & angelis eius,
æterni ignis incendio participandos: *cap. firmiſ-
ſimè. 9. extr. eod. tit.* ſepulturâ honeſta privandos,
cap. qvicunq; 2 extr. de hæret. in 6. Quin & ipſi-
met † Dillingenſes ab iniuriis non abſtinent, 122
Lutheranos hæreticos, fidemqve Lutheranam,
hæreticam fidem proclamantes, §. 169. *pag.* 644.
& paſſim in compoſit pacis.

XXXIIX. An num ergò crimen committant
læſæ maieſtatis contra Principes & Status Im-
perii Lutheranos, adverſus qvos † æqvè ac
contra ipſummet Imperatorem crimen hoc 123
perpetrari, diximus *ſuprà theſ. 33.* & fatentur
Dillingenſes, §. 150. *pag.* 626. Negant ac perne-
gant pontificii & cum ipſis Dillingenſes, §.
169. *pag.* 644. Ex qvô qvia membrum noſtri

Syllogiſmi *prius* verum; nec *poſterius* negari
poteſt;neqvaqvam ſcilicet Theologos Luthe-
ranos maieſtatis reos fieri,ſi Papam appellitent.
124 Antichriſtum: Eſt enim † connexio perſpicua
(1) *ex pacificatione Religioſâ*, qvâ Lutherani
cum Pontificiis (non habitâ ratione antiqvi-
tatis & novitatis) eodem iure gaudent in Ro-
mano Imperio, & hactenus æqvâ Religionis
125 pace fruuntur. (2) ex Regula Chriſti: † *omnia
qvæcunq; vultis,ut faciant homines,ita & vos fa-
cite illis*;Hæc enim eſt lex & Prophetæ,*Matth.*
126 *7.v.12.& Luc.6.verſ.31.*(3.) Ex edicto † Præto-
ris (*quod quiſque iuris in alterum ſtatuerit, ut i-
pſe eodem iure utatur*) in ipſa æqvitate funda-
to;nam dicere,ut ſervetur edictum (*quod quiſ-
que iuris &c.*) nihil aliud dicere, qvàm ut ſer-
vetur æqvalitas,Matth.de Afflict. *in cap.1 num.*
127 *17.de conſuet.rect feud.* (4.) ex iure † retorſio-
nis;qvod efficit,neminem gravari,nec iuſtè in-
dignari,qvi patitur tela in ſe torqueri, qvæ ipſe
torſerit, *l.cum in eo.44.ſub fin.ff.de pact.l.cum.
heredıtas.89 ff. de adminiſtr. tutor. l.altius ades.
15.ff.ſi ſervitus vindic.l.frater.à fratre 38 verſic.
porrò eum ff de condict.indeb. l.vindicantem.17.*
128 *ff de evict.*qvod nec † à iure canonico alienum,
*c.juſtum.2.verſ.nec in ſe poſſe.diſtin.9.cum omnes.
6.verſ.cum igitur.extr.de conſt. cap. pro illorum..
22.§.qvia verò,verſ.cum nobis logem &c.extr. de
preb.& dignit.*

XXXIX. Verbis pomposis, contra hanc
connexionem inſurgunt Dillingenſes ICti † in
129 §.169 *pag.*644. Liqvidò nempe falſum eſſe, *in-
qvıunt*, qvod Lutheri doctrina ſeu Lutherana
Religio eodem iure in Sacro Romano Impe-
rio gaudere debeat qvo Romanæ ſedis,eiuſque
adhærentium fidelium Religio gaudet: Nam
illa tanqvam hæreſis dudum ab Impp. publi-
cis decretis damnata fuit;eaqve damnatio nun-
130 qvam retractata &c. † *Et ıa cap.6.de compoſ.
pac.qvæſt.30.in pr. pag.*158. hæc verba ponunt
*Æqvalinè iure Confeſſioniſtæ Religione ſuâ,
templis,monaſteriis,ceremoniis utuntur? Reſp.Ne-
qvaqvam. Nam catholici ex antiqviſſima &
immemoriali poſſeſſione,jus acqviſitum habent fi-
dei.Religionis; Eccleſiarum ſuarum; Confeſſioni-
ſtæ autem ſe noviter intruſerunt, & cum repelli
non poſſent, tolerati ſunt. etiam promiſſione factâ
131 propter neceſſitatem, &c.* Falsò, † iniuriosè &
iniqvè nimis contra Principes & Status Impe-
rii Lutheranos hoc effutiunt Dillingenſes, de
qvo forſan volente Deo alio tempore. Iam
paritatis iura inter Catholicos & Evangelicos
duntaxat urgemus,qvæ auſu temerario Dillin-
gani invertere ſtudent,non diſtingventes tem-
pora, ante & poſt pacificationem Religionis;
132 Etſi enim † qvondam Lutherani iure pa-
cis & æqvalitatis non fruerentur cum Catho-
licis, factâ tamen poſtmodum pacificatione,
per pactum & tranſactionem utriuſqve partis
jura qvoad exercitium Religionis fuerunt adæ-
qvata,ut hinc à iure & poteſtate Catholicorum
ad jus & poteſtatem Evangelicorum tutò ar-
133 gumentari liceat, idqve (1.) † probat ipſa tran-
ſactio Paſſavienſis,qvæ multoties hanc parita-
tem urget. (2.) Reſolutio Ferdinandi I.data Sta-
tibus Imperii in Comitiis Auguſt. 30. *Auguſt.*

Anno 1555.§. Dieweil nun *ibi*: Fürnehmlich die Billigkeit
vor Augen gehalten/und kein Theil dem andern zu viel wie-
der die Billigkeit etc. apud Melch.Gold *part.*1 der Reichs-
ſatzungen *pag.*287. (1.) †] Pacificatio, Religioſa *de An-* 134
no 1555 §.und damit ſolcher Friede/ etc *iunct* §. dagegen
ſollen/etc (4.) Edictum Imperatoris Ferdinandi II von
Einziehung der Geiſtlichen Güter. §. Es haben aber. (5.)
Finis & ſcopus pacificationis Religioſæ,ut ſci-
licet inter Status utriusqve Religionis Catho-
licæ & Lutheranæ æqvalitas & concordia con-
ſervetur. (6.) † Quò & faciunt verba *Lazari*
Svvendi,tribus illis glorioſiſſimis Imperatori- 135
bus Carolo, Ferdinando I. Maximiliano II.
qvondam à ſecretioribus & bellicis conſiliis:
Darumb/ *inquit*, wil vor allen von nöthen ſeyn/daß Ew.
Maieſt den Religions und Landfrieden ſtet/feſt/auffrichtig
und unparteyiſch handhabe/ und beyde Theil zugleich die
Catholiſche und Evangeliſche/ſo weit ieder Fug und Recht
hat dabey ſchütze/und keinem Theil weiter dann dem andern
etwan ungleiches nachgebe/etc *in aureo conſilio, cui titu-
lus* Bedencken/ von Regierung des Römiſchen Reichs
und Freyſtellung der Religion/ auff Befel/ Keyſ Maximi-
liani des Andern geſtellet und Ihr Maieſt.überſendet.

XL. *Septimum* deniqve & ultimum fun-
damentum ſuppeditat nobis † approbatio & 136
cõſẽſus Imperialis: ex qvo ſic argumẽtari lubet:

*Qvicqvid fit permittentibus, approbantibus
& conſentientibus Impp. id non poteſt nec
debet detorqveri in crimen læſæ maieſtatis
adverſus Impp.*

*Dogma de Papâ Antichriſto permittentibus
approbantibus & conſentientibus Impp. à
Theologis Lutheranis profertur & publicè
docetur*.Ergò.

Maior procul dubio eſt expedita,† cum vo- 137
lenti non fiat iniuria, nec approbanti infera-
tur ulla vis atqve delictum, qvid & ius ſuum a-
mittat conſentiens, ſecundum Regulam vulga-
tam, *in l.cum qvadam. 26.ff. de adminiſtr. tutor.
l.ult.C.de remiſſ pignor. l.qvidam ex parte. 12.ff.
de evictıon.l.fideiuſſor.26.§. pater.1.ff.de pign.act.*
Andr. Tiraquell. *in l.ſi unqvam. verb. donatione
largitus. numer.*348. *C de revoc donat.* nec per
rerum naturam poſſibile eſt,ut inferatur invi-
to, qvod ipſo ſit permittente & approbante,
vel ſolâ † voculâ (*contra*, it: *adverſus*) indi- 138
gitante, qvibus in crimine læſæ maieſtatis ut
plurimum utuntur ICti & Legiſlatores, prout
videre eſt *in l.1.§.1.l.4.in pr.l.5.§.1.l.ult.ff.ad leg.
Iul.Maieſt.l qviſqvis.5.C.eod tit.* & definitur
hinc crimen læſæ maieſtatis, qvo ſubditus
contra Imperatorem vel adverſus Status Im-
perii qviddolosè molitur, Henr, Bocer. *de crim.
leſ.maieſt.cap.1.n.1.* Elias Rhevvald *in diſſert.ad
leg.Iul.Maieſt.th.9.*

XLI. Aſſumtio verò indiget probatione, † 139
qvam ſuggerit nobis (1.) ipſorum Pontificio-
rum confeſſio, dum inficias haut eunt, Papam
non ſolùm à plerisqve bonis & aperti ingenii
Viris,ſed etiam ab ipſis Impp. qvondam habi-
tum & appellatum fuiſſe Antichriſtum. Ita
namqve Fridericum II.Ludovicum IV. Hen-
ricum IV. Impp. Papam Romanum dixiſſe
Antichriſtum fatetur Tanner. *apolog. cap.
16. pag.*198. † Et teſte *Aventino*, tempore Gre- 140
gorii VII.plerosqvè omnes bonos, aperti in-
genii,ac ſimplices homines ſenſiſſe,tunc impe-
tium Antichriſti cœpiſſe,propterea, qvod ea,
qvæ Chriſtus Salvator tot annos ante præ-
dixerat,

dixerat, evenisse eò tempore cernerent, me-
minit idem Tanner. *ibidem. pag.* 139. &
141 *ſeq.*† Quin & Epiſcopum Florentinum ſuo
tempore Papam Paſchalem II. judicâſſe An-
tichriſtum, unde in Concilio Florentinæ ha-
bito dogma hoc, an venerit Antichriſtus, fuerit
diſcuſſum, refert Palatina *in vit. Paſch. II. pag.*
142 188.†Qvod ſi ergò ipſimet Impp. unà cum aliis
Papam dixerint Antichriſtum, non invitis eis,
ſed potiùs permittentibus ac conſentientibus
pro tali fuit Papa habitus & proclamatus. Quâ
illatione cum jugulum ſuæ intentionis premi
143 videant Dillingenſes,† inter ipſum Pontificem
& Sedem Romanam atqve auctoritatem pon-
tificiam diſtinguunt: Ita ut licet aliqvi Impp.
à qvibusdam Pontificibus offenſi perſonas eo-
rum perſecuti fuerint, ac ſuperbiæ, aliorum-
qve ſcelerum arguerint, erga ipſam tamen Ro-
manam Sedem, officium & auctoritatem Pa-
palem benè ſe affectos oſtenderint. qvod vel
hinc manifeſtò colligi aiunt, qvia loco eorum
Pontificum, qvos oderunt, alios ſubſtitui vo-
144 luerunt, *in* §. 139. *pag.* 613. Reſp. Sed hanc † di-
ſtinctionem non admittit arctiſſimum vincu-
lum & reſpectus inter Papam & Sedem Ec-
cleſiamque papalem, qvippe cuius caput eſt
Papa: Nec fieri poteſt, ut, qvod capiti illatum,
non redundet in ipſum corpus, vel uti ipſemet
145 *Ieſuita Forerus* exiſtimat,† nō minus admitti in-
iuriam, ſi reprehendatur vitium perſonæ, qvàm
totius ſedis: ex qvo ſi Papa Stephanus argua-
tur Magiæ reus, cenſeri, *inqvit*, maculam iniu-
rioſè inuri domui Lotharingicæ, unde is cæ-
pit originem, nec non domui Bavaricæ atqve
Auſtriacæ, qvia his cum Lotharingicâ interce-
dit cognatio, *in invectivâ in Thum. & Zeeman.
cap. 2. pag. 13. c. 5. pag.* 32.

146 XLII. (2) Non demonſtrare † poterunt
Dillingenſes, pronunciatum de Papa Antichri-
ſto ab Impp. unqvam fuiſſe cōdemnatum: Vbi
enim citatio & cognitio cauſæ? vbi & qvando
partes auditæ, rationes & fundamenta ponde-
rata, examinata & diſcuſſa? vbi tandem lata
ſententia condemnatoria, & ubinam ea extat?
Nullibi ſanè; & ſi omninò extaret, inauditis ta-
men Lutheranis Theologis lata, adeoqve pro
iniuſtâ & nullâ eſſet habenda. Tacuerunt ergo
147 hucusqve Imperatores,† & tacendo dogma il-
lud Theologorum Lutheranorum de Papa
Antichriſto approbaverunt, ex Regula iuris
communiſſima, qvod tacens conſentire videa-
tur ac præſumatur, *c. qvi tacet. 43. extr. de Reg.
Iur. in 6to. l. item qværitur. 13. §. qvi impleto 11 ff.
locat.* Ioſeph. Maſcard. *de probat. concluſ.* 350.
148 *num.* 1. ſcilicet qvia † tacens patitur aliqvid fie-
ri: patientia autem cum ſcientia habetur pro
conſenſu, *l. utilitatem. 1. §. magiſtrum autem*, 5.
verſ. cæterum qvi ſcit. ff. de tribut. act. l. in rebus. 4.
§. item qvi. in fin. ff. de precar. Gloſſ. *in l. cum in
plures.* 60. *§. locator.* 6. *in verbo. remiſſam. ff. locat.*
Maſcard. *de probat. concluſ.* 1153. *nu.* 1. & *concluſ.*
1128. *num.* 1. Iacob. Menoch. *libr. 2. præſumt. 74. n.*
6. & 8. Dec. *conſil.* 409 *n.* 6. Natta *lib. 2. conſil.* 274.
num. 11.

149 XLIII. (3) Qvin † & expreſſus accedit
Impp. conſenſus ex promiſſione iuratâ ſuper
pacificatione Religionis, ad qvam recens ele-
ctus Rex Romanorum & Imperator obſtrictus
eſt: Iurat enim in Capitulatione: Daß er den Frie-
den in Religion und *prophan* Sachen ꝛc. ſampt Handha-
bung deſſelben, ſo auff deme zu Augſpurg im 55 Jahre ge-
haltenen Reichs-Tage auffgerichtet / genommen / verabſchie-
det / verbeſſert / auch in denen darauff gefolgten Reichs-Abſ-
chieden wiederholet und *confirmiret* worden / ſtet / feſt hal-
ten / haben / und wider niemanden beſchweren laſſen wolle /
Iohan. Sleidan. *libr. 1. comm. pag.* 28. Melch. Gol-
daſt. *polit. imper. tom. 2. de anno* 1519. & *Anno*
1562. & *in polit. Imper. part. 12. de anno* 1575. & ip-
ſemet de hoc dixi *in Comm. ad leg. Reg. cap. 3. nu.*
10. Iam verò in pacificatione Religioſâ, † libe- 150
rum Religionis exercitium, liberaqve fidei ſuæ
profeſſio Lutheranis permiſſa eſt, ut apparet ex
ipſâ *Pacific. de anno* 1555. §. Und damit ſolcher Frie-
de. *verſ.* So ſollen. *in verb.* Von wegen der Augſpurgi-
ſchen *Confeſſion*, und derſelbigen Lehr: Religion und Glau-
bens halber *&c.* Qvidni ergò ex pacificatione il-
lâ Religioſâ ab Impp. approbatâ, fas eſſet Lu-
theranis Theologis dogma de Papâ An-
tichriſto profiteri, poſtqvam illud Religio-
nem & fidem Lutheranam æqvè concernit, † 151
nec in pacificatione, ullâ Catholicorum prote-
ſtatione vel limitatione fuit exceptum? Sed
cum Dillingenſes hoc largiri nolint, ſpecialiùs
& fuſiùs de hoc agemus *infrà cap.* 4.

CAP. III.

In qvo Dillingenſium rationes & argumenta refelluntur.

XLIV.

Rationibus & fundamentis † hactenus de- 1
monſtratum dedimus, qvàm falsò, ini-
qvè & irrationabiliter Theologis noſtris ob
aſſertum Pontificis Romani Antichriſtianiſ-
mum crimen læſæ maieſtatis àb ICtis Dillin-
genſibus imputetur: Cum autem vis tota &
difficultas qvæſtionis præcipuè conſiſtere pu-
tetur † in reſponſione ad contraria; iisqve ſo- 2
lutis, confirmata concluſio reddatur clarior,
Socin. *in cap. ſi diligente. num. 11. extr. de foro com-
pet.* Cagnol. *in l. ult. num. 75. C. de pact.* Dec. *con-
ſil. 31. num.* 4. Socin iun. *lib 4. conſil. 121. num.* 14.
Alciat. *reſponſ. 293. num.* 4. Roland. à Valle. *lib. 1.
conſil. 3. num.* 40. paucis videbimus qvid mo-
menti habeant argumenta Dillingenſium qvi-
bus nugas ſuas lectori perſvadere satagunt quò
nebulis expulſis lux introducatur clariſſi-
ma. Præmittimus autem † in genere mo- 3
rem diſputandi Dillingenſium, qvi ut in
refellendis argumentis ſibi contrariis con-
cluſionem ſæpius ſine pudore inficiantur, li-
cèt in præmiſſis nil qvicqvam deſiderave-
rint; Ita & aſſertiones ſuas plerumqve no-
torietate proprioqve deciſo firmare non e-
rubeſcunt. Vt in † §. 163. pagina 638. *No-* 4
*toriè apparet; qvod prædicantes, qvi ta-
lia ſcribunt & publicè edunt, eò veſaniæ de-
venerunt, ut in ſacro Romano Imperio tole-
randi non ſint,* §. 164. pagina 639. *At verò*

qvod ſedes Apoſtolica, cui Imperatores juramentum edere ſolent, antechriſtiana ſit, & Romanus in eâ præſidens Epiſcopus pluribus retro ſeculis verus ac principalis Antechriſtus exiſtat, iniuriam notoriam & Cæſareis legibus, atque omnium populorum perſvaſione damnatam calumniam,
5 *continet: Itaque à † qvolibet abſque ulla controverſiâ, aut ulteriore indagine appellari, imò apud competentem ſupremum Magiſtratum, videlicet Cæſarem accuſari poteſt; neque probatione aliâ opus eſt, niſi ut libri ac ſcripta calumniantium exhibeantur.* Et pag. 640. *Fruſtra agunt prædicantes, quando jam oſtenſum eſt, has ipſas eſſe notorias calumnias, quæ non calamo, ſed virgâ iudi-*
6 *ciali coercendæ ſint.* It. §. 165. pag. 641. † *Notoriam ipſi in ſacro Imperio Romano non ferendam calumniam ac ſcelus pernicioſum committunt.* §. 169. pag. 645. *Hanc notoriam calumniam eſſe, quæ in ſacro Romano Imperio ferenda non ſit, &c.* Ita
7 † ſcilicet Dillingani diſputare norunt leoninè, non ex ratione & principiis veritatis, ſed pro imperio & ex civili potentia; qvem diſputandi
8 modum proculdubio didicerunt in † Curiâ Pilati hiſce verbis Salvatori inſultantis: *Neſcis quia poteſtatem habeo, crucifigere te, & poteſtatē habeo dimittere te? Iohann. 19. verſ* 10. Sed ne extra apia longius evagemur, nugis illis relictis properamus ad ea, qvæ ratiunculæ quid habere videntur.

9 XLV. *Primò* ita † argumentantur Dillingani: *Si Romani omnes Imperatores, Principes & Ordines Imperii ſex ſeptem & pluribus ſeculis, Romanam eccleſiam pro ſancta, veneranda, eiusque Epiſcopum ratione eiuſdem Eccleſiæ, pro ſanctiſſimo ſeu venerandiſſimo habuerunt, prædicaverunt ac coluerunt, inſigne eſt crimen, iniuria & contumelia, ſi ignobiles homines illi* (Theologi nempe Lutherani) *noviter advenient, qui eandem Sedem Romanam pro impiâ Antichriſti ſede, in eademque ſede à ſeptingentis & pluribus annis poſitos Epiſcopos pro ſceleratis idololatris habendos eſſe clamitent &c. At verum antecedens. Ergo & conſecutio vera.* Hactenus Dil-
10 lingenſes. Egregium, ſi Diis placet, † fundamentum commiſeratione potius qvàm reſponſione dignum, ſi vel connexionem, vel aſſumptionem probè penſitaveris. *Maiorem* enim qvod
11 attinet, *Reſp.* (1.) † Etſi veneranda eſt vetuſtatis auctoritas, *Novell. 13. cap. 3.* adeò ut pro veritate habeatur, Bald. *in c. cum cauſam. verſ. porrò extr. de probat.* Gloſſ. *in l. 1. C. de ſervitut.* pari paſſu cum privilegio ambulet, *l. 1. §. ult. ff. de aqua.*
12 *pluv. arcend.* Zaſ. 2, *conſil. 6. num. 14.* † regiæqve autoritati æqviparetur, Erneſt. Cothman. 2. *conſil. 79. num. 71.* & habeat iuſtitiam permanentem, Bald. *ad cap. 1. §. cum autem. de controv. inveſt.* Rolandus à Valle *vol. 1. conſil. 3. num* 96. Attamen veritatem verbi divini invertere, neqvit,
13 † & frivolè ab antiquitate diſputatur in causâ & poſſeſſione Religionis. Quando enim veritas illuceſcit omnem & poſſeſſionem & præſcriptionem & conſvetudinem evaneſcere velut umbram, proteſtantes Principes in reſponſione ad Heldum dixiſſe, refert Iohan. Sleidan.
14 *lib. 9. pag. 307.* nec † veneramur vetuſtatem, qvæ falſo nititur principio: ac propterea errori non poteſt patrocinari, *l. conſuetudo diſtinct. 8.* qvare
longè magis † veritatem qvam vetuſtatem ſeqvi debemus, *c. qui contemta, dict. diſt. 8.* & veritati detectæ præſumtio qvævis; etiam vehemens, meritò cedit, Andr. Gail. *lib. 2. obſerv. 97. num. 18.* Herm. Vultej. *vol. 2. conſil. Marpurgenſ. 29. num. 60. Reſp.* (2.) Eſtqve connexio † maio- 16
ris, deſumpta à nobilitate civili, & politicâ hominum conditione, qvi argumentandi modus in cauſâ Religionis parùm operatur, nec placuit Apoſtolo 1. *Corinth. 1. v. 26. & ſeqq.* vbi ait: *Non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes: Non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mūdi, elegit Deus, ut confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut ea, quæ nō ſunt, deſtruat, ut non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* Qvin
† potiùs videtur petitus ex ſcholâ Phariſaica 17
Iohan. 8. v. 48 & 49. ſic argumentante: *Numquid ex Principibus aliqvis credidit in eum, aut Phariſæi? ſed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti ſunt. Reſp.* (3.) Nec tandem † ex con- 18
nexione hâc infertur qvicqvam ad crimen maieſtatis. Vt maximè enim concederemus calūniam vel iniuriam aliqvam inde probari (qvod tamen longè falſiſſimum & neqvaqvam concedendum) haut tamen propterea crimen læſæ maieſtatis probatum eſſet, qvippe † qvod à 19
crimine iniuriarum vt cœlum à terra diſtat, veluti ſuprà diximus *th. 15.* qvin nec auſi fuerunt Dillingani hâc ratiunculâ crimen maieſtatis probare, haut neſcii reqviſitorum eius delicti, qvod atrociſſimum habetur, & absqve certis ingredientiis ad id non deveniendum.

XLVI. Nec *Aſſumptio* † expedita eſt, qvod 20
ſcilicet Romana ſedes à ſeculis ſex, ſeptem & amplius ab omnibus Imperatoribus pro ſanctâ & venerandâ fuerit habita. (1.) Quorſum
enim illud, † qvod Fridericus II. Ludovicus 21
II. Henricus IV. imperatores, & pleriqve alii Viri boni, inter qvos etiam fuit Epiſcopus Florentinus, Papam dixerint Antichriſtum, de qvo ſupra *th. 41.* Quin & olim Papam proclamatum fuiſſe Antichriſtum Satanam & Diabolum, fatetur Ieſuita Tannerus *part. 2. Anat. Aug. Confeſſ. §. 182.* Quo † facit hoc Theologorum 22
Saxonicorum *in pupilla Evangelicâ pag. 455. D. Simon Schardius*, weiland Beyſitzer des Käyſerlichen Cammergerichts zu Speyer / hat aus dreyſſig Päbſtiſchen Scribenten klare Zeugnüß zuſamme geſucht / daß der Pabſt zu Rom von denen: ſo der Päbſtiſchen Religion eiferig zugethan geweſen / dennoch der Antichriſt genennet iſt worden.
(2.) Credibile † porrò eſt, etſi ante ſecula ali- 23
qvot, Papa nomine Antichriſti fuerit notatus, nec ipſum tamen nec Status catholicos ægrè id tuliſſe aut vindicâſſe, qvin potius tacuiſſe, ne vitia eius ad cenſuram revocarentur & etiamnum ignota aliis publicè innoteſcerent, † qvò 24
& innuunt Theologi Saxonici *dict. loc.* Daraus erſcheinet / daß man es nicht von ſo groſſer Wichtigkeit geachtet / deſwegē etwas zu gedenckē / und zu eifern. Vielleicht hat man bey ſich ſelbſt erwogē / wañ dieſer Kehricht ſehr gerüttelt würde / ſo möchte ein böſer Geruch daraus entſtehen.

XLVII. *Secundò* opponunt † Dillingen- 25
ſes, qvod Theologi Lutherani profitentes dogma de Papa Antichriſto, populum univerſum avertant ab obedientiâ & æſtimatione Romani Imperatoris, Electorum & Principum §. 150 *pag. 626. in verb. Negari tamen non poteſt,*

longè

Digitized by Google

*longè gravius & magis indubitatum eſſe læſæ
majeſtatis atque rebellionis crimen, ſi adverſus
ipſam Imperialem dignitatem populus armetur
aut concitetur verbis aut opere.* Et poſteà: *De-*
26 *nique* † *populum univerſum ab obedientiâ & æ-
ſtimatione Romani Imperatoris, Electorum &
Principum, dicto modo obligatorum Pontifici
Romano, quem blaſphemum Antichriſtum eſſe
dicunt, qvantum in ipſis eſt, avertere volunt.*
27 *Reſp.* (1.) Ad hoc † argumentum jam ſuprà
th.25. & 30. reſpondimus, & qvàm longè alie-
na ſit mens Theologorum Lutheranorum à
ſeditione & rebellione, præſumtionibus pari-
ter & rationibus planum fecimus, qvare
ulteriore refutatione ſuperſedemus. *Reſp.* (2.)
28 † Diſtingvendum etiam eſt inter obedientiam
debitam Magiſtratui præſtandam, in cauſis
nempe civilibus & politicis à Deo commen-
datam, *Rom.13.verſ.1. & ſeqq. 1.Petr.2.v.17.18.*
& obedientiam indebitam, qvæ obligat con-
ſcientias ad amplectendum Religionem, qvam
ipſæ falſam & pernicioſam agnoſcunt, eamqve
Deus nullibi impoſuit aut commendavit, ſed
ſibi ſoli reſervatam voluit, *Actor.5.v.29.* noluit
29 ſcilicet, † qvemqvam in cauſa Religionis ad
credendum cogi & vi adigi. Nec abſurdius
qvid, qvàm fidem in animâ, qvæ ſpiritus eſt,
cogere velle, cum aſſenſus, qvi fidei pars eſt,
ſit actus à voluntate elicitus: *Quis enim mihi*
30 *imponat neceſſitatem,* † inqvit Lactant. *vel cre-
dens quod nolim, vel quod velim, non credendi,
nihil tam voluntarium, quàm Religio, in quâ ſi
animus averſus, jam ſublata; iam nulla eſt, lib.5.
divin.inſtit.cap.19.* Et Luther. *Liberum quid-
dam eſt, credere, imò quiddam divinum in Spi-
ritu, externâ igitur vi cogi nec poteſt, nec debet.
tom.2. Ienenſ. fol.180.* Qvod ſi ergo dicant †
31 Dillingani, majeſtatem Superiorem offendi ab
iis, qvi ſubditos abſtrahunt ab obedientiâ, ac-
cipiendum id eſt, de obedientia debitâ in cau-
ſis civilibus ac politicis. Atqvi nunqvam de-
monſtrabunt, hoc fieri à Theologis Luthera-
nis per doctrinam de Papa Antichriſto, ut nem-
pe avertant homines ab hâc obedientiâ civili:
32 eo nimirum intenti, ut † in fundamentis fidei
& orthodoxæ Religionis auditores informent,
quo perſeverantes in verâ fide, fugiant doctri-
nam Antichriſti: Id dum faciunt, neutiqvam
lædunt majeſtatem, qvippe ſe non extenden-
tem ad obedientiam in cauſis fidei indebitam
& non competentem. Et ad hanc obedientiæ
differentiam ac diſtinctionem jamdudum pro-
vocaverunt † Theologi Saxonici *in veadic.pu-*
33 *pill. Evangel. cap.88. pag.671. verſ.* Endlichen ſo
lehren wir von den Römiſchen Käyſern / woſern Sie et-
was gebieten / daß der Evangeliſchen Lehre und Gewiſſen
zuwider / oder zu entgegen / daß ohne Verletzung der Käyſe-
rl. Majeſt. und Hoheit / auch ohne Schuld der *Rebellion*,
man ſich des Gehorſams entſchütten könte Dann der HErr
JEſus hat zwar geheiſſen / dem Käyſer zu geben / was
des Käyſern iſt / oder nicht / was des Käyſern nicht iſt / Er
hat auch befohlen / GOtt zu geben / was Gottes iſt /
Matth 22.v.21. Et nonnè † Apoſtoli per con-
34 cionem ſuam reprehendendo Religionẽ ethni-
cam, omnes homines ab obedientiâ Impera-
torum, Regum & Principum ethnicorum,
qvoad negotium Religionis abſtraxerunt? cri-
adiis.
minis tamen læſæ majeſtatis propterea à nemi-
ne accuſari; † nempe qvod ſubditos ab obe- 35
dientiâ civili Magiſtratui debitâ haut averte-
rent, ut nec hinc in cauſâ ſimili Theologos
Lutheranos criminis majeſtatis inſimulari li-
ceat.

XLIIX. *Tertiò*: Fieri non poteſt, † *inqviunt
Dillingenſes*, ut dicta contra Papam à Theolo- 36
gis Lutheranis, non redundent in Chriſtianos
Imperatores, qvi magnâ ſemper reverentiâ &
æſtimationis affectu ſedem Romanam ſum-
mumqve Pontificem fuerunt proſecuti, *§.136.
& ſeqq.* qvam in † rem adducunt verba Valen- 37
tiniani & Marciani Impp. *in Epiſtol. ad Leo-
nem I. Rom. Epiſcopum, §.137. pag.612. Pro reve-
rendâ & catholicâ Religione fidei Chriſtianorum,
cuius auxiliis virtutem noſtra potentiæ confidi-
mus gubernari, tuam ſanctitatem principatum
in Epiſcopatu divinæ fidei poſſidentem, ſacris li-
teris in principio juſtum credimus alloqvendam
&c.* † Nec non Iuſtiniani Imperatoris *in Epiſt.
ad Iohan. Archiep. ſc. Vrbis Romæ: Reddentes ho-* 38
*norem Apoſtolicæ ſedi & veſtræ Sanctitati (quod
ſemper nobis in voto fuit & eſt) &, ut decet, Pa-
trem honorantes veſtram beatitudinem, omnia
quæ ad Eccleſiarum ſtatum pertinent, feſtinavi-
mus ad notitiam ferre veſtræ Sanctitatis.* Et §.
136. pag.611. verba Gallæ Placidæ Auguſtæ † *in
epiſt. ad Theodoſium filium pro Flaviano Epi-* 39
*ſcopo Conſtantinopolitano contra Neſtorium: Tua
manſvetudo tantis turbis reſiſtens; veritatem fi-
dei catholicæ Religionis immaculatam ſervari
præcipiat, ut ſecundum formam ac definitionem
Apoſtolicæ ſedis, quam & nos tanquam præce-
dentem ſimiliter veneramur in ſtatu Sacerdotis
illæſo manente per omnia Flaviano ad concilium
Apoſtolicæ ſedis, judicium tranſmittetur, in qua
primus ille, qui cæleſtes claves dignus fuit acci-
pere, principatum Epiſcopatus ordinavit.* † Qvin
& (*pergunt Dillingenſes*) efficitur hoc ipſo, ut 40
Imperator fidem ac Religionem Antichriſti
fovens, ſit Antichriſtianus: qvæ injuria etiam
tangit Sereniſſimum Saxoniæ Electorem Im-
peratori Antichriſtiano enſem anteferentem,
in §.154. pag.629. ubi hæc ponunt verba: *Scit
enim Sua Celſitudo, tales injurias non tantum in
Electores & Principes catholicos, quos pro fra-
tribus & amicis ſuis agnoſcit, redundare; ſed
etiam in ipſam Cæſaream Maieſtatem; Domi-
num ſuum Clementiſſimum, cui ipſe ut armiger
Enſem præferre ſolet. Non autem credibile eſt,
quod Antichriſtiano Imperatori enſem anteferre
velit.*

XLIX. At vereor † ne Dillingenſes Theo-
logos Lutheranos criminis læſæ majeſtatis ac- 41
cuſantes, ipſimet hoc crimen incurrant, Im-
peratorem Antichriſtianum appellitãtes, qvod
profectò nunqvam à Lutheranis factum; di-
cant ac proferant locum aliqvem, in qvo vl-
lus Theologorum noſtratium, tàm contume-
lioſè de uncto Domini ſcripſerit aut verba fe-
cerit. Eſtne † hoc Cæſaream Majeſtatem ve-
nerari qvæ Sacroſancta nobis eſſe debet, Chri- 42
ſtoph. Beſold. *in diſſert. de maieſt. ſect.1. cap.1. nu.
2.* Regner Sixtin. *de Regal. lib.1. cap.1. num.31.*
Melch. Goldaſt. *in Bohem. lib.3. cap.13. num.6.*

Faciunt nimirum Dillingani ineptas conſe-
43 qventias, † qvo Magnatum iram & odium in
Lutheranos excitent, omnemqve Religionem
orthodoxam defendendi ac propagandi fa-
cultatem, contra Pacem religioſam iis adi-
44 mant. *Reſp.* (1.) † Negamus ſiqvidem, Anti-
chriſtianos eſſe omnes, qvi Religioni catholi-
cæ ſunt addicti, & Papam reverentiâ & æſti-
mationis affectu proſeqvuntur: qvemadmo-
dum nec omne id, qvod per tyrannidem ab
Antichriſto occupatur, antichriſtianum eſt, ne
ſimul Evangelium & Sacramentum Baptiſmi,
qvod ex Papiſmo accepimus, faciamus anti-
45 chriſtianum, ſed † illud propriè indigitatur
Antichriſtianum, qvod ad reſervata, titulos, e-
minentiam & proprietates Papæ pertinet; &
conſeqventer, qvod ad Curiam Romanam ſpe-
ctat, & mediis Antichriſto propriis Regnum
ejus tuetur, de qvibus autem illi, qvi catholi-
cam Religionem amplectuntur, nil partici-
46 pant: Exqvo † nec Theologi Lutherani Pa-
pam Antichriſtum demonſtrando, Imperato-
rem Romanum Antichriſtianum vocant, ſed
potius iura & majeſtatem ejus vindicant. Eâ-
qve diſtinctione Theologi Saxonici rem pla-
47 niſſimam fecere † in *vindiciis pupillæ Evang. cap.*86. qvorum verba, qvia nervum tangunt,
ipſamque veritatem dilucidè aperiunt, huc ap-
ponere lubet: Dahero ſtra beites (ſcribunt *pag.*654)
ſeinen wegen folget / wann iemand zu Pabſts Kirche und
Lehre ſich bekennet / daß er auch müſte Antichriſtiſch / (*in
ſtrictâ & propriâ ſignificatione*, das iſt / in eigentlicher
Bedeutung dieſes Worts) ſeyn oder heiſſen / denn der
Pabſt iſt nicht alleine gleich dem Drachen / ſondern hat auch
Hörner wie das Lamb / redet aber wie der Drache: *Apocal.*
13. v. 11. Er thut hierüber groſſe Zeichen / daß er auch mache
Feuer vom Himmel fallen für die Menſchen / und verführet
die auff Erden wohnen: umb der Zeichen willen / die ihm
gegeben ſind / zu thun für dem Thiere / *Apoc.* 13. v. 13. 14.
48 Daß demnach † der Antichriſt das jenige / nachdeme er
der groſſe Antichriſt iſt / und heiſſet / für ſich meiſtentheils
allein hat und behält: Und weder *Titul* noch Eigenſchaffte /
zumahl in dem Grad / wie er beyde hat / einigen Menſ-
chen mittheilet / allermaſſen des HErrn Chriſti / als
Chriſti Eigenſchafften niemand unter allen Chriſten zuſte-
hen / noch ihnen zugeeignet werden können: Denn keiner iſt
ein Mittler zwiſchen GOtt und den Menſchen / ſondern
Chriſtus iſt und bleibet alleine / 1. *Timoth.* 2. v. 5. Keiner
iſt der Gnadenſtuel / ſondern Chriſtus iſt allein darzu dar-
geſtellet / *Rom.* 3. v. 25. Keiner iſt der König aller Könige.
und HErr aller Herrn / Chriſtus der die dieſen Titul allei-
ne / *Apoc.* 7. v. 14. *cap.* 19. v. 16. Eben alſo † iſt in ein Gegen-
49 fall beſchaffen mit dem jenigen / der κατ᾽ ἐξοχὴν ſein Wi-
derwertiger iſt / 2. *Theſſ.* 2. v. 4. der behält den Namen des
Antichriſts zu ſeinem Vortheil und Vorzug: Und kan ei-
ner vor und nach ihm / wol Päbſtiſch ſeyn und heiſſen: Aber
50 es folget nicht / daß er auch Antichriſtiſch heiſſen müſte / †
Et in *c.* 87. *pag.* 658. ita ſcribunt: Aber auch das iſt nicht
genug zu beweiſen / daß der Käyſ. müſte Antichriſtiſch ge-
nennet werden / denn ein anders iſt / Päbſtiſcher Religion
zugethan / ein anders Antichriſtiſch ſeyn: Die Päbſtiſche
Religion und das Reich des Antichriſts ſind unterſchieden:
In der Päbſtiſchen Religion iſt nicht alles böſe; Es iſt nicht
böſe die Tauffe an ſich ſelbſt; Es iſt nicht böſe der Apoſto-
liſche Glaube / zu dem ſie ſich euſſerlich bekennen; Es iſt
nicht böſe das Vater unſer / das noch behalten wird, Es
ſeyn nicht böſe die Zehen Gebot / und dergleichen. *Reſp.*
51 (2.) † Pateſcit hinc porrò: qvàm periculo-
ſum ſit per conſeqvencias in materia criminis
alicujus procedere, idque per indirectum pro-
bare velle, ubi tamen reqviritur probatio luce
meridianâ clarior, *l. ult. C. de probat.* Iul. Clar.
lib. 5. *ſentent.* §. *ult. quæſt.* 63. *num.* 9. & *ſeq.* Andr.
Gail *lib.* 1. *obſervat.* 108. *nu.* 13. nec licet judicare
† de voluntate & propoſito delinqvendi per in- 52
directum, qvia multa in conſeqventiam cum
tertii præjudicio permittuntur, qvæ alioqvin
non permitterentur, *l.* 62. *ff. de acquir. rer. do-
min. l. in modicis.* 24. *C. de contr. emption.* ex quo
† ergò per conſeqventiam à Lutheranis do- 53
gmate de Papa Antichriſto Imperatorem offē-
di, autumant Dillingenſes, hoc ipſo fatentur,
qvàm periculoſam & falſam fecerint illatio-
nem ad crimen majeſtatis. *Reſp.* † (3.) Idqve 54
tantò minus inde probatur, qvia ex hâc illa-
tione, nullus qviſqvam certus eſſe poteſt de
dolo inculpati, ſine qvo tamen crimina haud
perpetrantur, *l. qui iniuria. ff. de furt. l.* 1. *C. de
ſicar.* Hippol. de Marſil. *in l. lege Cornelia.* §.
cum qvidam. num. 3. *ff. ad leg. Cornel. de Sicar.*
Andr. Tiraquell. *de pœn. temp. cauſ.* 14. *num.* Ti-
ber. Decian. *in tract. crim. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 9.

L. *Qvartum* argumentum Dillingenſe ſta-
tum Imperii concernit. Ajunt † enim, Theo- 55
logos Lutheranos hoc ipſo, qvo dicunt Papam
eſſe Antichriſtum, convellere Imperii ſtatum;
qvi ſine obligatione ad Sedem Papalem con-
ſiſtere non poteſt, §. 150. *pag.* 626. At eadem fe-
rè eſt hæc cantilena, qvam audivimus *ſuprà th.*
47. cum per doctrinam de Papa Antichriſto,
homines a debitâ obedientia abſtrahi conten-
debant: *Reſp.* (1.) † quàm peſſimè verò & ca- 56
lumniosè hoc proferatur, vel inde apparet,
qvod nulla prorſus neceſſariæ cohæſionis exi-
ſtat cauſa & vinculum inter Papam & Impe-
ratorem, Curiam Papalem & Imperii Statum,
quo rupto convellatur neceſſariò Imperium
Romanum. Eſt ſiqvidem † hoc res merè mun- 57
dana & politica, planè non dependens à Sede
pontificia, qvæ videri cupit res eccleſiaſtica &
ſpiritualis, non de hoc mundo, *Johan.* 18. *v.* 36.
Theodor. Reinking *de regim. ſecul. & eccleſ. lib.*
1. *claſſ.* 2. *cap.* 4. Iohan. Limn. *lib.* 2. *iur. publ. cap.*
4. *pag.* 66. & 67. *Reſp.* (2.) † Et dicant qvæſo 58
Dillingani, qvidnam in Imperio per aſſertio-
nem Antichriſtianiſmi Pontificis convellatur:
Producamus qvicqvid eſt in Imperio, ſive ſit
ipſamet Cæſarea Majeſtas, ſive Electorale Col-
legium, Principes, Civitates & Status Imperii:
ſive Leges Regni fundamentales, vel ſtatuta,
ſive jus commune, Camera Imperialis, om-
niaqve Imperii & Procerum judicia & Dica-
ſteria, jura & proceſſus, & qvicqvid tandem ad
Imperium pertinere poteſt: Dicant, qvæſo † 59
etiamnum, Dillingenſes, qvidnam ſit, qvod cō-
vellatur per dogma Lutheranorum de Papa
Antichriſto? Provocant eos Theologi ex *L.
Diffamari*, ut vel tantillum in Imperio de-
monſtrent, qvod ex illo dogmate labefactetur?
Nil profectò nominare nec reſpondere nôrunt,
ut non immeritò ex natura & proceſſu *Legis
diffamari*, perpetuum iis imponatur ſilentium.
Reſp. (3.) Nec † admittimus ullam Imperii de- 60
pendentiam à Pontifice, qvin potius immedia-
tè à Deo hoc obtinere Imperatorem, *ſuprà th.*
25. demonſtratum dedimus. Aliter ſi dicere-
mus, qvomodo conſiſtere potuiſſet Imperium:
qvando nondum † extitit Pontifex Romanus 61
(ſub nomine Chriſtiano) in rerum natura-

Vel

Vel qvando Impp. Ethnici adhuc regnavere, &
maximè cùm nihilominus floruit Imperium.
62 Qvid etiam † ſi aliqvando eligeretur Impera-
tor, qvi addictus haut eſſet pontificiæ Reli-
gioni, num ceſſabit protinus Imperium? Ine-
ptias hujus argumenti qvis non animadvertit,
nolens ſtudio adulationis veritatē diſſimulare?

63 L I. *Qvinto*, ad autoritates † denique con-
fugiunt Dillingani; & qvum ratiunculis ſuis
ipſimet non confidunt, qverelas Statuum ca-
tholicorum ſuper aſſertione Antichriſtianiſmi
Pontificis addicunt §. 151. *pag.* 627. Eſtque *pri-
ma*, Sereniſſimi utriusqve Bavariæ Ducis &
Electoris Maximiliani, qvi in Ratisbonenſi
colloqvio *Anno Chriſti* 1601 D. Ægidio Hun-
nio Theologo Papam Antichriſtum appellan-
ti, liberâ & publicâ voce interlocutus eſt: Eſſe
hanc inſignem & clariſſimam injuriam, qvæ
64 in omnes redundet catholicos. *Secunda*, †
qvam referunt §. 125. eſt Statuum Imperii ca-
tholicorum, qvi in comitiis Auguſtanis *Anno*
1559. conqveſti ſunt de injuriâ Legatorum Ele-
ctoris Saxonici Iohannis Friderici, qvod Epi-
ſcopum Martisburgenſem non poſſint ferre
Cameræ Spirenſis Præſidem, qvi abominandis
ac terribilibus juramentis Papæ Romano eſſe
65 devinctus. *Tertia*, † de qvâ *in* §. 155. *pag.* 630.
eſt itidem Ordinum catholicorum *Anno* 1594.
conqverentium de conviciis Lutheranorum
Theologorum Papam proclamantium Anti-
chriſtum: Scheuen ſich doch ihre *Prædicanten* nicht hin
und wieder in Büchern zuſchreiben / und ſonſten / wie es
auch auff dieſem Reichstage nicht verblieben mögen / der
Catholiſchen Haupt / und höchſten geiſtlichen Fürſten / die
Päbſtliche Heiligkeit fur den Antichriſt / den Teuffels
Grundſuppe / deßgleichen der Catholiſchen *Religion* zu-
gethane / für verdampte abgöttiſche Leute aus zu ſchreyen.
66 Et tandem † etiam in comitiis Ratisbonenſi-
bus *Anno* 1613. tandem, *aiunt*, repetitam eſſe
qverelam apud Imperatorem Matthiam: So
iſt das Schmähē und Läſtern auff ihren Cantzeln nunmehro
ſo gemeine worden / und auch männiglich / wie ſchimpf-
lich die Päbſtliche Heiligkeit / welche doch auch auſſer ihres
gebührlichen höchſten *Reſpects*, in den Hungeriſchen Krie-
gen und andern zugeſtandenen Gelegenheiten / umb Sie
und das Reich weit ein beſſers verdienet / darbey *tractiret*,
und ausgeruffen werden / ſo bekant / daß es unnötig dieſes
Orts zu melden / etc.

L I I. Sed parùm inde infertur. *Reſp.* (1.)
67 † Præterqvam enim qvod ſecunda & qvarta
Statuum catholicorum qverela *anno* 1559 &
1613. Cæſari exhibita, ne verbulo mentionem
faciat dogmatis de Papa Antichriſto, nunqvam
intentio & propoſitum fuit Ordinibus catho-
licis, Theologos Lutheranos criminis maje-
ſtatis accuſare, de qvo ſanè prorſus tacue-
runt, benè animadvertentes, neqve probari id
poſſe, neqve ex aſſertione Antichriſtianiſmi
Pontificis, tale crimen progigni, ut hinc qve-
relæ catholicorum ad hoc impertinenter ad-
68 ducantur: *Reſp.* (2.) Annum † etiam qverelæ
Statuum catholicorum ſint Evangelia, qvi-
bus ſine omni contradictione fides habenda?
Sanè ut ipſi Dillingenſes, ſic etiam Ieſuitæ ſunt
adverſarii Theologorum Lutheranorum, qvan-
69 tum † ergò fidei eis tribuendum in propriâ
causâ? *l. nullus* 10. *ff. de teſtib. l.* 10. *C. eod. tit. cap.
inſuper.* 6. *in fin. eod. tit.* Nec enim Clerici ad-
mittuntur teſtes, qvando de eorundem com-
modo & intereſſe agitur, Ruin. *vol.* 3. *conſ.* 137.
num. 13. Iacob. Menoch *conſ.* 45. *num.* 26. qvo-
rum † oculi ſimiliter obcæcari ſolent, qvan- 70
do ſuis, magiſqve qvando ſibi ipſis favere vo-
lunt, Gloſſ. *in cap. pervenit.* 1. *qvæſt.* 3. Alciat. *de
præſumpt. Reg.* 2. *præſ.* 29. *num.* 2. Et ut ait † Fer- 71
rar. *in pract. Papienſ. in for. reſpon. Rei. verb. præ-
ſcriptionis, num.* 28. *circa fin.* portant conſcien-
tiam in capucio, qvo abjecto, eorum conſcien-
tia abjicitur. Imò neqve Rex aut Princeps e-
juſmodi in caſu, in ſui favorem qvid depoſitu-
rus admittitur, Proſp. Farin. *de teſtib. tit.* 6. *qv.*
63. *num.* 174. (3.) † Et qvis effectus harum qve- 72
relarum: qvid ad haſce Cæſarea Majeſtas?
qvid reliqvi ordines? Tacuerunt & tacendo il-
las improbas, inanes & nullas judicaverunt:
Qvod ſi enim deprehendiſſent, accuſationes
aliqvid habere ponderis ac momenti, tuliſſent
utiqve ad compeſcendos Majeſtatis Cæſareæ
violatores ſententiam longè duriſſimam; † Hoc 73
cum facere intermiſerint, publicum inde po-
tiùs innocentiæ teſtimonium Theologis Lu-
theranis datum, qvàm crimen majeſtatis à Dil-
lingenſibus probatum fuit.

CAP. IV.

Dogma Lutheranorum de Papa Antichri-ſto num pacificationi Religioſæ ſit incluſum?

L I I I.

NOn minimum innocentiæ argumen- 1
tum pro Theologis Lutheranis, hâc in
lite deſumitur ex pacificatione Religioſâ, qvæ
liberam fidei & Religionis profeſſionem per-
mittit Lutheranis, ex qvo ſi Theologi dogma
de Antichriſtianiſmo Pontificis publicè do-
ceant ac profiteantur, ipſorum catholicorum,
nec non Imperatoris & Statuum Imperii per-
miſſu atqve conſenſu ex pacificatione Reli-
gioſâ id facere cenſentur: † tantùm abeſt, ut 2
hinc crimen majeſtatis adverſus Cæſaream Ma-
jeſtatem & Ordines Imperii jure ipſis imputa-
ri qveat, *Supr. th.* 43. Qvod obſtaculum cùm
benè animadvertant † ICti Dillingenſes, litem 3
unà cū Ieſuitis movent, num dogma illud pa-
ci Religionis ſit incluſum? Idqve negare haud
erubeſcunt, non ſecus ac ſi à toto Romano
Imperio perpetui eſſent conſtituti Dictatores,
† qvibus poteſtas religionis Pacificationem 4
interpretandi, extendendi & reſtringendi pro
normâ ſui capitis ſit conceſſa. Qvo auſu con-
ſtringere ſatagunt Tranſactionem pacis ad ea
dogmata, † qvæ in Auguſtanâ Confeſſione vel 5
explicitè ponuntur, vel actu in ea continentur,
& inde per evidentem conſecutionem deduci
poſſunt: ad qvæ tamen aſſertionem de Anti-
chriſtianiſmo Papæ neutiqvam † referendam 6
contendunt *in* §. 170. *pag.* 647. ibi: *Pax promiſſa
fuit Auguſtanæ confeſſioni, ejuſdemq; ſectatoribus:
Conſeqventer omnia dogmata fidei, qvæ neqve
catholicæ Religionis, neqve Auguſtanæ Confeſſio-
nis partes ſunt, ſimulqve Profeſſores & Doctores
talium dogmatum fidei, à pace Religionis peni-*

Digitized by Google

rius excluſi ſunt. Accedit, quod Catholici inſa-
niam iſtam de Papa Antichriſto nunquam pro
dogmate fidei controverſæ agnoverunt, ſed inter
7 *notorias calumnias numerârunt &c.* Et §.171. †
pag.648. verb. *Ideò dicimus, permiſſum eſſe Lu-*
theranis prædicantibus, ut ea quoque dogmata
adverſus Romanam Eccleſiam tradant, quæ li-
cèt in Auguſtanâ Confeſſione verbis explicitis &
formalibus poſita non ſunt, tamen in eâdem actu
continentur, quia inde per evidentem ratiocina-
tionem deduci poſſunt. Talem autem deductionem
ex articulo aliquo Auguſtanæ Confeſſionis nun-
quam facient de Papâ Antichriſto. Hactenus
Dillingenſes.

8 LIV. Hæc Dillingenſium † ratiocinatio
ſi ad formam Syllogiſticam revocetur, tale ef-
ficitur argumentum: *Pax Religioſa includit*
tantummodò capita & dogmata in Auguſtanâ
Confeſſione poſita & comprehenſa: Atqui dogma
de Pontificis Antichriſtianiſmo in Auguſtanâ
Confeſſione poſitum haut reperitur: Ergo, &c. Etſi
9 vanitas hujus argumenti jam † ante à Theo-
logis Saxonicis in *vindiciis pupillæ Evangel. cap.*
99. & inprimis à Nicolao Hunnio *in ſcripto ſpe-*
ciali de Innocentiâ Lutheranorum, ſufficienter
eſt refutata, ut verè actum agere videri poſſit,
qvi facem illis ulteriorem addere annitatur; ne
10 tamen hìc negligamus id † qvod præcipuum
Theologorum Lutheranorum habetur propu-
gnaculum, ex Pacificationis religioſæ permiſſu
petitum, breviter ac ſummatim obſtaculum il-
lud diluere fert animus. Exactiùs verò ſi Dillin-
11 ganorum examinemus argumentum, † utra-
qve hujus propoſitio falſa deprehēditur, Qvod
enim *primo* majorem attinet, neqvaqvam lar-
gimur, Pacem religioſam eſſe reſtringendam
ad capita & dogmata Auguſtanæ Confeſſio-
12 nis, idqve (1.) † qvia pax illa non ſolummodò
Auguſtanæ Confeſſioni, ſed ejus etiam fidei, re-
ligioni, doctrinæ & ceremoniis data eſt, ut pro-
bant verba ipſius pacificationis *in Receſſ. Imper.*
de anno 1555. §. und damit. *verſ.* So ſollen die Käyſerli-
che Majeſt. wie auch Churfürſten / Fürſten und Stände
des heiligen Reichs / keinen Stand des Reichs von wegen
der Augsburgiſchen *Confeſſion*, und derſelben Lehre / *Reli-*
gion und Glaubens halben mit der That gewaltiger Weiſe
überziehen / beſchädigen / vergewaltigen / oder in andere
Wege / wider ſeine *conſcientz*, Wiſſen und Willen / von
dieſer Augſpurgiſchen *Confeſſion*, *Religion*, Glauben /
Kirchengebräuchen / Ordnungen und *Ceremonien*, ſo ſie
auffgerichtet / und nachmals auffrichten möchten / in ihren
Fürſtenthümben / Landen und Herrſchafften / dringen / oder
durch *Mandat*, oder in einiger anderer Geſtalt / beſchwe-
ren oder verachten / ſondern bey ſolcher *Religion*, Glauben /
Kirchengebräuchen / Ordnungen und *Ceremonien*, auch
ihren Haab / Gütern / ligend und fahrend / Land / Leuten /
Herrſchafften / Obrigkeiten / Herrligkeiten und Gerechtig-
keiten / ruhlich und friedlich bleiben laſſen / und ſol die ſtrei-
tige *Religion* nicht anders / dann durch Chriſtliche / freund-
liche / friedliche Mittel und Wege / zu einhelligem Chriſtli-
chem Verſtande und Vergleichung gebracht werden / &c.
13 Genuinus † horum verborum ſenſus eſt: qvia
Auguſtana Confeſſio non omnes partes do-
ctrinæ, fidei & Religionis Lutheranorum a-
ctu exhibere potuit, ideò pacem datam non
coarctandam eſſe intra anguſtos limites ſolius
14 Auguſtanæ Confeſſionis, ſed extendendam †
ad omnem religionem, fidem & doctrinam,
qvæ publicè ſonet & floreat in Eccleſiis Au-
guſtanam Confeſſionem profitentibus. Aliàs
tanè verba hæc (derſelben Lehr / *Religion* und Glauben)
frustra eſſent appoſita; † qvod dicendum haut 15
eſt, nec præſumendum, ſiqvidem unum qvod-
qve verbum in inſtrumento appoſitum cenſe-
ri debet cum effectu aliqvid operandi, *cap. hæc*
autem verba extr. de pæn. c. relatum eſt extr. de
cleric. non reſident. Bald. *in rubr. C. de contr. emt.*
in 9. quæſt. Nicol. Boer. *deciſ.* 23. *num.* 24. nec
qviſqvam † præſumitur actum inanem & fru- 16
ſtraneum expedire voluiſſe, *arg. l. quoties.* 59. *ff.*
de verb. obligat. l. 1. in fin. ff ad municipal. l. un.
C. de theſaur. Matth. Weſemb. *part.* 1. *conſil.* 38.
num. 63. actusque † fruſtratorios & ſuperfluos 17
iura prorſus improbant & deteſtantur, *l. hæc*
ſtipulatio. 14. §. 1. *ff. ut legator. ſeu fideicomm. ſer-*
van. l. ait Prætor. 3. *in princ. ff. de iureiur.* Surd.
deciſ. 260. *num.* 7. Chriſtoph. Beſold. *part.* 4.
conſil. 147. *num.* 6. Frider. Pruckm. *vol.* 1. *conſil.*
42. *num.* 5.

LV. Non itaqve † pacificatio Religioſa 18
tantummodò capita & articulos in Auguſta-
na Confeſſione poſitos; ſed etiam omnem Ec-
cleſiarum Auguſtanam confeſſionem profi-
tentium Religionem ac fidem includit; Ergò
& dogma de Papa Antichriſto, qvod & ipſam
fidem concernit, † non quidem ſalvificam ſed 19
hiſtoricam, cuius tamen uſus hoc affert ſalu-
tare Chriſtianis, ut ſeductorem tàm ſubdolum
& malitioſum diſcant fugere, Nicol. Hunn. *in*
tract. de innoc. Lutheran. § 801. *pag.* 521. Qvare
& dogma hoc pro articulo fidei hiſtoricæ ha-
betur; Qvo de † ita loqvuntur Theol. Saxoni- 20
ci *in vindiciis pupillæ Evangel. cap.* 86. *pag.* 66.
Es fragt der Jeſuit (*Forerus*) Ob es ein Glaubens *Arti-*
cul ſey / bey den Lutheranern / daß der Pabſt der Anti-
chriſt ſey / oder ob es nur ein Mißbrauch / dadurch dem
Glauben an ſeiner *ſubſtantz* nichts benommen? Da bedarff
es keiner neuen Antwort / Im Augapffel ſtehet deutlich
alſo: Es iſt der Name Antichriſt ein Stücke unſerer
Lehre / ja ein *pars fidei hiſtoricæ*: Ein Stücke des hiſto-
riſchen Glaubens / etc. Ex qvo igitur dogma † de 21
Pontificis Antichriſtianiſmo in pace Religioſâ
expreſsè non eſt exceptum, diſertè hinc ſub
voculâ fidei in genere poſitâ incluſum cenſe-
tur. Idque eò magis, qvia tempore tranſactio-
nis initæ, dogma † de Papa Antichriſto jam 22
tùm notorium erat, ac publicè per Eccleſias
Auguſtanæ confeſſionis ſonabat, Hunn. *in ne-*
ceſſ. depulſ. accuſat. Papiſt. dogma de Antichriſto
Roman. non eſſe pacif. Relig. incluſ. § 5 *pag.* 159.
Vindic. pupill. evang cap 99. ut proinde non po-
tuerint non Imperator ac Ordines Imperii de
hoc cogitâſſe, illudqve ſub pace Religionis
comprehendiſſe.

LVI. Nodo hoc Dillingenſes ligati, † qvo 23
illum diſſolvant, non alteri (aiunt) Religioni
ac doctrinæ, una cum catholicâ pacem in Im-
perio datam aut promiſſam eſſe, qvàm ei, qvi
eſt Auguſtanæ Confeſſionis, adeoqve verba,
und derſelben Lehr / *Religion* und Glaubens halben /
declarationis causâ fuiſſe † adjecta *in Receſſ.* 24
de anno 1555. ut ſenſus ſit: Statibus Imperii,
cum qvibus eo tempore pax inita fuit, nul-
lam ratione confeſſionis *Anno* 1530. Carolo V.
exhibitæ ejuſdemqve doctrinæ, Religionis

ac fidei

ac fidei moleſtiam exhibendam eſſe: Alioqvin,
ſi diceremus, alicui doctrinæ & religioni, qvæ
Auguſtanæ Confeſſionis non eſt, ſeu in eadem
confeſſione non continetur, Pacem promiſ-
25 ſam eſſe † tùm etiam Calviniſtæ, & ſimiles eo-
rum ſectarii eâdem pace frui poſſent: qvando-
qvidem & ipſi religionem ac doctrinam Con-
feſſionis Auguſtanæ aſſeclam eſſe volunt §.170.
26 *pag.46. Kepp.* Sed ut explicationem † hanc
conceſſerimus, per eam tamen pax Religio-
ſa neqvaqvam ad articulos in Auguſtana Con-
feſſione poſitos reſtringitur, qvin potius ad
alios extenditur: Largimur enim, nulli alteri
Religioni ac doctrinæ, † qvàm qvæ Auguſta-
27 næ confeſſionis eſt, datam fuiſſe pacem: at
ne qvisqvam confeſſionem illam profitentes
ad anguſtias iniqve cogeret, in hunc ipſum
finem, verba illa (*und derſelben Lehr / Religion und
Glauben*) dilatationis causâ apposita fuerunt.
28 Et qvid qvæſo † verba hæc declaratoria im-
portant, niſi hoc? pacem iſtam non ſolùm do-
ctrinæ partibus in Auguſtanâ Confeſſione a-
ctu comprehenſis datam fuiſſe, verùm etiam
toti doctrinæ, religioni & fidei, qvæ & qvalis
tunc temporis in Eccleſiis Confeſſorum obti-
29 nebat. Nec qvicqvam † ad Calvinianos hinc
inferre licet, qvia tempore exhibitæ Auguſta-
næ Confeſſionis noluerunt ejus eſſe participes,
ſeſe tàm à Confeſſione, qvam à Confeſſori-
bus realiter ſeparantes: à qvo tempore cœtus
eccleſiaſtici Lutherani & Calviniani ita man-
ſerunt diſtincti, ut in unum haut coaleſcerent,
30 † qvin potius adverſi, nullaque confuſio ad
Auguſtanam confeſſionem pertinentium & eò
non pertinentium fuerit facta, Bidendach. *de-
cad 7 conſ* 8. & 9. Qvamvis enim Calviniani
31 † ſeſe fratres Auguſtanæ Confeſſionis profi-
teantur, ſi non veritate, nominetenus tamen
(ut ſcribit Qvir.Cubach.*apud* Domin. Arum.
tom.4.iur.publ.diſc 35.non qvidem eſſe eos fra-
tres Auguſtanæ confeſſionis confeſſione ac ſe-
cum veritatem & eſſe, attamen ſecundum opi-
32 nionem & dici) eſt tamen hoc ipſum † qvod
Lutherani hactenus negârunt, ut multis perſe-
qvitur Leonh. Hütterus *in Calv. aulico polit. &
in ſuo Irenico adverſ. David. Pareum*; *nec non
in Diſp. pro libro Concordiæ adverſus crimina-
tiones Rudolphi Hoſpin. VViteb.21. & 22. No-
vembr. habitâ.* Sed hanc in litem ulterius non
digredimur, eam Theologis relinqventes.
33 LVII. (2.) Benè porrò † notanda eſt diſ-
poſitio Pacificat. Religioſæ *in dict.§.* Und das
mit Daß die Augſpurgiſche Confeſſions-Verwandte Stände
bey ſolcher Religion / Glauben und Kirchengebräuchen /
Ordnung und Ceremonien / ſo ſie auffgerichtet / oder
nachmals auffrichten mögen / ruhiglich und friedlich ſollen
gelaſſen werden Ubi Pax religionis qvàm expreſ-
34 ſiſſimè ad futuros extenditur articulos. † Nec
enim verba illa (ſo ſie auffgerichtet / oder nachmaln
auffrichten mögen) ad ritus tantùm ſpectant, ſed
etiam ad ipſam doctrinæ ordinationem & con-
ſtitutionem ſunt referenda, Ita ut liceat Con-
cilia, Synodos, Colloqvia, Gymnaſia &c. in-
ſtituere, in iiſqve conformiter Auguſtanæ
Côfeſſionis libros ſymbolicos ordinare, & pro
formula docendi proponere, ut benè explicat,
Ioh.Georg.Dorsheus *in diſſert. de conſeqventi-
bus Auguſt.Confeſſ.c.2.§.54.* † Tùm qvia rituum 35
ceu adiaphororum inſtitutio, ampliatio & di-
verſitas etiam in ipſa Auguſtanâ Confeſſione
eſt reſervata, ut non opus fuerit, ſingulariter in
diſpoſitione Pacis religioſæ, eoſdem privilegio
communiri: Tùm † qvod ipſimet Pontificii 36
hinc inde conſtituti in ritibus non conveniant,
ut nec Evangelicis propterea movenda ſit con-
troverſia: Qvæ igitur per ſe licent & ab Ec-
cleſiis ſine expreſſo privilegio utiliter introdu-
ci potuerunt, ea non fuerunt novâ conſtitutio-
ne eximenda, Dorsh. *dict.loc.*

LIIX. (3.) Ex ipſa † qvoqve Auguſtanâ 37
Confeſſione probari poteſt, pacem Religio-
ſam ad articulos in ea poſitos & comprehen-
ſos reſtringendam haud eſſe, poſtqvam ea ne-
qve ut plena & totalis comprehenſio doctri-
næ Evangelicæ in Comitiis Imperii fuit exhi-
bita, neqve ab eodem ut talis accepta, neqve
ad hunc uſqve diem ut talis agnita, † prout ap- 38
paret ex verbis *Epilogi Aug. Confeſſ.* Diß ſind die
fürnehmſten Articul / die für ſtrittig geachtet werden / denn
wiewol man vielmehr Mißbräuche und Unrichtigkeiten
hätte anziehen können / So haben wir doch / die Weitläuf-
tigkeit und Länge zu verkürtzen / allein die Fürnehmſten
vermeldet / woraus die andern leichtlich zu ermeſſen. *Et
poſtea* : † Solches alles haben wir im Beſten und umb 39
Glimpffs willen übergangen / damit man die fürnembſten
Stücke in dieſer Sachen / deſto baß vermercken möchte / etc.
Exhibita ergò & accepta † fuit Auguſtana Cô- 40
feſſio cum exceptione, proteſtatione & reſer-
vatione aliorum articulorum. At huic confeſ-
ſioni data eſt Pax religionis; Ergo non intel-
ligitur ea contra proteſtationem, tantummo-
dò conſignatis capitibus conceſſa, ſed extenſa
etiam ad cætera dogmata, qvæ ab ea depen-
dent, & ex illa diiudicari poſſunt, & qvæ Con-
feſſores fuiſſent prolixius expoſituri, ſi in ex-
hibitâ, breviori ſummâ qviſqvam aliqvid de-
ſiderâſſet? † Operantur ſiqvidem verba tranſa- 41
ctionis Paſſavienſis & Pacis religioſæ ſecun-
dum naturam Auguſtanæ Confeſſionis, tan-
qvam ſecundum naturam rei deductæ in con-
tractu, *l.ſi ſtipul. ff.de verb. oblig.* Imola *in c.ex
literis. extr. de iur.patronat.* Pariſ. *vol.4.conſil.
165.num.20.* Socin. *vol.1.conſil.47. col.3.* Sunt-
qve † in omni diſpoſitione verba intelligenda 42
ſecundum naturam diſpoſitionis, ſuper qva
ponuntur, etiamſi eſſent impropriandà, *l.in-
ſulam.6. ff.de praeſcript. verb. l.ex conducto. §.
ſi uno. ff.locat.* Andr. Alciatus *lib.2. de verb. ſi-
gnif. col.1. verſ. qvorum ille ampliſſimus &c.* Ex
quo etiam † confeſſores ad latiorem informa- 43
tionem ſe obtulerunt in fine Auguſtanæ Con-
feſſionis: Und ob jemand befunden würde / der daran
Mangel hätte / deme iſt man ferner Bericht mit Grunde
Göttlicher Schrifft zu thun erbötig / etc. videntur imi-
tari voluiſſe clauſulam illam juris in libellis u-
ſurpari conſvetam, (*De deducendo omne ius ſibi
competens & competiturum*) & in exhibitione
articulorum probatoriorum, (*ſalvo arbitrio
addendi &c.*) cujus ea † eſt virtus, ut omne jus 44
competens & competiturum comprehendat,
verbis licet non expreſſû vel omiſſum, Robert.

Marant. *in ſpecul.aur in part.6.pr.part.ult.n.*68. Alphonſ.de Azevedo *in conſt.Regn.Heſpan.lib.* 4.*tit.*2. *l* 4. *num* 16. Lanfranc. *in cap. qvoniam contra. c.*5. *num.*6. *extr.de probat.* Iaſon. *in* §.*o-*
45 *mnium num.*128. *Inſtit.de action.* Vnde † in Camerâ Imperiali ſæpè etiam ſuper non expreſsè petitis, virtute hujus clauſulæ pronunciatum refert Andr. Gail. *lib.*1.*obſervat.*61. *num.*10. *in*
46 *fin.* Cui conſeqvens, † Pacem religioſam Auguſtanæ Confeſſioni hâc clauſulâ munitæ datam, ad articulos etiam ſimiles vi clauſulæ incluſos extendendam eſſe.

47 LIX. (4.) Facit † huc qvoque inſtructio Ferdinandi I. Imp. data Iulio Epiſcopo Numburgenſi Præſidi colloqvii Wormatienſis *Anno* 1557. qvando ait: Obwol ſie von Billigkeit wegen/ und nach Anweiſung der jüngſt zweyer Reichs Abſchiede wol Urſache gehabt/ ſolche Frage zu thun/ und des andern Theils *Theologen* gar unverweislich ſeyn mögen/ wie ſie ſich *in ſpecie* erkläret hätten/ welche *opinionen* ſie in der Augſpurgiſchen *Confeſſion* eingeſchloſſen ſeyn hielten/ nichts deſto weniger/ dieweil ſie ſich der Augſpurgiſchen *Confeſſion* anhängig ſeyn erkläret/ mit dem Anhange/ daß ſie die Lehren ſo derſelben zuwider ſeyn/ *damniren*, und bey jeden Articulen zu erklären erboten/ So mögen auch
48 die *Theologen* † unſer alten Religion ſich an ſolchem Erbieten wol begnügen laſſen; Dann im Fall/ da der Augſpurgiſchen *Confeſſion*-Verwandten *Theologi* einer oder die andern mehr/ ſich bey den folgenden Articuln einige oder mehr irrige *opinion* oder Sect/ auſſerhalb der Augſpurgiſchen *Confeſſion*, zu *defendiren* unterſtehen würden/ mag alsdann gegen denſelbigen/ was ſich gebühren wird/ geantwortet/ und ihme darauff geſagt werden/ ſich ſolcher als der Augſpurgiſchen *Confeſſion* ungemeſſen *argumenten*
49 und *opinionen* zu enthalten † Angeſehen/ daß vermöge obberührter Reichs-Abſchiede/ allein zwiſchen der alten *Religion* und der Augſpurgiſchen *Confeſſion* Verwandten Ständen oder ihren Verordneten/ diß *Colloquium* gehalten werden ſol. Wie auch allein der alten *Religion* und der Augſpurgiſchen *Confeſſion* Verwandte in dem Reli-
50 gions-Frieden begriffen † und als andere/ ſo dieſen beeden Religionen nicht anhängig/ in dem Religions-Frieden nicht gemeynet/ ſondern gäntzlich ausgeſchloſſen ſeyn ſollen.
51 Duo hinc probè notanda veniunt, (1.) † qvod ex mente Imp. Ferdinandi ſufficiat, ſi Theologi ſe declarent, qvod Auguſtanæ Confeſſioni adhærere & doctrinas contrarias qvalvis repu-
52 diare, damnareqve velint. (2.) † Qvando Ferdinand. Imp. dicit, ſi ex Theologis qvidam opiniones & ſectas erroneas extra Auguſtanam Confeſſionem in colloqvio protulerint, eos repelli poſſe ex capite eo, qvod illa argumenta & opiniones Auguſtanæ Confeſſioni non con-
53 ſentiant; non certè vult, ſimpliciter † nihil extra Auguſtanam Confeſſionem dicendum, docendumve eſſe, ſed id duntaxat in colloqvio aut pace Religionis haut eſſe tolerandum, qvod ita eſt extra Auguſtanam Confeſſionem poſi-
54 tum, ut etiam eidem ſit oppoſitum, † Qvod & Pontificii colloqvutores falſi ſunt, in peculiari de hoc ſcripto dicentes: Cæſaris conſilium fuiſſe, coadunire & colligere ſciſſam & penè dimidiatam Auguſtanam Confeſſionem, adeoqve eliminare à patrocinio Auguſtanæ confeſſionis omnes heterodoxos & adverſum eam docentes, Dorſch. *dict.cap.*2. §.46. Qvibus con-
55 ſeqvens, neqvaqvam † ſubducendam eſſe Religionis pacem Evangelicis, qvi articulos in Auguſtanâ confeſſione haut poſitos & comprehenſos profitentur, modò Auguſtanæ Confeſſioni adhæreant, articulos ei contrarios non amplectantur, doctrinamqve ipſis adverſam repudient, damnentqve. De qvo † 56
etiam Electores, Principes & Status Auguſtanæ Confeſſionis, literis ad Ferdinandum I. Imperatorem *Anno* 1561. proteſtati fuerunt hiſce † verbis: Hinwiederumb aber iſt unſere Mey- 57
nung und Fürſatz gar nicht/ daß wir in unſern Landen gebieten/ Kirchen und Schulen einige andere Lehre/ denn die/ wie obgemeldt/ in der heiligen Göttlichen Schrifft gegründet/ und der Augſpurgiſchen *Confeſſion* und *Apologi* in ihrem rechten Verſtande gemeß/ dulden oder vertheidigen/ ſondern uns allein zu der erkanten Warheit bekennen/ und nichts ſo derſelben entgegen/ einreiſſen laſſen oder geſtatten wollen.

LX. (5) Qvodqve † Religio Auguſtanæ 58
Confeſſionis pace munitâ non ita interpretando ſit coanguſtanda, ut totaliter & ſecundum omnes ſuos articulos in Auguſtanâ Confeſſione expreſſa eſſe debeat, doceri poteſt ex declaratione Caroli V. Imp. Sociis Auguſtanæ Confeſſionis *Anno* 1541. 3 *Septembr.* in † comi-
tiis Ratisbonenſibus data, *ibi*: Als zum Erſten 59
der Articul im Abſchiede von denen/ durch ihre *Theologen* verglichenen Articuln etwas dunckel geſetzt/ hat es den Verſtand/ daß der Augſpurgiſchen *Confeſſion* verwandte Stände/ biß zu der endlichen Vergleichung der *Religion*-Sachen/ in denen Articulen/ derer ſich ihre *Theologen* vereiniget/ mit ſambt ihrer *declaration* nicht überſchreiten ſollen/ und iſt ihnen in den übrigen unverglichenen Articuln hierinnen keine Maſſe gegeben Vbi notandum,
Cæſaream Majeſtatem loqvi de † pluribus ar- 60
ticulis in Auguſtana Confeſſione non expreſſis: neque in iis Proteſtantibus Theologis præſcribere terminumque ponere voluiſſe, intra qvem articulos Religionis ſuæ continerent, & ultra qvem docendo non progrede-
tentur. Idque ſi feciſſet † & in anguſtias eas 61
Status Auguſtanæ Confeſſionis coegiſſet, vix pacificatio Religioſa finem ſuum aſſeqvi potuiſſet, qvi in eo conſiſtit, ut perpetua ſit pax inter Status utriuſque Religionis in Imperio. Iam autem in dubio ea facienda eſt inter-
pretatio, † ut actus magis valet, qvàm ut pe- 62
reat, *l. qvoties, ff de verb.obligat. l qvoties ff de reb.dub.* Cephal. *conſil.*216. *num.*24. Et Prin-
cipis † conceſſio non aſtutè nec abſurdè eſt 63
explicanda. *l.*5. *ubi* Bald. *C.de legib. l.ex facto ubi* Bartol. *ff.de vulg & pupill. ſubſt.* qvin potiùs pleniſſimè interpretanda, *l.beneficium. ff. de conſtit. Princip.* Dyn. *in can. qva à iure, diſtinct.*11. Bartol. *in l.ſi qvando. C.de bon.vacant.* Herm. Vultei. 1.*conſil. Marpurg.*16. *num.*63. & 64. Ioh. Gœdd. 4.*conſil. Marpurg.*27.*num.*22. & 68. Theodor. Reinking *de regim.ſecul. & eccleſ. lib.*2.*claſſ.*2.*cap.*8.*n.*36.

LXI. Demonſtravimus hucusqve † Pacem 64
Religionis neqvàqvam ad articulos in Auguſtana Confeſſione actu poſitos & comprehenſos reſtringendam eſſe, ſed & alios ſimiles ei incluſos cenſeri; ex qvo major propoſitio argumenti Dillingani ultrò corruit. Iam deſcen-
damus † ad *aſſumptionem*, qvâ dogma Luthe- 65
ranorum de Papa Antichriſto in Auguſtanâ Confeſſione comprehenſum negatur: Sed
qvàm falsò, ex ſeqventibus apparebit (1.) † No- 66
tiſſimum ſiqvidem eſt, Auguſtanam Confeſſionem aliqvot notas Antichriſti tribuere Papæ,
nempe:

Digitized by Google

nempe: quod ſe offerat ſupra omne, quod
Deus dicitur, 2. *Theſſ.* 2. *v.* 4. *Dan.* 11. *v.*
37. Doctrinâ ſuâ lædendo Chriſti gloriam.
abuſ. 3. Traditiones longè præferendo
mandatis Chriſti, *abuſ.* 5. Introducendo
conſuetudines, Dei mandatis contrarias,
abuſ. 1. Miſſam, ſive Sacramentum Cœnæ
Dominicæ turpiter profanando. *abuſ.* 3. †
67 Quod inſtituerit novum cultum, *Dan.* 11.
v. 37. 38. per ordines monaſticos, ferias,
jejunia &c. *abuſ.* 5. *&* 7. Quod doceat
doctrinas Dæmoniorum, 1. *Thimoth.* 4.
v. 3. prohibendo cibos & conjugium, *art.*
68 23. *&* *abuſ.* 5. Quod è † cultu quæſtum
fecerit, *Dan.* 11. *v.* 43. 2. *Petr.* 2. *v.* 31. pro-
phanando ejus causâ Euchariſtiæ Sacra-
mentum, *abuſ.* 3. Quod regnet in Eccleſiâ,
2 *Theſſ.* 2. *v.* 4. magnâ ſævitiâ conſcientias
affligendo, *abuſ.* 3. *&* 7. Vnde ſic inferre
69 licet: † *Qui Papa tribuit Antichriſti ſigna,
is ſatis manifeſtò illum Antichriſtum pro
nunciat; Atqui hoc facit Auguſtana Con
feſſio, ut jam diximus. Ergò pronunciat
ipſum Antichriſtum, & conſequenter dogma
de Papâ Antichriſto in Auguſtana confeſſione
eſt comprehenſum,* cum Theologis Saxonicis
in pupilla Evangel. pag. 438. *& ſeqq.* Haupt-
vertheidigung deſſelben / *cap.* 99. Nic.
Hunn. *in ſcript. apologet. innocent. Luther.*
§. 901. *&* 902. *pag.* 578. *&* 579. Nec eſt
70 †. quod ſaltem obliquè & per conſequen-
tiam hâc ratione dogma de Papa Anti-
chriſto in Auguſtanâ Confeſſione poſitum
dixeris. Largiuntur enim ipſimet Dillingen-
71 ſes, † & illa dogmata Pacificationi Religio-
ſæ incluſa eſſe, quæ licèt in Auguſtanâ Con-
feſſione verbis explicitis & formalibus poſi-
ta non ſint, tamen in eâdem actu continean-
tur, & per evidentem ratiocinationem inde
deduci queant, §. 171. *pag.* 648. Et ſufficit per
conſequentiam ſeu tacitè aliquid compre-
72 hendi, † quia idem operatur tacitum, quod
expreſſum, *l. cum quid. ff. ſi certum petat. l. ſti-
pulationem. ff. de jur. dot. l. quod ſi nolit. §. qui
mancipia. ff. de ædilit. edict. l. tricitum. ff. de
verb. obligat.* manifeſtaq; dicitur probatio,
73 † quæ per conſequentias & conjecturas col-
ligitur evidentes, *l. licet Imperator. ff. de le-
gat.* 1. *ſi locuples. ff. de manum. teſtam.* Felin.
in cap. tranſlato. n. 4. *in fin. extr. de conſtit* Iaſ.
in l. præter att. n. 4. *ff. de nov. oper. nunciat.*
Alex. *vel. conſil.* 24. *num.* 6.
74 LXII. (2.) Et † ſi omninò expreſſam pe-
tant Dillingani notationem hujus dogmatis,
legant Apologiam Auguſtanæ Confeſſionis
in articul. 15. *ibi*: Was darff dieſe offentliche
Sache vieler Wortt? Wann die Widerſa-
cher dieſe Gottes dienſte alſo vertheidigẽ/ als
ſeyns Worte/dadurch man Vergebung der
Sünden und Seligkeit verdienet/ſo richten
ſie öffentliche Antichriſtiſche Lehre und Reich
75 an. Da, 1 das Reich † Antichriſti iſt eigent-
lich ein ſolcher neuer Gottesdienſt / durch
Menſchen erdichtet / dadurch Chriſtus ver-
worffen wird / wie Mahomets Reich ſelbſt
erwehlete Gottesdienſte hat/eigene Wercke/
Addit.

dadurch ſie vermeynen für Gott heilig und
from zu werden/ und halten nicht/ daß man
allein durch den Glauben an Chriſtum ge-
recht werde / Als wird das Pabſtumb auch
ein Stücke vom Reich Antichriſti/ ſo es leh-
ret durch Menſchen Gebot Vergebung der
Sünden zu erlangen/ und Gott verſühnen/
† denn da wird Chriſto ſeine Ehre genom- 76
men / wenn ſie lehren / daß wir nicht durch
Chriſtum / ohne Verdienſt gerecht werden
durch den Glauben / ſondern durch ſolche
Gottesdienſte/ſonderlich wen ſie lehren/ daß
ſolcher ſelbſt erwehlter Gottesdienſt nicht al-
lein nütze ſey / ſondern auch nötig / wie ſie
denn oben im achten Articul halten / daß ſie
das verdammen / das wir geſetzt/zu rechter
Einigkeit der Kirchen/ſey nicht noth/daß al-
lenthalben gleichförmige Menſchen-Sa-
tzungen ſeyn. *Daniel* am 11. Capit. † mahlet 77
das Reich Antichriſti alſo ab / daß er anzei-
get / daß ſolcher neuer Gottesdienſt von
Menſchen erfunden / wird die *Politia* und
das rechte Weſen des Antichriſtiſchen
Reichs ſey/denn alſo ſagt er/den Gott *Mau-
ſim* wird er ehren/ und dem GOtt/ den ſeine
Vätter nicht erkennet haben / wird er mit
Golde / Silber und Edelgeſteinen dienen;
Da beſchreibet er ſolche neue Gottesdien-
ſte/den er ſaget von einem ſolchen Gott/ da-
von die Vätter nichts gewuſt haben. † Non 78
ne verbis expreſſis titulus & nomen Anti-
chriſti hic attribuitur Papæ? Quid ergo eſt,
† quod Dillingenſes tam impudenter ſcri- 79
bant, dogma de Papâ Antichriſto ne ex ver-
bulo Auguſtanæ Confeſſionis elici poſſe. † 80
Non minus enim Apologia hæc quàm ipſa
Confeſſio Auguſtana à Statibus Evangeli-
cis fuit concripta, ut hinc de explicatione
articulorum Auguſtanæ Confeſſionis &
dogmatibus Proteſtantium Theologorum
apertiſſimè conſtiterit.

Caput V.

*Num ex dogmate de Pontificis Antichriſtia-
niſmo, rectè inferant Dillingenſes contra
Imperatorem, quod ſit ſupremus Eccleſiæ
Antichriſtianæ, ipſiusque Antichriſti Ad-
vocatus, Defenſor & Patronus?*

LXIII.

ANxii ſunt Dillingenſes, quod ex do- 1.
gmate de Papâ Antichriſto crimen
majeſtatis eliciant, eoque Theologos Lu-
theranos calumnioſè gravent, quod cum
argumentis *ſuprà cap.* 3. recenſitis ac re-
futatis efficere haut potuerint, objiciunt
tandem nobis ceu Meduſæ caput, † jura- 2.
mentum, quo Cæſar Sedi Apoſtolicæ &
Pontifici Romano tanquam ſupremus ejus
Defenſor, Advocatus & Patronus eſt ob-
ſtrictus; unde haut fieri poſſe contendunt,
† ut dogma de Pontificis Antichriſtianiſ- 3.
mo ipſum non faciat Eccleſiæ Antichriſtia-
næ ipſiusque Antichriſti Advocatum, De-
fenſorem ac Patronum; quod nimis inju-
rioſè nec abſque offenſione ac læſione ma-
jeſtatis Cæſareæ dictum eſſet, † ita enim 4.

inquiunt. §. 149. p. 624. & 625. *Sciunt etiam*
Lutherani prædicãtes, & palam fatentur, quòd
Cæſar ſolenni corporali juramento Apoſtolicæ
Sedi, ejuſque Epiſcopo ſeu Romano Pontifici
tanquam ſupremus eius Advocatus, Patronus
& Defenſor obſtrictus ſit: Dum igitur aiunt
Eccleſiam Romanam eſſe Eccleſiam Antichri-
ſtianam, eiuſq; Epiſcopos continuâ ſucceſſione
fuiſſe Antichriſtũ, à Daniele Propheta, Chriſto
Domino, S. Apoſtolo Paulo & Iohanne in Apo-
calypſi prædictum, fateri ac dicere debet, Cæſa-
rem eſſe ſupremum Eccleſiæ Antichriſtianæ ip-
ſiusq; Antichriſti Advocatum, Defenſorem &
Patronum. Quæ eſt inſignis atq; evidens inju-
ria & contumelia adverſus Romanũ Impera-
torem effuſa. Hactenus Dillingenſes. Vlte-
5. rius † hinc progrediuntur, & à Theologis
Lutheranis Imperatorẽ, Chriſti perſecuto-
rem ac hoſtem dogmate hoc vocari & effici
inferunt, *dict. pag. 625. Si Cæſar Romanus,* in-
quiunt, *Antichriſti Eccleſiam ipſumq; Anti-*
chriſtum ex iuramenti obligatione protegit ac
defendit, ſequitur inde, quod Chriſtianus Im-
perator non ſit, ſed Chriſti perſecutor ac hoſtis:
Atqui ſecundũ Lutheranos prædicantes Cæſar
Romanus Antichriſti Eccleſiam, ipſumq; An-
tichriſtum ex iuramenti obligatione protegit, ac
defendit: Itaq; ſecundum iſtos prædicantes, Cæ-
ſar Romanus non eſt Chriſtianus, ſed Chriſti
6. *perſecutor ac hoſtis &c.* † junct. §. 150. ibi: *Rectè*
catholici Theologi Lutheranis prædicantibus
obiecerunt, eſſe hoc læſæ maieſtatis crimen &c.
Omni ſtudio nimirum & labore conten-
dunt Dillingani, ut Theologos Lutheranos
faciant reos majeſtatis.

LXIV. Sed nugæ ſunt, atque calumniæ:
7. Nunquam † enim demonſtrabunt Dillin-
genſes, Cæſaream Maieſtatem à quoquam
Theologorum Lutheranorũ proclamatam
fuiſſe Eccleſiæ Antichriſtianæ, ipſiusq; An-
tichriſti Defenſorem, Advocatum & Patro-
num, ut nec hinc rationem reddere obſtri-
cti ſint eius verbi, quod ex ipſorum pronun-
ciato per falſiſſimã elicitur conſequentiam.
8. Videant † ipſimet, quomodo ſe purgent à
crimine majeſtatis & injuriâ, quâ notant
Cæſaream Majeſtatem, verba horribilia à
Lutheranis nunquam dicta nec cogitata, cõ-
9. tra eam effutientes: Quod jam dudum † iis
fuit exprobratum à Theologis Saxonicis in
vindiciis pupillæ Evangelicæ c. 95. p. 705. ubi ita
diſſerunt. Wir entſetzen uns über den Wor-
ten der Rechtsgelährten zu Dillingen / daß
ſie ſo vermeſſen und *aſſertivè* ſagen / der Käy-
ſer ſey des Antichriſts Vorfechter. Wir ſa-
gen dergleichen nicht: Halten die Käyſ. Maj.
viel zu hoch / dergleichen Zunahmen Ihr zu
geben. Sie ſind des Pabſts Vorfechter
nicht / und ob es Ihr beliebt zu ſeyn / ſo wé-
ren ſie doch nicht ſein Vorfechter als eines
Antichriſts: Sondern als deſſen / dem die
Seelſorge anvertrauet / und der von Rechts-
wegen ſein anbefohlenes Ampt Chriſto zu
Ehren / und nicht wider Chriſtum führen
10 und gebrauchen ſolte. Etſi † verò Imperator
cuicunq; peccato, ſorte humanâ mortalibus
cõmuni obnoxius, favere & patrocinari An-
tichriſto poteſt, perinde ut alii Reges, idque
ſi fecerit, ab Antichriſto ipſum ſalvâ maje-
ſtate politicâ ſeductum aſſerere nec injurio-
ſum eſt, nec majeſtatem lædit. Attamẽ † cum 11
ex falſâ conſequentiâ diſputent Dillingani,
imputentque Lutheranis crimen ab iis nec
cogitatum nec perpetratũ, nequaquam huic
acquieſcendum, ſed conſequentiam illam
examinari, eorumque errorem detegi
oportet.

LXV. Nolumus autem † hîc juramentum 12
ab Impp. Pontifici præſtitum ad primævam
ſuam originem & principia revocare, nec in
rationem hujus ſolidam inquirere, qua de re
multùm & temporis & pagellæ conſumunt
Dillingenſes, poſtquam certi ſumus † à tem- 13
pore Caroli Magni Imperatores id præſti-
tiſſe, Cęſar Baron. *tom. 5. annal.* Carol. Sigon.
de Regno Italiæ lib. 4. pag. 99. & quidem ante
conſecrationem & coronationem Roma-
nam, *c. tibi Domino diſtinct. 93.* quod nequa-
quam fuit juramentum † fidelitatis, ut ine- 14
ptiunt Pontificii cum Clemente V. Papa, *in*
cap. Romani Clem. de iureiur. jam dudum re-
futati à ſanioribus Theologis pariter &
ICtis atque Politicis, quibus inconveniens
viſum, & revera eſt, jurique divino & huma-
no contrarium, † ut Imperator Papæ ſit ho- 15
magii & ſubiectionis vinculo obligatus,
Otto Friſing. Epiſcop. *in Chron.* Walr. Epiſc.
Naumburg. *in Apol. pro Henr. IV. Imp.* Lu-
pold. de Bebenburg. Epiſcop. Bamber-
genſ. *in tract. de jur. Regn. Franc. & Imper.*
Rom. Nicol. Cuſan. Cardin. Brixienſ. *lib.*
3. de concord. cathol. cap. 29. & ſeqq. Quin
& jactantiam hanc Papalem † dicunt eſſe 16
argumentum Antichriſtianiſmi, qui ab Ec-
cleſiâ Romanâ ſeceſſionem fecerunt, Luc.
Oſiand. *in Papâ non Papa. loc. 20.* Marquard.
Freher. *in comm. ad donat. Conſtant. M. Imp.*
fol. 97. Franc. Hottom. *in Bruto fulm. tit.*
crimen maieſtas. Guilielm. Sturio *in tract. de*
translat. imp. pag. 6. Melch. Goldaſt. *de*
Regn. Bohem. lib. 3. cap. 3. num. 7. Chriſtoph.
Besold. *in diſſert. de maieſt. ſect. 1. c. 2. num.*
8. Nic. Vign. *in theat. Antich.* Sed jurave-
runt Imperatores Pontifici & Eccleſiæ † 17
ſolummodò protectionem & defenſionem,
Goldaſt. *in replicat. pro imper. contra Gret-*
ſer. cap. 16. Georg. Kolderer ab Höch apud
Frider. Achil. *de princip. inter Provinc. Eu-*
rop. in orat. contra Ital. † ut jam pridem 18
quoque declarârunt Impp. Chriſtianiſ-
ſimi Otto III. Henricus II. Henricus III.
Henricus IV. Henricus V. Lotharius II.
Fridericus I. Henricus VI. Fridericus II.
Henricus VII. Ludovicus IV. Güntherus,
Maximilianus I. & Carolus V. Goldaſt. *de*
Regno Bohem. dict. lib. 3. cap. 13. num. 7. pag.
364. Etſi verò ſubſequentes Impp. † nec 19
coronationem Papalem petierunt, nec ju-
ramentum Pontifici præſtiterunt, ad prote-
ctionem tamen Eccleſiæ, Sedisque Roma-
næ & Pontificis tenentur ex promiſſione
juratâ, quam fecerunt Electoribus Eccle-

ſiaſticia

ſiaſt cis in capitulatione, cujus verba hæc
ſunt: Daß wir in Zeit ſolcher unſer König-
lichen Würden / Ampts und Regierung
die Chriſtenheit / und den Stuel zu Rom/
auch Päbſtliche Heiligkeit und die Chriſtli-
che Kirche als derſelben *Advocat*, in guten
treulichen Schutz und Schirm halten wol-
len.
20 LXVI. Non itaque † inficias ire poſ-
ſumus, promiſiſſe Impp. Pontifici & Sedi
Romanæ protectionem ac defenſionem, &
propterea Advocatos atque Patronos Ec-
cleſiæ & Pontificis ſalutari; ſed quod Ec-
cleſiæ Antichriſtianæ ipſiusque Antichri-
ſti ſint Advocati, Defenſores atque Patroni,
21 hoc negamus & pernegamus, neque † ex
dogmate Lutheranorum de Papa Antichri-
ſto id evincitur. (r.) Quem etenim fugit dif-
ferentia inter Majeſtatem Cæſaream, quæ
eſt res civilis: & thema de Pontifice Anti-
chriſto, quod eſt res Eccleſiaſtica. Atqui ci-
vile & Eccleſiaſticū ſe invicem non vitiant.
22 Vt † maximè ergo Imperator intuitu maje-
ſtatis civilis ſummæq; poteſtatis, quam ob-
tinet, ſed Romanam & Pontificem politicè
defcodat ac tuetur, ex re tamen eccleſiaſtica
ſeu themate illo de Papa Antichriſto, illi ni-
hil accedit nec decedit: nec majeſtas politi-
ca vitiatur per malum Eccleſiaſticum, quo
23 ipſa patrocinium præſtat Antichriſto. †
Subſiſtendum itaque in ſolâ protectione &
patrocinio publico, quo Imperator Eccleſię
eſt obſtrictus, *l.9.l.10 & tot.tit.C. de ſummâ
Trinit. Novell. 9. Conſt. Frider. de pace tenen-
da & eius violat. in pr. Clem. 1. pr. verſ.
ipſius Eccleſia debeant eſſe promptiſſimi de-
fenſores. de iureiur. c. fin. diſtin.* 96. Hieron.
Balbus *de coronat. pag.* 25. Lupold. de Beben-
burg *de iur. Regn. cap.* 3. David Hoping *in
diſſert. de protect. th. 9. lit. a.* Hieron. Gigas *de
crim. laeſ. maieſt. lib. 1. Rubr. qualiter & à qui-
bus crim. laeſ. maieſt. comm. quaeſt. 2. in fin.* idque
24 † innuere voluit Georg. Sigiſm. Seld. Vice-
cancell. Imp. *in conſilio ad Ferdinandū Imp.*
Von Ihrer Käyſerl. Maj. Wahl und Ho-
heit; quando ſcribit: Dann denſelben Eyd
thun ein Käyſer anders nicht/ denn ein obri-
ſter Voigt und Schirm-Herr der Römi-
ſchen Kirchen / wie dañ wol in einem weni-
gern Fall etliche Fürſten/ und andere weni-
gere Stände des Reichs etlicher beſonderer
Clöſter und Gotteshäuſer Schutz-Herren
oder Kaſten-Voiget ſeyn/ mag ſich auch wol
begeben/ daß ſie ſolches ihres Schutzes hal-
ber zu zeiten Pflicht zu thun pflegen/ ꝛc. Poſt-
25 quam † enim Cæſari incumbit providere,
ut non ſolùm pacificè, ſed etiam piè ſubditi
vivant, oportet utique eum tueri & munire
Eccleſiam, ſaltem jure politicæ poteſtatis,
Henn. Arnis. *de iurib. maieſt. maior. cap. 6. n.*
11. Lupold. de Bebenburg *dict. tract. c. 8.* At-
26 que hinc Eccleſiæ † Defenſor eſt & Advo-
catus der gāzen Chriſtenheit rechter Schutz
und Schirm / *Receſſ. Imp. Auguſt. de anno*
1518. §. Erſtlich/ *it:* Ein oberſter Voigt und
Schirmherr der heiligen Chriſtlichen Kir-
chen/ *Receſſ. Imp. Auguſt. de an.* 1516. Auff
ſolches unſer gnädigſt Erinnern ꝛc. Ex † quo 27
tamen ad thema eccleſiaſticum nihil infe-
rendum, ut benè advertunt Theologi Saxo-
nici *in vindic. pupil. Evangel. cap. 94. pag.* 697.
quando inquiunt: Solche *Polit*iſche *Actio-
nes* und Handlungen *importiren* keine Theil-
hafftigkeit im Antichriſtiſchen Weſen ꝛc. Et
rurſus *ead. pag.* Mord- und Todſchlag iſt ei-
ne Himmelſchreyende Sünde / wie Gott
ſelbſt ſagt: Siehe die Stimme deines Bru-
ders Blut ſchreyet zu mir von der Erden/
Geneſ. 4. v. 10. noch ſchützet ihn GOtt wider
Gewalt. Alſo kan derowegen auch ein Rö-
miſcher Käyſer den Pabſt zu Röm. auff ge-
wiſſe Weiſe ſchützen/ und muß doch daher ſo
wenig folgen/ daß er Antichriſtiſch ſey / daß
da folge / daß GOtt Cainiſch ſeye.
LXVII. Exactius ut id demonſtremus, 28
committunt Dillingenſes fallaciam acci-
dentis, & id quod eſt vitioſæ qualitatis in
cliente, ipſi patrocinio ac protectioni peſ-
ſimè immiſcent. Id quod duplici exemplo
expeditum faciemus: *Primò* † extra contro- 29
verſiam Iudæi in Imperio Romano jure
gaudent protectionis & patrocinii, adeò ut
receptio eorum tanquā Regale aliquod ſin-
gulare antiquitùs ſolis Electoribus Caroli
IV. conſtitutione fuerit conceſſa, *in Aur.
Bull. cap. 9.* poſtea verò ad omnes Principes
ac Status alioſque jura Regalia immediatè
ab Imperatore recognoſcentes translata, † 30
ut & ad eos, quibus ſpecialiter jus receptio-
nis eſt indultum, *Reformat.* Guter Policey-
Ordnung zu Augſpurg/ *de An.* 1548 *ſub tit.*
Von Jüden und ihrem Wucher. *ibi:* Se-
tzen / ordnen und wollen wir / daß niemand
hinfüro Jüden auffzunehmen oder zu halten
verſtattet werden ſol/ dann den Jenigen / ſo
von uns / und dem heiligen Reiche *Regalia*
haben/ oder inſonderheit deßhalben *privilegi-
ret* ſeyn/ nec ſemel in protectionem † & ſe- 31
curitatem recepti pro lubitu ejici poſſunt,
prout tradunt *Dd.* communiter, M. Anton.
Natt. *conſ.* 620. *n.* 22. Steph. Gratian. *diſcept.
forenſ. cap.* 658. *n.* 34. *& ſeqq.* Marq. de Suſan.
in tract. de Iudaeis. cap. 7. n. 4. & 5. ubi dicit,
poſteaquam in terris Chriſtianorum rece-
pti ſint Iudæi, facti ſunt de eodem populo &
corpore civitatis, Pariſ. *vol. 4. conſ. 2. n* 15. Sed
quis neſcit, † quod errores ac horribiles 32
blaſphemias in Chriſtum Salvatorem eru-
ctare ſoleant quotidiè Iudæi, annùm ergò
propterea Imperatorē Advocatum & pro-
tectorem blaſphemorum appellabunt Dil-
lingenſes? Id ſi † fecerint, calumniosè ab iis 33
actum, fatebitur quisq; intelligens fallaciam
accidentis animumque & intentionem Im-
peratoris probè perpendens, qui cum popu-
lum & cives Imperii protegere & tueri ne-
ceſſum habet, excludere ab hoc patrocinio
nequit Iudæos, † qui in Germaniā ſunt Ci- 34
ves Romani ex ſtylo & cōſuetudine, Ioach.
Mynſinger 1. *obſerv.* 5. ac juris communis ſe-
ſè ſunt participes, tanquam Cives Romani,
Alexand. *vol. 3. conſil. 71. & vol. 5. conſil. 75.*

Digitized by Google

Theod. Reinking. *de regim. ſecul. & eccleſ. li.* 1. 2 *claſſ.* 1. *cap.* 4 *n.* 29. Paul. Matth. Wehner.
35 *in pract. obſerv. verb.* Juden/ quiq; † in Imperio propterea tolerantur, ut concionibus Chriſtianorum interſint, & ex converſatione crebriori cum Chriſtianis ad verã perveniant fidẽ: quem ob finem etiam Iudæos Romæ tolerari, ſcribit Florimond. de Remond. *de antichriſt. cap.* 16. *n.* 6. *Deinde* no-
36 tiſſimũ † eſt, ad Imperatoris officium ſpectare protectionem & patrocinũ ſubditorum. Nam ſicut liberi à Parentibus diliguntur ac defenduntur, eodem modo Imperator ſubditos diligere, eoſq; tueri debet, Specul. *tit. de feud. ſub tit. de hom. n.* 8. Caſtr. & Dd. *in l. ſi quis filium. C. in off. teſtam.* Eſt enim † Princeps quaſi communis Patriæ &
37 omnium Pater, Ein Landes-Vatter/ qui paternum erga ſubditos animum gerere & ſuos tanquam filios diligere, defendere ac tueri debet, Rol. à Valle *lib.* 2. *conſ.* 18. *nu.* 18. *& conſil.* 91. *n.* 39. Cephal. *conſ.* 28. *n.* 47. Sed quot adulteri, quot fures, quot homicidæ
38 inter ſubditos Imperii? Annum ergo † Imperatorem Advocatum, Defenſorem ac patronum adulterorum, furum & homicidarum appellabunt Dillingenſes? Hoc certè ex inepta ipſorum conſequentia infertur.
39 At cum † proculdubio ab hac illatione abſtinebunt, utique & Theologi Lutherani contra mentem & intentionem ſuam eâ gravari non debent. Quæ omnia ſi comprehendere ſummatim velimus; dicimus, Romanum Imperatorem Eccleſiæ Romanæ Advocatum eſſe, quatenus illa verbo Dei adhæret, non autem, quatenus fidei corruptelas propugnat, cum D. Henrico Höpffnero *in Saxon. Evangel. ſect.* 2. *part.* 3. *cap.* 3. *in fin. pag.* 302.
40 LXIIX. (2.) Quemadmodũ † non omnes ſunt Antichriſtiani, qui in Eccleſia Romana Papam agnoſcunt & Religionem pontificiam amplectuntur, nec omne id Antichriſtianũ habetur, quod per Tyrannidem ab Antichriſto occupatur; ut diximus *ſupra th.* 49. ita nec ſtatim Advocatus, Defenſor & Patronus Antichriſti appellandus, qui Eccleſiã Romanã & Pontificem, ſummum eius Epiſcopum defendit ac tuetur. Diſtinguen-
41 dum † nempe eſt inter Antichriſtianam iniquitatem in Eccleſia, & ipſam Eccleſiam Romanam, eiuſque Epiſcopum Pontificem. Illa prorſus & in totum damnanda ac improbanda, in hac verò multa reperiuntur utilia, Baptiſmus, fides Apoſtolica, Decalogus, Oratio Dominica &c. ut hinc autoritas Eccleſiæ, ſedi Romanæ ejuſque adminiſtratori non prorſus deneganda. Vid. D. Henr. Höpffner *in Saxon. Evang. dict. ſect.* 2. *p.* 2. *cap.* 1. *pag.* 234. *&* 235. Æſti-
42 matur † ſiquidem Eccleſia ab ipſo fundamento, quod eſt Chriſtus pro nobis mortuus & reſuſcitatus: cui fundamento, licèt poſteri pro auro & argento lapidibus pretioſis, lignum, fœnum & ſtipulam ſuperſtruxerint, ac puritatem Eccleſiæ ſordi-
tie & impio cultu coinquinârint, manet nihilominus fundamentum ſtabile. Vndè
† poſt comitia Auguſtana B. Lutherus in 43
hæc verba ſcripſit: *Illa* (ſcilicet Romana Eccleſia) *vera Eccleſia Chriſti, fundamentum & columna veritatis eſt, locus ſacroſanctus in quo ſtat abominatio: & in hâc Eccleſiâ Deus miraculosè & potenter ſervavit baptiſmum, textum Evangelii, Remiſſionem peccatorum, Ordinationem, claves &c.* Et in † Germa- 44
nico libello, quem de fidei ſuæ confeſſione ſenex edidit, hæc verba ad Catholicos profert: *Non ſolùm agnoſcimus, vos unà nobiſcum ex verâ Eccleſiâ prodiiſſe; veriùm etiam dicimus, vos in Eccleſia eſſe & manere: imò verò in eâ ſedere & regnare, quomodo Paulus dixit, Antichriſtum in templo Dei (non in ſtabulo Vaccarum) ſeſſurum eſſe: veriùm de Eccleſia, vel membra Eccleſiæ non eſtis ampliùs &c.* Georg. Caſſant. *de officio pii viri*, apud Goldaſt. *in polit. Imper. part.* 28. *pag.* 1292.
Hæc † ſi ad juratam Cæſaris promiſſio- 45
nem accommodemus, nequaquam defenſionem & patrocinium Antichriſto & Eccleſiæ antichriſtianæ, cujus ne verbulo ſit mentio in juramento, ſed Eccleſiæ Catholicæ, eiuſque Epiſcopis promitti, fateamur
neceſſe eſt † Hocque intuitu juramentum 46
iſtud non omninò improbamus, nec aliam fuiſſe mentem Imp. Caroli V. apparet ex ipſius verbis, *in Receß. Comit. Auguſt. de anno* 1530. Nachdeme aber uns/als Römiſchen Keyſer und Oberſten Voigt der Chriſtenheit/ aus aufferlegtem Keyſerl: Ampte / gebühret/wie wir uns auch ſchuldig erkennen/ den heiligen Chriſtlichen Glauben/ wie derſelbige durch die Heilige gemeine Chriſtliche Kirche bißhero ehrlich und löblich gehalten/ zu Handhaben / zu ſchützen und zu beſchir-
men / ꝛc. tantum abeſt † ut hinc Imperator 47
advocatus ac defenſor Antichriſti & Eccleſiæ Antichriſtianæ, ex dogmate Lutherano-
rum de Papa antichriſto, notetur ac procla- 48
metur. † Quod & ſenſerunt Theologi Saxonici in *Vindic. pupillæ Evangel. cap.* 90. *p.* 676. *in verb.* Nun laſſen wir zu/daß ein Chriſtlicher Keyſer von Rechts wegen ein Beſchirmer der gantzen Chriſtenheit / und ſo fern was Chriſtliches an den *particular* Römiſchen Kirchen iſt / auch derſelben Schutz-Herr ſeyn kan/und ſoll. Daraus folget aber nicht/daß ein Keyſer in allen und ieden Sachen dem Pabſt und der Römiſchen Kirchen Schutz zu leiſten verbunden / wie die Juriſten zu Dillingen dahin zielen/ꝛc.
LXIX. (3.) Ac † tandem ex themate 49
Lutheranorum de Papa Antichriſto, Dillingenſes vel propterea contra Theologos nihil inferre, nec Imperatorem advocatum & patronum Antichriſti Eccleſiæque Antichriſtianæ eo notari & appellari, probare poſſunt, quia Lutherani Imperatorem ad protectionem Sedis Romanæ & Pontificia haud obligatum cupiunt, † vel- 50
uti Sereniſſimus Saxon. Elector unâ cum Brandeburgico Electore, hoc nomine verbis

Brandeburgico Electore, hoc nomine verbis diſertis io Capitulatione proteſtari ſolet: quam proteſtationem puncto huic annexum videmus: Gleichwol ſo viel dieſen / auch in den nachfolgenden achtzehenden *Artical* gegenwertiger *Obligation, verſ.* Daß ſollen und wollen auch die Churfürſten *&c.* belangend/haben vorgemeldte unſere Oheim und Churfürſten zu Sachſen und Brädenburg ſich außdrücklich gegen uns erkläret/ was daſelbſten von dem Stuel zu Rom/ auch der Päbſtlichen Heiligkeit vor Meldung geſchicht/daß Ihre Liebde darein nicht bewilligen / noch uns damit verbunden ha-
51 ben wollen. † Eaque proteſtatio omnium Evangelicorum nomine facta cenſetur, perinde ut ipſa electio Imperatoris ab omnibus Imperii Ordinibus per Electores videtur peracta, Peucer. *in chron. lib. 4. in Otton. III. verſ. ſed dolendum &c.* Dom. Arum. *in diſcurſ. 3. ad Aur. Bull. concluſ. 6. in fin.* Quo
52 jure † ergo & prætextu Theologis Lutheranis imputari poteſt, quod Imperatorem advocatum, protectorem ac Patronum Antichriſti & Eccleſiæ Antichriſtianæ proclamaverint, cùm ad protectionem ac defenſionem Pontificis Antichriſti & Sedis Romanæ, Imperatorem obſtrictum nolint? Sunt enim hæc duo contraria, quæ ſimul ſubſiſtere nequeunt.

53 LXX. Cui non officit, † quod regerunt Dillingani, ſpectandum hìc non eſſe, quid Electores ſeculares voluerint & dixerint, ſed quid Cæſarea Majeſtas fecerit, haud obſtante proteſtatione obligando ſe Pontifici ac ſedi Romanæ, *in* §. 131. *pag.* 608. *ibi: Tametſi verè, quod attinet ad articulum illum juramenti ab eodem Ferdinando II. præſtiti erga ſedem Romanam & Romanum Pontificem ſeculares Electores (per legatos ſuos) proteſtati fuerunt, ſe non conſentire, neq; ad hoc juramentum Cæſarem obligatum eſſe velle; tamen hæc proteſtatio nihil obſtat; cùm haud dubiè ſufficiat ad obligationem ipſiuſmet jurantis expreſſa voluntas, & promiſſa; acceptata quoq; ab eccleſiaſticis Electoribus, ſecundum priſtinam ſacri Romani Imp. conſuetudinem.* Hact.
54 Dilling. *Reſp.* Maximè † omnium enim hìc proteſtatio attendi debet, quia de intentione & propoſito Theologorum Lutheranorum jam eſt quæſtio, qui cum obligationem illam impugnent, eamque in validam cupiant, hoc ipſo ſatis manifeſtè de ſuo diſſen-
55 ſu docent, † & quod Imperatorem pro Advocato ac Protectore Antichriſti & ſedis Romanæ haberi nolint, ſanctè obteſtantur, atque calumnias Dillingenſium adverſus ipſos retorquent.

COROLLARIA IURIDICA.

I. *Conſenſus Domini ſuperioris, adhibitus circa oppignorationem bonorum ſub judice inferiore ſituatorum, verum tribuit jus hypothecæ in foro Saxonico.*

II. *Nulla planè eſt hypotheca Subfeudi ob defectum conſenſus Domini immediati, quantumvis eam Dominus ſuperior confirmaverit.*

III. *Creditores Patris chirographarii non præferuntur Creditoribus filiorum, quibus poſtea paternum ab ipſis legitimè fuit oppignoratum.*

IV. *Reſciſſâ Venditione ex* L. 2. C. de Reſc. vendit. *non reſtituendi ſunt fructus Venditori.*

V. *Per Reſtitutionem minoris in integrum ad ius ſimultaneæ inveſtituræ, non annullatur hypotheca Creditoris in feudo, ante reſtitutionem à Vaſallo conſenſu Domini conſtituta.*

SOLI DEO GLORIA.

ADD. V.

Ad Limnæi Enucleati lib. I. *c.* II. *n.* 2. *Quum in Inſtrumento Pacis Pax Religioſa ab omnibus dubiis ſit enodata, ſequens Dn. Blumii tit.* 18. *de Proceſſ. Cameræ, in quo omnia accuratè deducuntur annectere volumus.*

De

PACE RELIGIOSA.

I. PErtractatis Auſtregis & viſis perſonis, quarum ratione Iuriſdictio Cameralis fundatur, jam progrediendum ad cauſas eandem fundantes. Vbi primò obſervandum, aliquando ſolam qualitatem cauſæ d. Iuriſdictionem fundare, uti eſt cauſa fractæ pacis, cauſa fiſcalis, cauſa violati Privilegii Cæſarei, Res immediatè ſub Imperio ſita, & denique ſi continentia cauſæ adſit: aliquando ad qualitatem cauſæ inſuper requiri, ut Reus immediatè Imperio ſubſit, quemadmodum requiritur in cauſis mandatorum, Relaxationis Iuramenti ad effectum agendi, L. Diffamari, protractæ, denegatæve Iuſtitiæ, &c. Et ultimò nonnunquam præter qualitatem cauſæ requiri, ut tam Actor quàm Reus immediatè Imperio ſubſit, uti in cauſa litigioſæ poſſeſſionis, pignorationis & Arreſti. Ex quo patet Iuriſdictionem Cameræ ob ſolam qualitatem cauſæ non ſemper fundari.

In caſibus, quibus cauſa Iuriſdictionē Cameræ fundat, non ſemper ſola illius qualitas ſufficit.

2. Inter cauſas verò Iuriſdictionem Cameræ fundantes occurrit 1. Cauſa fractæ pacis. Quæ pax eſt vel religioſa vel prophana, R. 1594. §. Alſdan wir. 94. ſeu quemadmodum aliàs dividitur, eſt vel Religionis vel Imperii, Religion und Landfried. R. 1555. §. Setzen demnach. 14. *in fin.* C. p. 2. t. 10. §. *ult.* & t. 25. §. 12. De hac tractabo tit. ſeq.

Prima cauſa Iuriſd. Cam. fundans eſt cauſa fractæ pacis.

Pax verò eſt vel religioſa vel prophana.

3. Pacem religioſam quod attinet, ſciendum cùm ſuperiori ſeculo in omnibus Comitiis ab Anno 1521. uſque 1532. habitis ad

Pacis religioſæ Origo & progreſſus.

diſſenſionem circa Religionem ortam in unanimem conſenſum rurſus redigendam variè tractatum laboratumque eſſet, quorum Acta extant apud Hortled. (Von Urſachen des Teutſchen Kriegs. *Tom. 1. & Gold. Conſtit. Imp. tom. 1. pag. 441. cum multis ſeqq. Item apud Eund. Statut. & Reſcript. tom. 1. part. 2. R. 1524. §.* Alſs auch viel. 28. *& ſeq. R. 1525. §. 1. & ſeqq. R. 1526. à princ. usque ad §. 12. R. 1529. à princ. usque ad 16. & R. 1530. à pr. usque ad §. 71.*)

Diſſenſionem circa Religionem optimè per Concilium tolli poſſe putarunt.

4. Interim verò illa diſſenſio in tantùm excreviſſet, ut nullo alio & quidem meliori modo quàm per generale vel nationale Concilium poſſe tolli in Comitiis Norimbergæ Anno 1522. habitis putaretur, (*vid. Hortled. d. tom. 1. pag. 8. R. 1524. §.* Als auch vielgedachter. 28. *R. 1526. §. 1.*) Atque de hoc Concilio inſtituendo in diverſis Comitiis multùm conſultaretur, res tamen propter quædam impedimenta felicem exitum non ſortiretur, *R. 1532. art. Concilium* betreff. §. und wiewoll. 1.

Quare de induciis usque ad ommodo concilium ſervandis actum?

5. Præmorata verò diſſenſio adhuc magis indies augeretur, pacemque publicam valdè turbaret, Archiepiſcopus Moguntinus & Palatinus Princeps apud Carolum V. cùm relicto Belgio Ratiſbonam Comitiorum agendorum causâ petens, in itinere 1. Febr. 1532. Moguntiam veniſſet, iterum de pace usque ad præfatum Concilium ſervandâ intercedunt. Imperatore conſentiente, proximo menſe Aprili inter d. Moguntinum & Proteſtantes de illa pace agi Svveinfurti cæptum eſt, *Sleidan. de Stat. Relig. lib. 8.*

Atque iſta induciæ A. 1532. factæ & publicatæ ſunt.

6. Hæc pax (*ſeu potiùs Induciæ pacis, uti vocantur in R. 1541. §.* Und damit. 26. *R. 1555. §.* In ſolcher. 13. *quia iſta duntaxat usque ad Concilium ſuprà memoratum aliumve cōventum Statuū Imperij inita,*) decreta Norimbergæ 25. Iulij 1532. *Extat apud Goldaſt. (d. part. 2. p. 67. & ſeqq.)* A Carolo V. autem approbata 2. Auguſt. & in Comitiis Ratiſbon. 3. ejusdem mox eod. Anno univerſis Rom. Imperij Subditis mandata ac promulgata. Quam approbationem atque promulgationem vide apud Hortled. (*d. tom. 1. pag. 70. & 71.*)

Oſtenditur Error Mindani.

7. Errant igitur Mindan. *de Proceſſ. cap. 28. pr.* ejusque Exſcriptores, quando tradunt, illam pacem temporariam primò eſſe initam Anno 1541. cùm tamen eandem *R. 1541. §.* Und damit. 26. utpote jam antehac initam ſolummodò confirmet.

Eadem induciæ aliquoties confirmatæ ac renovatæ ſunt.

8. Eadem hæc pax à Ferdinando Rege Rom. in dem Cadawiſchem Vertrage (*habetur apud Hortled. d. tom. 1. pag. 687. & ſeqq.*) Anno 1534. primùm repetita ac confirmata. Deinde ab Oratoribus Commiſſariisque Cæſareis ratificata in dem Franckfurter Anſtands Vertrage de Anno 1539. cujus mentionem facit Hortled. (*d. tom. 1. pag 149. & aliquot ſeqq.*) Porrò Anno 1541. communi Imperatoris Statuumque conſenſu renovata, *R. 1541. §.* Und damit. 36. *usque* 33. ac prorogata *per R. 1542. §.* Und damit die Zeitt. 131. *& ſeq.* Iterum repetita in *R. 1544. §* Nachdem wir uns. 76. *usque* 99. *R. 1545. §.* Dieweil wir aber. 7. *usque* 12. ac conſervata usque ad bellum Germanicum à Carolo V. Anno 1546. contra confœderatos Schmalcaldicos ſuſceptum.

Pax religioſa perpetua Anno 1555. inita.

9. Ac licet poſteà Anno 1548. & 1551. in Comitiis Auguſtanis *v. R. 1548. §.* Und nachdem. 3. *usque* 17. *R. 1551. §.* Und alſs wir. 3. *usque* 14. de Concilio inſtituendo ac diverſitate Religionis componenda rurſus actum fuerit, atque Ann. 1552. per Transactionem Paſſavienſem (*eam habet Gold. d. part. 2. pag. 175. & ſeqq.*) novæ Induciæ factæ, cum vero neque illud Concilium inſtitueretur, nec valdè arduum Religionis articulum in durantibus Comitiis finire poſſibile eſſet, *R. 1555. §.* Alſs ſich aber. 9. Nec Induciæ anteà factæ paci publicæ in Imperio conſervandæ ſuffeciſſent, ſed diffidentia inter Status ſemper duraret, mutua benevolentia magiſtratuum ac Subditorum magis magisque exularet, rebelliones, tumultus ac innumeræ Calamitates in Imperio excitarentur; His malis averruncandis Imperator ac Status Imperij certam ac perpetuò duraturam pacem de ſe invicem Religionis intuitu non turbandis Anno 1555. in Comitiis inierunt, *R. 1555 §.* In ſolcher fürgezogener. 13. *& §.* Und nachdem. 25. Quam in ſequentibus Comitiis repetierunt & Pacificatione Oſnabrug. *art. 5. & 7.* ulteriùs declarârunt.

Pacis religioſæ definitio.

10. Hiſce præmiſſis ad ipſam definitionem accedo. Pax religioſa verò eſt conventio unanimi Imperatoris ac Statuum Imperij de ſe invicem Religionis intuitu non turbandis conſenſu inita, *per R. 1555. §.* In ſolcher. 13. *verſ.* Haben wir uns.

Conſtitutionis ſuper Pace religioſa ſpecies ſunt tres.

11. Conſtitutio ſuper hac pace promulgata vulgò vocatur Pacificatio religioſa, Pax religioſa, item Pax Religionis. Ejusque ſpecies ſunt Transactio Paſſavienſis, Pax religioſa ſtrictè dicta, *quæ habetur in R. 1555. §.* Setzen demnach. 14. *usque* 53. atque Inſtrumentum Pacis, *arg. I. P. art. 5. §. 1.*

Pacis religioſæ præcipua puncta ſeu Articuli ſunt

12. Hujus Pacis religioſæ (*latè dicta*) præcipua Capita ſunt ſequentia, (1.) Sub hac Pace duntaxat comprehenduntur Religioni Catholicæ & Auguſtanæ Confeſſioni addicti, cæteris Sectis adhærentes excluſi ſint, *R. 1555.* Doch. ſollen. 17. Hodie poſterioribus reformatam Religionem profitentes ſunt annumerati, & qui- I.
dem ita, ut quicquid juris aut beneficij tum hæc pax religioſa tum aliæ Conſtitutiones Imperij Statibus Catholicis & Evangelicis tribuunt, id etiam Reformatis competat. Salvis tamen ſemper Statuum Proteſtantium, *videl. Evangelicorum & Reformatorum*, inter ſe & cum Subditis ſuis pactis, privilegiis, Reverſalibus, diſpoſitionibusque aliis, quibus de Religione aut ejus exercitio & inde dependentibus, cujuſlibet loci Statibus ac Subditis hucusque proviſum eſt, ſalvâ itidem cujusque conſcientiæ libertate. *I. P. art. 7. pr. R. 1654. §.* II.
Doch ſol dabey. 23. Præter has tres Religiones verò, *nim. Catholicam, Evangelicam ac Reformatam* nulla alia in Sacro Rom. Imperio recipiatur aut toleretur, (*d. art. 7. in fin.*)

13. (2.) Controverſa Religio non aliter III.
quàm per Chriſtianas, amicas pacificasque vias ad conſonum Chriſtianum intellectum ac congruen-

congrnentiam componator, *R.* 1555. §. Und da-mit ſolcher. 15. *in fin. Tranſact. Paſſav.* §. *Quoad Religionis*. 42.

IV. 14. (3.) Imperator & Status Catholici Status A.C. addictos (*ſeu Evangelicos*) ob horum Religionis doctrinam ac profeſſionem armis violenter non invadant, detrimento non afficiant; nec vim inſerant, nec aliâ viâ contra eorundem conſcientiam ac voluntatem ad deſerendam hanc Auguſtanam Confeſſionem, fidem, ritus & ceremonias in Eccleſiam ſuorum territoriorum introducta vel in poſterum introducenda cogant: neque mandatis aliisve modis moleſtent, aut deſpicatui habeant, ſed prædictam Religionem ejusque exercitium liberum, ut & bona tam mobilia, quàm immobilia, ſubditos cunctaque Statuum Evangelicorum jura intacta relinquant, idque ſub pœna pacis publicæ. *præalleg.* §. 15. *Tranſact. Paſſ.* §. *Ob hoc quoque* 13. & *de* §. 42.

15. (4.) Econtra Status Evangelici idem erga Imperatorem ac Status Imperij Catholicos ſeculares & eccleſiaſticos, eorumque Collegia aliosque eccleſiaſtici Ordinis homines & ſubditos ſub eadem pœna ſervent, *R.* 1555. §. Dagegen ſollen. 16. *Tranſact. paſſ.* §. *Et quidem.* 12.

Commendatores ſunt perſonæ eccleſiaſticæ.

16. An ſub hominibus eccleſiaſtici ordinis quoque Commendatores ſint comprehenſi antiquitus dubitatum fuit, uti videre licet apud Gylm. *Tom.* 1. *part.* 1 *pag.* 194. Hodie Commendæ inter bona eccleſiaſtica expreſsè recenſitæ inveniuntur, *I.P. art.* 5. §. *Bona eccleſiaſtica.* 14. & §. *Quacunque.* 24. Ex quo ſequitur commendatores eſſe perſonas eccleſiaſticas ſeu religioſas.

V. 17. (5.) Vtriusque Religionis (*Catholicæ nim. & Evangelicæ latè dictæ, quatenus hæc quoque Reformatam complectitur, v. præced. nu.* 12.) Status erga ſe invicem jure ipſis vigore Sacri Imperij legum Ordinationum, Receſſuum ac Conſtitutionis de pace publica competente contenti vivant, *d.* §. Dagegen ſollen. 16. & *d.* §. *ob hoc quoque.* 13. Sicque inter eosdem omnes & ſingulos æqualitas exacta ac mutua quatenus formæ Reipubl. Conſtitutionibus Imperij ac huic paci religioſæ conformis eſt, ita ut quod uni parti juſtum, alteri quoque ſit iuſtum, violentiâ omni & viâ facti, ſicut aliàs, ita & hic inter utramque partem perpetuò prohibitâ, *I.P. art.* 5. §. 1. *in fin.*

VI. 18. (6.) Fundationes ſacræ, monaſteria, aliaque bona eccleſiaſtica à quibusdam Statibus atque illorum Anteceſſoribus in uſum templorum, ſcholarum, ſtipendiorum, (Miltten/) aliarumque rerum converſa, quæ neque ad alios Imperij Status pertinent, nec tempore Tranſactionis Paſſavienſis, aut poſthac (ſc. uſque ad pacem religioſam 25. Sept. 1555. publicatam) ab Eccleſiaſticis fuere (*realiter, Gylm. d. part.* 1. *pag.* 210.) poſſeſſa, deſtinatæ diſpoſitioni abſque omni contradictione judiciali relinquantur, nec illorum nomine Camera ullos Proceſſus decernat, *R.* 1555. §. Dieweil aber. 19.

19. Vbi ſingulariter notandum, quòd quidem præmemoratum tempus à publicata pace religioſa usque ad Annum 1648. circa dijudicationem poſſeſſionis bonorum eccleſiaſticorum, retentam confirmando, ablatam verò reſtitutioni mandando obſervatum fuerit, aſt cùm poſt d. pacem religioſam præſertim durante nupero tricennali bello illa poſſeſſio variè fuiſſet tranſlata, in Conventu Osnabrug. complacuit poſſeſſionem 1 Ianuar. 1624. habitam unicum ſolumque futuræ obſervantiæ ac reſtitutionis in Eccleſiaſticis, & quæ intuitu eorum in Politicis mutata ſunt, fundamentum conſtituere; caſſatis omnibus Interim in ejuſmodi cauſis latis ſententiis, publicatis Decretis, inſtitutis tranſactionibus & executionibus; reductione ad ſtatum d. Anni dieique in omnibus factâ, *I. P. art.* §. *Terminus à quo.* 2. & §. *Quacunque.* 24. Idem dies verò in exercitio Religionis non ita præcisè attenditur, *infrà nu.* 57. Deinde Terminus Anni 1624. nullum præjudicium creare debet iis, qui ex Capite Amneſtiæ aut aliunde reſtituendi veniunt, *d. art.* 5. §. *Terminus autem.* 13.

Circa adjudicandam poſſeſſionem bonorum Eccleſiaſtic. 1. Ianuar. 1624 obſervandum eſt.

VII. 19. (7.) Eccleſiaſticis Electoribus, Principibus ac Statibus, Collegiis, Monaſteriis, Ordinisque Eccleſiaſtici hominibus ſui cenſus, reditus, decimæ, feuda ſecularia, cunctaque jura (*intellige, prout illa* 1. *Ianuar.* 1624. *poſſederunt*,) ſalva maneant, *R.* 1555. §. Damit aber, 20. *verſ.* Doch denen Geiſtlichen, *junct. præcit.* §. 16. & *I.P. art.* 5. §. *Ratione redituum.* 44. Reſervatâ tamen Magiſtratui ſeculari, ſub quo illa bona ſita ſunt, ſuâ in his Iurisdictione, emolumentis & juribus, quæ ipſi ante exortum de Religione diſſidium competierunt. Atque inſuper ex iiſdem bonis miniſteria Eccleſiæ, Scholæ, eleemoſynæ & Hoſpitalia, quemadmodum antiquitus ſic quoque deinceps, nullo alterutrius Religionis diſcrimine habito, conſtituantur ſuſtenturque, *R.* 1555. §. Als auch. 21. & *d.* §. *Ratione redituum.* 44.

VIII. 20. (8.) Circa hanc conſtitutionem ac ſuſtentationem ſiquid dubij incidat, utraque Pars unum duosve Arbitros liti decidendæ nominent. Iis inter ſe diſſentientibus Præſidem non ſuſpectum adjungant. Hi utraque parte ſummariè auditâ intra 6. menſes quid quantumque in illa miniſteria ac reliqua impendendum ſit, determinent. Interim tamen, quibus ſuſtentationis illius controverſia movetur, ſuâ poſſeſſione non dejiciantur nec præcludantur. Quod verò ex reditibus, cenſibus, decimis & fundis ad miniſteria contulerint, non minus deinceps uſque ad litem finitam porrigant, *R.* 1555. § Und ob ſolcher. 22.

IX. 21. (9.) Reditus, Cenſus, Decimæ, penſiones, quæ vigore hujus Pacis alterutrius Religionis Statibus ob immediatas aut mediatas fundationes eccleſiaſticas ante vel poſt illam Pacem acquiſitas ex alterius provinciis debentur, quorumque in poſſeſſione vel quaſi percipiendi 1. Ianuar. 1624. fuerunt, ab ulla exceptione ſolvantur. Sicubi etiam nonnulli Status quædam protectionis, Advocatiæ, aperturæ hoſpitationis, operarum aut alia jura in alterius Religionis Statuum ditionibus ac bo-

A. C. ſita ſint. Non tamen in alios Religioſorum Ordines quàm quorum regulis primitus dicata ſunt, commutentur, niſi ejusmodi Religioſorum ordo planè intercideris, tunc enim Magiſtratui Catholicorum eccleſiaſtico liberum ſit ex alio in Germania ante exorta Religionis diſſidia uſitato Ordine novos religioſos ſubſtituere. Perſonarum verò numerus utriusque Religionis, quæ d. 1. Ian. ejusdemque publicum exercitium, quod d. Anno 1624. fuit, maneat, quemadmodum tunc temporum fuit. In iisdem bonis etiam Cæſareæ Majeſtati primariæ preces ac Pontifici ſui menſes papales d. 1. Ian. habita, admodum circa bona immediata ſuperiùs traditum ſalva maneant. Conferant quoque Archiepiſcopi & quibus aliis id Iuris competit beneficia menſium extraordinariorum. Quod ſi etiam A. C. addicti in ejusmodi bonis d. die à Catholicis realiter planè vel ex parte poſſeſſis jura præſentandi, viſitandi, inſpectionis, confirmandi, corrigendi, protectionis, aperturę, hoſpitationis, ſervitiorum, operarum, &c. habuerunt: Item Parochos ac Præpoſitos ibi aluerunt, jura iſta ſarta tectaque maneant. Præbendarum quoque vacantium electiones aut collationes debito tempore modove à Catholicis non factæ in ejusdem religionis perſonas, cuius decedens fuit, ex iure devoluto ad A. C. addictos pertineat, *d. art. 5. §. Omnia quoque.* 25.

XXI. 35. (21.) Ius diœceſanum & tota Iurisdictio Eccleſiaſtica cum omnibus ſuis ſpeciebus contra Status A. C. addictos eorumque ſubditos tam inter Catholicos & A. C. addictos, quàm inter ipſos ſolos A. C. Status ceſſet, atque intra cujusque territorij terminos ſe contineat. Ad exigendos autem reditus, cenſus, decimas & penſiones in iis A. C. Statuum ditionibus, ubi Catholici Anno 1624. notoriè in poſſeſſione vel quaſi exercitij Iurisdictionis eccleſiaſticæ fuerunt, utantur eadem poſthac quoque ad excommunicationem tamē non niſi poſt tertiam demum denunciationem procedatur. Deinde Catholicorum Subditi A. C. addicti, qui Anno 1624. Iurisdictionem eccleſiaſticam agnoverunt, huic Iurisdictioni ſubſint in iis caſibus, qui Auguſtanam Confeſſionem nullatenus concernunt, modò ipſis occaſione Proceſſus nihil injungantur eorundem Religioni vel conſcientiæ repugnans. Eodem etiam Iure Catholici Subditi Magiſtratuum A. C. cenſeantur, inque illos, qui Ann. 1624. publicum Religionis Catholicæ exercitium habuerunt, Ius diœceſanum, quatenus Epiſcopi (*Catholici*) illud d. Anno quietè in eosdem exercuerunt, ſalvum ſit, *d. art. 5. §. Ius diœceſanum.* 47. *R.* 1555. §. Und demnach. 18. in quibus verò Civitatibus Imperij mixtæ religionis exercitium in uſu eſt, Catholicis Epiſcopis contra Cives A. C. nulla ſit Iurisdictio. At Catholici juxta obſervantiam Anni 1624. ſuo jure experiantur, *d. art. 5. §. In quibus.* 48.

XXII. 36. (22.) Ius reformandi Exercitium Religionis cuinam, quomodo & quatenus competat, de eo in Pace Religioſa expreſsè quidem nulla fit mentio, ex communi tamen per totum Imperium hactenus uſitatâ praxi illud Statibus Imperii immediatis cum jure territorii & ſuperioritatis competit, *d. 1. §. Quantum deinde.* 29. Quatenus igitur quilibet Status eſt Dominus territorii, eatenus in eo Ius reformandi quoad ſuos Subditos, ſive iſti ſint Comites, Barones, Nobiles, Vaſallos, Civitates, Fundationes, Monaſteria, Commendas, communitates, ſive alii *Privati*, ſalvo tamen iisdem à Religione ſuorum Dominorum diſſentientibus beneficio emigrandi, habeat, *præalleg. §.* 29. intellige tamen juxta obſervantiam aliquâ Anni 1624. parte uſitatam. Hæc enim obſervantia inſtar regulæ tam in publico quàm privato Religionis exercitio inſtituendo, permittendo ac conſervando obtinet, *d. art. 5. §. Pacta autem* 32.

37. Vbi notandum, licèt ſecundum ſuprà tradita inter ipſos Status circa bona eccleſiaſtica præcisè 1. Ian. 1624. obſervandus ſit, quòd tamen inter Status ipſorumque Subditos tam ratione Exercitii Religionis eiq; annexorum, quàm bonorum eccleſiaſticorum non præcisè d. 1. Ianuar. obſervetur, ſed ſufficiat Subditos aliquâ etiam parte d. Anni 1624. exercitium Religionis à Domino diverſæ habuiſſe, *d. art. 5. §. Placuit.* 33. *& §. Hoc tamen* 30. Quapropter ſi Subditi per totum Annum 1624. ejusdem cum Domino Religionis fuiſſent, ultimo autem die d. Anni diverſam exercuiſſent religionem, illos in hoc exercitio eique annexis, ut & poſſeſſione d. bonorum imperturbatos relinquendos aut perturbatos reſtituendos eſſe manifeſtè conſtat. *Ratione Exercitii Religionis non præcisè 1. Ianuar. 1624. obſervandus.*

XXIII. 38. (23.) Si igitur Landſaſſii, Vaſalli & Subditi cujuſcunque generis diverſæ à Domino religionis Exercitium ſive publicum ſive privatum An. 1624. habuerunt, illud etiam in poſterum cum annexis, nempe Inſtitutione Conſiliorum (*Conſiſtoriorum, legendum puto,*) miniſteriorum ac ſcholarum, jure patronatus aliisque juribus ſimilibus citra ullam moleſtiam retineant, nec minus in poſſeſſione omnium d. tempore in eorundem poteſtate conſtitutorum templorum, fundationum, monaſteriorum, hoſpitalium cum omnibus pertinentiis, reditibus & acceſſionibus tranquillè maneant, turbati verò quocunque modo deſtituti ſine ulla exemptione in eum, quô d. Anno fuerunt, Statum plenariè reſtituantur, *d. art. 5. §. Hoc tamen* 30. *& ſeq.*

XXIV. 39. (24.) Pacta autem, Tranſactiones, conventiones aut Conceſſiones inter immediatos Imperii Status, eorumque Status provinciales & ſubditos præmemoratos de publico vel privato Religionis exercitio introducendo, permittendo & conſervando antehac interceſſæ, eatenus firmæ ac ratæ maneant, quatenus prædictæ obſervantiæ Anni 1624. non adverſantur, *d. art. 5. §. Pacta autem* 32.

XXV. 40. (25.) Subditi, qui nullâ Anni 1624. parte publicum vel privatum exercitium religionis habuerunt, nec non qui poſt pacem Oſnabrugenſem diverſam à Domino territorii religionem amplectentur, patienter tolerentur, & conſcientiâ liberâ domi devotioni

ſuæ ſine inquiſitiooe aut turbatione privatim
vacare, in vicinia verò, ubi & quoties volue-
rint, publico Religionis exercitio intereſſe, vel
liberos ſuos exteris ſuæ Religionis Scholis aut
privatis domi-Præceptoribus inſtituendos
committere non prohibeantur, ſed in cæteris
officium ſuum cum debito obſequio & ſubje-
ctione adimpleant, nullisque turbationibus
anſam præbeant, *d. art. 5. §. Placuit. 33.*

XXVI. 41. (26.) Subditis tam Evangelicis quàm
Catholicis domicilium Religionis ergò aliò
transferre volentibus, emigrandi ſuaque bona
alienandi (dummodò ſervilis conditionis ac
debitæ decimationis nomine pro cujuslibet
loci conſuetudine magiſtratui æquis legibus
ſatisfaciant, (citra ipſorum exiſtimationis fi-
delitatisve periculum libera poteſtas ſit, *R.*
1555. §. Und demnach. 24. *dict. art. 5. §. Quantum
deinde. 29.* Subditos ſervilis conditionis abitu-
ros manumittendi vel non arbitrium Domi-
norum antiquitus erat, *præalleg. §. 24. in fin.* Ho-
die illis neque manumiſſionis teſtimonia à Do-
minis deneganda, nec ullum impedimentum
ſervitutis prætextu inſercodum, *d. art. 5. §. Con-
ventum. 36. in fin.*

XXVII. 42. (27.) Emigrare tam volentibus quàm à
Domino territorij juſſis quoque liberum ſit
retentis bonis diſcedere, hæcque per miniſtros
(Religioni Domini territorij tamen addi-
ctos) adminiſtrare, & quoties ratio poſtulat,
ad res ſuas inſpiciendas vel perſequendas lites
aut debita exigenda, liberè, & ſine literis com-
meatus adire, *d. art. 5. §. Quod ſi verò. 35.*

XXVIII. 43. (28.) Juſſis emigrare, & quidem illis,
qui poſt Pacem Oſnabrugenſem religionem
mutant, terminus non minor triennio, reliquis
verò non minor quinquennio ad emigrandum
præfigatur, nullique ſive voluntariè ſive coactè
emigranti nativitatis, ingenuitatis, manumiſ-
ſionis, noti opificij, honeſtæ vitæ teſtimonia
denegentur, aut idem Reverſalibus inuſitatis
vel decimationibus ſubſtantiæ ſecum exporta-
tæ plus æquo extenſis prægravetur, multò mi-
nus ſpontaneum ſuſcipientibus emigrationem
ſervitutis aut ullo prætextu impedimentum in-
feratur, *d. art. 5. §. Conventum. 36.*

Conciliatio §. 33. cum §. 35. & 38. allegat. I. P. 44. Verùm ſuprà *ex alleg. §. 33.* traditum,
illos Subditos, qui nulla Anni 1624. parte exer-
citium publicum aut privatum habuerunt, ſeu
poſt pacem Oſnabrug. Religionem mutant, pa-
tienter tolerandos ac domi ſuæ devotioni ſine
inquiſitione aut turbatione privatim vacare
non eſſe prohibendos. Cui videtur obſtare,
quòd in duobus num. præced. *ex alleg. §. 35. &
36.* dictum eſt, eosdem ſubditos ad emigran-
dum cogi poſſe. Ad hanc repugnantiam re-
ſolvendam puto d. §. 33. accipiendum eſſe de eo
caſu, quando Dominus ſuum Subditum retine-
re cupit, & tamen in Religione adverſus illum
inquirere aut eum turbare conatur, quæ inqui-
ſitio turbatioque per d. §. 33. eo in caſu tantùm
prohibetur, non verò juſſus ad emigrandum,
nam hic in d. §. 35. & 36. conceditur.

XXIX. 45. (29). Quod terras diu oppignoratas
ſeu reluitioni obnoxias ac proptereà ad Do-
minum reluentem reverſas attinet, in has illi
Domino ſuæ Religionis exercitium publicè in-
troducere liberum ſit, Incolæ tamen & Subditi
migrare aut ſuam Religionem, quam ſub priori
poſſeſſione amplexi fuerant, deſerere non co-
gantur. De publico autem Religionis ſuæ exer-
citio inter ipſos & Dominum reluentem
tranſigatur, *d. art. 5. §. Quæ verò bona. 26.* XXX

46. (30.) Cùm Domino territorij jus re-
formandi competat, *prout præced. n. 36. tradi-
tum*, illud Vaſallo aut Subvaſallo, niſi 1. Jan.
1624. in quieta iſtius juris poſſeſſione reali fue-
rit, *d. art. 5. §. A ſola qualitate 41.*

47. (31.) Territorij jure vel ante vel poſt XXXI.
terminum præfati Anni controverſo, donec
ſuper poſſeſſorio & petitorio cognoſcatur &
decidatur, Poſſeſſori ejusdem Anni idem jus
ſit, quantum equidem ad publicum exercitium
attinet. Subditi verò propter mutatam interim
Religionem, pendente territorij controverſiâ
migrare non cogantur. In iis locis, ubi Catho-
lici & Evangelici Status jure Superioritatis
ex æquo fruuntur, tam ratione publici Exerci-
tij quàm aliarum rerum Religionem concer-
nentium idem Status maneat, qui fuit Anno
dieque ſuprà memoratis, *d. art. 5. §. Territorii
jure 42.*

48. (32.) Sola criminalis Juriſdictio, Cent- XXXII.
gericht/ ſolumque jus gladij & retentionis, pa-
tronatus, filialitatis neque conjunctim neque
diviſim jus reformandi tribuant. Quæ itaque
hoc prætextu reformationes hucuſque (*tam
ante quàm poſt d. Annum*) irrepſerunt, pactisve
intruſa ſunt, caſſentur, gravati reſtituantur at-
que in poſterum ab ejusmodi penitus abſti-
neatur, *d. art. 5. §. ſola criminalis 43.*

49. (33.) Inter Status Proteſtantes, *nim.* XXXIII.
Evangelicos & Reformatos de jure reformandi
ita conventum eſt, ut ſi Dominus Territorij
vel alicujus Eccleſiæ Patronus poſthac ad al-
terius Sacra tranſierit, aut Ditionē, ubi alterius
Sacra exercitio publico de præſenti vigent,
ſive jure ſucceſſionis, ſive vigore Tractatus
Oſnabrug. aliove quocunque titulo fuerit na-
ctus aut recuperârit, ipſi quidem Concionato-
res Aulicos ſuæ Religionis citra Subditorum
onus aut præjudicium ſecum atque in ſua Reſi-
dentia habere liceat, at fas ei non ſit, vel publi-
cum Religionis Exercitium, conſtitutiones ec-
cleſiaſticas hactenus ibi receptas immutare,
vel templa, ſcholas, hoſpitalia aut eò pertinen-
tes reditus, penſiones, ſtipendia adimere ſuo-
rumque Sacrorum hominibus applicare, vel
juris territorialis, epiſcopalis, Patronatus alio-
ve quocunque prætextu Subditis miniſtros al-
terius Religionis obtrudere, aut ullum aliud
impedimentum directè vel indirectè alterius
Sacris afferre. *I. P. art. 7. pr.*

50. Et ut hæc conventio eo ſimiliùs obſer-
vetur, licet hoc mutationis caſu ipſis commu-
nitatibus præſentare, vel quæ præſentandi jus
non habent, nominare idoneos Scholarum &
Eccleſiarum Miniſtros à publico loci conſi-
ſtorio & miniſterio, ſi ejusdem cum præſentan-
tibus nominantibusve communitatibus ſunt
Religionis, vel hôc deficiente, eo loco quem
ipſæ communitates elegerint examinandos &
ordinan-

ordinandos, atque à Domino poſteà ſine recuſatione confirmandos, *dict. princ. verſ. & ut hac.*

51. Si verò aliqua Communitas eveniente mutationis caſu Domini ſui Religionem amplexa petierit ſuo ſumptu exercitium, cui Dominus addictus eſt, huic liberum ſit ſine reliquorum præjudicio ei communitati illud indulgere à Succeſſoribus non auferendum. At Conſiſtoriales Sacrorum, Viſitatores, Profeſſores Scholarum & Academiarum, Theologiæ ac Philoſophiæ non niſi eidem Religioni addicti ſint, quæ hoc tempore quolibet in loco recepta eſt, *d. art. 7. §. fin.*

52. Sed quæritur, quid dicendum ſi Status Proteſtantium ad Catholicam, aut e contrà Catholicus ad illorum Religionem tranſierit, vel territorium, ubi diverſa religio viget, nactus fuerit? Reſp. Circa hos duos caſus quidem nihil expreſsè diſpoſitum reperitur, tamen in tribus proximè præced. num. tradita in illis obtinere, & neutro caſu Subditos ad mutationem Religionis compelli poſſe puto.

XXXIV. 53. (34.) Nullus Status imperij alterum, ejusve Subditos ad ſuam Religionem adigat, eâve causâ abſtrahat, aut contra magiſtratum in defenſionem vel protectionem ſuſcipiat, illisve ullâ ratione patrocinetur, *R.* 1555. §. Es ſoll auch. 23. *d. art. 5. §. Quantum deinde* 29. Protectorem tamen aſſumendi juri quibusdam ab antiquo competenti per hoc nihil derogatum ſit, *præcit. §.* 23.

XXXV. 54. (35.) Subditi ſive Catholici ſive Evangelici fuerint, nullibi ob Religionem deſpicatui habeantur, nec à mercatorum, opificum aut tribuum communione, hæreditatibus, legatis, hoſpitalibus, leproſoriis, eleemoſynis, aliisve juribus aut Commerciis, multò minus publicis Cæmeteriis vel honore ſepulturæ arceantur, nec quicquam pro exhibitione funeris exigatur, præter cujusque parochialis Eccleſiæ jura pro demortuis pendi ſolita, *d. art. 5. §. Sive autem.* 34.

XXXVI. 55. (36.) Vtriusque Religionis magiſtratus ſeverè ac rigoroſè prohibeat, ne quisquam publicè aut privatim concionando, docendo, diſputando, ſcribendo, conſulendo hanc pacem religioſam uſpiam impugnet, dubiam faciat, vel aſſertiones contrarias inde deducere conetur, ſed ſiquid dubij hinc aut aliunde incidat, de eo in Comitiis aliisve Imperij conventibus inter utriusque Religionis Proceres non niſi amicabili ratione tranſigatur, *dict. art. 5. §. Vtriusque Religionis.* 49. Numero ex utriusque Religionis Proceribus æquato, *ibid. §. In conventibus* 50. *& ſeq.*

XXXVII. 56. (37.) Nobiles immediatè Imperio ſubjecti unà cum ſubditis bonisque ſuis, feudalibus & allodialibus, niſi fortè in quibusdam locis ratione bonorum atque reſpectu territorij vel domicilij aliis Statibus ſubſint vigore hujus Pacis in juribus Religionem concernentibus & beneficiis inde promanantibus idem jus habeant, quod ſupradictis Statibus Imperij com[?]ctit, nec in iis ſub quocunque prætextu impediantur aut turbentur. Turbari autem omnes omninò in integrum reſtituantur, *R.* 1555. §. Und in ſolchen. 26. *I. P. art. 5. §. Libera & immediata.* 27. Eodem jure fruantur Communitates & Pagi immediati, *d. art. 5. §. Terminus à quo* 2.

57. (38.) Liberæ Imperij Civitates prout omnes & ſingulæ ſub appellatione Statuum Imperij non tantùm in hac pace Religionis, ſed & aliàs ubique indubitatè continentur, ita etiam ex illarum numero eæ, in quibus unica duntaxat Religio A. 1624. in uſu fuit, tam ratione juris reformandi quàm aliorum caſuum Religionem concernentium in territoriis ſuis & reſpectu ſubditorum non minus quàm intra muros & ſuburbia idem cum reliquis Statibus Imperij ſuperioribus jus habeant, adeoque de his generaliter diſpoſita, de illis quoque dicta & intellecta ſunt. Ante omnia verò illæ civitates imperiales, quæ ſive uni ſive utrique Religioni addictæ ab Anno 1624. propter Religionem vel bona eccleſiaſtica, aut aliàs intuitu Religioois & Politicis quocunque modo aggravatæ ſunt, in eum Statum, quô 1. Ian. d. Anni fuerunt, pleniſſimè reponantur, inque eodem abſque ulteriori turbatione conſerventur, *dict. art. 5. §. Libera imperii.* 28. XXXVIII.

58. (39.) In quibus imperij Civitatibus utriusque Religionis exercitium Anno 1624. in publico uſu fuit, in iis porrò maneat, earundemque cives & incolæ pacificè ac comiter invicem cohabitent. Neutri partium alteram XXXIX. de Religionis ſuæ exercitio, Eccleſiæ ritibus & cæremoniis deturbare fas ſit, ſed liberum ſuæ Religionis & bonorum uſum, quemadmodum in hujus reali poſſeſſione præfato Anno fuere, ultrò citroque habeant, *alleg. §.* 28. *& R.* 1555. §. Nach dem aber. 27.

59. (40.) Huic Paci Imperij Leges conſtitutionesque nihil deershant, nec ulla declaratio aut derogatio adverſus eam admittatur. Si contra fiat, nullius momenti ſit, *R.* 1555. §. und XXXX. ſoll alles. 28. De Dubiis incidentibus in Comitiis amicabiliter tranſigatur, *præced. num.* 55.

60. (41.) Hæc Pax, quæ diffidentiæ maximè pernicioſæ tollendæ, Imperium Germanicum ab imminente interitu vindicandi ſopiendarumque Religionum diſſidiorum ergò inita, XXXXI. in omnibus ſupra enarratis articulis usque ad amicabilem Religionum conciliationem ſarta tectaque & inviolata ſervetur ac perpetuò duret, *R.* 1555. §. Und nach dem. 25. Atque circa eandem ſtatuta tam in judiciis quàm alibi obſerventur, *d. art. 5. §.* 1. Sin verò, quod Deus prohibeat, de Religionum diſſidiis amicabiliter conveniri haud poſſit, nihilominus pax illa ſit perpetua & ſemper duratura, *d. art. §. 5. Bona eccleſiaſtica.* 14.

61. Id autem quò magis obſervaretur, Cæſarea Majeſtas pro ſe & ſuis Succeſſoribus ſub imperatoria dignitate, veracibus verbis ac ſub pœna pacis publicæ pollicita eſt, neque ex plenitudine poteſtatis, nec ullo alio prætextu d. Articulis contraventuram, nec ut ab aliis fiat, ſituram eſſe, *R.* 1555. § Solches und jedes 29. Econtrà Status Imperii pro ſe & ſuis Succeſſoribus, heredibusque ſub honore principali

Cæſaris & Statuum obligatio ad hanc Pacem ſervandam.

ac dignitate, verbo veritatis, fidelitate, fide & ſub pœna pacis publicæ eoſdem Articulos in omnibus punctis tectos ſartosque in æternum non minus ſervaturos eſſe promiſerunt, *R.* 1555. §. Und wir die 30. Quæ promiſſiones vim Iuramenti obtinent, *Wehn. voc.* bey Glauben und Treuen. Quicunque igitur, huic Paci etiam in minimo puncto doloſè contravenit, non ſolùm in d. pœnam incidit, ſed etiam perjurus eſt, atque juſtam Dei, qui cordium Scrutator, vindictam ſi in hâc vitâ, tamen in ultimo Iudicio minimè evaſurus.

62. Prætereà Imperator & Status ſe mutuò obligârunt, quòd ſi invicem nullo prætextu de facto clam palamve per ſe vel per alios vim inferre, armis invadere, moleſtare aut offendere: neque contra hanc Pacem committentibus fraudemque facientibus adjumento eſſe, nec iis conſilio ſubvenire, ſed vi dolove peritis ultrò ſuam opem præſtare velint, *R.* 1555. §. ferner verpflichten. 31.

Actionis ſuper violatione hujus pacis Requiſitū unicum eſt.

63. Atque hæc ſunt capita ſeu articuli ſæpiſſime d. Pacis Religioſæ, quibus enarratis, ipſa Actio inde oriens jam deliberanda venit. Oritur autem Actio fractæ ſeu violatæ Pacis religioſæ, quoties quis contra illam Pacem in aliquo capite aut puncto ſuprà memorato intuitu Religionis in Imperio permiſſæ *v. præced.* n. 12. turbatur. Qualis turbatio eſt unicum eſſentiale & neceſſarium Requiſitum iſtius Actionis, quo deficiente, deficit iſta Actio.

Quod Requiſitum etiam verbis æquipollentibus in Supplica ſufficit deduci.

64. In Supplicationibus tamen in Camera exhibendis clauſulam: *Turbationem intuitu Religionis eſſe factam*, disertè apponi neceſſe non eſt, ſed ſufficit, ſi ex facti narratione rerumque circumſtantiis vel verbis æquipollentibus ea qualitas colligi queat, *Gail.* 1. *O.* 2. *n.* 1. atque Iudici clarè conſtet, ſupplicantem ſuper hac qualitate ſe fundare velle, *Gylm. T.* 1. *part.* 1. *pag.* 260. *n.* 5. ut puta, ſi narretur turbationem fieri in perſona ſupplicantis ejusve bonis contra conſtitutionem Religionis, quia ad fundandam Iuriſdictionem Iudicis ſufficit allegare qualitatem tribuentem Iuriſdictionem. *Gail. ibid.* Qui verò in ſupplica exponit turbationem factam contra conſtitutionem Religionis, allegat utique qualitatem juriſdictionem Cameræ fundantem, quæ eſt ipſa Conſtitutio, *vigore R.* 1555. §. wir befehlen 32. Et turbatio eo ipſo cenſetur eſſe facta intuitu Religionis, quando fit contra ſæpè d. Conſtitutionem, *Gail.* 1. *O.* 2. *n.* 2. Imò licèt præfata Clauſula nuncupatim adjiceretur, Iudici tamen ex circumſtantiis rei narratæ id veriſimiliter non liqueret, eum ad aliquid decernendum non aſtringi ſtatuit Gylm. *d. pag.* 260. *n.* 2.

Quibus Actio ſuper violata Pace religioſa competat.

65. Illa autem Actio competit omnibus prædicto modo contra pacem religioſam turbatis, non diſtincto utrum ij mediatè an immediatè Imperio ſubſint. Quia uti ex ſuprà traditis manifeſtè conſtat, non ſolùm tum ſtatus Imperii, tum Nobiles, communitates & pagi immediati, ſed etiam omnium horum ſubditi iſtius pacis participes ſunt, inque eo ſtatu, quo Anno 1624. fuere, relinqui & nequidem à proprio magiſtratu turbari debent. Imò prætereà in R. 1654. §. Wir ſetzen und ordnen. 193. expreſsè ſancitum, quod ſubditis à ſuo magiſtratu contra Pacem Oſnabrug. intuitu religionis turbatis mandata inhibitoria impetrare liceat.

66. Antiquitùs quidem inter Aſſeſſores Cameræ valdè controverſum fuit, an Subditis contra ſuos Magiſtratus ſuper hac Conſtitutione Proceſſus decerni deberent, uti videre licet apud Gylm. *tom.* 1. *part.* 1. *pag.* 165. *uſque* 177. *item pag.* 262. *num.* 23. *& ſeqq.* Tandem tamen placuit, Proceſſus decernere, quemadmodum patet ex tribus Præjudiciis de 23. Septemb. 1595. 8. Febr. & 18. Mart. 1597. annotatis à Gylm. *d. part.* 1. *pag.* 179. *&* 3. *ſeqq.*

67. Immediatis autem Imperii membris competit illa actio non tantùm ſi ipſi, ſed quoque ſi ipſorum Subditi intuitu Religionis turbentur. Idque nihil dubii habet, quoniam veluti præced. n. 14. & 15. traditum, Status inter ſe convenerunt etiam de alterius Subditis in Religione non turbandis, idque ſub pœna fractæ pacis, ergò horum nomine illis ſuper fracta pace agere licet, *docente praxi*.

68. Num autem in hoc caſu Subditi alterum magiſtratum ipſos in religione turbantem proprio nomine convenire queant, forſan dubitari poſſet, nam de eo caſu in pace Religioſa nihil diſpoſitum reperitur. Putat quidem Mindan. *de Proceſſ. cap.* 28. n. 6. illos ſuo nomine directò agere non poſſe, ſed priùs ſuos Dominos inſtantiſſimè rogandos, ut ipſe defendant. Quod ſi Domini hoc facere negligant, per viam denegatæ Iuſtitiæ ad Cameram eundem eſſe. Verùm cùm in Pace prophana etiam quivis mediatus proprio nomine adverſus violatorem ad pœnam iſtius pacis agere poſſit, *int. ſeq. n.* 52. nullam rationem video, quare non etiam in Pace Religioſa, cui eadem pœna conſtituta eſt, idem queat.

69. Porrò nihil intereſt, utrum turbans uni Religionum in imperio permiſſarum, an verò prohibitis Sectis adhæreat, modò turbatus unam ex permiſſis Religionibus foveat, ob eamque læſus ſit, nam iſte ſolus hîc conſiderari oportet.

70. Vltimò quanquam Reformati Evangelicis annumerati ſint, & contra Catholicos eodem jure fruantur, *præced. n.* 12. Cùm tamen quædam controverſiæ Religionis inter illos vertantur, quæ hactenus non fuerunt compoſitæ, ſed ulteriori compoſitioni reſervatæ ſunt, *I. P. art.* 7. *princ. verſ. Quoniam verò*, à ſe invicem intuitu Religionis turbati, etiam ſuper hac pace agere poſſunt, *atteſtante experientiâ*.

Eadem Actio quibus non competat.

71. Dicta autem Actio non competit, ſi turbans & turbatus ejuſdem ſint Religionis, *Gylm.* voc. *Mandata ſuper Conſtit. Relig.* §. *Quando turbans.* Quoniam iſta turbatio non poteſt dici quod facta ſit intuitu Religionis, ſed magìs reſpectu alicujus juris in re eccleſiaſtica facta cenſetur, quapropter periti proceſſus denegari ſolent.

Deinde

72. Deinde nec cum ...etit, ſi turbatus prohibitis ſectis adhæreat, quandoquidem iſte pacis religioſæ minimè capax eſt, *præced. num.* 12. Quamobrem ipſi ſuper hac conſtitutione nulli Proceſſus decernendi, ſed potiùs aliis pœnis afficiendus eſt, tanquam ſectam in Imperio prohibitam fovens.

Adverſus quos hac actio competat

73. Eadem Actio competit adverſus omnes Rom. Imperii Subditos tam mediatos quam immediatos, ſive Religioni in Pace religioſa permiſſæ ſive prohibitis Sectis adhæreant. Nam hæc pax omnes imperii Subditos, ſive iſtius Status ſint, ſive non, obligat. *I. P. art. ult. §. pro majori.* 2. *junct. art.* 5. *eod.* Eique Paci contravenientes pœnam pacis publicæ ipſo jure & facto incurrunt & contra eosdem juxta conſtitutiones Imperii proceditur, *d. art. ult. §. Qui verò.* 4.

Ad quid cō petat ſeu detur?

74. Sæpè dicta Actio datur ad pœnam fractæ pacis prophanæ ſeu publicæ, *prꝼalleg.* §. 4. *& R.* 1555. §. Und damit ſolches 15. *cum ſeq.* Illa pœna autem eſt vel Bannum Imperiale, vel pœna pecuniaria 100. ſeu 200. Marc. aur. pur. vel denique pœna juris communis de vi publica, *tit. ſeq. n.* 76. *&* 77. Prætereà læſus & turbatus agere poteſt ad reſtitutionem bonorum ablatorum, refuſionem damni illati, ad caſſandum, inhibendum, item ad non offendendum, ampliùs turbandum, moleſtandum, &c. *uti latius demonſtrabitur tit. ſeq. n.* 198. *& ſeqq.*

Remedia, quibus ſæpè d. Actio proſequenda veniat.

75. Vbi notandum, ſi læſus ad præfatas pœnas agere intendit, quòd tunc citatio ad vid. ſe declar. in illas pœnas ſit impetranda, in cæteris verò caſibus per Mandata procedi debeat. Quæ citatio & mandata nonnunquam ſeparatim, nonnunquam conjunctim petuntur impetranturque, uti videre licet apud Gylm. (*d. part.* 1. *pag.* 177. *& multis ſeq.*) Vtroque tamen caſu illa Mandata decernenda ſunt C.C. *vid. omninò tit. ſeq. n.* 200.

Coram quo Judice inſtituenda ſit

76. Circa Iudicem, coram quo Actio pacis religioſæ inſtituenda, diſtinguendum puto, quemadmodum tit. ſeq. n. 120. diſtinguitur in Pace prophana. Siquidem velut ibi, ita quoque hîc ſola qualitas cauſæ forum fundat, *vid. præced. n.* 63. Si igitur v. g. una Civitas municipalis alteram civitatem municipalem contra hanc Pacem intuitu Religionis turbat, in turbatæ libero arbitrio erit, utrum turbantem in Camera, an coram ordinario convenire velit.

Mindanus refutatur.

77. Errant igitur Mindan. (*de Proceſſ. cap.* 28. *n.* 4.) ejusque conſentanei, quando ſtatuunt, ut in Camera ſuper Pace religioſa agi queat, neceſſariò requiri immedietatem utriusque Partis. Nam etiam tempore Mindani Subditis contra ſuos Dominos Proceſſus ſuper hac pace decretos eſſe oſtendunt Præjudicia præced. n. 66. annotata. Illudque minus dubii hodie habere cōſtat ex præced. n. 65. Inſuper non plus hic quàm in Pace prophana immedietatem tam ratione Actoris quàm Rei ad fundandam Iurisdictionem Cameræ requiri, itidem demonſtratum præced. n. 76. Imò ſi quis ad Bannum Imperiale agere velit adverſus violatorem Pacis Religioſæ, tunc iſtud, ſive hic ſit mediatus, ſive immediatus, fieri oporret vel in Camera, vel in aula Cæſarea, quoniam nemo alius in illud declarandi poteſtatem habet, *ſuprà tit.* 25. *n.* 28. *uſque* 41.

Citationes ad vid ſe declar. in pœnam pacis relig. per R. 1654. §. 193. hodiènō ſublata;

78. Sed cùm in R. 1654. §. Wir ſetzen und ordnen 193. ſancitum, quòd contra tranſactionem Oſnabrug. in Religione gravato Mandata inhibitoria decernenda ſint, proinde quæritur, anne Citationes ad vid. ſe declar. in Bannum Imperiale ſublatæ? Negatur, quia non ſtatim ideò, quòd in citat. §. 193. duntaxat Mandatorum fiat mentio, Citationes illæ excluduntur. Nam ſi hoc, etiam reliqua omnia mandata excluderentur, quoniam ibi ſolummodò Inhibitoriorum mentio facta, cui tamen quotidiana Praxis refragatur.

79. Deinceps vigore illius Tranſactionis & Pacis religioſæ in ea ratihabitæ, *v. I. P. art.* 5. §. 1. hujus utriusque violator incidit in pœnas pacis publicæ, inter quas præcipua eſt Bannum imperiale, *præced. n.* 74. Illa autem Tranſactio in alleg. R. 1654. §. Solchem nach. 6. confirmata legitur. Ex quibus manifeſtum eſt, adhuc hodiè citationes ad vid. ſe declar. in Bann. Imp. ſuper Conſtitutione Religionis impetrari poſſe.

Idq; ne quidem quoad Subditos contra proprium magiſtratum agentes;

80. Atque hoc etiam obtinere puto, ſi Subditi ſeu Cives à ſuis Dominis contra d. conſtitutionem graventur, quia alleg. text. indiſtinctè loquuntur. Imò jam olim 23. Septemb. 1595. quendam Nobilem, qui Electori Coloniensi ſubiectus erat, ejuſmodi citationem adverſus d. Electorem ceu ſuum Dominum impetrâſſe reperio apud Gylm. (*d. part.* 1. *pag.* 180.)

Aſſeſſorum Officium in decidendis cauſis hujus pacis.

Cæterùm hæſit fortaſſis cultus hic omnis religionis Chriſtianæ in ſolâ Germaniâ primâ & ſecundâ, Romani imperii provinciis, Belgicâ item utrâque, Vindeliciâ quoque & Norico, quæ etſi hodie Germaniæ accenſeantur, eâ tamen ætate Germaniæ nomine ab Illyricis gentibus habitatæ non veniebant. Vt Rhenus tum quidem temporis velut Romani imperii in Germaniâ limes, ſic & Chriſtianæ religionis fortè fuerit. Trans-Rhenanam Germaniam, quæ & magna dicta, expertem adhuc veræ fidei fuiſſe, vero ſimilius eſt. Neque enim quicquam moror, quod de Ægiſto & Mariano eius Diacono ex Henrico Hervordienſi, Wernero Rolevinckio, & Alberto Crantzio tradit doctiſſ. Meibomius in Hiſtoria urbis Bardevici. Commentum id indubiè eſt, ut illud omne, quod de ſumma illius urbis antiquitate fingitur, cùm vix ante Henricum Aucupem ulla conſtet fuiſſe in Saxonia oppida mœnibus cincta. In magnâ igitur Germaniâ, vel illâ ætate, vel ante eam Chriſtiana ſacra fuiſſe recepta, nullis fide dignis teſtimoniis probare eſt. Nec tamen quoſdam ex vicinis Rheno gentibus ad Chriſtianam fidem inſtitutos vero eſt abſimile. Integros verò populos ad eam adductos non videtur, cùm gentes omnes Germanicas, quæ Romani imperii provincias inſederunt Transrhenanâ Germaniâ relictâ, idolorum cultui addictas fuiſſe conſtet. Egreſſa autem finibus ſuis eſt innumerabilis vis Germanicarum gentium ſeculo quarto & quinto, & totum occidentem Romanum inundavit. Primi verò ex iis Gothi, cùm Oſtrogothi, tùm Weſtrogothi, Chriſtiana ſacra ſuſceperunt: ſed cùm in doctores Arrianos incidiſſent, ipſi quoque eâ labe infecti, imperium Occidentis cum fide orthodoxâ multùm afflixerunt. Eadem fuit Vandalorum fortuna. Proximi ab his Burgundiones Chriſto nomen dederunt, inde Heruli, Suevi Hiſpanici, Franci Galliæ incolæ, Longobardi: & Saxones illi qui in Angliam tranſierunt, quum jam ipſi conſuetudine cum gentibus cultis fierent cultiores, Chriſtianum cæperunt profiteri nomen.

Sed de his gentibus, cùm extra Germaniam vixerint, plura addere operæ pretium fortè non fuerit. In ipsâ verò Germaniâ adeò non fuit propagata religio, ut etiam propemodum illâ mole barbararum Gentium fuerit oppreſſa. Quam ab iis cladem Germaniæ & Galliæ Eccleſiæ jam illo tempore ſint paſſæ, vel Hieronymus nos docuerit. Fuit verò ea levis præ illâ, quam ſub Attila acceperunt. Profligatâ tum Chriſtianâ fide cis Rhenum quoque tam altas idololatria egit radices, ut de eâ ſuo adhuc tempore conqueratur in Epiſtolis Bonifacius. Trans Rhenum, quicquid Gentium erat, idolis adhuc omne ſerviebat. Sed & hæ denique à viris piis edoctæ Chriſtiana ſacra ſuſceperunt. Noricum & Vindeliciam Germanicæ jam gentes inſederant. Hos igitur Severinus verâ fide imbuit. Boii Rupertum habent Francorum antè Apoſtolum: Helvetii Gallum: Suevi Columbanum: Franci orientales Kilianum. Thuringi quoque jam nomen plerique Chriſto dederant. Nondum omnis tamen profligatus fuit Paganiſmus. Multùm adhuc ejus ſeculo octavo reliquum erat, cui tamen tollendo egregiam navavit operam Bonifacius Moguntinus Archiepiſcopus Anglus. Vt enim Scoti antè in barbaris Gentibus erudiendis aſſidui fuerant, ita hac ætate Angli eandem inſtituerunt viam. Latè tum patebat Friſiorum nomen in omni Oceani Germanici littore. Ad eos à Paganâ religione ad Chriſtianam convertendos miſſi complures ab Egberto Eboracenſi Archiepiſcopo. Inter eos VVillibrordus Trajecti ſedem fixit, Suidbertus primus Verdenſis Eccleſiæ Epiſcopus fuiſſe dicitur, & Saxonum Friſiorumque Apoſtolus appellatur. Alii alibi prædicârunt. Exſtat Suidberti vita deſcripta à Marcellino, qui unà cum ipſo ex Britannia venerat, dicata Gregorio Trajectenſi Epiſcopo, ex qua liquet, Suidbertum VVeſtphalos Bructuarios & Saxones adiiſſe. Quin ſi Marcellino fides, Brunſvicenſium etiam venerit. Ita enim ait, *Suidbertus venit in grandem vicum dictum Brunſvik, ibique convertit multos*, & dein ſatrapæ in Brunſvik meminit. Verùm hoc quidem fortaſſis eſt à mala manu additum: conſtat enim Brunſvici nomen eſſe à Brunone Saxonum duce primo conditore ſatis diu poſt Carolum. Sed cum pluribus annis ante Carolum quoſdam Saxonum Chriſto nomen dediſſe noluerim tamen diffiteri.

Quicquid autem illi demum præſtiterint, maxima

xima

ſſima tamen propagatæ & reſtauratæ per Germaniam Chriſtianæ religionis gloria penes Carolum Imp. & Bonifacium manet. Hic ſanè quicquid erat inter Rhenum & Viſurgim populorum, Friſiosque, Chriſtianam fidem docuit, ſi qui verò eorum (erant autem non pauci) Chriſtiana ſacra receperant, hos confirmavit, & diſciplinam legeſque Eccleſiaſticas ſanxit. Carolus verò ultra Viſurgim populos, horumque principes Saxonas armis ſimul perdomitos ad ſalutarem fidem adduxit. Apprimè huc faciunt, quæ Adamus Bremenſis libro primo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tradit, & iiſdem verbis repetit Albertus Stadenſis in anno 755. *Primus omnium*, inquit, *qui Auſtrales Germaniæ partes idolorum cultu deditas ad cognitionem doctrinæ ac Chriſtianæ religionis adduxit, Vuinfridus erat, natione Anglus, verus Chriſti Philoſophus, cui poſtea cognomentum ex virtute erat Bonifacius. Et quamvis alii Scriptorum vel Gallum in Alemanniâ, vel Hemerannum in Bavariâ, ſive Kilianum in Franconiâ, ſeu certe Vuillebrordum in Friſiâ priores verbum Dei aſſerant prædicaſſe, hic tamen omnes alios, ut Paulus Apoſtolus, ſtudio & labore prædicationis antevertit. Ipſe enim, ut in geſtis ſuis legitur, Apoſtolicæ ſedis autoritate fultus, legationem ad gentes ſuſcepit, Teutonumque apud populos, (apud quos nunc & ſummam Imperii Romani & divini cultus reverentia viget ac floret) Eccleſias doctrinâ virtutibusque illuſtravit, quorum etiam provincias ac Epiſcopatus diſtribuens, ſeorſim Francos circa Rhenum, Haſſones ac Thuringos, qui Saxonum confines ſunt, primitivo quodam laboris ſui fructu Chriſto & Eccleſiæ copulavit.* Thuringis & Heſſis, haud malè & illos addas, quos Gregorius III. Papa in Epiſtola ad univerſos optimates & populum provinciarum Germaniæ commemorat, Bortharos, Niſtreſos, VVedreſios, Suduodos, & Graffeldos. His enim idem Bonifacius præfuit, utut, qui populi his nominibus veniant, nemo temerè intelligat.

Etſi verò Bonifacii & Caroli Imp. operâ & ſtudio magna ad Chriſtianam religionem Germanicarum gentium acceſſio facta erat, magna tamen adhuc Germaniæ pars idolis ſerviebat, ut proinde paulò jactanciùs loqui videatur Baronius, quando *Tomo nono, in anno* 751. ait; Germanos Eccleſiæ Romanæ, à quâ Bonifacius prædicare Evangelium miſſus ſit, quicquid novatores obſtrepant leges, diſciplinam, vitam cultiorem, & verom de Deo notitiam debere; jam enim antequam Romam adiiſſet Bonifacius, Friſiam, illi Genti prædicaturus adierat, teſte VVilibaldo c. IV. tum etiam neque primum præconem egit, tot jam gentibus converſis, neque rem omnem confecit, magnâ Germaniæ parte denſis adhuc tenebris circumſepta. Hanc Venedicæ ſeu Slavicæ Venedorum gentes ex Sarmatiâ olim tranſgreſſæ inſiderant, & ſub diverſis nominibus VVilzorum, Soraborum, Obotritarum, Kiſſinorum, Hevilorum, Circipanorum, aliiſque compluribus [quæ ſatis accuratè perſequitur Adamus Bremenſis libro ſecundo] quicquid ferè ad Albim, Viadrum & Viſtulam provinciarum erat, tenebant. Ab his avita ſacra tantâ contentione & pertinaciâ ſunt defenſa; ut Genti ipſi excidio illa fermè fuerit. Belligeratum cum iis per quatuor ſecula, antè quàm debellari poſſent, & in receptâ religione Chriſtiana acquieſcerent. Finem bello impoſuit, fortiſſimus Saxonum Princeps Henricus Leo, Rege Pribiſlao ſæpiùs victo, & Obotritarum gente penè deletâ. Hiſtoriam omnem Venedicorum gentium, quæque initia & qui progreſſus apud eas religionis Chriſtianæ fuerint, accuratè perſequuntur Arnoldus Lubecenſis, & Helmoldus Buzovienſis Canonicus. Mihi autem in re ſatis compertâ diutiùs jam immorari, & accuratè, à quibus & quo tempore ſingulæ Gentes converſæ, præſcribere vetat propoſitum. De initiis ergo Chriſtianæ religionis in provinciis Germaniæ hæc pro inſtituti ratione ſufficiant.

Cùm verò conſtitutio Epiſcoporum Eccleſiarum Germaniæ à primis initiis Chriſtianæ religionis in Germania repetenda mihi ſit, *an fuerint ab eo uſque tempore, quo primum Gentes quædam Chriſtianam fidem adeptæ, Epiſcopi in Germaniâ inquirendum ante fuerit.* Neque enim ulla Epiſcopi cujuſpiam Germaniæ apud veteres ante quartum quidem ſeculum mentio fit. Cùm verò iidem Eccleſiarum Germanicarum meminerint, Epiſcopos iis præfuiſſe, dubium nobis eſſe non poteſt. Vbi obſervandum primâ Eccleſiæ ætate *communi Presbyterorum conſilio Eccleſias gubernatas* eſſe, qui promiſcuè omnes Epiſcopi & Presbyteri audierunt. Bene ſanè probat S. Hieronymus Com. in Epiſt. ad Titum I. 5. illam *æqualiter inter plures Eccleſiæ curam diviſam*, teſtimoniis variis ex Epiſtolis Pauli, Petri, & Apoſtolorum Actibus petitis. Etiam tum verò presbyterorum illa ſingula collegia unum aliquem ſuorum tanquam caput agnoverunt, ad exemplum nimirum ſynagogarum Iudaicarum, quarum quælibet itidem ſuum habuit ἀρχισυνάγωγον. Neque hoc negat S. Hieronymus ab initio obtinuiſſe, ſed illud eſſe novum pronunciat, quod onus ille ita ſit cæteris ſuperpoſitus, ut ad illum *Omnis Eccleſiæ* cura pertineret, aut quod *ad unum omnis ſollicitudo ſit delata.* Et ſanè ſeriùs id cœpit, utut alibi tamen magis, alibi minùs ſerò, prout ſchiſmata magis minùſque urſerunt. Cæterùm quod diximus, ſemper in ſingulis Eccleſiis unum aliquem presbyterorum primo fuiſſe loco, qui κατ᾽ ἐξοχὴν deinde Epiſcopus eſt dictus, id, ſi veterum conſulamus monumenta, adeò videtur eſſe manifeſtum, ut via quicquam dubium eſſe debeat. Vt enim taceamus teſtimonia Ignatii & Polycarpi, quinam primi præcipuarum urbium in Imperio Romano ipſâ Apoſtolorum ætate Epiſcopi fuerint, hodie adhuc ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis conſtat. Veteris Romæ Antiſtitum complures ſunt ipſâ primâ Eccleſiæ ætate qui catalogum texant. Nova Roma ſuos quoque Epiſcopos ab Apoſtolorum aliquo continuâ ſerie arceſſit. Antiochenæ, Alexandrinæ, Hieroſolymitanæ, Smyrnenſis, Epheſinæ, aliarumque urbium primos Epiſcopos Apoſtolis partim coævos, partim eorum ætati proximos, recenſet Euſebius, aliique. *A S. Timotheo uſque nunc XXVII. Epiſcopi facti, omnes in Epheſo ordinati ſunt*, inquit Chalcedonenſis ſynodus. Non potuiſſent autem ejuſmodi catalogi conſcribi, niſi ſemper unus aliquis præ aliis presbyteris eminuiſſet. Ab hac autem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ratione, per univerſam Eccleſiam receptâ, aliam fuiſſe gubernationem Ec-

cleſiarum Germanicarum veriſimile non eſt.

Fuiſſe igitur in Germaniâ; primâ illâ ætate, Eccleſias quaſdam, & quomodo illæ paulatim auctæ, & quales fuerint; dein eas ab Epiſcopis, ut in toto Chriſtiano orbe, ſic & in Germaniâ, ab initio uſque adminiſtratas ex his liquet. *Proximum iam eſt, ut, quomodo Epiſcopi in Germaniâ conſtituti, à quibus electi, an a populo & clero ſimul, an à principe ſolo, aut ab his omnibus ſimul, an denique à clero ſolo videamus.* Sermo verò nobis eſt de conſtitutione Epiſcoporum in urbibus vel provinciis, in quibus jam clerus aliquis eſt & plebs, quæ ſummo numini ſerviat. Nam ſi ad Gentem veri numinis adhuc expertem Epiſcopus quiſpiam mittatur, res longè aliter ſe habet. Nec plebis tum, neque Principis etiam conſenſu opus eſt, cùm id omne ſæpè invitis iis initio quidem inſtituatur. Neque etiam intereſt, à quo is mittatur, an ab Epiſcopo Romano, [quem miſſis doctoribus Epiſcopis nonnullis populis Germaniæ convertendis operam dediſſe non diffitemur,] aut alio aliquo Epiſcopo, an verò à Principe aliquo. Cura enim illa propagandæ Chriſtianæ fidei per barbaras & idolorum cultui deditas gentes, ſoli Romano Pontifici, ut quibuſdam Hieromonarchicis placet, propria non eſt, ſed cum aliis Epiſcopis, imò cum omnibus Chriſtianis, cujuſcunque fuerint ordinis, & nunc adhuc communis eſt, & olim quoque communis fuit.

Qua igitur in Eccleſiis iam conſtitutis Epiſcoporum inſtituendorum ratio obtinuerit, dicendum eſt. Videtur autem illam in primitivâ Eccleſiâ non vbivis fuiſſe eandem. Diſertè enim S. Hieronymus *Epiſt. ad Euagrium: Alexandriæ à Marco Euangeliſta vſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos presbyteri ſemper vnum ex ſe electum in excelſiore gradu collocatum Epiſcopum nominabant.* Ambroſius, ſive quis alius antiquus autor *Comm. in Epiſt. ad Epheſ. cap 4.* ſcribit, obtinuiſſe primùm, vt recedente vno presbyterorum ſequens ei in locum Epiſcopi ſuccederet. *Sed* (addit) *quia cœperunt ſequentes preſbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata eſt ratio, & proſpiciente concilio, vt non ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum, multorum ſacerdotum iudicio conſtitutum.* Verùm illa ſucceſſio per ordinem non videtur obtinuiſſe, Alexandriæ certè ſemper eligi ſolitos Epiſcopos modò dicentem Hieronymum audivimus. Quid quod illius ſucceſſionis veſtigia fortè nuſquam liceat reperire? Sanè S. Clemens Romanus Ep. ad Corinthios electionem Epiſcoporum videtur ad Apoſtolica inſtituta referre. *Apoſtoli noſtri*, inquit, *per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum cognoverant, contentionem de nomine Epiſcopatus oborituram, atque ob hanc cauſam perfecta præſcientia præditi, conſtituerunt prædictos, ac deſcriptas deinceps miniſtrorum officiorumque vices reliquerunt, vt in defunctorum locum alij viri probati ſuccedere, & illorum munera exſequi poſſent.* Conſtitutos itaque ab illis, vel deinceps ab aliis viris celebribus *cum conſenſu vniverſa Eccleſia* ait. Non diffiteor tamen Clementi non de Epiſcopis propriè dictis, ſed de omnibus presbyteris ſermonem eſſe, qui tunc conſtituti ſunt à clero cum conſenſu vniverſæ Eccleſiæ. Quicquid ſit, electio quæ fieret à clero pariter & populo, vſque adeò toti Eccleſiæ placuit poſtmodum, ut divinæ & Apoſtolicæ eam traditioni (etſi perperam,) adſcribat ſanctiſſimus martyr Cyprianus. Nota ſunt ejus verba, nec opus eſt hic recitari. Merentur verò hic legi quæ de recepta hac conſuetudine habet Dionyſius Petavius libro primo de Hierarchiâ Eccleſiaſticâ, quem tomo tertio dogmatum Theologicorum inſeruit. *Epiſcopi*, inquit, *clero ac populi ſuffragiis eligi ſolebant, Traditionem divinam & Apoſtolicam obſervationem vocat Cyprianus Epiſt. LXIIX.* Et pòſt: *Sunt non pauca exempla moris eiuſdem in primis Eccleſiæ temporibus, qui in ius deinceps legemque tranſiit. Nam vt ab Epiſcopis, aut vnà etiam à clero eligerentur Epiſcopi, recepta per omnes Eccleſias canonum decreta ſanxerunt. Vt autem in iis renunciandis laicorum inſuper ſuffragia locum haberent, in occidente potiſſimum lex & conſuetudo tenuit.* Allatis deinde nonnullis Pontificum & conciliorum de hâc ipsâ re canonibus & decretis, ſic ait: *Sed innumera ſunt huiuſmodi decreta de eligendis à populo Epiſcopis occidentalium Eccleſiarum.* Hæc, inquam, Petauij merentur hic recitari, tantùm vt appareat vis veritatis, quam Bellarminus aliique obſcurare, imò tollere è medio, anniſi ſunt, quaſi iſtiuſmodi popularis electio tantùm ex conniventiâ Papæ Romani ad breve tempus fuerit tolerata.

Rectè verò, quod Orientis provincias non excludit Petavius, ſed in Occidente potiſſimùm receptam eam conſuetudinem & decretis firmatam tradit. In toto enim orbe Chriſtiano [ſi paucas quaſdam Eccleſias, & in his Alexandrinam, vbi aliter paulò obtinuiſſe videtur, excipias] fuit ea conſuetudo. Complura quæ huc faciant ex antiquorum Patrum monumentis, Conciliorum decretis Pontificum Romanorum Epiſtolis, & variis demum rebus in Eccleſiâ geſtis collegit eruditiſſimus Spalatenſium antiſtes Marcus Antonius de Dominis, quibus plura alia addi poterant. Luculentum etiam admodum electi à populo & clero Epiſcopi in vico Ægypti Palæbiſca habet Epiſtolâ LXVII. Syneſius Cyrenes Epiſcopus. Tam diſertè enim & accuratè de totâ hac re ad Theophilum Alexandrinum perſcribit, vt Petavius exiſtimet, nuſquam poſſe inveniri expreſſius veſtigium moris antiqui in creandis Epiſcopis, & popularibus ad id comitiis celebrandis. Iure igitur mirari licet, quid Cardinali Bellarmino in mentem venerit, vt, quibus poteſt argumentis, populo ſua jura ereptum eat, & illam, quam aſſeruimus conſuetudinem, nec diuturnam fuiſſe, nec in Eccleſiâ vniversâ receptam, contendat, cùm omnis antiqua hiſtoria ipſi ſit adverſa. Quod enim decreta quæpiam attinet, Nicenæ primæ, Laodicenæ, & Conſtantinopolitanæ quartæ Synodorum, quibus aliter conſtitutum eſſe videtur, vel ipſe Petavius docet, dubitari poſſe an ex illis canonibus, ſi quis diligenter eorum verba perpendat, ſatis probari poſſit, populo jus illud ereptum. Et verò canonibus neutiquam id factum eſſe, vel inde conſtat, quod multis pòſt ſeculis ſemper plebis ratio fuerit habita in conſtitutione Epiſcoporum. Secus quàm obtinuiſſet, ſi lege omninò fuiſſet vetitum vniverſali.

Quin igitur ad populum & clerum ab initio vſque Eccleſiæ ius pertinuerit aliquod Epiſcopum eligendi, nullum eſt dubium. Id verò omne, quod tibi in Epiſcopo-

Epiſcoporum electionibus populus & clerus vſurparunt, ex conniventiâ Pontificum Romanorum, ad quos conſtitutio omnis Epiſcoporum jure divino pertineat, factum eſſe, inaudita profectò & omni antiquitati ignota eſt Cardinalis Bellarmini aſſertio, ludicris illis ſuperſtructa fundamentis, quibus tota Pontificia majeſtas innititur. Reges quidem & Principes deinceps electiones Epiſcoporum ad ſe quoque pertinere arbitrati ſunt, Pontifices verò tale quid aggredi meliori ſanè Eccleſiæ ætate nunquam ſunt conati, vtique aliter acturi, ſi id ad ſe jure divino pertinere ſciviſſet. Non ab illo autem more etiam in Galliâ eſſe diſceſſum, non tantùm aliunde eſt cognitum, ſed etiam cùm ex Martini Turonenſis electione apud Severum Sulpicium in vitâ ejus, tum etiam ex iis, quæ Cæleſtinus ad omnes Galliæ, & Leo M. ad Viennenſis provinciæ Epiſcopos reſcribunt, apertè liquet. Si autem univerſaliter hoc ita obtinuit primis illis ſeculis, & ſeorſim per Galliam eſt par obſervatum, indubiè eligendi hæc ratio valuit etiam in Germaniâ primâ & ſecundâ, in Maximâ item Sequanorum provinciâ, nec non Belgicâ primâ, quæ quatuor provinciæ ex ſeptendecim diœceſeos Gallicanæ integræ pòſt ad Germanicum regnum cœperunt pertinere. Par ratio quoque fuit electionis Epiſcoporum per Pannoniam, Vindeliciam, Noricum & Rhætiam quæ itidem hodie potiſſimâ ex parte Germanici ſunt juris.

Quinam itaque tum elegerint Epiſcopos ſatis conſtat. Non difficile autem dictu etiam eſt, ex quibus fuerint electi & quomodo. Etenim jam tum diximus alicùbi initio factam ſucceſſionem ordine ætatis in presbyterio, Alexandriæ item presbyteros ex ſuo collegio optimum elegiſſe. Vnde liquet multis in locis non alios in Epiſcopalem ordinem eſſe relatos, quàm qui jam tum iis in locis presbyterij munere erant functi. Alibi verò etiam aliunde acciri ſolitus conſtat ex Eccleſiaſticis monumentis. Et verò etiam neophytos creari ſolitos Epiſcopos liquet ex *canone II. Niceni* magni Concilij, quo vetitum ne quid deinceps tale fiat. Eſt autem ne hoc quidem ſemper accuratè obſervatum, quod vel ſolius Ambroſij & Syneſij nos docent hiſtoriæ. *Modus* porrò conſtituendi itidem non vnus olim fuit. Etenim jam tum auditum eſt, paſſim olim obſervatam ſucceſſionem ex ordine catalogi presbyterialis: Alexandriæ contra à S. Marco vſque electionem habuiſſe locum, placuiſſe porrò hanc toti terrarum orbi Chriſtiano. Annon ſimul etiam ſors alicubi fuerit adhibita, quomodo factum in Electione Apoſtoli Matthiæ, & familiare aliàs fuit Iudaico populo, ea antiquiſſimâ conſuetudine divinitus approbatâ, meritò dubites. Sanè S. Cyprianus *Ep.* XL. *&* LV. agnoſcit in conſtitutione Epiſcoporum ſeorſim divinum judicium, ſeorſim populi ſuffragium, ſeorſim Epiſcoporum conſenſum. Quod *divinum judicium* forcaſſis ſors fuit. In eum ſanè ſenſum de ſorte non ſemel loquitur ſacra ſcriptura.

Præter hæc verò ab initio vſque Eccleſiæ Epiſcopale munus fuit omnibus, ritu aliquo externo, quaſi obſignatum per manus impoſitionem, quæ poſt dici cœpit Ordinatio. In hunc ſanè modum ipſe S. Paulus impoſuit Timotheo manus, 2. *Timoth.* 1. 6. More nimirum ab Hebræis derivato, qui manus imponebant iis pro quibus Deum precabantur. Verùm illam quoque ordinationem non videntur olim iidem peregiſſe. Etenim quod ſolis Epiſcopis id commiſſum ſeriùs videtur id cœpiſſe, & ne id quidem ubivis. Sanè S. Hieronymus Epiſtolâ ad Euagrium inquiens, *quid facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod presbyter non faciat* videtur innuere quaſi Ordinatio ſoli competat Epiſcopo propriè dicto. Cæterùm ſimpliciter quidem omnis Ordinatio etiam presbyterorum, ne quidem Hieronymi ævo vnius Epiſcopi fuit. In Africâ enim & Ægypto etiam presbyteri manus impoſuerunt, teſte ipſomet Hugone Grotio *p.* 139. *Diſcuſſionis Apologetici Rivetiani.* Nec affirmat Hieronymus, ipſo ſtatim Apoſtolorum ævo id inter Epiſcopum & reliquos presbyteros fuiſſe diſcriminis. Imò non fuiſſe meritò colligas ex eo, quod Apoſtoli alioquin diſcrimine quodam facto Epiſcopum illum & presbyteros officij ſui admonuiſſent, ſi muneribus fuiſſent diſtincti. Sed & S. Hieronymus illam Epiſcopi eminentiam ſuper reliquum clerum poſt Apoſtolorum ævum demum cœpiſſe ſignificaturum ſimpliciter idem ſic loquitur. *Alexandria à Marco Evangeliſta vſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos presbyteri ſemper vnum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant. Quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat aut diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Conſenſus itaque aliorum Epiſcoporum, eorumque χειροτονία ibi ſanè videtur non fuiſſe vſitata. Certè Timotheo, cùm eſſet conſtitutus Epiſcopus Epheſinus, non à ſolo Paulo, ſed etiam à reliquis presbyteris impoſitas manus colligere eſt ex *c.* 4 *Epiſt.* 1. *ad Timoth.* μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου. Sanè ab Apoſtolis ipſis eſſe inſtitutum, vt Epiſcopus à duobus aut tribus Epiſcopis ordinetur, aut vt presbyter ab vno Epiſcopo ordinetur, & diaconus, & reliqui clerici, quæ hodie inter canones Apoſtolorum primo loco leguntur, procul eſt à vero. Multò magis falſum eſt, hoc inſtitutum æterni eſſe divini juris, vt quod ſecus ſit, divino ſit ordini adverſum, aut quod is qui contradicit anathema mereatur. Quin meritò dixeris, eos, qui id docent non minùs ſchiſmati aut hæreſi velificari, atque olim Aërius, qui æqualitatem presbyterorum & Epiſcoporum ab eodem jure accerſivit. A Pontificiis id doceri mirum ſanè eſt, quia apud illos Epiſcopi ipſi non niſi rariſſimè presbyteros ordinant, ſi modò vnquam, omni hoc munere vicariis commiſſo.

Cæterùm ſeculo tertio etiam vicinorum Epiſcoporum conſenſum, in Africâ quidem & Româ, acceſſiſſe ad Epiſcoporum ordinationes, ex multis locis operum Cypriani manifeſtum eſt. Poſt illius ævum videntur demum inſtituti metropolitani: Neque enim hos Africa agnovit Cypriano vivo, ideoque nulla apud hunc autorem Metropolitanorum fit mentio, ſed ex adverſo gravis illius vox paſſim exſtat, quemlibet Epiſcopum rationem ſui actus Domino redditurum, nec ab alio judicari poſſe, vt nec ipſe alium judicat. Quæ directè oppugnant jura Metropolitanorum. Ex quo verò Metropolitani cœperunt, his præcipuè τὸ κῦρος τῶν γινομένων fuit creditum, vt habet *canon IV. Nicenus.* Certè non licuit ex eo tempore χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου Epiſcopum ordinare, ut habet ejuſdem

magni conceſſij *canon* VII. & Antiocheni non multò junioris *canon XIX.* Neque verò in concilio Niceno aliqua hac in re facta eſt mutatio, quòd vulgò creditur: Sed in ſingulis provinciis ſumma regiminis Eccleſiaſtici ſolis Metropolitanis permiſſa eſt. Tantùm per illud magnum concilium Romano & Alexandrino Epiſcopo prærogativa quædam antiquo more introducta fuit confirmata; nempe vt Alexandrinus vnus per Ægyptum Libyam & Pentapolin, adeóque per tres magnas provincias diœceſeos Ægypti metropolitana jura exerceat,& Romanus eadem retineat per ſuburbicarias Eccleſias, vt Ruffinus interpretatur mentem canonis, h. e. per tres itidem provincias diœceſeos Italiæ, Campaniam, Tuſciam & Picenum ſuburbicarium: Niſi iſthoc provinciarum ſuburbicariarum nomine ſint intelligendæ omnes illæ, quibus olim præſedit Vicarius vrbis Romæ, quales recenſet Notitia Imperij Occidentalis *cap.* XLIIX.decem:1. Campaniam, 2. Tuſciam & Vmbriam, 3. Picenum ſuburbicarium, 4. Siciliam, 5. Apuliam & Calabriam. 6. Brutium & Lucaniam. 7. Samnium. 8. Sardiam. 9. Corſicam. 10. Valeriam.

Concilio Oecumenico ſecundo per Imperij Orientalis quinque diœceſes, in quas illud non adeò pridem diviſerat Conſtantinus M. instituti ſunt ſupra metropolitanos etiam Patriarchæ, velut loquitur *canon* Concilij ſecundus, *οἱ ὑπὲρ διοίκησιν ἐπίσκοποι*, & quidem in ſingulis [Thracica & Ægypti diœceſibus exceptis] duo vel tres, vt docet *Socrates lib. V. cap.* 8. Quæ iterum pòſt mutata ſunt, ita vt in concilio Chalcedonenſi *canon* XXIIX. Conſtantinopolitano [cui vna Thracica, vt Alexandrino vna integra Ægypti diœceſis hactenus ſuberat] datæ ſint diœceſes tres, Thracicæ adjunctis Aſianâ & Ponticâ: Antiocheno etiam ad ſeſe per vim rapiente diœceſin (exceptâ parte aliquâ Hieroſolymitano primùm in Concilio V. tributâ) Orientis, quam in concilio jam Niceno illi commiſſam iniquè reſpondit Alexandro Antiocheno Innocentius primus Romanus. Ita factum, vt non tantùm *χειροτονίᾳ* Metropolitanorum ad Patriarchas illos tres Orientalis Imperij devenerit, ſed nec Epiſcopi à metropolitanis ampliùs potuerint ordinari citra Patriarcharum conſenſum, adeóque tota ferè regiminis Eccleſiaſtici priſca forma fuerit abolita.

Occidentalis Imperij diœceſibus ſex ſive ſingulis ſive univerſis nullum concilium Oecumenicum dedit Patriarcham aliquem, perperam enim huc trahitur *canon* VII. Nicenus. At Papa Romanus cathedram Petri & univerſalis Eccleſiæ ſingularem divinitus ſibi commiſſam curam prætexens variis artibus in omnes Imperij Occidentalis Eccleſias pluſquam Patriarchalem poteſtatem ſibi comparavit. Quod accuratè hîc docere extra eſt inſtitutum. Etiam ſic tamen in omnibus provinciis omnium Diœceſeon Imperij illius manſerunt metropolitani: adeóque cùm omnis Gallia tum fuerit diviſa in provincias ſeptendecim, totidem quoque metropoles habuit olim, & totidem metropolitanos Epiſcopos. Vnde manifeſtum etiam fit, jam tum olim Moguntiacenſem Germaniæ primæ, Agrippinenſem Germaniæ ſecundæ, Trevirenſem Belgicæ, Veſontionenſem Maximæ Sequanorum, fuiſſe Metropolitanos, ſicut vrbes illæ quatuor illarum provinciarum fuere jam olim Metropoles. Num verò non tota diœceſis Gallicana ipſa aliquando conſtituerit ſibi Patriarcham, meritò dubites; quum conſtet in ſeculi ſexti hiſtoriis frequenter occurrere Patriarchas Lugdunenſes, quo nomine metropolitanos tantùm provinciæ Lugdunenſis primæ appellatos eſſe, haud temerè cui perſuadeat Baronius.

Verùm illa de ordine Epiſcopali, vt & ex quibus, & quomodo olim ſint electi Epiſcopi primi, nihil faciunt ad noſtrum hunc locum, vtpote, cum propoſitum nobis ſit tantùm docere, à quibuſnam omni tempore Epiſcopi Germaniæ ſint conſtituti. Vt igitur in viam redeamus non dubitandum eſt prioribus tribus ſeculis tantùm per clerum & populum, vt alios, ita & Germaniæ Epiſcopos eſſe electos. Obſervandum autem ex quo Imperatores Romani Chriſto nomen dederunt, nonnunquam factum eſſe, vt ipſi Epiſcopos Eccleſiis darent, non improbante illud qui tum vivebant Epiſcoporum collegio. Sic Liberius Papa à Conſtantino Epiſcopatum Romanum accepit. Sic in ipſo Oecumenico Concilio II. Conſtantinopolitano, vacante ejuſdem vrbis Epiſcopatu Theodoſius junior *præcepit ſacerdotibus in charta ſcribere nomina eorum quos dignos crederent, qui ordinarentur, ſibi autem vnius electionem ſervavit*, nominibus poſt omnium perlectis elegit Nectarium ſenatorij ordinis virum. Similiter poſt obitum Siſinnij Valentinianus & Theodoſius junior, *ſtatuerunt neminem ex Eccleſiâ iſtâ Conſtantinopolitana ad pontificium, propter eos qui rebus novis ſtudebant, cùm pars Philippum pars Proclum eligi cuperet: placuit igitur ipſis advenam Antiochia advocari.* Theodoſius idem junior Maximo Epiſcopo defuncto, *iuſſit eos qui aderant Epiſcopos, vt Proclum in Cathedra collocarent.* Mediolani etiam poſt mortem Auxentij Imperatorem rogàrunt Epiſcopi ipſi, vt ipſe eligeret. Populo itaque Ambroſium poſtulante Valentinianus Imp. *iuſſit ipſum ordinari.* Fortaſſis igitur etiam in Germaniâ nonnunquam iſtiuſmodi quid tum factum, vtpote cùm Imperatores teſte Gelaſio Pontifice *Epiſt. XI.* plurimùm fuerint Auguſtæ Trevirorum commorati. Quoniam tamen nihil hujus memoriæ eſt traditum, non eſt noſtrum id temerè affirmare.

Obſervandum porrò à ſeculo quarto vſque invaluiſſe paulatim per omnem Chriſtianum orbem, vt qui Reipublicæ ſummâ cum autoritate præerant, non paterentur temerè quem ad Epiſcopalem dignitatem promoveri, niſi accedente ſuo conſenſu. Quod procul dubio factum quoniam Epiſcoporum in populo ſumma autoritas, adeoque *ἡ δημαγωγία* in ipſorum eſſet manibus, ſimulque illi multis opibus tantùm non ubivis circumfluerent. Et verò intereſt quàm maximè Reip. ne qui tales conſtituantur, niſi de quorum probitate Reip. ſatis eſt cautum. Hinc Odoacri Regis tempore Baſilius Patritius lege vetuit, ne Papa eligeretur, niſi conſentiente Principe, idque ex eo Romæ accuratè perdiu eſt obſervatum. Quapropter cùm Pelagius electus eſſet non impetratâ Imperatoris approbatione miſſus Conſtantinopolin eſt Gregorius tunc Archidiaconus, vt id excuſaret, quòd, obſeſsâ per Longobardos vrbe, Imperator Conſtantinopolin non potuerat adiri. Neque verò

jure

jure hoc ceſſerunt in confirmandis Papis Romanis Conſtantinopoli commorantes Cæſares ante Conſtantinum IV. Quâ de re pluribus agit Baronius *tomo VIII. Annalium. Anno DXC.*

In utroque autem Germanicarum gentium Reges exemplum illud Romanorum Imperatorum ſunt ſecuti. Ex quo enim illi Chriſtianam ſunt fidem amplexi, modò hìc modò alibi pro ſuo arbitrio Epiſcopos Eccleſiis dare, aut à clero & populo antiquo ritu electos confirmare, ſui juris exiſtimaverunt. Certè Francorum Reges, cùm ad eos Galliarum & Germaniæ imperium perveniſſet, uſi hoc jure ſtatim ſunt, uſque adeò, ut ab eorum nutu Epiſcopatus pependerint. Clodovæus ipſe Dinifium in Turonenſem Epiſcopum elegit, ut eſt apud Gregorium Turonenſem, qui & alibi Omatium poſt Dinifium mandato Clodomeri Epiſcopum Turonenſem dictum, & Nicetium regis Childeberti & pleno populi ſuffragio in Epiſcopum electum, demum etiam Quintianum Arvernorum Epiſcoporum Theodorico rege conſentiente conſtitutum tradit. Nonnulla quæ huc faciant exempla ex Turonenſi affert Lehmannus in *chronico Spirenſi*, omnia verò in unum collegiſſe faſciculum dicitur Thomas Bilſonus Vvintonenſis in Angliâ Epiſcopus, libro quem ſcripſit *de perpetuâ Eccleſiæ gubernatione.* Sunt verò præter Turonenſem alii quoque ſcriptores, qui idem confirmant. Exſtat apud Surium vita Sulpitii Bituricenſis Epiſcopi, qui Auſtregiſilo ſucceſſit, ex quâ cognoſci poteſt, quàm neceſſarius Regis in conſtitutione Epiſcoporum fuerit conſenſus. E populo alii alium, ut ſolet fieri nominârant, pars etiam quædam inſanioris vulgi principibus nonnullis cõſeoſerat in cujuſdam Simoniaci electionem, Regiſq; conſenſum magnâ vi auri oblatâ ad id impetrari poſſe ſpes fuerat, Rex tamen Gunthramnus rectiùs perpenſâ, repudiato Simoniaco, Sulpitium voluit eſſe Epiſcopum, ita, Gregorio Turonenſi teſte, eos, qui Simoniacis artibus Epiſcopatus ambiebant affatus: *Non eſt principatus noſtri conſuetudo ſacerdotium venundare ſub pretio, ſed nec veſtrum, eum præmiis comparare, ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos mago Simoni comparemini.*

Invaluit verò magìs magìſque illa conſuetudo, ut ii eſſent Epiſcopi, quorum electionem Francorũ Reges, quibus tum Germania quoque Ciſrhenana, & pars Tranſrhenanæ parebat, ſuo ſuffragio cõfirmâſſent. Hiſtoriæ enim horum temporum teſtantur, à Regum arbitrio Epiſcoporum cõſtitutionem magnam partem dependiſſe. Theophilus Rainaudus Jeſuita *in indiculo ſanctorum Lugdunenſium* de Ennemundo tradit eum voluntate Regis Clodovei II. in Epiſcopum Lugdunenſem eſſe electum. Idem ex Angrano Lamberti Lugdunenſis Epiſcopi, qui ſedit anno DCLXX. electione ita loquitur: *Defuncto S. Geneſio præſule urbis Lugdunenſis, illicò primus Rex Theodoricus, & inclytus Princeps Pipinus, cum proceribus palatii ſalubre agentes conſilium, divinâ utique providente juſſione, in præfatâ urbe cum unanimis ejuſdem regionis populi voto, ejuſdem urbis eum conſtituerunt antiſtitem.* Quantùm conjicere licet, id quoque ſibi interdum videntur uſurpaſſe Francorum Reges, ut ipſi nondũ præviâ electione cleri & populi Epiſcopos nominarent, quos tamen dein liberè clerus & populus reciperet. Sed id fortè ta-

riùs factum. Conſenſu tamen regio omnino opus erat. Modoaldus Trevirenſis Epiſcopus conſtitutus eſt, *volente Rege, Pipino duce, clero, populo*, ut *in vita* ejus Stephanus Leodienſis Abbas tradit. Is, qui Pauli Epiſcopi Virdunenſis vitam deſcripſit, ut lea exſtat apud Surium die VIII. Februarii, autor eſt, Regem miſiſſe ad Paulum, eumque invitaſſe, ut in aulam veniret, *electum eum eſſe à Palatinis, à clero & populo, ut Virdunenſis Epiſcopus eſſet, ſe quoque illorum votis & ſententiæ aſſentiri.* Idem de Ansberto Rhothomagenſi Epiſcopo narrat in eius vita capite XV. Angrados monachus, cum eligentibus civibus metropoleos Rhotomagenſis, *cum unanimi voto ſanctorum ſacerdotum Regis & Principum* electum eſſe Rhotomagenſem Epiſcopum. Avitus Arvernorum Epiſcopus, cùm Bonitum ſibi ſucceſſorem dari vellet, Regis conſenſum flagitat. Aurelianenſes verò cives, cùm Eucherium Epiſcopum elegiſſent, proxima illis cura erat, de Regis ſuffragio impetrando. *Mittunt* igitur *ad Carolum Martellum Francorum Principem Legatos, qui eius pedibus advoluti ſuppliciter petierunt, ut Epiſcopum illis concederet Eucherium.* Verba hæc ſunt ejus, qui hiſtoriam vitæ Eucherii reliquit apud Surium die XX. Ianuarii. Digna denique ſunt, quæ hic legantur verba Vvalthrami Naumburgenſis ex libro, quem ſcripſit de inveſtiturâ Epiſcoporum. *Longè ante decretum Adriani papæ, eiuſque ſucceſſorum, Reges, qui erant uncti, & Maiores domus inveſtituras Epiſcoporum fecerunt, ſcilicet Dagobertus, Sigibertus, Theodericus, Hildricus, Pipinus filius Begge Maior domus, Theodebertus. Ab his inthroniſati ſunt Remaclus, Amandus, Audomarus, Auspertus, Eligius, Lampertus, ubique ſanctiſſimi præſules, cum reges iſti in moribus ſuis ſatis fuerint notabiles.* Hæc verò tam apertè, quanta fuerit Regum Francorum in conſtituendis Epiſcopis autoritas, docent, ut nemo iis refragari poſſit. Nec tacet Baronius, quæ fuerit circa hæc tempora in Epiſcoporum electionibus Principum ratio habita: *Sane à regibus eſt præſumptum*, inquit, Tomo VII. Annalium ad annum 559. *ius præficiendi Eccleſiis paſtoribus deſtitutis Epiſcopos hoc ſeculo tum in Occidente, tum in Oriente.* Præſumplum jus vocat verbo aſperiori: quod, ſi tamen illud intra limites cohibeatur, optimo jure Regibus competere dein probabimos.

Fortaſſis tamen quidam Eccleſiaſtici proceres in Galliis initiò non ſatis æquo animo tulerũt illam, quam ſibi reges uſurpabant, poteſtatem. Patres cõcilii Arvernenſis, inter quos etiam fuere Nicetius Treverorũ, Domitianus Tungrorum, Deſideratus Virdunenſium, Superius Aventicorum in Helvetiâ, Epiſcopi, huc videntur reſpexiſſe, cùm canone ſecũdo ſanciunt, qui Epiſcopatum deſideret, electione clericorum, vel civium, & conſenſu metropolitani provinciæ debere ordinari, nõ verò patrocinia potentum adhibere. Acriùs Patres in concilio Pariſienſi anno DLIX. habito, in pravam aliquam cõſuetudinem, quâ vel invitis civibus beneficio Regis Epiſcopatus quidam obtinere ſe poſſe ſperabant, invehũtur canone VIII. qui dignus eſt ut adſcribatur; *Quia in aliquibus rebus*, inquiunt, *conſuetudo priſca negligitur, ac decreta canonũ violãtur, placuit ut iuxta antiquam conſuetudinem canonum decreta ſerventur. Nullus civibus ordinetur Epiſcopus, niſi quem populi & clericorũ electio pleniſſimâ quæſierit voluntate.*

Non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra metropolis voluntatem, Epiſcoporum comprovincialium ingeratur. Quod ſi per ordinationem regiam honoris iſtius culmen pervadere aliquis nimiâ temeritate præſumſerit, à comprovincialibus loci ipſius Epiſcopis recipi nullatenus mereatur, quem indebitè aſſumtum agnoſcunt. Si quis de comprovincialibus recipere eum contra interdicta præſumſerit, ſit à fratribus omnibus ſegregatus, & ab ipſorum omnium charitate remotus. Ita ſtatuunt Epiſcopi in conſilio Pariſienſi coacti. Id verò ſolum velle hos Epiſcopos liquet, non eſſe concedendum, ut reges ſoli pro arbitrio, autoritate tantùm regiâ, vel invitis civibus conſtituant Epiſcopos. Id enim creditum ſemper eſt, neminem invitus civibus, quibus ipſe præeſſe debeat, poſſe eſſe Epiſcopum. Si qui igitur hoc ſtatutum Eccleſiaſticum pervertere auſi ſunt, jure meritoque eos Concilium Pariſienſe perſtrinxit. Conſuetudinem verò illam, quæ tum in Galliis obtinebat, ut confirmationem factæ electionis vel Epiſcopi ipſi electi vel cives peterent à Rege, nullo verbo improbant. Quin paulò antè Epiſcopi Gallicani in Synodo Aurelianenſi quintâ, Childeberto regnante, anno ſeculi quinti LII. decreverant, neminem debere Epiſcopatus per præmia, aut ope potentium perſonarum inclinatis civium animis, aucupari, *ſed voluntate Regis juxta electionem cleri ac plebis.* Habemus igitur jam Regum Francorum iura exemplis confirmata, & ſynodi decretis ſtabilita, quæ iura, uti in Gallia exercuiſſe eos conſtat, ſic quoque in Germania, quantacunque eius pars iis parebat, idem egiſſe, extra omne dubium eſſe debet.

Ex Galliis autem petenda fuere exempla, quia ob defectum Scriptorum, quomodo tum ſe res in Germania habuerit, non ſatis conſtat. Non eſt verò quod quis dubitet, aliter tum in Germaniâ obtinuiſſe. Nihil enim eſt, quod ſuadet, minorem ſibi Francorum Reges in Germanos uſurpâſſe poteſtatem, quàm in ipſos Francos, præſertim cùm multas in Germaniâ Eccleſias deſolatas & deſtructas Franci reſtaurârint, quâ in re primas Dagobertum ejuſque filium Sigebertum tenuiſſe ferunt. Neque etiam locorum intervalla impedire poterant, quominùs Eccleſiarum in Germania curam agerent. Auſtraſiæ enim regnum, cujus Germania pars maxima erat, ſuos ſæpe ex Francorum regiâ familiâ proprios habuit reges. Childebertus quoque & Dagobertus in ipsâ Germaniâ ſedem fixerunt, ille quidem Stratisburgi, quod eſt Argentoratum, hic verò Kircheimi non procul ab Argentorato. Quin Athanaſius & Baſinus Spirenſes Epiſcopi, à Dagoberto & Carolo Martello conſtituti, memorantur Lehmanno, ut iam eos præterea, quos à Francorum regibus Conſtantiæ, Argentorati, Wormatiæ & Moguntiæ Epiſcopos conſtitutos Bruſchius tradit. Minùs enim accuratè ea, quæ ad Epiſcoporum electiones faciunt, perſequitur, quod intuenti manifeſtum eſt.

In Bavariâ verò, quæ tum proprios habebat reges, interdum à Rege, interdum à populo Epiſcopos delectos, leges Bauvariorum, Codici legum antiquarum Friderici Lindenbrogii inſertæ, indicant: Ita enim legitur cap. XI. lit. I. *Si quis Epiſcopum, quem conſtituit Rex, vel populus ſibi elegit Pontificem, occiderit, ſolvat eum regi, vel plebi, aut parentibus, ſecundum hoc edictum.* Hæc utique aperta ſunt. Bonifacius ipſe à principibus Pipino & Carolomanno Moguntinus juſſus eſt eſſe Archiepiſcopus. Is, qui ejus vitam deſcripſit, apud Surium die quinto Iunii manifeſtè ait; *Gervilione depoſito S. Bonifacius à Carolomanno & Pipino fratre eius Moguntina ſedi præficitur.* Dein cùm infirmitate corporis prægravatus ſynodalia conciliorum conventicula, verba ſunt Vuilibaldi in vita ejus (*cap. x.*) per omnia adire non poſſet, *conſultu atque conſilio glorioſi regis Pipini Lullum ſibi ſucceſſorem conſtituit.* Zacharias Pontifex ipſe Epiſtolâ CXLII. Bonifacio ſcribit: *quod tibi ſucceſſorem conſtituere petiiſti, ut te vivente in tuo loco eligatur Epiſcopus, hoc nulla ratione concedi patimur; quia contra omnem Eccleſiaſticam regulam, vel inſtituta patrum eſſe monſtratur.* Quid verò ſibi volunt illa verba, quod *petieris* tibi ſucceſſorem, ſi hæc ad Pipinum, à quo peteret, non ſunt referenda? Supereſt verò adhuc Epiſtola Bonifacii ad Fulradum presbyterum apud Baronium *tomo IX. Annalium* ad annum 855. quæ eſt in codice Epiſtolarum Bonifacii XCII. quâ rogat Fulradum, ut Pipinum adeat, eumque ſuo nomine roget, ut, ſi clementiæ ipſius placeat, Moguntiæ *Lullum, in miniſterium populorum & Eccleſiarũ, componere & conſtituere faciat prædicatorem & doctorem presbyterorum & populorum.* Cùm impetraſſet Bonifacius, gratias egit Pipino per Epiſtolam, quæ eſt inter epiſtolas Bonifacii CIV. Hæc enim huc omnino referenda eſt, ut liquet, ſi quis Vuilibaldi verba antè allata cum hâc Epiſtolâ conferat. Sed & aliàs Bonifacius hanc regum poteſtatem agnovit. Cùm enim Bavariam omnem in quatuor diœceſes divideret, & ſingulis præficeret Epiſcopum, *Odilone Duce conſentiente* id factum tradit Wilibaldus *capite IX.*

Conſenſu igitur Principum tum fuiſſe opus non eſt dubitandum. Pontificis etiam Romani approbatione non fuiſſe tum opus, non eſt quod dubitemus, quum nullum eius indicium leviſſimum in omnibus iſtius ævi monumentis liceat obſervare. Tantùm in novis Epiſcopatibus conſtituendis, videntur eo tempore Pontifices Romani autoritatem ſuam cœpiſſe miſcere. Bonifacius enim contendit per literas à Zacharia pontifice, ut quas in Vuirtzburg, Buraburg & Erpfesfurt Epiſcopales ſedes conſtituerat, Apoſtolicæ ſedis autoritate confirmaret, cuius quoque petitioni aſſenſum haud difficulter præbuit Zacharias, & rata habuit, quæ ſanxerat Bonifacius. Sed cùm Bonifacius novo hactenus inſolito more Romanæ ſedis legatus fuerit, illique addictiſſimus, ab eius factis argumentum ſueti tum & recepti moris haud ſatis rectè ducas, & ius aliquod Pontificis Romani arceſſas. In Moguntinæ ſanè Metropoleos novâ cõſtitutione, quòd ſibi principes Carolomannus & Pipinus cõſenſum Romani Pontificis impetrandum cenſuerũt, ut eſt in vitâ Bonifacii, res aliter ſe habet. Quia enim in Occidente paſſim invaluerat conſuetudo, ut ſine pallio à pontifice Romano conceſſo metropolitanus nullus eſſet [neque enim ſine pallio alios Epiſcopos ipſi ordinare licebat, quod tamen potiſſimùm Metropolitani officium,] conſenſus Pontificis non poterat non eſſe neceſſarius. Quin ille conſenſus non tam fuit cum poteſtate &

juriſ-

juriſdictione aliquâ conjunctus, quàm grata & amica approbatio. Indicant hoc verba ipſius Zachariæ Epiſtolâ cxxxviii. ad Bonifacium ſcriptâ: *De eo, quod ſuggeſſiſti, quod elegerunt unam civitatem omnes Francorum proceres, pertingentem uſque ad paganorum fines, & in partes Germaniearum gentium, ubi antea prædicaſti, quatenus ibi ſedem metropolitanam perpetuò habere habeas, & inde cæteros Epiſcopos inſtrueres ad viam rectitudinis, & poſt te tui ſucceſſores perpetuo iure poſſideant, hoc quod decreverunt, nos lato ſuſcipimus animo, eò quòd ex Dei nutu factum eſt.* En, quàm nihil aliud agit Zacharias, quàm quod decretum Francorum laudet & probet. Quicquid autem ſit de noviter inſtituendis Epiſcopatibus, in Electionibus certè Epiſcoporum Principum quidem à Clodovæo uſque maxima, Pontificum autem uſque ad Gregorium ſeptimum, nulla, vel ſi caſus aliquis incidiſſet, non adeò magna habita eſt ratio, præterquam quod Metropolitani pallia à Romano Pontifice recipere jam cœpiſſent.

Vt verò ad Principum, de quo ſermo eſt, conſenſum redeamus: Baronius, quò Pontificiam majeſtatem aſſerat, [quæ ingens detrimentum patitur, ſi regibus & ſummis principibus regio jure jus illud quod ſibi in electionibus Epiſcoporũ uſurparant, competit] conatur nobis perſuadere jus illud regium promanâſſe à conceſſione Pontificia. Affert in eam rem verba Lupi Ferrarienſis in Galliâ Abbatis [qui diu Fuldæ ſub Rabani diſciplina vixit, teſte Chriſtophoro Brouvero *in antiquitatibus Fuldenſibus*,] ex *Epiſtolâ eius LXXXI.* ad Amulum Lugdunenſem Archiepiſcopum. Baronius verò de re ita loquitur Tom. 9. Annalium, ad annum 752. *Illud non ignorandum, cõceſſam fuiſſe à Zacharia Romano Põtifice Pipino Regi Francorum nominationem, quam vocant, ſeu poſtulationem Epiſcoporum pro Eccleſiis vacantibus in regno ſuo, ut intelligas, cum legis à regibus Eccleſiis eſſe datos Epiſcopos, totum id factũ non iu iure proprio, (quod nullum penitus in Eccleſiaſticis rebus reges habent) ſed conceſſione Apoſtolicæ ſedis. Vnde erubeſcant mentientis Peluſtes novatores, cùm Eccleſias ſubiiciunt regibus.* Vnde verò cæteri Reges Francorum, ſi id demum eſt Pipino conceſſum? Silent enim de eo documenta veterum, nec Baronius tale quid producit. Vnde reliqui reges, qui idem uſurpârunt? Neque omnino Lupi verba id indicant, quod vult Baronius. Magnam tũ temporis fateor fuiſſe Pontificum Romanorum, & hujus quoque Zachariæ, præcone cumprimis Bonifacio, autoritatem, ut non mirum cuiquam videri debeat, ſi Pipinus ius regium, antiquâ conſuetudine firmatum, religione ductus, à Pontifice Romano (cuius tum ſedis magna apud omnes erat opinio,) approbari voluit. Imò, quamvis apparet ex Lupi verbis, conſuluit Pipinus Zachariam, annon rectè id ius, cùm id ſtatus regni expoſcat, uſurpet: Pontifex re perpenſâ aſſenſum præbuit, non ut juriſdictione tali præditus, quâ id largiri poſſet, ſed uti is, qui de re quapiam conſultus, vel approbat vel diſſentit. Fortè etiam eo animo id feciſſe Pipinus dici poteſt, ut rem gratam faceret Zachariæ, cui multis nominibus obſtrictus erat, vel ut obſequentiorem & paratiorem haberet populum in recipiendis ab eo conſtitutis Epiſcopis, ſi is idem Pontifici quoq; Romano probari noſſet. Quæcunque verò demum cauſa fuit, credidiſſe tamen Pipinum, in manu Pontificis ſitum eſſe tale aliquod jus largiri, atque eo animo Zachariæ aſſenſum flagitâſſe, nec Lupi verba indicant, neque etiam aliunde conſtat. Cùm adhuc Maior domus eſſet, & Princeps Francorum, aliam ipſi mentem fuiſſe apparet. Ita enim Childericus & Pipinus in comitiis Sueſſionenſibus anni DCCLIV. loquuntur: *Idcirco conſtituimus per conſilium ſacerdotum & optimatum noſtrorum & ordinavimus per civitates legitimos Epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopos Abel & Ardobertum.* Recitat hoc decretum Goldaſtus *tomo tertio conſtitutionum Imperialium.* Carolomannus quoque Pipini frater in ſynodo; (cuius acta in librum quintũ Capitularis tranſtulit Benedictus Levita,) ita regio more loquitur. *Ego*, inquit ipſe Carolomannus, *Dux & princeps Francorum, ſynodum congregavi. Et per conſilium ſacerdotum & optimatum meorum ordinavimus per civitates Epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopum Bonifacium miſſum ſancti Petri.* Nulla hic conſenſus à Pontifice aliquando impetrandi ſuſpicio eſt. Suâ autoritate & Epiſcopos & Metropolitanos conſtitutos uterque & Pipinus & Carolomannus aiunt.

Hoc loco autem mirari licet, cur Baronius conceſſionem Pipino à Zacharia factam tam multis urgeat, in celebre verò illud & πολυθρύλλητον Hadriani I. privilegium, uti cõmuniter vocant, quo is Carolo adhuc Patritio electionem Romani Pontificis & Epiſcoporũ inveſtituras concedit, plenus irarum inſurgat. Concedit enim, ipſomet Baronio teſte, Zacharias Pipino, nominationem Epiſcoporum, hæc verò ſi rem ipſam videas, non multùm ab inveſtiturâ differt, quæ, vel conſenſus eſt in perſonam à clero & plebe electam, atque ita nominatione minus, vel eſt clero & plebe inconſulta facta à rege cujuſpiam nominatio, quem ſi Metropolitanus dignum illo munere judicet, Epiſcopum ordinat & conſecrat. Ipſa à clero & plebe facta electio, nihil aliud eſt, quàm ſimplex certæ perſonæ nominatio. Cùm igitur idem fermè ſit, nominationem Epiſcoporum, quod inveſtituras Epiſcoporũ, concedere, cauſa nulla erat cur Baronius tantâ quidem vehementiâ in Sigebertum Gemblacenſem declamaret. Sed indubiè bilem Baronio movit, quod Romani Pontificis conſtituendi poteſtas Carolo conceditur. Adverſum id enim Pontificiæ majeſtati, quam ſibi extollendam ſumſerat. Quicquid tamen obnitatur, conſtat huic Adriani decreto ſua autoritas. Vindicant à falſi crimine Sigebertũ cùm Marcus Antonius de Dominis *lib. VI. de Rep. Eccleſiaſt. cap. 7.* tum verò prolixiſſimè πολυμαθέστατος Goldaſtus *in Rationali ad cõſtitutiones Imperiales*, atque etiam ſcriptũ *de Germanorũ Imperio Romano à nobis nuper editum capit. VI.* Vix quiſquam certè ante Baronium auſus eſt illos canones apud Gratianũ falſi poſtulare. Bellarminus ipſe ut legitimos adducit *Lib. II. de Rom. Pont. c. 29. & lib. I. de Cler. c. IX. & lib. I. de Translat. Imperij c. XIII.* Monitus tamen deinde, retractat in recognitione ſuorum operum, & libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, quod pro legitimis habuiſſet, & ait vel falſos eſſe vel certè dubiæ fidei. Caput Baronianæ accuſationis eſt, nec Anaſtaſium bibliothecarium penè ὀψίγονον, & rerũ Romanarum callentiſſimum, nec quenquam alium ante Sigebertum [illegible]iniſſe huius decreti. Vtrum-

que verò falſum eſt. Expreſſa ejus mentio exſtat in oratione Gregorii VI. apud Vvilhelmum Malmesburienſem *lib. II. de geſtis reg. Anglor. cap. XIII.* obſcurior in Eutropii Longobardi libro, quem de ſtatu Romanorum ſub Græcia & Francis reliquit. Quod & Paulo Diacono & Walthramo affertur, id infirmius eſt. Anaſtaſium verò hanc narrationem nũ præteriiſſe ex Onuphrio Panvinio diſcimus: Is enim apertè deſumptum hoc à Gratiano ex Anaſtaſii *hiſtoriâ Eccleſiaſticâ* tradit, neque etiam aliter credi inſcriptio capituli apud Gratianum patitur. Invictum verò argumentum eſt, quod Platina, qui indubiè optimo & incorrupto Anaſtaſii codice uſus eſt, hanc conſtitutionem Hadriani in Anaſtaſii hiſtoriâ legit. Verba ejus ſunt in Paſchali primo: *Idem Bibliothecarius ſcribit, Ludovicum liberam eligendorum Epiſcoporum poteſtatem Paſchali dediſſe, cum antea eâ quoque in re Imperatores conſulerentur, quam poteſtatem ab Hadriano Pontifice Carolo conceſſam idem autor refert.* Platinæ igitur ætate Anaſtaſium quoque hanc Hadriani conſtitutionem narrare ſatis conſtabat.

Quin ipſa experientia Sigeberto ſuffragatur. Summa enim ex eo tempore fuit in eligendis Romanis Pontificibus Imperatorum autoritas, quod & Marcus Antonius de Dominis, & ſuprà memoratum *de Germanorum Imperio Romano* ſcriptum, multis adſtruunt. Paris autoritatis eſt altera illa Leonis VIII. quem Otto Imperator pulſo Iohanne XII. homine monſtroſo creaverat, conſtitutio, quâ idem Leo Ottoni, quod antè Hadrianus Carolo concedit. Recitat eam, ut & alteram Hadriani, Gratianus *Diſt.* LXIII. levitatis ideò à Baronio & Bellarmino notatus. Fictitiam verò hanc quoque contendit Baronius *Tomo* X. *Annalium, anno* 964. ſed irrito conatu. Neque enim cauſa ulla, cur hujus decreti fidem quiſquam elevet, ſi Hadrianicum illud firmo ſtat talo. Id verò paulò antè aſſertum, & Sigebertus ab impoſturæ crimine, quod ipſi impegerat Baronius, vindicatus eſt. Tria verò, quod utramque cùm Hadriani, tum Leonis VIII. conſtitutionem attinet, diſquiſitione aliquâ indigent. Dicendum enim *primò* an Adrianus Carolo & Leo Ottoni poteſtatem dederint liberè inveſtiendi Epiſcopos omnium Provinciarum regno Francorum & dein Germanorum ſubjectarum, an verò ſolius Patrimonii Divi Petri, an Italiæ totius, aut in his omnibus locis ſimul. *Deinde*, ad quaſcunque demum provincias illud decretum pertineat, an utraque conſtitutio, conceſſio & privilegium dici poſſit. Et *tertiò* denique dicendum fuerit, an Carolus Magnus ejusque ſucceſſores inveſtituras Epiſcoporum uſurpaverint, an verò iis renunciaverint, quod ait Baronius.

Vix quiſquam verò eſt, cùm veterum tum recentiorum, qui non utramque hanc conſtitutionem de confirmatione juris antiqui, quo Francorum Reges in conſtituendis Epiſcopis uſi diu fuerant, vel conceſſione poteſtatis inveſtiendi Epiſcopos per omnes omnino provincias Francorum & Germanorum regibus parentes interpretetur. Sigebertus Gemblacenſis de Henrico V. disertè ait: *Rex uti volens autoritate & conſuetudine, & authoralibus privilegiis Imperatorum, qui à Carolo Magno, de regibus Francorum imperaverant Romanis, tamque per trecentos & eo ampliùs annos imperaverant ſub LXIII. Apoſtolicis, dabat licitè Epiſcopatus & Abbatias per annulum & virgam.* Vvalthramus quoque non in aliâ eſt ſententiâ. Vbi enim de Carolo M. ipſi ſermo eſt, ait Pontificem Romanum *de inveſtiendis Epiſcopis per reges antiquam conſuetudinem confirmaſſe.* Idem ſenſiſſe videntur, quotquot harum conſtitutionum meminerunt, quos magno numero teſtes adducit in Rationali Goldaſtus. Idem ſentiunt Matthæus Pariſienſis & Nauclerus, uterque enim Sigeberti Gemblacenſis verba tranſcripſit. Quin Imperatores ipſi pro jure inveſtiendi Epiſcopus ad hæc privilegia provocârunt. Abſurdi verò ſunt, nec refutatione aliquâ digni, Canoniſtæ, qui ineptiunt, eſſe hâc conſtitutione conceſſum Carolo inveſtire Epiſcopos & in Francia & in Hiſpaniâ, quia unus eſt Imperator, atque ita ad vulgares illas nugas de Imperatore mundi domino delabuntur. Nec multò meliùs ſentiunt, qui Hiſpania quoqve inveſtituras Epiſcoporum in perſonâ Caroli à Pontifice tributas putant, quos refellit Didacus Covarruvius *Tom. I. part. II. Relect. c. poſſeſſor mal. fid. §. 10.* & ex eo Henningus Arniſæus *lib. II. de jure majeſtatis cap. VI.* Eorum ſententia, qui utramq; conſtitutionem juris antiqui confirmationem dicunt, minus eſt improbabilis. Stat enim pro eâ omnium penè veterum recentiorumq; autoritas. Neque verò ideò ab ea recedendum, quò Pontifex cũcedere Carolo Galliæ & Germaniæ Epiſcoporũ inveſtituras non potuerit, cùm jam antè Carolus more majorum jure regio Epiſcopos inveſtiret. Fortè enim ceſſat illa ratio, ſi dicas cum Marco Antonio de Dominis, eſſe illas cõſtitutiones, *propria principum juris naturalis, recognitiones, admiſſiones & probationes, cum remotione obſtaculi injuſti, per prohibitiones perperam & indebite poſitas, & declarationes poſſe jam principes ſuo jure uti, & ſe quantum in ipſis ſit, nolle illud impedire*, vel cũ Duareno, *lib. 3. de ſacris Eccleſiæ miniſt. cap. II. eſſe illas hominũ ultro bonâ fidẽ agnoſcentium confeſſiones.*

Sed ſalvâ aliorum autoritate, novum hoc inveſtituræ jus ab Adriano & Leone VIII. Carolo & Ottoni delatum, omnino ad ſolos Epiſcopos provinciarum Italiæ, in quas jus Pontifici Romano erat, non ad reliquos Germaniæ Galliæq; & ipſius Italię Epiſcopos, pertinuiſſe potiùs eſt ſtatuendum. Goldaſtus quidem *in ſuo rationali* ad Italiam totam hanc conſtitutionem extendit, minùs tamen rectè. Argumenta utique, quæ affert, rem non conficiunt. Imò, quibus ille rationibus ductus negat decretum Hadriani de Galliæ, Germaniæ, Aquitaniæ, aliarumq; provinciarum Epiſcopis, accipiendum, eędem pro magnâ Italiæ parte militant. Verba Goldaſti ſunt: *Populus Romanus aut Pontifex dare non potuit, quod non habuit*: Et pòſt: *Carolus non à Populo Romano nec à Pontifice jus illud in patriis regnis accepit, ſed ab anteceſſoribus legitima ſucceſſione hæreditavit, non etiam in regnis à ſe devictis, putà Aquitaniâ, Vaſconia, Hiſpaniâ, quæ victoris lege, non jure donationis adminiſtravit, patriiſque regnis adjunxit.* In Longobardorum verò regnum, quod magnam Italiæ partem occupabat, jus nullum Pontifici Romano. Ipſi potius Longobardorum Reges captâ Ravennâ & Exarchatu ſublato, quæ Exarchis fuerat in Romam Romanumque Epiſcopum poteſtas, ad ſe tranſiiſſe exiſtimârunt. Carolus autem regnum Longobardicum armis obtinuit, &

in

in victi Deſiderii jura ſucceſſit. Cùm igitur Longobardorum quoque reges,more tum principibus ſummis uſitato,Epiſcopos conſtituerint,id jus Carolum ab Adriano obtinere opus non erat. Cæterùm obtinebant tum Pontifices Romani partim injuſtâ uſurpatione, partim verò regum & Pipini maximè dono,non ſolùm Vrbem Romanam & ducatum Romanum , ſed & alias, nec incelebres nec paucas numero,Italiæ provincias & civitates. In has autem Carolus,Patritius primùm à populo & Pontifice Romano, deinde Imperator dictus,ſummum eſt adeptus imperium , quod reliquum erat Italiæ regni nomine tenuit,ut ait Sigonius *libro IV. de regno Italiæ.* Cùm ergo Adrianus Papa Carolum Patritium,& Leo VIII.Ottonem Auguſtum & Imperatorem agnoſcerent, quibus ſumma jam majeſtas in urbem Romam & illas provincias , quas Principum dono Romana Eccleſia poſſidebat, cum Patritii & Imperatoris nomine conferebatur, arbitrati ſunt æquum eſſe,ut more per totum occidentem recepto , ſic Caroli quoque & Ottonis ſuffragio electiones Pontificis Romani,& Epiſcoporum per ſingulas provincias Pontifici ſubditas confirmarentur.

Carolus verò, inquit Marſilius Patavinus in tractatu de translatione imperii cap. 8. *prima conceſſione, poteſtatem videlicet Romanum Pontificem ordinandi , non fuit uſus.—De ſecundâ verò conceſſione , videlicet Epiſcoporum inſtallatione ſe aliquoties intromiſit, ut ex ipſius geſtis in pluribus locis apparet.* Si ad manus eſſent Hadriani Pontificis literæ,quas ad Carolum aliosque dedit, indubiè certiora afferri poterant. Habuit eas Matthias Flaccius Illyricus , cùm octavam centuriam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ compilaret , Baronius verò ſeriò dolet eas deperditas , cùm Bibliotheca Vaticana illas antè poſſediſſet. Recitat tamen Argumenta illarum, quæ reliqua ſunt. Ex his argumentum Epiſtolæ trigeſimæ nonæ tale eſt : *Carolum mendacii arguit & objurgat , Quòd Ravennam ad electionem novi Pontificis legatos ſuos direxerit.* Paulò pluribus verbis recitat idem argumentom Flaccius , cùm ait: *Adrianus in Epiſtola ad Carolum negat , legatos eius electioni Ravennatis Epiſcopi unquam interfuiſſe , & aſſerit , Ravennates ſemper ab Apoſtolica ſede Archiepiſcopos petere.* Quocunque verò modo hæc res ſe habeat , conſtat hinc,Carolum in conſtituendo Epiſcopo Ravennatium,qui Pontifici parebant,ſui quoque rationem haberi voluiſſe.Reliquum tamen aliquid Adriano in conſtituendis Epiſcopis fuiſſe videtur.Ita enim in Epiſtolâ,cujus particula in tractatu Flaccii de Epiſcoporum electione exſtat , ad Carolum ſcribit : *Quia nunquam nos in ullâ electione nobis ſubiecta ingeſſimus, nec ingerere debemus, ſic neque veſtram excellentiam optamus in talia recumbere, ſed qualis à clero & plebe,cunctoque populo electus canonicè fuerit , ſi nihil ſit,quod ſacro obſiſtat ordini,ſolitâ traditione ordinamus.* Hæc ſi de jure metropolitico intelligenda non ſunt, omnino oſtendunt , Pontificem quoque Epiſcoporum quorundam electionem confirmaſſe. Si Platinæ fides , Ludovicum Pium conceſſioni Adriani de inveſtiturâ Epiſcoporum renunciaſſe dicendum eſt. Verba ejus paulò antè allata his iterum adſcribo : *Idem Bibliothecarius ſcribit Ludovicum liberam eligendorum Epiſcoporum poteſtatem Paſchali dediſſe,cum antea ea quoque in re Imperatores conſulerentur.* Non exſtant hæc in Anaſtaſii hiſtoriâ de vitis Pontificum,ſed à Platina ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Anaſtaſii deſcripta ſunt. Facilè verò hinc colligere eſt ſi vera ſunt quæ Platina narrat, de ipſiſmet Papis vel verò de Epiſcopis illarum ſaltem provinciarum,quæ Pontifici parebant,ea accipienda eſſe, quorum Epiſcoporum inveſtituram Carolo ab Hadriano conceſſam diximus. Is enim imprudens fuerit, qui Ludovicum pium,optimum ſanè Imperatorem,tam prodigum ſuæ majeſtatis fuiſſe dicere auſit,ut omnium in Germaniâ , & Galliâ & Italiâ Epiſcoporum eligendorùm poteſtatem Paſchali permitteret. Sed tota illa Platinæ narratio haud ſatis certâ fide nititur,ſi verba ipſius de conſtituendis inconſulto etiam Imperatore Epiſcopis accipienda ſunt,ut videtur. Leo enim quartus, qui ſeptem à Ludovici obitu annis cathedram Romanam adeptus eſt,in Reatinâ civitate Epiſcopum ordinare auſus non eſt,antè quàm Imperatorem conſuluiſſet. Reate tamen Romanæ ſubjecta erat metropoli. Conſervavit nobis verba Leonis Gratianus *Diſt 63.c. Reatina*,quod hî . quoq;legi meretur. Ita verò Leo quartus ad Lotharium & Ludovicũ Auguſtos ſcribit: *Reatina Eccleſia,quæ per tot temporum ſpatia paſtoralibus deſtituta curis conſiſtit, dignum eſt ut brachio amplitudinis veſtræ ſublevetur, ac gubernationis tegmine protegatur. Vnde ſalutationis alloquio præmiſſo,veſtram manſuetudinem deprecamur,quatenus Colono humili Diacono eandem Eccleſiam ad regendum concedere dignemini , ut cum à licentiâ acceptâ,ibidem eum Deo adjuvante conſecrare valeamus Epiſcopum , ſin autem in prædicta Eccleſiâ nolueritis,ut præficiatur Epiſcopus.Tuſculanam Eccleſiam,quæ viduata exiſtit,illi veſtra ſerenitas dignetur concedere , ut conſecratus à noſtro præſulatu Deo omnipotenti veſtreque imperio grates peragere valeat.* Quid apertiùs his pro jure principum afferri poterat ? Licentiam enim Colonum conſecrandi ab Imperatoribus petit Pontifex,rogat ut imprôbent electionem factam.Hinc adeò factum,ut Gloſſator notet,*conſenſum principis requirendum electione celebratâ,niſi aliud ſuadeat ſcandalum, vel præſcripta conſuetudo:* Hoc eſt,quod Leo iv. Auguſtis promiſerat,ſervaturum ſe illibata jura imperialia. Faciũt huc etiam ſequentia duo capitula apud Gratianũ, quæ noſtram ſententiam apertiſſimè confirmant. Leo enim Ritæ Comitiſſæ ſcribit, dixiſſe Imperatorem , debere Colonum Epiſcopum Reatinum conſecrari. Stephanus verò Papa in ſimili negotio Reatinæ Eccleſiæ priſcam conſuetudinem dicit,ut *Imperiali primùm perceptâ licentia, & Imperatoriâ directa Epiſtola* Epiſcopus conſecretur. Hæc utique tam apertè pro Principum jure faciunt, ut ea etiam doctiſſimus Carnotenſium Epiſcopus Ivo, *Epiſtola LX. ad Archiepiſcopum Lugdunenſem* Romanæ ſedis legatum pro inveſtituris afferat. Autor incertus,qui apud Chriſtophorum Brouverum in ejus Sideribus translationem Epiphanii Ticinenſis Epiſcopi Hildensheimium ab Otuvino Epiſcopo factam deſcripſit , ita de Ottone M. ait: *Otto Eccleſias per Italiam & Tuſciam priorum principum ſævitiâ ac inſolentiâ neglectas & deſolatas canonicè reformavit , inque antiquum ſtatum reſtituit.* Si autem in Eccleſias per Italiam & Tuſciam ſuâ autoritate uſus eſt Imper. in

Eccleſias Pontifici Romano aliàs ſubjectas idem eum jus exercuiſſe verum, vel certè veriſimile eſt.

Eadem verò vtriuſque conſtitutionis Hadriani & Leonis ratio eſt. Vtraque conſenſu populi Romani & in ſynodo facta eſt, quòd tale quid à ſolo Pontifice decerni non poſſet. Leo ipſe dicit, ſe ad exemplum Hadriani hanc conſtitutionem promulgare. Quantùm igitur Carolus Hadriano, tantùm quoque Leo Ottoni & plus etiam conceſſit. Ex Leonis autem decreto rectiùs adhuc colligi poſſe videtur, quid illis verbis velit, cùm inquit, *concedere ſe facultatem ſedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiſcopos, Epiſcopos, vt ipſi ab eo inveſtituram accipiant & conſecrationem, vnde debent.* Suſpendit nimirum Leo inveſtituras Epiſcoporum à poteſtate eligendi Pontificem, quæ cùm ſolis Imperatoribus fuerit conceſſa, quo jure auſi fuerunt Germaniæ reges, priùs quàm Imperatoriâ gauderent majeſtate, inveſtire Epiſcopos? Quo jure cœteri in orbe Chriſtiano reges, quorum in electione Pontificum nulla habebatur ratio? Reliquum igitur eſt, de ſolis Provinciis Romano Pontifici ſubjectis hæc accipienda, in quas imperium ſummum, adeoque etiam Epiſcoporum inveſtitura, cum nomine Imperatoris conferebatur, in quibus tamen eos excipit Leo, *quos Imperator Pontificibus & Archiepiſcopis conceſſerat.* Neque verò obſtat quod Gregorius VII. & poteſtatem quam ſibi in Romano pontifice eligendo deberi aſſerebant Imperatores, & Epiſcoporum inveſtituras eodem tempore oppugnavit. Nunquam enim is eo argumento vſus, conjunctam eſſe inveſtituram Epiſcoporum cum poteſtate eligendi Pontificem, quâ negatâ fas quoque non ſit Imperatori inveſtire Epiſcopos, ſed jura omnia Eccleſiaſtica, antiquosque canones violari & perverti clamabat, ſi cuiquam principi perſonas Deo ſacratas conſtituere licitum eſſet. Quo argumento non electionem ſolùm Romani Pontificis Imperatori, ſed omnes omnino inveſtituras omnibus totius Occidentis regibus extorquere conatus eſt.

His expeditis, in promptu jam eſt quid de eo judicari debeat, an rectè jus inveſtituræ demum ab Adriano & Leone VIII. Carolo Patritio, & Ottoni Auguſto, conceſſum dici poſſit. Si enim liberè populus Romanus, (cujus membrum præcipuum Vrbis Romæ Epiſcopus,) Carolum & Ottonem M. ſibi principes, Patritios & Imperatores adſcivit, ſi liberè Imperium omne in eos tranſtulit, atque ita in poteſtatem eorum conceſſit, rectè vtraque conſtitutio privilegij & conceſſionis nomine dicitur. Adepti enim ſunt Carolus atque Otto id, quod antea non habebant, quod in populi Romani poteſtate ſitum erat, ante quàm in Principem transferretur. Rectè inquam jus illud inveſtituræ conceſſum Carolo & Ottoni dicitur, non quidem, vt ſuperior inferiori, aut omninò æqualis prorſus æquali, quicquam concedit, ſed vti liber populus, qui quenquam in regem vel principem ſibi adſciſcit, ei ſummum imperium deferre, & jura regia concedere dicitur. Vti verò in regnis maximè electitiis ſolet per capitulationes, vt vocant, certis limitibus regia poteſtas circumſcribi, ita quoque populus Romanus poterat ſibi liberam ſui Pontificis electionem & conſtitutionem retinere. Sed & eam poteſtatem in Principem transferre populo Romano viſum eſt. Marſilius Patavinus diſertè in Defenſore pacis Parte II. cap. 24. *Sedis Apoſtolicæ Pontificem inſtituere, pertinet ad Romani principis & populi poteſtatem. A quo populo non excluditur, ſed includitur clerus, cùm ſit pars illius. Quam quidem poteſtatem ſeu autoritatem ſi transferre voluerunt in Principem, aut ſimpliciter, aut cum determinatione legali, eam princeps Romanus licitè ſumpſit, nec ab ipſo per decretalem, ſive legem, cujuſquam Romani Pontificis, abſque decreto populi potuit licitè revocari.* Creditum nimirum eâ ætate eſt, ei, penes quem eſt τὸ κῦρος in Republica, fas eſſe conſtituere Epiſcopos: igitur eadem ratio movit fortaſſis populum Romanum, ut Carolo & Ottoni *jus eligendi pontificem, ac ordinandi Apoſtolicam ſedem*, ut ait Hadrianus, permitteret. Luculentum ejus rei exemplū recenſet in *ſua metropoli* Albertus Crantzius: *Eo tempore*, (inquit, quo ſcilicet Heroldus ab Ottone victus regnum ab Ottone ſuſcepit) *Dania ciſmarina, quæ Iutia eſt, in tres diviſa Epiſcopatus, Hamburgenſi archiepiſcopatui opera metropolitani ſubjicitur. Servantur in Eccleſiâ Bremenſi literæ regiæ, quæ ſignant, teſtanturque Regem Ottonem in ſua ditione regnum tenuiſſe Danicum, adeò ut etiam illi Epiſcopos pro arbitrio donaverit, quod illa ætas regibus permiſit.* Recitat eadem Albertus Stadenſis in Chronico, ex quo deſcripſit Crantzius. Quid autem his clarius dici poterat? Otto Imperator, ut regnum Danicum ſibi oſtendat ſubjectum, & penes ſe ſupremam eſſe majeſtatem, Epiſcopatus regni Daniæ confert. Quid autem vetat, quominus cum Crantzio exclamare liceat, Romanos Pontifices in ſua ditione imperium Romano-Germanicum adeò tenuiſſe, ut etiam illi Epiſcopos pro arbitrio donaverint. Olim res longè aliter ſe habebat. Adeò enim hoc ſibi proprium Reges Germaniæ exiſtimârunt, ut aliis etiam conſtituendorum in ſuâ provinciâ Epiſcoporum poteſtatem conceſſerint. Henricum Germaniæ regem id conceſſiſſe Arnulfo Bavariæ duci ex Alberto Stadenſi diſcimus. *Henricus rex*, inquit, *Arnulfo Bavariæ duci conceſſit, ut pontifices Bavariæ ſuæ poteſtati in dignitatem conceſſionibus ſubiacerent.* Sed hæc res ſatis liquida eſt, quicquid etiam hieromonarchi obſtrepant.

Conſtat jam igitur eſſe jus inveſtituræ Imperatoribus Romano Germanicis, non ſolùm in Vrbe Româ, & provinciis Romano Præſuli ſubditis, ex conceſſione Pontificum & Populi Romani, ſed etiam in Italia reliquâ & Germaniâ, non quidem ex Pontificum conceſſione, ſed jure regio, cui id ita intimè conjunctum, ut omnes omnino, qui regiâ poteſtate populis præerant, illâ ætate jus inveſtituræ uſurparent. Quomodo in Saxonicis Eccleſiis Carolus pro arbitrio conſtituerat Epiſcopos ex Crantzij metropoli diſcere eſt. Foroiulanæ in Italiâ urbis, quam Forum Iulicuſe vocant, Epiſcopo decedenti, dignum ſucceſſorem ſubſtituiſſe Carolum tradit Nockerus Balbulus de geſtis Caroli M. l. II. c. 17. Ludovicum Pium orant Patres ſynodi Aquiſgranenſis, *ut deinceps in bonis paſtoribus, rectoribusque in Eccleſiis Dei conſtituendis magnum ſtudium atque ſolertiſſimam adhibeat curam.* Diſertiùs adhuc Crantzius de Ludovico Pio ait: *Imperator tum inprimis ad ſtatuendos Epiſcopos erat implorandus, &*

dus,& libro II. cap.21. iretum de Ludovici Pij æta-te ait: *Ea tempeſtate erat magna regum ſuper Eccleſias diſpoſitio, nam vacantibus dabant ipſi Pontifices, quos à Papa confirmari poſcebant.* Cùm igitur Imperatori maximè ſuam deberent dignitatem Epiſcopi, graviter Theganus Trevirenſis Chorepiſcopus in vitâ Ludovici Pij ingratum illum Ebbonem Rhemenſem Archiepiſcopum, ejuſque complices, qui optimum Imperatorem ab imperio dejectum ibant, increpat: *O qualem remunerationem reddidiſti ei? Veſtivit te purpurâ & pallio, & tu induiſti eum cilicio: Ille pertraxit ad culmen Pontificale immeritum: Tu eum falſo judicio voluiſti expellere à ſolio Patrum ſuorum.* Ita patuit, in omnibus ſuis regnis magnâ autoritate in conſtituendis Epiſcopis Francorum Reges uſos eſſe. Vox ipſa inveſtituræ antiqua eſt, ut fruſtra ſit Baronius cum vocem illam Adriani ævo ignotam fuiſſe ait: *Legant & ſcrutentur autores omnes,* inquit, *qui Caroli temporibus aliqui ſcripſerunt, ſi alicubi penes eorum aliquem invenerint nomen inveſtituræ, vel uſum ejus per annuli collationem, ut tradunt, & baculi.* Exſtat verò ea, quod ignoravit Baronius, in codice legum Wiſigothicarum, Longobardicarum, & Capitulari M. & Ludovici Pij. Vſos quoque hâc voce monachos S. Galli in antiquis chartis, ſub Carolo M. & aliis præter propter Imperatoribus ſcriptis, quæ *tomo ſecundo rerum Alamannicarum* inſertæ, monet Goldaſtus. Vſurpata ea vox eſt & in feudorum conceſſione, & in quacunque alia bonorum alienatione & tranſlatione etiam ad Eccleſias. Liquet id ex libro ſecundo legum Longobardicarum titulo XIX. lege VII. Lindenbrogio *Veſtitura eſt feudi confirmatio, teſtibus adhibitis facta, & veſtire eſt confirmare*, Tranſlata igitur hæc vox ad ratihabitionem electorum Epiſcoporum quos Rex vel Imperator veſtiat, i. e. factam electionem ſuffragio vel conſenſu confirmet.

Eſt autem veſtitura illa facta olim tradito baculo & annulo in manus Epiſcopi, quo defuncto, baculum & annulum remitti in aulam à primoribus civitatis moris fuit. Quid autem jure illo inveſtituræ in conſtitutione Epiſcoporum potiſſimùm Imperatori aut Regibus licuerit, non perinde fortaſſis certum eſt. Abuſus enim illos non rarò hâc poteſtate, nec monumenta antiqua dubitare nos ſinunt, nec pravi mores, qui frequenter in aulis, [quæ eſt rerum humanarum calamitas] obtinent. Illud tribuiſſe jus inveſtituræ certum eſt, ne quenquam fas eſſet, etſi à clero & populo unanimi voto electum, priùs ordinari & conſecrari, quàm de conſenſu Imperatoris conſtaret, hunc debere eſſe Epiſcopum. Conſenſus verò index erat baculus & annulus Epiſcopo traditus. Quem ritum antiquum utique non eſſe culpabilem, ut propterea totum Chriſtianum orbem ab illo pacis publicæ turbatore Hildebrando concuti neceſſe fuerit, ita planum eſt, ut neminem aliter ſenſurum, quem ſtudium partium aliquorſum non rapuerit, exiſtimem. An verò idem ille ritus à Caroli Magni ætate, an ab ulterioribus adhuc annis obtinuerit, res non omninò certa eſt. Negat Baronius Caroli ætate uſitatum fuiſſe. Etſi verò *nihil refert, ſive verbo, ſive præcepto, ſive baculo, ſive aliâ re, quam in manu tenuerit, inveſtiat aut inthronizet Rex & Imp. Epiſcopum*, [ſunt hæc verba Waltrami ex *libro de inveſtiturâ Epiſcoporum*] veriſimile tamen eſt, & Caroli & Ludovici Pij ætate hanc quoque obtinuiſſe conſuetudinem, cùm Ludovicum Juniorem Regem Germaniæ Pij hunc in Epiſcopis inveſtiendis ritum uſurpâſſe conſtet. Teſtem do Albertum Stadenſem in anno DCCCLXV. *Rembertus Bremenſis Archiepiſcopus pallium pontificale ſuſcepit à Papa Nicolao, ferulam paſtoralem à Cæſare Ludovico.* Crantzius cùm de eodem Remberto ageret, in Metropoli *lib.11. cap.2.* ferulam paſtoralem, interpretatur *inveſtituram feudalem*: & *lib.11. cap.16.* fuiſſe id tum *ſignum infeudationis*. Idem Albertus Stadenſis in anno CCMLXXXIIX. *Adalgarius ferulam paſtoralem ſuſcepit ab Arnolfo Rege, Pallium pontificale à Stephano Papa.* Et in anno CMIX. *Hogerus pallium ſuſcepit à Sergio Papa, ferulam à rege Ludovico.* Ritus igitur ille ferulâ paſtorali inveſtiendi Epiſcopos, antiquus fuit, & forſitan ipſa etiam Caroli ætate uſitatus. Id omnino incertum eſt, an jus inveſtituræ aliud quid etiam Imperatoribus tribuerit, præter conſenſum ad conſtitutionem Epiſcopi neceſſarium. Quin enim potuerint electum à clero & populo Epiſcopum rejicere, alio conſtituto, quin inconſultâ interdum plebe & clero Epiſcopos dixerint, dubium non eſt, cùm ejus rei complura in promptu ſint exempla & teſtimonia. At quid rectè fieri ab iis potuerit, quid communiter factum ſit, non ſatis liquet.

Quantùm verò ex illius temporis rebus geſtis colligitur, ad eum fermè modum ætate Caroli magni, & Ludovici Pij ejuſque ſucceſſorum, Epiſcoporum Germaniæ electio communiter quidem & ordinariè ſe habuiſſe videtur. Defuncto Epiſcopo, clero, populo illius Vrbis, vel ſi Metropolis eſſet, clero, populo, & provinciæ Epiſcopis permiſſa fuit libera Epiſcopi electio, vel nominatio. Nominatus conſecrari à metropolitano non antè poterat, quàm Regis vel Imperatoris acceſſiſſet conſenſus. Quo impetrato (haud difficiles verò in eo fuiſſe pios illos Imperatores, veriſimile eſt,) Vbi inveſtitus eſſet Epiſcopus electus, & juramentum præſtitiſſet (id enim quoque neceſſarium erat,) nihil quicquam ampliùs præter conſecrationem à Metropolitano, vel Epiſcopis vicinis faciendam, deſiderabatur. Ita verò ſe rem habuiſſe, ut à clero & plebe plurimùm nominaretur Epiſcopus, ex antiquis ejus ætatis monumentis conſtat. Etſi enim ſint qui plebis non putant magnam rationem habitam, tamen oppidò falluntur. Probatum id ſatis dedit Matthias Flacius Illyricus non ſolùm in *catalogo teſtium veritatis*, & *Centuriis Eccleſiaſticis*, ſed etiam ſingulari ſcripto, quo oſtendere voluit electionem Epiſcoporum non ad Eccleſiaſticos ſolùm, ſed & ad laicos pertinere, eoſque hoc jure electionis inde uſque à Chriſti tempore per annos MCCC. liberè uſos. Alios nunc commemorare, & eorum ſcrinia compilare non libet. Rectè verò id adſtruxit Flaccius, allatis compluribus teſtimoniis & exemplis, etſi ea non ſatis diſtinctè & ferè ſine ordine proponat, ductoque à conſuetudine diuturnâ Eccleſiæ peregregio argumento: quod cùm Bellarminus dextrè refellere non poſſet, maluit criminari Flaccium, quàm nihil dicere. Denique dubitare nos vetant Caroli & Ludovici Pij notiſſimæ illæ conſtitutiones, quæ liberam clero & populo permittunt electionem. Leguntur illæ in

decreto Gratiani Diſt. LXII. & in Capitulari Lib. I. Tit. 84 & Lib. VII. Tit. 74. *Sit facultas clericis renitendi, ſi ſe viderint prægravari.* Quin non ſolùm clero & populo optimus illos Imperatores liberam permiſiſſe nominationem Epiſcopi, ſed etiam *monachis ex ſe ipſis ſibi eligendi Abbates licentiam dediſſe ex lib. I. Capit. tit. 86.* diſcimus. Adrianus quoque primus in Epiſtolâ ad Carolum Magnum, quàm ſit cleri & plebis in conſtitutione Epiſcopi conſenſus neceſſarius rectè agnoſcit. *Apoſtolicâ,* inquit, *prævidimus autoritate, ut canones in decretis eorum conſiſtant, & quando à nobis ordinantur,* (Epiſcopi,) *olitanâ conſuetudine proclametur: Plebs & clerus Eccleſiæ illius ſimul conſiſtens, elegerunt ſibi Epiſcopum.* Olitana conſuetudo Adriano eſt conſuetudo antiqua, inolita, & olitani canones, antiqui canones: Ita olitana tempora dixit Anaſtaſius *in Paſchali primo*, & olitanâ conſuetudine in Francorum regno reges ex genere prodire dicit Carolus Calvus in libello proclamatorio adverſus Wenilonem apud Baron. *Tom. V. anno* 859. voce ſcilicet quaſi ab *olim* derivatâ. Neque enim (ut perperam Flaccius opinatur, concilij cujuſpiam nomen eſt. Ad electionem verò Epiſcopi non clerus & plebs ſola illius civitatis concurrebat, ſed ex totâ quoque provincia conveniebant. Disertè Hincmarus in Epiſtolâ ad Hadebertum Silvanectenſem Epiſcopum, quem electioni Belvacenſis Epiſcopi volebat intereſſe, ſcribit: *Electio non tantùm à civitatis clericis erit agenda, verùm de omnibus monaſteriis ipſius Parochiæ, & de ruſticarum Parochiarum presbyteris occurrant vicarij commorantium ſecum concordia vota ferentes, ſed & laici nobiles ac cives adeſſe debebunt. Quoniam ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri.* Si ſtudia omnium & vota, ſecundum formam electionis à Metropolitano tranſmiſſam in quenquam conveniſſent, *decretum canonicum fieri, ac ſigillatim omnium manibus roborari oportebat*, ut idem Hincmarus in Epiſtolâ ad Hedelphum Laudunenſem Epiſcopum, & alterâ ad clerum & plebem Belvacenſis Eccleſiæ loquitur. Recitat tale decretum cleri, ordinis, & plebis civitatis metropolitanæ ad provinciæ illius Epiſcopos Flaccius *in catalogo teſtium veritatis*, & aliud cleri ac plebis Redonenſis in Armoricâ Eccleſiæ *ad univerſalis Eccleſiæ ſacroſanctos patres, præcipueque illius diœceſis præſules* habet Baronius *Tom. X. anno* DCCCLXVI. Miſſo dein hoc cleri & plebis canonico decreto ad Metropolitanum, ſi dignus illo munere electus, ab eo ordinabatur: priùs tamen feriò & diligenter de iis, quæ ad Epiſcopi officium pertinent, eſt admonitus, præmiſsâque fidei aliquâ profeſſione, & præſtito Metropolitano juramento ſic ab eodem conſecratus. Talem fidei profeſſionem recitat anno DCCCLXVI. Baronius, factam ab electo Epiſcopo Redonenſi. Aliam profeſſionem fidei cum formulâ juramenti Hincmaro Metropolitano ab Adalberto Morinenſis Eccleſiæ Epiſcopo electo præſtiti inſeruit ſuo Catalogo Flaccius. Demum ordinatus, cum teſtimonio ordinationis & inſtructione aliquâ, quomodo ſe deinceps in hoc Eccleſiaſtico officio gereret, dimittebatur, uti id ex Hincmari *Epiſtolâ ad clerum, Ordinem & Plebem Eccleſiæ Tornacenſis* apertè conſtat.

Etſi verò ex his manifeſtè liquet, conceſſam clero & populo liberam electionem, nequaquam tamen cum Baronio eò quis progrediatur, ut excludere penitus regiam autoritatem ab Epiſcoporum electionibus auſit. Qui enim id aſſerere voluerit, in dubium eum vocare neceſſe eſt omnia antiquorum monumenta, quæ conſenſu regis vel Imperatoris in Epiſcopo conſtituendo opus fuiſſe liquidò docent. Enimverò dum liberam electionem permiſerunt optimi Reges & Imperatores, nequaquam jus omne abdicaſſe putandi ſunt. Abſolutas donationes, violentas obtruſiones, & ſi quâ aliâ ratione libertas Eccleſiaſtica graviter læditur, prohibent Carolus M. Ludovicus Pius, eiusque filius Carolus Calvus Rex Galliæ & demum Imperator in concilio Sueſſione ſi cap. XII. cuius concilii capitula recitat Baronius *Tom. X. ann.* 853. De expreſſo verò in perſonam jam electam conſenſu non poſtulando, altum vbique ſilentium. Nihil ſanè eſt, quod in hanc rem quiſquam Hildebrandinorum producere poſſit, quorum id eſt perpetuum ſtudium, ut Pontifici omnia tribuant, Principibus nihil non derogent, eorumque jura, quacunque demum ratione id fiber, imminutum eant. Florus tamen ſcriptor antiquus, cuius fragmentum aliquod *in appendice ad tomum* XII. affert Baronius, tradit non eſſe neceſſarium Regis & principum in electione Epiſcoporum conſenſum. Sed haud longè petendum eſt, quod reſpondeatur. Florus ipſe tueri ſe poteſt. Non enim ait, ſupervacaneam eſſe regis autoritatem, ubi id conſuetudine receptum ſit, nunc clamat auferendum id jus regibus: Simpliciter conſenſum Principum in electione Epiſcoporum neceſſarium eſſe, ut, abſque eo ſi ſit, nullus poſſit eſſe Epiſcopus, & ordinatio quoque irrita ſit, negat, quo nihil verius dici poterat.

Dixi verò hanc fuiſſe communem & ordinariam rationem electionis Epiſcoporum, ut electio nominati à clero & plebe à rege confirmaretur. Ita apud Albertum Stadenſem in anno 865. *Rembertus à clero ſimul & populo electus, juſſu Cæſaris ducitur Moguntiam, ibique conſecratur.* Iohannes Octavus, Pontifex Romanus ſuccenſet Ariperto Epiſcopo Ebrodunenſi, quòd ordinare noluerit eum, quem Venciceuſi Epiſcopo mortuo, clerus & populus civitatis elegerat, & Carolus Imperator ſuo firmârat conſenſu. Clerus & plebs Redonenſis impensè in decreto canonico gratias Deo agit, quòd rex Carolus tam prompte factæ poſtulationi conſenſiſſet. Sed quid opus eſt tot teſtimoniis majorem rei jam manifeſtæ lucem fœnerari velle? Id tantùm neceſſariò monendum, poſt Carolum & Ludovicum Pium non videri perſeveraſſe eandem ubique conſuetudinem. Permiſſâ quidem canonica electio clero & populo, antè tamen quàm eligere quenquam clerus populuſque auſus eſſet, ipſamet illa permiſſio à Rege erat impetranda. Exſtat hac de re Epiſtola Hincmari ad Carolum Regem, lectu digna, quam præter alios recitat Baronius *Tom. IX. an.* 814. Facit quoque huc apprimè, quod Luitpertus Epiſcopus ad clerum & populum Colonienſem apud Reginonem lib. II. ait: *Si electionem nobis à Rege conceſſam deſpicites, in arbitrio & poteſtate Regis eſt, quem nobis velit dare Epiſcopum.* Quod verò de Viſitatore ait Hincmarus in Epiſtolâ ad Regem

Carolum

Carolum, res ita habet. Defuncto Epiſcopo mitti ſolitus ab Imp. vel Rege, qui clerum & populum admoneret, ut remoto privato ſtudio vno eodemque conſenſu, talem ſibi expeterent ſacerdotem, qui tanto miniſterio dignus eſſet, ne à venerandis canonicis reſpui poſſet. Idem ille formam electionis, qualiter & qualem eligere deberent, publicè propoſuit, ne quisquam ignorantiæ excuſatione uti poſſet. Atque is canonicus Viſitator dictus. Verba hæc ſunt maximè Hincmari ex Epiſtolâ ad Hadebertum Silvanectenſem Epiſcopum, quem monet, ut in Eccleſiâ Belvacenſi ſuo orbatâ Epiſcopo, Viſitatoris officium ſuſcipiat. Reſpiciunt huc quoque Epiſcopi, qui anno DCCCLV. Lothario imperante ſynodum in Vrbe Valentinâ celebrarunt, cùm canone VII. ſanciunt: *Si quando alicuius civitatis Epiſcopus, vocatione Domini deceſſerit, à glorioſiſſimo Principe ſupplicando poſtuletur, ut canonicam electionem clero & populo ipſius civitatis permittere dignetur.*

Ita apparet, ſi quando permiſſa eſt canonica electio, eam ipſam permiſſionem à Rege impetrari opportuiſſe. Interdum verò longiùs adhuc Reges proceſſerunt, ut ipſi nec cleri nec plebis ſuffragio antè requiſito, conſtituerent Epiſcopos, quod tamen non communiter, ſed extraordinariè factum dixerim. Patres utique concilii Valentini, ſi quiquam alii, hi certè de totâ hâc re & ſentiunt & loquuntur. *Si à ſervitio*, inquiunt, *pij Principis noſtri aliquis clericorum venerit, ut alicui civitati præponatur Epiſcopus, timore caſto ſollicitè examinetur.* Si non fuerit repertus idoneus, & Rex noluerit acquieſcere, tunc *Metropolitanus adeat clementiam Imperialem, & ipſe cum Epiſcopis, quibus voluerit modis adeat, ut Eccleſiam Dei glorioſus Imperator digno honoret miniſtro.* Digna utique hæc vox & majeſtate regiâ & humilitate Epiſcopali, teſtis quoque quàm omnia à voluntate Imperatoris in electione Epiſcoporum tum dependerint. Luculentum verò huius rei exemplum ſuppeditat nobis Carolus Calvus, Ludovici Pii filius, qui in magno concilio Tullenſi, habito anno DCCCLIX [cuius acta exſtant apud Baronium *Tom. X. anno* 859.] adverſus Wenilonem Senonenſem Archiepiſcopum, qui ab eo ad Ludovicum fratrem Germaniæ regem defecerat, libellum proclamatorium ſynodo tradidit, in quo ita Carolus loquitur. Cùm Metropolis Senonum vacaret, *eam juxta Conſuetudinem prædeceſſorum meorum Regum Weniloni, tum clerico meo in capellâ mihi ſervienti, qui more liberi clerici ſe mihi commendaverat, & fidelitatem ſacramento promiſerat, conſenſu ſacrorum Epiſcoporum ipſius metropolis ad gubernandum commiſi, & apud Epiſcopos, quantùm in me quidem fuit, ut eum ibidem Archiepiſcopum ordinarent obtinui.* In eodem Caroli libello legitur, Epiſcopatum Bajocenſem, cùm vacaret, Turtoldo, intercedente Wenilone, à Ludovico Rege donatum. Sed hoc fortaſſis rariùs factum, nec ſine omni cleri & plebis conſenſu, ſi non expreſſo, ſaltem tacito, cùm rectè in cum clerus & populus conſenſiſſe dici poſſit, quem ipſi nemine reclamante & contradicente conſtitui patiuntur. An verò is conſenſus metu & reverentiâ regis fictus & ſimulatus ſæpe fuerit, nec aſſerere ego auſim, neque negare. Illud dicere non dubitaverim, potuiſſe accidere, ut abuterentur ſuâ poteſtate Reges, vel invitis Epiſcopos obtrudendo, vel minùs idoneos eligendo, ut fortaſſis Nicolao primo cauſa aliqua fuerit obiurgandi Lotharium, quòd, ſi quis ad Epiſcopatum provehendus ſit, non niſi faventem ſibi eligi patiatur, ut eſt apud Gratianum *Diſt. LXIII.* Nihilominus tamen obtinuit illa conſuetudo, ut Imperator interdum, non permiſſâ canonicâ electione, ex aulâ Epiſcopos mitteret, in quibus tamen recipiendis nullam fuiſſe reliquam clero & plebi libertatem aſſerere noluerim, cùm ex antiquis Pontificalibus & Agendis aliud conſtet. Non auſos verò ſæpiùs, ne Principis incurrerent offenſam, liberè quid ſentirent & vellent exponere, nemo facilè dubitaverit: ille tamen tacitus conſenſus pro expreſſo haberi poteſt, præſertim cùm dein ſæpiùs acciderit, ut clerus & populus miſſo in aulam legato ab Imperatore mitti ſibi Epiſcopum poſtularet.

Hinc adeò etiam factum, ut interdum Epiſcopi dum adhuc viverent, Imperatoris conſenſum implorarent de certo quopiam ſucceſſore conſtituendo, quod tamen ſine prævio cleri & populi ſuffragio factum vix veriſimile eſt. Ita verò nihil tum fuerit quicquam quod in eo negotio reprehendas, cùm huiusmodi Epiſcoporum conſtitutiones [etſi videantur alicubi improbari] facilè tam Valerii, Auguſtini, Eradii, Epiſcoporum Hipponenſium, & Severi, Mileuitani Epiſcopi exemplo defendantur. Albertus Stadenſis ad annum DCCCLXXXVIII. ait de Remberto, Bremenſi Epiſcopo: *Hic apud glorioſiſſimos principes Ludovicum & filios eius hoc obtinuit, ut inſignis vir Adalgarius illi in electione ſucceſſor confirmaretur.* Vdalricus quoque Auguſtanus Epiſcopus, nepoti ſuo Adaberoni ſpem futuræ in Epiſcopatu ſucceſſionis impetraverat, ut autor vitæ Vdalrici tradit, ob quod ſtudium in nepotem vidiſſe per ſomnium Vdalricū purgatoriis ſe pœnis addicī idem narrat. *Adalbero verò Epiſcopatum, quem ipſi donaturum Imp. ſpoponderat*, (his verbis utitur, qui vitam eius deſcripſit,) *adeptus eſt.* Imò, ſi quando accidiſſet, eum quem clerus & populus eligat, non acceptum eſſe Regi, in arbitrio ipſius erat, hoc rejecto, alium Epiſcopum dicere. Carolum Galliæ Regem Hilduino, quem clerus & populus Tungrenſis Epiſcopum elegerat, & Metropolitanus jam ordinâtat, rejecto, Richarium conſtituiſſe Epiſcopum tradit ex Frodoardo Baronius. Luculentum verò huius rei exemplum habemus apud Adamum Bremenſem *lib.* I. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, & Albertum Stadenſem in anno DCCCXV. ex quibus tranſcripſit Albertus Crantzius *libro tertio Metrop. capite quinto. Cùm Reginvvardus*, inquit, *in fata conceſſiſſet, & Ledradus Bremenſis Chori præpoſitus, à clero & populo ſurrogaretur, mittitur ſolenni more ad Regem Conradum, pontificalem ferulam, hoc eſt, regalia temporalis dominij jura ab illo accepturus. Neque enim potuit rex aliud quàm temporale committere. In familiâ autem ſuâ Ledradus electus duxit Vnni capellanum ſuum. Et cùm in conſpectum Regis prodiret electus non longè aberat Vnni dominum ſuum inſecutus. Rex electionis ordinem perſpiciens, cum illâ tempeſtate arbitrium conſtituendorum Pontificum maxi-*

mè ſibi reges vendicarent, ferulam quam manu tenuit, præterito Ledrado, à tergo adſtanti tradidit Unni capellano, eum Eccleſiæ pontificem deſignans. Et paulò pòſt: *Petiſſimam eius ad hominem cauſam hanc accepimus, quòd rex contempſerit populi & cleric electionem ſine ſuo nutu factam, & ideò electum præteriit & alium ſuffecit.* Exiſtimârunt igitur Imperatores & Reges Germaniæ, non eſſe iniquum electiones reſcindi, ſi eæ ſine ſuo ſuffragio factæ, vel ſi electum non ſatis illo muneré dignum noſſent. Inde Otto Magnus Imperator edicit, ut ſalva ſemper maneat in hiſce negotiis Imperatoris autoritas. *Fratres*, inquit apud Goldaſtum Tomo III. Conſtit. imperialium, *quibus, à noſtrâ, aut anteceſſorum noſtrorum liberalitate conceſſum eſt, habeant licentiam eligendi paſtorem inter ſe, qualemcunque voluerint, ita tamen ſi talis inter eos inveniatur, qui vitâ & moribus probatus habeatur, ſalva in omnibus diſpoſitione noſtra Imperiali.* Ex his ſic ſatis conſtare poteſt, quæ fuerit illâ ætate, imperantibus Caroli poſteris, in Germaniâ eligendorum Epiſcoporum ratio, quid communiter obtinuerit, quid interdum præter receptam conſuetudinem factum ſit, quid denique clero & populo, quid Imperatori in præſulum electione licuerit. An deinceps quoque, uſque ad Henricum IV. Regem Germaniæ & tertium Imperatorem Romanum, perinde ſe res habuerit, & ſi aliter tum obſervatum, cui parti plus acceſſerit, an clero & populo, an verò Imperatori, dicendum nunc eſt.

Penes clerum verò, populum, & penes Imperatorem aio fuiſſe omnem eligendorum Epiſcoporum poteſtatem. Excluſus omninò, ut prioribus ſeculis, ita hâc quoque ætate Pontifex Romanus. Imperatoris, ut ſumma erat dignitas, ita maxima quoque autoritas. Ipſi quidem integrum erat in provinciis, quas Pontifices principum dono poſſidebant, Epiſcopos conſtituere, ut ex ipſius Gregorij VII. Epiſtolis patet, Pontifici verò, ſi quando vellet quenquam eſſe Epiſcopum, orandus primùm erat Imperator, & ejus conſenſus impetrandus. Leo IX. Papa, Leucorum antea Epiſcopus, cùm ſuum Primicerium Odonem ſucceſſorem in Leucorum ſede elegiſſet, ſcripſit hâc de re ad Imperatorem, *& ad eum ſibi ſubrogandum proprium direxit ad Imperialem maieſtatem legatum*, ut Wibertus Archidiaconus in vitâ hujus Leonis IX. cap. VIII. autor eſt. Neque verò obſtat, quod Nicolaus I. apud Gratianum Diſtinct. LXIII. Lothario Imp. ſcribit: *Apoſtolicâ autoritate ſub divini iudicij obteſtatione iniungimus tibi, ut in Trevirenſi Vrbe & in Agrippina Colonia nullum eligi patiaris, antequam relatum ſuper hoc noſtro Apoſtolatui ſit.* Nihil inquam hoc obſtat Diris enim devoverat Nicolaus Guntharium & Theutgandum, illum Colonienſem, hunc Trevirenſem, Archiepiſcopos, propter approbatos cum Vualdrada pellice Imperatoris amores. Noluit igitur fortaſſis ideò quenquam in horum locum ſubrogari, quòd ipſe nondum ſatis conſtituiſſet, quid de iis fieret. Dein, cùm hic Nicolaus, ſi quiſquam alius, fuerit evehendæ Romanæ ſedis ſtudioſiſſimus [quod vel ex illâ, quæ ipſi cum Hincmaro Rhemenſi intercesſit controverſia, conſtat,] non magnopere curandum eſt, quid ille ſcribat. Verè nihilominus Curia Pariſienſis in defenſione pro libertate Eccleſiæ Gallicanæ adverſus Romanam aulam ait: Ex *quo primùm erecta eſt in orbe Eccleſia, uſque ad tempora ſancti Ludovici, nuſquam reperies Pontifices Romanos in Eccleſias & beneficia, quæ electiva dicuntur, ullum ius ſibi vindicâſſe, aut eligere volentes ullatenus impediſſe, quominus libertate electionis fruerentur.* Fuerit igitur omnis eligendi Epiſcopos poteſtas penes clerum, populum, & Imperatorem. At quomodo illa inter eos diviſa dicendum nunc eſt. Neque enim communiter tota fuit penes clerum & populum, vel tota penes Imperatorem, ſed partim penes illos, partim penes hunc ita tamen, ut ſine conſenſu Imperatoris Epiſcopum eligi nunquam liceret, ſine ſuffragio autem clerici & plebis non rarò Imperator Epiſcopos conſtitueret, atque ita totam illam poteſtatem interdum uſurparet. Idque crebriùs eſt factum, quàm illo temporis intervallo, quo Carolina familia imperium obtinuit. Inprimis verò hac ſuâ poteſtate Conradum II. Henricum III. & Henricum IV. uſos, imò quandoque etiam abuſos, conſtat.

Actum verò agam, ſi multis probare nitar, quod hac ætate pro arbitrio maximè Imperatorum Epiſcopi ſint conſtituti. Ejus autem vel illud indicium eſt, quod ipſi Pontifices Romani, quotquot illam ſedem à Leone VIII. uſque ad Gregorium VII. tenuerunt, vel ab ipſis Imperatoribus (non expetitis cleri & populi Romani ſuffragiis) conſtituti ſunt, vel tamen à clero & populo electi, conſenſu Imperatorum dein confirmati. Pluribus hoc oſtendit harum rerum peritiſſimus Onuphrius Panuinius *in vita Gregorij* VII. Cùm igitur Imperatores tantâ autoritate Romanæ Eccleſiæ Pontifices dederint, in promptu eſt judicare, quomodo in Germaniâ cum Epiſcoporum electionibus comparatum fuerit. *Tulerunt hæc tempora ſub Henricis*, [ait Crantzius *in Metrop. lib. IV. cap.* 31.] *ut Epiſcopi & Abbates à Regibus inveſtirentur*, quod *volentibus & cupientibus ſummis Pontificibus* actum idem lib. III. Metrop. c. XXXIII. tradit. Reverentia verò erga Imperatorem, quæ animos omnium inſederat, fecit, ne vel Pontifices, vel Epiſcopi ipſi quicquam contra hanc Imperatorum poteſtatem moliri auderent. Docet id Gobelinus Perſonâ in Coſmodromio Æt. VI. c. 51. *Rhetarius*, inquit, *Paderbonenſis Epiſcopus, anno Pontificatus ſui tertio, impetravit Eccleſia Paderbonenſi à ſede Apoſtalicâ privilegium, quod filij ipſius Eccleſiæ poſſint inter ſe eligere Epiſcopum, ſicut & antè ei erat conceſſum, quo tamen poſt mortem eius uſi non ſunt, ob reverentiam Imperatoris.* Vix tamen crediderim, Imperatores eo tempore hujuſmodi privilegia rata fuiſſe habituros, cùm ipſi exiſtimârint, ab Imperatoriâ majeſtate hæc privilegia eſſe impetranda & largienda, quod compluribus adſtrui poterat teſtimoniis, ſi id neceſſum eſſet. Cùm igitur in Principum arbitrio omnis ferè Epiſcoporum conſtitutio ſita fuerit, mirum utique non eſt, ſi quis eorum modum exceſſit, ſi quid Simoniacæ labis irrepſit, & indignis quandoque tam ardua officia commiſſa. Exprobrat Duarenus Eccleſiaſticis, cùm penes eos adhuc eſſet Epiſcoporum electio, quod, nullâ veterum canonum habitâ ratione, indigniſſimos quoſq; promoverint. Non igitur mirandum, ſi in aulâ interdum ſecus quid factum quàm oportebat. Peccâſſe eâ in re parentem ſuum Conradum II. fatetur

ipſemet

Digitized by Google

ipſemet Henricus III. Imperator apud Glabrum Rudolphum *Et pater meus*, inquit, *de cujus animâ valde pertimeſco, damnabilem avaritiam in vitâ nimis exercuit.* Addit Rudolphus Glaber, *omnia miniſteria Eccleſiaſtica ita eo tempore habita venalia, quaſi in foro ſecularia mercimonia.* Henricus tamen, qui & Niger dictus, omnem quidem Simoniam, quam parens exercuerat, procul à ſe eſſe voluit, (ita enim in ſynodo locutus: *Sicut mihi Dominus coronam Imperij ſolâ miſeratione ſuâ gratis dedit, ita & ego, quod ad religionem ejus pertinet, gratis impendam,*) quod tamen jus in Pontificis Romani & Epiſcoporum electionibus majores per aliquot jam ſecula propugnârant, magno animo ſibi vindicavit. Et quidem, quomodo Apoſtolicam ſedem ordinârit, ut Hadriani verbis utar, breviter memorat Lambertus Schafnaburgenſis. *Anno MXLVII.* inquit, *Henricus Imperator tribus depoſitis Papis Suitgerum ſubſtituit. Anno inſequenti & MXLIX. alios dedit Romanis Papas, prioribus mortuis. Anno MLIII. mortuo Leone IX. Papam creavit Einſtadenſem Epiſcopum.* Epiſcoporum verò conſtitutionem adeò ſibi propriam eſſe voluit, ut, cùm Mutinenſibus apud Goldaſtum *Tom. III. Conſt. Imper.* quicquid petierant, conceſſiſſet, Epiſcopi tamen mutationem, aut alio modo, niſi per Imperatoris manum, ſubrogationem, ut ipſe loquitur, fieri noller.

Hæc Henricus Niger, Henrici quarti parens. Henricum verò Claudum Imperatorem, qui & Pius & Sanctus dicitur, isque floruit virtutibus, & tantâ eminuit ſanctitate, ut demum cum Kunegunde uxore in divorum numerum relatus fuerit, uti id multis tradit Baronius, illum, inquam, tam pium & ſanctum principem majorum tamen inſtitiſſe veſtigiis diſcimus. Exſtat apud Chriſtophorum Brouverum in Sideribus Germaniæ Vita Meinvverci, Paderbornenſis Epiſcopi, digna utique lectu, quòd autoris accuratè deſcribat artes Meinvverci, quibus ad ditandam Eccleſiam ſuam bona complura Henrico extorſit, tantâ interdum pertinaciâ, ut Imperator aliquando in hæc prorumperit verba, *Tu odium Dei omniumque ſanctorum ejus habeas, qui me bonis conceſſis cum detrimento regni ſpoliari non ceſſas.* Electio autem Meinvverci ita peracta: *Mortuo Epiſcopo Paderbornenſi*, inquit ſcriptor ille anonymus, *miſſis ad Henricum II. viduata Eccleſia, qui eum Epiſcopis & Principibus qui aderant, elegit Meinvvercum: qui cùm advéniſſet, ſumptâ Chirotheca ait ad eum rex, Accipe: Interrogans autem Meinvvercus quid acciperet, reſpondit Imperator, Epiſcopatum Paderbornenſis Eccleſiæ.* Breviter Gobelinus Perſona Coſmodromij Æt. VI. cap. XII. *Meinvvercus à Rege Henrico Epiſcopatum per Chirothecæ traditionem ſuſcepit.* Quomodo verò liberiùs Epiſcopum conſtituere quiſquam potuit? Videtur propemodum Imp. ceu munus aliquod Epiſcopatum Meinvverco donâſſe. Quin Simoniaci propemodum criminis reum poſtulare Imp. videtur Albertus Stadenſis in anno MXIII. Vindicat eum tamen Albertus Crantzius in Metrop. lib. IV. c. I. Aperta verò Imperatoris ipſius verba, cùm apud Goldaſtum Tom. III. Conſt. Imperialium ait: *Confirmamus eorum locorum fratribus, quam iure regio habent, licentiam eligendi inter ſe paſtorem dignum & idoneum, ſalvo tamen Regis ſive Imperatoris conſenſu.* Hanc licentiam, cùm clerus Magdeburgenſis non impetrâſſet ab Imper. & nihilominus è ſuo numero quenquam elegiſſet, movit eum officio Imp. Rem narro verbis Crantzij: *Giſelero Magdeburgenſi Archiepiſcopo mortuo, fratres iare, ut putabant, Eccleſia, elegerant ex ſuis quendam Woldradum repugnantem, & ut poterat reclamantem. Imperator fas eſſe iuris putans Eccleſiis providere, abſolvit invitum & repoſuit cancellarium ſuum Dagonem*, quem alij Tagmonem vocant. Si igitur tantum nefas eſt, Epiſcopos ab Imperatoribus conſtitui, ſi tam indignum facinus Epiſcopos ſuis Principibus ſacramentum dicere, ſi id, inquam, tam indignum ſcelus eſt, ut ideò totum Chriſtianum orbem concuti, Imperatores & Reges diris devoveri, regno pelli, abſolvi à juramento ſubditos, tantum denique humani ſanguinis fundi neceſſum fuerit, cur eò audaciæ proceſſit Eugenius Papa, ut Henricum Imperatorem, quem Epiſcopos conſtituiſſe, elegiſſe, & inveſtiiſſe manifeſtiſſimum erat, in divorum tamen numerum referre, & illa ἀπoθέωσει mactare auſus fuerit? Aut enim temerario auſu Hildebrandus, Paſchalis, Calliſtus, Innocentius, & Alexander tantos cierunt motus, aut imperitè admodum in canonizatione Henrici II. optimi aliàs laudatiſſimique Imperatoris verſatus eſt Eugenius Papa. Par enim culpa in Henrico II. quæ in Henrico IV. & V. Utrum verò dixeris, magni criminis pontificem reum agis. Quin ipſum Pontificem Leonem IV. itidem divorum numero adſcriptum, vidimus orantem Imperatorem, ut in Eccleſiâ Reatinâ Colonum, quem ipſe elegerat, Epiſcopum eſſe permitteret.

Interea tamen, dum ita ſatis liberè Imperatores Epiſcopos conſtituunt, nihil populo & clero in Epiſcoporum electionibus reliquum non fuit. Reniti poterant, ſi ſe vidiſſent prægravari, uti id Ludovicus Pius ſanxerat. Quin ſæpe permiſſa canonica electio. Popponi primo Epiſcopo Herbipolenſi hæc inſignia conceſſa privilegia ab Ottone M. tradit Bruſchius, *ut in poſterũ Herbipolenſiũ Canonicorum ſenatui libera eſſet poteſtas decedente aliquo antiſtite alium è ſui capituli canonicis eligendi.* Parem gratiam monaſteriis Fileænſi & Gemblacenſi ab Imperatoribus factam tradunt Fertrada ſanctimonialis *in vitâ Adelheidis primæ Abbatiſſæ Fileænſis*, & Sigebertus in *vita Guiberti monaſterij Gemblacenſis fundatoris apud Surium* V. *Febr.* & XXIII. *Maij.* In Hereberti Colonienſis Archiepiſcopi electione, qui Ottone III. imperante præfuit, diſtracta fuere ſtudia cleri & populi, *quòd Wezelinum aliquem clerus elegiſſet, non probante populo.* Verba hæc ſunt Ruperti Tuitienſis, qui vitam hujus Hereberti nobis reliquit. Adalbertum II. Pragenſem Epiſcopum, à Boleſlao & populo electum, ab Ottone II. confirmatum, & à Vviligiſo Archiepiſcopo Moguntino inunctum, autor vitæ hujus Adalberti *apud Surium die* XXIII. *Aprilis* tradit. Bruno quoque Leucorum Epiſcopus, qui Romanæ dein Eccleſiæ præfuit, a clero & populo electus eſt: *Eligitur*, inquit Vvibertus Archidiaconus in ejus vitâ, *à clero & populo Epiſcopus Leucorum, ſcribente clero & populo ad Imperatorem Conradum, ut Brunonem ſibi Epiſcopum permittat.* Is Bruno, cùm deinde ab Henrico III. Imperatore Leonis IX. nomine aſſumpto, conſtitutus eſſet

Romanæ urbis Epiſcopus, non malè omnino de totâ hâc re & ſenſit & locutus eſt. Appono verba Vviberti, qui ejus vitam deſcripſit, ex lib. II. cap. 2. *Interea apud Vangionum urbem, ante præſentiam glorioſi Henrici II. Romanorum Auguſti, fit Pontificum reliquorumque procerum non modicus conventus. Inter quos etiam hic Chriſto dignus præſul convocatur. Et repentè, illo tale nihil ſuſpicante, ad onus Apoſtolici honoris ſuſcipiendum eligitur à cunctis. Cùm recuſaret, ad obedientia completionem monetur. Cùm autem non poſſet effugere Imperiale præceptum & commune deſiderium, præſentibus legatis Romanorum ſuſcepit onus, ſi audiret totius cleri ac populi Romani conſenſum.* Et paulò pòſt: *Cùm Romam veniſſet, ſignificat populo & clero Romano factam de ſe electionem, & dicit electionem cleri & populi Romani canonicali autoritate aliorum diſpoſitionem præire.* Quod Leo IX. de Clero & populo Romano dicit, idem de clero & populo omnium aliarum civitatum dicere licet. Quæ mens quoq; fuit Leonis IX. Primo enim protinus Pontificatus ſui anno in ſynodo Rhemenſi ſanxit, *Ne quis ſine electione cleri & populi ad regimen Eccleſiaſticum proveheretur*, ut Baronius autor eſt *Tom.* XI. *anno* MXLIX. Intra hos verò terminos, ſi ſe continuiſſent Romanorum Pontificum ſtudia, indubiè neque tam adverſos habuiſſent Imperatores, & ſuorum jurium tenaces, neque tanto ſanguine Italia, Germania & totus fermè Occidens redundâſſet.

Sed altiùs provectus eſt Hildebrandus, ac jus omne inveſtituræ Principum manibus excutere conatus eſt, conditis decretis, quibus omnibus conſtituendi & eligendi Epiſcopos poteſtas Regibus, Principibus, & Imp. Henrico VI. abrogabatur. Non illum per tot jam ſecula recepta & uſurpata conſuetudo, non priorum Pontificum conceſſiones & exempla, deterrere potuerunt, quin nefas eſſe diceret, quicquid in hoc negotio ſibi Principes ſumunt. Operæ igitur pretium fuerit paucis ὡς ἐν παρόδῳ perſequi, quod Francorum primùm Reges, & dein Imperatores, rectè id jus uſurpaverint, ut conſtet, quàm iniquum & inſolentem Gregorius VII. ſe præſtiterit.

Duplici autem potiſſimùm nomine omnem illam Principum poteſtatem facilè defendas, tum, quòd ſummi ſint principes, penes quos ſit ſuprema poteſtas adminiſtrandi Rem tum quòd patroni Eccleſiarum. Principis hæc prima debet eſſe cura, ut Reſp. ſit tranquilla & beata. Hunc finem ut aſſequatur, immane quantùm in Rebuſp. & regnis Chriſtianis in Epiſcoporum conſtitutione ſitum eſt. Vt populus rectè ſuum officium faciat, ut ſit virtutum & religionis amans, multùm intereſt, quales ſint Epiſcopi. Ne talibus igitur regenda committatur Eccleſia, quorum exemplo ſubditi fiant deteriores, principis cura eſt. Id verò quomodo præſtabit, niſi in Epiſcoporum electione principis quoque aliqua ratio habeatur. Dein cùm Reſp. ſalva eſſe non poſſit, quæ inteſtinis motibus & ſeditionibus agitatur, ad eas verò vel excitandas vel reprimendas plurimùm in Epiſcopis ſitum ſit, opera Principi danda, ut tales conſtituantur, qui ſint pacis & concordiæ amantes, indigenæ, in regno educati, legibus reip. aſſueti, & tales omnino qui præſentem ſtatum conſervatum velint. Si qui aliter ſe habeant, eos ad dignitates nullas eſſe evehendos jam olim prudenter monuit Ariſtoteles. Epiſcopos verò tantæ eſſe in rep. autoritatis, ut ſi velint, quidvis poſſint, quis ignorat? Et Germania hoc noſtra teſtari poteſt, & pleraque alia regna. Plena ſunt his veterum monumenta. Quas turbas in Angliâ dederint extranei Epiſcopi, per proviſiones Papales Epiſcopatus adepti, Anglicani Scriptores loquuntur. Huc accedit, quod à ſolo clero & populo electus his omnia fert accepta, Regi, cuius conſenſum accedere opus non erat, nihil horum. Nec igitur amor in Regem, nec obſervantia tanta, quanta eſt, ſi beneficium ab ipſo Rege datum agnoſcat, quod tamen fieri reip. plurimùm intereſt. Amor enim & obſervantia in Regem ſi abſint, magna patet ad tumultus ciendos & res novas moliendas aditus, præſertim ſi non deſint occaſio & vires, quorum utrumque non deſiderabatur, cùm Reges Francorum & Imperatores à ſe Epiſcopos conſtitui vellent.

His ſatis probatur, non malè agere Principes ſi conſtituendorum Epiſcoporum curam ad ſe pertinere putent. Duarenus utique & Eccleſiæ & Reip. ſic præclarè conſuli ſtatuit. *Illud unum*, [inquit libro primo de ſacris Eccleſiæ beneficiis ac miniſteriis cap. VI.] *verè ingenuéque dico, nihil Reip. Eccleſiæque Gallicæ mihi videri utilius, quàm autoritate Regis Paſtores præfici Eccleſiis, ſi à Pontifice Romano obtinere poſſint Epiſcopi, ut ordinatio, inquiſitio, ac confirmatio ſecundum veteres canones, libera ipſis relinquatur, modò ipſi officii ſui meminiſſe velint.* Quod in votis habet Duarenus, id ante Gregorium VII. in Germaniâ obtinebat. Princeps nominabat Epiſcopos. Metropolitano, ſi indigni eſſent illo officio, reiicere eos integrum erat. Sed parùm adhuc pro aſſerendo Francorum & Germanorum Principum in Epiſcoporum electionibus jure dixi. Bona temporalia à Regibus & Imperatoribus collata, nullum admittunt dubium, quin ſummâ æquitate nitantur illæ Principum inveſtituræ. Poſſidebant Epiſcopi non prædia ſolùm & villas, ſed oppida quoque, ſplendidas urbes, arces, munimenta; integros Comitatus, Principatus & Ducatus. Solus *Otto primus Imp. penè omnibus Eccleſiis cathedralis in Italiâ, Galliâ, Germania, Burgundiâ & Lotharingiâ multas civitates, caſtra, oppida, villas, & multa alia dominia temporalia, jura & juriſdictiones donavit. Archiepiſcopos quoque & Epiſcopos Ducatibus, Baroniis, & Comitatibus communivit, quibus nobiles & potentes vaſallos ſubiecit, ut ſemper eſſent parati ad reſiſtendum paganis*, ut Theodoricus de Niem in Ottone primo autor eſt. Quis igitur tam fuerit imprudens, qui negare auſit, intereſſe plurimùm Reip. quibus committantur integræ provinciæ regendæ, & à quo illi conſtituantur? Nolo nunc id commemorare, quòd, cùm penes Francos quoque adhuc imperium eſſet, Epiſcopi ad comitia & conventus publicos admiſſi, in commune de rebus Remp. concernentibus conſultârint, & ſæpe ex nobiliſſimis potentiſſimiſque familiis orti, perque totam vitam in palatio educati, ad gubernandam Eccleſiam tranſierunt. Conveniſſe verò, Francis imperantibus ad comitia Epiſcopos, (quid enim deinceps actum ſit, notius eſt, quàm ut nunc id repeti opus ſit,)

vel

vel ex Gunthramni conſtitutione apud Goldaſtum *Tomo* 1. *Conſt. Imp.* liquet. Sigebertus Gemblacenſis in vitâ Regis Sigeberti cap. IV. ait: *Dagobertus Rex, anno regni ſui XI. Metas adiit, ibique procerum & Pontificum conventum adeſſe iuſſit, eorumque conſilio & conſenſu filium ſuum Sigebertum in regnum Auſtraſiorum ſublimavit.* Angradus in vitâ Ansberti Epiſcopi Rhotomagenſis cap. XV. ait, cum ordinatum eſſe Rhotomagi *ab Archiepiſcopo Lugdunenſi, & aliis ſanctis præſulibus, qui ad generale placitum ibi cum principibus* convenerant. Nobiliſſimas verò & præpotentes familias ad Eccleſiaſticam hanc dignitatem adſpirâſſe, vel illuſtris ille Arnolphus Metenſis Epiſcopus, è cujus familiâ Carolus Magnus ortum trahit, exemplo nobis fuerit, ut nihil nunc dicam de illâ querelâ procerum apud Theganum in vitâ Ludovici Pii, plebeios ad Epiſcopos promoveri indignantium. Cùm igitur tot bona poſſiderent Epiſcopi, cùm ad comitia, in bella irent, Regeſque ſuo conſenſu & ſuffragio eligerent, rectè utique & jure Francorum Reges Epiſcopos nullos ſine ſuo conſenſu conſtitui voluerunt. Hæc verò omnia longè magìs pro nobis militant, ubi imperium ad Germanos devenit. Tum enim Epiſcopi bonis temporalibus ita aucti, ut juſtiſſimas Principes habuerint cauſas, ob quas ius inveſtiendi Epiſcopos uſurparent.

Neque tamen ſolo illo nomine Reges Francorum & Imperatores Epiſcopos conſtituere poterant, ſed eò etiam quòd Patroni eſſent Eccleſiarum. Multa hâc de re afferre huius loci non eſt. Vel communi illo verſiculo:

Patronum faciunt, dos, ædificatio, fundus,

uti libet. Tres igitur iuris patronatus cauſæ, vel ut alii volunt, quatuor, Fundatio, Dotatio: Ditatio, & Reædificatio. Quæ omnes, quibus rectiùs quàm ſummis in Rep. Principibus conveniunt? Quid ergo mali, ſi Principes ſibi illam ſumunt poteſtatem, ut Epiſcopos eligant? Olim res longè aliter ſe habebat. Rara ante Conſtantinum Magnum Eccleſiis bona, immobilia certè rara, quod videtur probabilius. Epiſcopi & clerus omnis ex largis fidelium oblationibus vivebant. Cùm igitur omnes Epiſcopum ſuſtentarent, inſtum quoque erat ab omnibus eligi. Francorum verò ætate, cum plæraq; à Rege obtinuiſſent Epiſcopi ab eo etiam illos conſtitui, haud iniquum erat. Clodovæus Rex tantùm terræ Rhemenſi dedit Eccleſiæ quantùm Remigius, dum Clodovæus ſomno meridiano indulget, circuire poſſit. Amplum utique donum quod ſi non cauſa aliqua juris patronatus eſt, quæ tum dotatio futura? Cæteri quoque Francorum Reges liberales admodum in ditandis Eccleſiis fuêre, ut Childebertus graviter de damno, quod inde regno enatum, conqueratur. Stephani. Leodienſis Abbatis in hiſtoriâ vitæ Modoaldi Trevirenſis Epiſcopi, digna omnino ſunt, quæ adſcribantur. Ita verò ait: *Quantùm religionis potentia, & honoris Reges Francorum à Pipino uſque ad Carolum contulerunt Galliæ Eccleſiis, teſtantur libri ſanctorum, decreta Patrum continentes, quos ipſi in ſynodis ſuâ corroboraverunt autoritate. Teſtantur & Eccleſiæ, quas cùm diverſis regiis ornamentis, tum etiam prædiis & regalibus ſuis, caſtris ſcilicet, & comitatibus, teloniis, monetis & bannis cum iure civitatum conceſſis, magnificè extulerunt. Inde eſt, quod nuſquam gentium æqualis potentiæ pontifices inveniri queant, vel quod parum à regio comitatu & opulentiâ differant:* Vel igitur patronatus illius iure rectè ſibi Principes conſtitutionem Epiſcoporum deberi aſſerere poſſunt. Leopoldus à Badenburg Epiſcopus Bambergenſis de Z-lo vet. princip. German. c. 8. disertè ait: Henrici V. *prædeceſſores & Reges non tam virtute dicti privilegii, quàm ex hoc quod erant ut plurimùm Patroni ſeu dotatores Eccleſiarum cathedralium, & maiorum monaſteriorum. Germaniæ, inveſtituras Epiſcopatuum & Abbatiarum in ipſis Germaniæ partibus, uſque ad tempora eiuſdem Henrici facere conſueverunt.* Provocavit iam olim quoque ad hoc jus Patronatus Edoardus Angliæ rex in conſtitutione quam recitat Goldaſtus *Tomo* III. *Conſt. Imper.* Neque verò cuiquam reiiculum hoc argumentum videri debet, cùm id eruditiſſimi, acutiſſimique totius Hiſpaniæ Iuris interpretes Ferdinandus Vaſquetz, & Didacus Covarruvias Segobienſis Epiſcopus, ille quidem *Controv. Illuſtr. Part.* 1. *lib.* 1. *cap.* XXII. hic verò *Tom.* 1. *Part.* II. *Relect. c. Poſſeſſ. mal. fid.* §. *X.* tanti faciant, ut vel hoc ſolo nomine ius Hiſpaniarum Regi aſſerant, quo fretus omnes totius regni Epiſcopos conſtituere poſſit. Epiſcopi Segobienſis verba ſunt: *Ex hoc infertur, Catholicos Hiſpaniarum reges, etiamſi nullum privilegium à Pontificibus Romanis habuerint ad præſentationem Epiſcoporum, qui Eccleſiis cathedralibus præſint, poſſe iure optime, ut Eccleſiarum patrones, ius illud ex præſcriptione obtinere, licet Eccleſiæ quarum Patroni ſunt, collegiales vel cathedrales exiſtant. Hoc enim corollarium deducitur ab his, quæ proximè probata fuere, ſiquidem Hiſpaniarum Reges Patronatus ius obtinent in Eccleſiis cathedralibus, cùm eas erexerint, conſtruxerint, & amplis patrimoniis dotaverint. Quod ſatis conſtat ex veterum Hiſtoricorum monumentis. Imò & iure communi Reges ſunt Patroni majorum Eccleſiarum ſui principatus.* Et pòſt: *Regis intereſt noſſe, qui ſint, qui Eccleſias intra eius provinciam ſint adminiſtraturi.* Hæc Didacus Covarruvias, qui latius illa deducit, & plures, qui eandem ſententiam habeant, laudat.

Quis jam non videt, quantâ æquitate Principum inveſtituræ nitantur, quamve iniquè Gregorius VII. eas Henrico IV. extorquere conatus ſit? Fuit Hildebrandus homo non vulgaris ingenii, & antiquitatis canonumque antiquorum, ut illa quidem ferebant tempora, haud imperitus. In toto verò Occidente mera regnabat barbaries. Proclive igitur Hildebrando erat, antiquorum canonum autoritate ad Regum jura abolenda abuti, & clericis palpum obtrudere. Egregium eius rei Archidiaconus adhuc præbuit exemplum. Miſſus fuerat Anno Archiepiſcopus Colonienſis, ut cauſam Alexandri II. & Cadaloi Antipapæ cognoſceret, & Regis in eligendo Romano Pontifice iura tueretur. Cùm Romam veniſſet ira Alexandrum affatus eſt, ut tradit Nicolaus Aragonius Cardinalis in Geſtis Romanorum Pontificum apud Baronium Tomo XI. anno MLXIV. *Quâ ratione frater Alexander abſque mandato & aſſenſu Domini mei Regis recepiſti Papatum? à longis namque temporibus à Regibus hoc abſque dubio eſt obtentum. Et in-*

cipiens à Patriciis Romanorum & Imperatoribus, nominavit eos, per quorum mandatum & aſſenſum plurimi Romanorum Pontifices in ſedem Apoſtolicam habuerunt ingreſſum. Hildebrandus cum Epiſcopis cardinalibus eidem Colonienſi ſic reſponderunt, firmiſſimè tene & nullatenus dubites, quod in electione Romanorum Pontificum juxta ſanctorum Pontificum, juxta ſanctorum Patrum canonicas ſanctiones, Regibus penitus nihil eſt conceſſum ſive permiſſum, & deductis in medium pluribus ſanctorum Patrum decretis, & præcipuè illo Nicolai capitulo, in quo centum & tredecim Epiſcopi ſubſcripſerunt, pòſt multas & varias altercationes, ita irrevocabiliter & ſufficienter eidem Colonienſi ſatisfecerunt, quod ex tunc rationabiliter non habuit reſiſtendi occaſionem. Si vera hæc ſunt, fucum Hildebrandus Annoni fecit, canonibus allatis, qui Regum iura minimè deſtruunt. Hoc autem jacto fundamento non poterat non cæteris quoque Regibus & Principibus omnis in Epiſcopis eligendis adimi poteſtas. Quod enim jus Imperatoris in Pontifice Romano eligendo, hoc omnium fermè cæterorum Regum & Principum in ditionum ſuarum Epiſcopis eligendis. Hildebrando igitur auſpice, conſenſu Imp. non antè impetrato, electus Alexander, iram tamen Henrici eodem conſultore uſus facilè eluſit. Fortè tum bellum in Saxoniâ atrox erat Henrico cum Saxonum gente: Hæc ſæpiùs victa, ſæpiùs bellum redintegrat, nec inter tot adverſa animum deſpondet. Cùm armis non poſſet quicquam adverſus invictum Imp. aliâ eum viâ aggreditur: Vadunt legati ad Alexandrum II. Imperatorem Simoniæ reum poſtulant Henricus, impulſore Hildebrando, ab Alexandro Romam reus citatur. Moritur interea Alexander, ſuccedit Hildebrandus: & licèt ſine prævio Imp. conſenſu à clero & populo Romano electus eſſet, ita tamen miſſis literis ad excuſandam ſine Regis conſenſu factam electionem Henrici gratiam aucupatus eſt, ut eius conſenſus ſatis promptè accederet, quod pluribus Lambertus Schafnaburgenſis perſequitur.

Primis verò quatuor Pontificatus ſui annis, ſi annalibus Baronii fides eſt, nihil quicquam Gregorius de inveſtituris Epiſcoporum, Regibus ac Principibus auferendis ſanxit. Acerbè quidem in Simoniacos cùm Reges tum Epiſcopos invectus, ad cauſam quoque dicendam Romam citavit, ſed intra hos terminos omnis eius conatus tum quidem ſtetit, & utinam perſtitiſſet. At verò anno quinto in nervum erupit ambitio Hildebrandina, publico decreto omnibus laicalibus inveſtituris proſcriptis. Multos antea Galliæ & Germaniæ Epiſcopos diris devoverat Gregorius, multos officio moverat, Henricum ipſum Regem, protinus ut excommunicatus fuerat, quod priora ſecula non viderant, ipſe deſertum penè ab omnibus, mox intra Canuſiana mœnia triduanum ſupplicum, demum etiã ad pedes proſtratum viderat. Id animum addidiſſe ambitioſo homini exiſtimo, ut ex tam proſperâ fortunâ, tam promptis ad omnia obſequia Epiſcoporum animis eventum auguratus, aggrederetur *conſtanti animo*, (liber hic gloriantis Baronii verbis uti) *invictoque planè ac ſacerdotali robore controverſiam, cuius cauſâ ſciret omnes ſe paſſurum Chriſtianos principes adverſarios.* Datur igitur Hugoni Dienſi Epiſcopo legato Gregorii VII. in Gallias in mandatis, ut de inveſtituris laicalibus abolendis in concilio Lingonenſi decretum promulget. Gregorius ipſe anno inſequenti ita ſancit: *Quoniam inveſtituras Eccleſiarum contra ſtatuta ſanctorum Patrum, à laicis perſonis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes in Eccleſiâ oriri, ex quibus Chriſtiana religio conculcatur, decernimus, ut nullus clericorum inveſtituram Epiſcopatus, vel Abbatia, vel Eccleſia, de manu Imper. vel Regis vel alicuius laica perſona, viri vel fœmina ſuſcipiat. Quod ſi præſumpſerit, cognoſcat inveſtituram illam Apoſtolicâ autoritate irritam eſſe, & ſe uſque ad condignam ſatisfactionem excommunicationi ſubiacere.* Idem decretum verbis paulò aſperioribus: in aliâ Synodo duobus pòſt annis iterum repetit, & hanc electionis formam deinceps tenendam & obſervandam præſcribit: *Quoties defuncto paſtore alicuius Eccleſia, alius ei eſt canonicè ſubrogandus, inſtantiâ Viſitatoris Epiſcopi, qui ei ab apoſtolicâ vel metropolitanâ ſede directus eſt, Clerus & populus remotâ omni ſeculari ambitione timore atque gratiâ, Apoſtolica ſedis, vel Metropolitani ſui conſenſu, paſtorem ſibi ſecundum Deum eligat. Electionis vero poteſtas omnis in deliberatione ſedis Apoſtolica, ſive Metropolitani ſui conſiſtat.* Hæc ſunt Hildebrandi decreta, de principum inveſtituris lata. Hinc claſſicum turbatum, hinc incendii initium, quo totus fermè Occidens conflagravit. Hæc illa decreta quibus, ipſo Onuphrio teſte *in vitâ Gregorii VII.* non tantùm Imp. Henricus IV. ſed & omnes Reges Latini & Occidentales petiti, deinde Epiſcopi, & univerſus clerus Gallicus Germaniæ & Italiæ, *Majeſtas quoque & dignitas Imperij Romani everſa, quodque longè plus erat, ea fundamenta jacta quibus illius poteſtas omnino labefactabatur.* Videas igitur ſurſum deorſum omnia ferri, ima ſummis cœlum, terræ miſceri. Quicquid eſt flagitioſorum hominum impunè graſſari permittitur. Pontifex in Pontificem, Imperator in Imperatorem, Epiſcopi in Epiſcopos, filii in parentem, ſubditi denique in ſuum legitimum principem inſurgunt, ſolutique, quæ animos inſederat, religione, in eum profano Papæ indultu graſſantur, quem Deus, ſors naſcendi, imò illi ipſi ordines, Principem & Regem conſtituerant.

Nullâ ne verò aliâ ratione Simoniacum crimen ex Chriſtiano orbe profligari, & libertas Eccleſiis reſtitui niſi per tot populorum ſtrages potuit? Henricum non ſemper recto tramite inceſſiſſe facilè crediderim. Cur non monetur, ut in viam redeat, ut inveſtituras, piè, rectè atque ordine conferat, abuſusque earum tollat? Si monitus non ſtatim obtemperavit [quod ait Baronius] num ideò cò Pontificem progredi fas erat, ut commoto toto Occidente non ſolùm inveſtiturarum jure Principes omnes & Imperatorem exueret, ſed etiam diris Henricum devoveret, indignum regno, vitâ deniq; ipſâ pronunciaret. Henricus tamen non ſemper in culpa fuit. Lubrica enim fuit quidem ipſius adoleſcentia, cùm conſultoribus uteretur Adalberto Bremenſi Archiepiſcopo & Wernero comite, hominibus, ut tradunt Scriptores, flagitioſis. *Ab his,* inquit Lambertus Schafnaburgenſis, *quicquid Eccleſiaſticarum, quicquid ſecularium dignitatum eſt, emebatur.* Quàm prudenter autem aliàs Imp. in beneficiis Eccleſiaſticis conferendis ſe geſſerit,

vel

vel id exemplo eſſe poteſt, quod idem Lambertus, [cui,tantùm tribuunt Baronius & Bellarminus] de electione Faldenſis Abbatis, integrè & incorruptâ fide incrépitis, qui illam Abbatiam vel gratiâ vel muneribus obtinere ſe poſſe ſperârant, ab Henrico factâ memorat. Ne verò quis electum Abbatem monachis obtruſum putet, ita ait: *Primus ipſe Imperator hunc Abbatem elegit, deinde cæteros tam monachos, quàm milites, ut in electionem eius conſentiant, obnixe efflagitat.* Nec alium utique in Epiſcopis conſtituendis ſe præbuit. Id docent voces ipſæ Imperatoris, bonæ conſcientiæ indices, cùm imperio & ornamentis imperialibus exueretur. Rem geſtam Helmoldi verbis narro: *Moguntinus, Colonienſis, Uvormatienſis, à Principibus miſſi venerunt ad Regem in Curti regia Hilgeesheim, dicentes: Fac nobis redde coronam, annulum, & purpuram, cæteraque ad inveſtituram Imperialem pertinentia filio tuo deferenda. Imperator quærit cauſam. At illi. Quid quæris ea, quæ optimè noſti? Scis de ſchiſmate longo, ſcis, qualiter Epiſcopatus, Abbatias, & cætera omnia feceris venalia, & quomodo non ſit electionis in rectoribus quibuſque conſtituendis, ſed ſola pecunia habita ratio. Pro iis & ſimilibus ſanxit autoritas Apoſtolica, & favit Principum unanimitas, te & regno & communione fidelium privandum. Quibus Imperator: Veſtra poteſtas eſt hæc mihi imponere & crimen impingere? Dic tu Moguntine, adiuratus per nomen æterni Dei, quid exegimus vel recepimus à te, cùm te Moguntiæ præfecimus? Tu quoque Colonienſis ſimiliter? Illis autem fatentibus, nihil pecuniæ aut requiſitum, aut acceptum huiuſce rei gratiâ, Rex ait, Gloria Deo. Similiter & de Uvormatienſi. Et iterum Rex: dignam ergo pro beneficiis noſtris nobis rependitis gratiam.* En quomodo Imperator illos Epiſcopos eum Simoniæ arguentes ipſe redarguit. Nihil igitur moror convicia Stephani Halberſtadenſis Epiſcopi, qui non ſine cótentione, ut ait Crantzius, Epiſcopatum adeptus erat, quæ illæ plenâ manu in epiſtola ad Walthramum congeſſit, quam dignam judicarunt Baronius & Bellarminus, ut ille quidem *Tom.* XI. *Annal. ad annal.* 1090. totam, hic verò *Lib. de Translat. Imper. capit.* II. partem eius recitaret. Cæteros Scriptores quod attinet, cùm illi quoque multùm Pontificis gratiæ tribuunt, tum non tam Simoniam, quàm alia vitia, & ipſum jus regium liberè conſtituendi Epiſcopos in Henrico inſectantur. Quin ſi Bennoni, in vitâ & rebus geſtis Hildebrandi, credimus, Henricus Imperator quos noſſet Simoniacos Epiſcopos, officio movit. Hildebrandus verò, ait Benno, *expulſos à Rege Simoniacos relocabat, & quos Regi infeſtos reddiderat, eos ſibi familiari amicitiâ reconciliabat, & multis & magnis juramentis ſibi vinctos & obnoxios efficiens, præ aliis exaltabat.*

En artes Hildebrandi. Hoc agebatur, ut Imperii majeſtatem imminueret & Romanam ſedem eveheret. Huc faciunt monſtroſi illi dictatus Dum Simoniam evertere ſe ſimulat, Imperii majeſtatem deſtruere parabat. Neque verò compendioſiùs rem tantam aggredi poterat. Eccleſiaſtica enim bona maxima Imperii pars, quorum collationem ſi extorſiſſet Imperatori, non diffidebat obtinere ſe poſſe Monarchiam, quam meditabatur. Quantùm Imperatoris decedebat autoritati, tantùm accedebat Pontifici, cui evehendo hæc tragœdia agebatur. Nullo igitur Principum aiebat opus eſſe conſenſu in beneficiorum Eccleſiaſticorum collatione; ſi quis ſecus quidnam auſus eſſet, hunc pronunciabat Simoniacum, ut, ſi illius judicio ſtandum, Simoniacos fuiſſe neceſſe ſit, non ſolùm alios complures Pontifices, ſed & ipſum Alexandrum II. cujus lateri Gregorius ſemper adhæſit. Is enim Anshelmum in Germaniam miſit, ut ei Lucenſem Epiſcopatum, cujus collatio penes Henricum IV. erat, impetraret. Quod verò ipſum inveſtiendi per virgam & annulum ritum attinet, parùm is utique ad rem facit. Neque dubitaverim haud fuiſſe difficiles futuros Imperatores in omittendo hoc inveſtiendi ritu, ſi de eo duntaxat abrogando contentio aliqua fuiſſet, jure ipſo conſtituendi & eligendi Epiſcopos Imperatoribus relicto. VValthramus acerrimus aliàs Henrici defenſor apertè: *Nihil refert ſive verbo, ſive præcepto, ſive baculo, ſive aliâ re, quam in manu tenueris, inveſtiat aut inthronizet Rex & Imperator Epiſcopum.* Et pòſt: *Sed congruum magis eſt per baculum.* In eandem ſententiam Romanæ ſedi addictiſſimus Ivo Epiſtola ad Lugdunenſem Archiepiſcopum: *Vrbanus Papa reges tantùm à corporali inveſtitura excludit, [quantum intelleximus] non ab electione, in quantum ſunt caput populi, vel conceſſione. Quamvis octava ſynodus ſolùm prohibeat eos intereſſe electioni, non conceſſioni. Quæ conceſſio, ſive fiat manu, ſive nutu, ſive linguâ quid refert?* Hæc Ivo, æquus ſæpe in hâc controverſia, quando partium ſtudium eum non tranſverſum agit, judex. Quod verò Ivo de ſolâ corporali inveſtiturâ ab Vrbano prohibitâ ait, haud videtur veriſimile. Cùm enim in laicalibus inveſtituris prohibendis iiſdem utatur, quibus Gregorius VII. verbis, mitiori eum fuiſſe animo non ſit veriſimile. Quin ipſo Hildebrando videtur fuiſſe aſperior, condito decreto, ne quis Eccleſiaſticorum Principi ſuo ſacramentum diceret, cuiuſmodi quid à Gregorio VII. ſtatutum non conſtat.

Ita patuit, cauſam nullam fuiſſe Hildebrando, cur tantas in Imperio turbas daret. Primus verò is fuit, qui tantâ contentione inveſtituras obrogatum ivit. Nam quod Marſilius Patavinus in *Defenſore Pacis Part.* II. *c.* 24. à Simplicio, qui circa quintum ſeculum ſedi Romanæ præfuit, tradit decretum eſſe, *Nullum clericum inveſtituram à Laico debere ſuſcipere*, vel (ut Platinæ verbis utar) *nullum clericum poſſeſſionem beneficii à laico debere recognoſcere*, id à vero videtur eſſe alienius. Gregorii verò decreta repetierunt & confirmârunt Victor III. in concilio Beneventano, Vrbanus II. in ſynodo Melfitana can. 8. & generali Claromontanâ can. 15. & 16. Paſchalis II. in ſynodo Pictavienſi, præſentibus legatis ſedis Romanæ, & demum Trecenſi, cui Paſchalis ipſe præfuit. Inter tot tamen certamina, quicquid decerneret Pontifex, perſtitit Henricus ſenior in ſuâ ſententiâ. Quin Rudolphus Sueviæ Dux, & Hermannus, electi contra Henricum IV. à nonnullis Principibus favente Pontifice, Germaniæ Reges, illo quoque regio jure uſi ſunt, ut patet ex Crantzii *Metrop. lib.* 5. *c.* 16. *&* 23. Paſchalis verò ſecundus, cùm filium Henrici IV. Henricum V. haud occultè in Patrem concitâſſet, illo da-

mum regno & vitâ exuto, ſperabat obtinere ſe poſſe, quod aliis eſſet negatum. Sed graviorem ſenſit Henricum v. quàm quiſquam aliorum Imperatorum fuit. Res nulli non penè veterum Hiſtoricorum eſt memorata. Henricus enim quintus cùm facilè perſpiceret, non poſſe ſalvum eſſe Imperium, ſi Pontifex obtineret, quicquid ille decreviſſet, aut cedere Epiſcopos & Abbates regalibus volebat, aut liberam ſibi conſtituendorum poteſtatem privilegiis Apoſtolicis Carolo Imperatori conceſſam, permitti. Id ſe velle Imperator Paſchali, cùm is in conſilio Trecenſi eſſet, renunciarat per legatos. Pontifex verò, cùm inveſtituras quas paulò antè ipſe in ſynodo perpetuo decreto abrogârat, concedere Imperatori neque vellet, nec fortè etiam ut tueretur exiſtimationem ſuam, poſſet ita cum Henrico v. Sutriæ demum paciſcitur, ut Vrſpergenſis Abbas, ex Davide Scoto, qui Henrici Romanam expeditionem juſſu eius deſcripſerat, ad annum MCXI. tradit: *Inter legatos*, inquit, *Apoſtolicos & miſſos regios convenit, promptum eſſe Papam ad conſecrationem & omnem Regis honorem & voluntatem ſi tamen ipſe ſibimet annueret libertatem Eccleſiarum, laicam ab illis prohibens inveſtiturum, recipiendo nihilominus ab Eccleſiis Ducatus, Marchias, Comitatus, Advocatias, monetas, telonia, cæterorumque regalium quæ poſſident ſummam. Præbuit Rex aſſenſum, ſed eo pacto, quatenus hæc tranſmutatio firmâ & authenticâ ratione, conſilio quoque vel concordiâ totius Eccleſiæ, ac regni principum aſſenſu ſtabiliretur.* Quod etiam vix *aut nullo modo fieri poſſe credebatur.* Hæc Vrſpergenſis. Pleniùs pacta illa conventa recitat Goldaſtus *in Conſtitutionibus Imperialibus*, & *Rationali*, ut & Baronius *Tom. XII. Anno MCX. & MCXI.* Numerat Petrus Diaconus inter Regaliâ hæc quoque: *Vectigulia, Mercata, Centurionum jura. Vtque curtes ſint Imperij cum pertinentiis ſuis, militia Imperij caſtra.* Lectâ verò hac conventione coram principibus Imperii & Epiſcopis omnibus, [ubi innotuiſſet, Eccleſiaſticos dimiſſis regalibus, decimis & oblationibus debere contentos eſſe] vix dici poteſt, quantâ indignatione clerus omnis in Paſchalem inſurrexerit, qui, cùm nihilominus inveſtituras cedere nollet, abducitur ab Imperatoris exercitu cum plurimis Cardinalibus captivus, cuius trimeſtris captivitatis moleſtiâ victus, tandem Henrico v. poteſtatem conſtituendorum concedit, & pacta juramentis firmat. Conventiones illas pacis & decretum de Eccleſiaſticorum inveſtituris recitat Goldaſtus *in Rationali*, & Baron. *Anno MCXI.* Neque hic illa adſcribi opus eſt.

Æqua autem hæc Henrici v. tranſactio, quam nemo facilè reprehenderit. Quid enim ageret Imperator? Majeſtatem Imperii tuendam ſuſceperat, quam neglecto antiquo jure inveſtituræ, non poſſe non labefactari, in aperto erat. Inſtant tamen & urgent tot ſancitatis decretis Pontifices. Non poterat igitur aliter Imperii dignitati cõſulere, quàm, ut reſtitui imperio regalia, aut permitti inveſtituras poſtularet. Quicquid enim de illis ſit, bonorũ tamen ratione juſtæ ſunt & legitimæ. Quod autem opinati quidam ſunt laicos principes velle hâc ſuâ inveſtiturâ ordinationis ſacramentum conferre, & hoc errore ducti hæreticas eſſe laicorum inveſtituras clamârunt, neſcio equidem, inſcitiamne hominum potiùs mirer an ſummam imprudentiam. Videtur in eo errore fuiſſe Goffridus Vindocinenſis Abbas, & Cardinalis, cujus verba nunc quidem adſcribere non libet. Pridem enim ejus ſententiam excuſſit vir eximius M. Antonius de Dominis. Apertè verò ita ſtatuunt Patres Conciliorum Lateranenſis & Viennenſis anno MCXII. habitorum: illi quidem, cùm aiunt: *Id quod in privilegio continebatur, quod electus canonicè à clero & populo à nemine conſecretur, niſi priùs à Rege inveſtiatur, id eſt contra Sp. S. & Canonicam inſtitutionem.* Hi verò, cùm ſanciunt: *Inveſtituram Epiſcopatuum & Abbatiarum, & omnium Eccleſiaſticarum rerum de manu Laicu S. R. E. autoritatem ſequentes, hæreſin eſſe judicamus.* Hæc concilia: quæ ſi ipſas inveſtituras ſimpliciter ſpectatas hæreticas putant oppidò falluntur, ſin cum opinione conferendi ordinis ſacramentum conjunctas, producantur tum Henricianorum, ita appellãt, dicta, producantur exempla, quæ id probent. Ivo ipſe, qui hâc ætate vivebat, illam ſententiam Epiſtolâ ad Iohannem Archiepiſcopum Lugdunenſem, quam recitat Baronius *Tom. XII. anno MCLI.* refellit. Ex *Epiſt. LX.* apertè. *Reges nihil ſpirituale*, (loquitur autem de inveſtituris,) *ſe dare intendunt, ſed tantùm aut votis petentium annuere, aut villas Eccleſiaſticas, & alia bona exteriora, quæ de munificentia regum obtinent Eccleſiæ, ipſis electis concedere.* Cauſam huius erroris non aliam exiſtimo, quàm, quòd vulgata eſſet hæc loquendi formula, Imperatorem præſumere poteſtatem in ſpiritualibus, cùm is tamen nominaret ſolũ Epiſcopos. Ita Crantzius adhuc ait: *Ea potiſſima diſſidii cauſâ fuit inter regnum & ſacerdotium, quod in ſpiritualibus præſumeret poteſtatem Imperator, quæ pro temporũ neceſſitate permiſſa eſt Patri ſuo, ſed eam nunc Papa ſuo jure vindicabat.* Auxit erroneam opinionem, quod non ſemper libera ante conſecrationem Epiſcopi vitæ morumque examinatio permiſſa videatur. Id enim colligitur ex iis, quæ de Ottonis Conſtantienſis Epiſcopi conſtitutione memorat Lambertus Schafnaburgenſis. Si quæ aliàs in illis feralibus Germaniæ motibus acciderunt, quæ ferenda minimè erant, cùm alium interdum Imperator Epiſcopum, alium Pontifex conſtitueret, vel clerus & populus à Pontifice inſtructus, & is Epiſcopatum obtineret, qui armis potior eſſet, æqui judicis arbitrio relinquo, utrius hæc culpa cenſeri debeat, an Imperatoris, an, qui turbas illas moverat Pontificis.

His diuturnis motibus Henricum v. pactis quibuſdam cum Paſchale initis finem imponere voluiſſe, paulò antè dictum. Ea verò pacta Paſchalis altero ſtatim anno in concilio Lateranenſi, datæ fidei, quam ſumpto corpore & ſanguine Domini ſanxerat, immemor, reſcidit, & Imperatorem anathemate percuſſit, cujus exemplum ſecutus Calliſtus II. & priorum Pontificum decreta in concilio Rhemenſi anno MCXX. & excommunicationem repetiit, cùm monitus à Pontifice Imperator, ut renunciaret inveſtituris, reſpondiſſet: *Nihil in his ſe prætermiſſurum, quod ſui iuris eſſet, ſuorumq́, ſibi contulit antiqua conſuetudo progenitorum.* Tandem Imperator victus, non tam Pontificum, quàm principum plerorumque imperii pertinacia: cedit anno MCXXII. in comitiis Wormatienſibus jure conſtituendi Epiſcopos, quod per tot annos magno imperii

perij diſpendio non ſolùm parens ipſius,ſed & ipſe prnpugnârat. *Ego Henricus*, inquit Imperator,*dimitto omnem inveſtituram per annulum & baculum, & concedo in Eccleſiis, quæ in regno vel imperio meo ſunt,canonicam fieri electionem & liberam conſecrationem.* Vt autem conſtet, quid reliquum Imperatori fuerit, appono verba Calixti Pontificis: *Concedo*, inquit, *Electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent,in præſentiâ tuâ*, Imperatoris,*fieri abſque Simoniâ & aliquâ violentiâ, ut ſi qua inter partes diſcordia, emerſerit, Metropolitani & provincialium conſilio vel iudicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per ſceptrum à te recipiat.* Addit Otto Friſingenſis, id quoque cautum eſſe, *ne electi tam Ciſalpini quàm Tranſalpini prius ordinentur Epiſcopi,quàm regalia de manu per ſceptrum ſuſcipiant.* Hic tot diſſidiorum infelix exitus. Neque enim accedere poſſum Marco Antonio de Dominis, qui in eâ eſt ſententiâ,quod parùm Calixtus II. his pactis cum Henrico V. initis obtinuerit. Aliud docent res illius temporis geſtæ. Non auſi ſunt ex eo tempore Imperatores, quos vellent Epiſcopos conſtituere. Electio omnis erat penes ſolum clerum & populum: Nullo præterea opus Imperatoris conſenſu. Receſſit ex aulâ omnis illa beneficia Eccleſiaſtica expectantium turba. Vti Imperatores magnam ſuæ poteſtatis fecerunt jacturam, tot comitatibus & ducatibus imperij,vel purè hæreditariis factis, vel in feudum hæreditarium datis, ita non minor hæc jactura fuit,jure conſtituendorum Epiſcoporum abdicato. Omnes utique uno ore tradunt, magnam hoc ipſo Imperatorem & autoritatis ſuæ, & roboris Imperij feciſſe jacturam. Imò Onuphrius Panvinius & Paulus Æmilius dimidium poteſtatis Cæſareæ amiſſum fuiſſe docent.Lotharius igitur Saxo Imperator,Henrici V. proximus in imperio ſucceſſor,cùm tantam jacturam æquo animo ferre non poſſet, etſi religioſus eſſet Princeps,& Romanæ ſedis,ſi quiſquam alius, obſervantiſſimus [quo nomine eum plurimùm commendat Baronius,] Epiſcoporum tamen inveſtituras ſibi reſtitui ab Innocentio Papa Leodij importunè inſtitit, ut tradit ex Bernhardo Bonævallis Baronius Anno MCXXXI. Paulò aliter Otto Friſingenſis lib. II. c. XIIX. *Expoſuit Lotharius modeſtè, in quantum regnum amore Eccleſiarum attenuatum,inveſtituram eorum,quanto ſibi diſpendio remiſerit.* Neque ſatis conſtat,quid futurum, ſi optimo maximoque Imperatori diuturnior vita contigiſſet, *cuius virtute & induſtriâ*, ut Otto Friſingenſis ſcribit, niſi morte præventus fuiſſet, *corona Imperij ad priſtinam dignitatem reduci potuiſſet.* Qualem ſe præſtiterit in negotio Caſſinenſis Abbatis cùm jura Imperij infringere moliretur Innocentius, tradunt ex Petri Diaconi chronico Caſſinenſi Baronius *Anno MCXXXVII.* Chriſtophorus Lehmannus *in Chronico Spirenſi*,& Goldaſtus *tomo* III. *Conſtit. Imperial.* In hæc utique,cùm reluctarentur Innocentius & Cardinales,qui præſentes cum eo erant, prorupit verba: *Si me mea ſpe fruſtratum eſſe vultis, proteſtor hodie Schiſma inter me & Pontificem futurum, & promitto ex obſequentiſſimo infeſtiſſimum fore inimicum.*

Ab eo autem tempore Electio Epiſcoporum penes clerum & populum fuit. Ita enim inter Henricum V. & Calixtum Papam convenerat. Canonici tamen, vel Capitulares Eccleſiæ cathedralis, (qui inter clericos autoritatis maximæ, jam à tempore Ottonis II. teſte Trithemio abjectâ regulari vitâ ſplendidè vivebant) electionem ſibi potiſſimùm vindicare cœperunt, haud dubiè connivente Pontifice, quod is è re ſuâ magis eſſe exiſtimaret,in hominum impotentium & ſibi obnoxiorum manu omnem eligendi ſitam eſſe poteſtatem. Quis fructus ad Rempublicam & Eccleſiam redierit, adempto Imperatoribus, quod tot ſeculis obtinuerant, jure, paucis docet Crantzius in *Metrop. lib. 4. cap. 12. Magdeburgenſis Eccleſia*, inquit, *ad initium regni Lotharij tumultuabatur ſuper Epiſcopis. Tres enim de eius Pontificatu contenderunt. Adeò intumuerunt canonici iam liberam electionem nacti. Sperabat ſibi quiſque, & amicis,& infinitâ ambitione contenderant pro Epiſcopatu.* Hæc Crantzius. Apertum quoque ex eo tempore Pontificibus oſtium jura Eccleſiarum invadendi. Imperatorum verò non adeò magna fuit poteſtas, niſi quid ſuâ autoritate apud populum & clerum, poterant autem eâ tum quidem temporis adhuc haud parùm, perfeciſſent. Neque enim Imperatoris ſeu petitioni, ſeu commendationi refragari ſemper licebat. Gobelinus Perſona in Coſmodromio Æt. VI. c. 60. nobis ſuppeditat hujus rei exemplum. *Friderico*, inquit, *Archiepiſcopo Colonienſi in Lombardiâ defuncto,Imperator promovit Reinoldum Cancellarium ſuum ad Epiſcopatum Colonienſem, quoniam ſcripſit Eccleſia pro eo, & ſic ad preces eius electus eſt.* Operam tamen maturè dederunt Pontifices, ne Imperatorum in hac re autoritas nimiùm iterum invaleſcere. Quòd igitur Otto Halberſtadenſis *Epiſcopus pro Eccleſia Lothario eſſet blandius*, [ſunt hæc verba Crantzij,] *à ſummo Pontifice Honorio deponitur*,ſed in concilio Leodienſi, interveniente Lothario,ab Innocentio reſtituitur. Addit Crantzius. *Fervebat tum nova conſtitutio ſuper Eccleſiis de manu Laica non recipiendis,factâ compoſitione inter Calixtum & Henricum Imperatorem,& quoniam res nova fuit ſancienda erat inflictione pœna, ut horrerent contemptores,& in viam redirent.*

Reliquum autem adhuc erat Imperatoribus, ex conventione cum Calixto initâ, ut diſſenſione ortâ,is Epiſcopus eſſet, cui Imperator acceſſiſſet. Otto Friſingenſis diſertè: *Tradit curia, & ab Eccleſia eo tempore, quo ſub Henrico V. de inveſtiturâ Epiſcoporum deciſa fuit inter regnum & ſacerdotium controverſia,ſibi conceſſum autumat, obeuntibus Epiſcopis, ſi fortè in eligendo partes fiant, Principis arbitrij eſſe Epiſcopum, quem voluerit, ex primatum ſuorum conſilio ponere, nec electum aliquem antè conſecrandum,quàm ab ipſius manu regalia per ſceptrum ſuſcipiat.* Lotharius utique, ſciſſâ propter electionem Epiſcopi Magdeburgenſis Eccleſiâ, Epiſcopum ei dedit Norbertum,ut Crantzius in *Metrop. lib. IV. capit. 12.* & Trithemius *in chronico Hirſaugienſi Anno MCXXVII.* tradunt. Eidem viæ inſtitit Conradus III. cùm Trajectenſis Eccleſia in partes diſtracta eſſet, ut Otto Friſingenſis teſtis eſt. Luculentum verò admodum hujus ſuæ autoritatis exemplum initiò ſtatim imperij præbuit Fridericus I. *Cùm enim in Eccleſia Magdeburgenſi*, verba ſunt Ottonis Friſingenſis, *alij eiuſdem Eccleſiæ præpoſitum Gerardum, alij Decanum eligerent, diviſis*

hinc inde perſonis, Regem adhuc in Saxonia morantem adire diſponunt: quos dum multis modis ad unitatem & vinculum pacis princeps reducere ſatageret, ac proficere non valeret, alteri parti i. e. decano cum ſuis perſuaſit, ut Guicmannum Zicenſem Epiſcopum, virum adhuc iuvenem ſed nobilem, eligerent, eique accerſito regalia eiuſdem Eccleſiæ conceſſit. Eugenius Papa hanc electionem ægrè admodum tulit, non tam, quòd tranſlationes Epiſcoporum divinæ legis oraculo vetitas eſſe diceret, ut conſtat ex ejus literis, quas ſuæ hiſtoriæ idem Friſingenſis inſeruit. Nihilominus tamen obtinuit Fridericus quod volebat. Miſſis enim ad Anaſtaſium cum Guicmanno nuncijs, *non ſolùm facti ſui ratihabitionem, ſed etiam pallium obtinere eum fecit, non ſine quorundam ſcandalo, qui, ne unquam id fieret, immobiliter fixum Romanos tenere, à proprio ipſorum ore audierant.* Eadem autoritate dein ſæpiùs diſſidia Eccleſiarum, ſciſſis in contraria ſtudiis, ſopivit. Exempla ſuppeditant Otto Friſingenſis *lib. II. cap. 31. & 32.* Albertus Stadenſis *Anno MCXIIX.* Trithemius in *Chronico Hirſaugienſi, Anno MCLVII. & MCLXII.* & Baronius *anno MCXXCV.* ex Arnoldo Lubecenſi: Cùm enim duo in Eccleſiâ Trevirenſi eſſent electi, Volcmarus & Rudolphus, Imperator audiens quod factum fuerat, [ſunt hæc verba Arnoldi,] *propter diſſenſionem electionis inveſtituram dedit Rudolpho.* Volcmarus provocat ad Pontificem, nec is ei defuit, ſed irrito conatu, quum Imp. quicquid demum moliretur Pontifex, in ſententiâ perſiſteret. Quin cùm diſſidentibus in electione Romani Pontificis Cardinalibus à quibuſdam Octavianus, Victor dictus, ab aliis Rolandus, qui & Alexander III. electi eſſent, ſui quoque officij eſſe ratus Imperator conſulere Eccleſiæ, illum Romanum Pontificem in ſynodo Ticinenſi, hujus electionem nullam pronunciavit, ut pluribus ſingula memorat Radevicus *libro ſecundo.*

In iis aliàs, quæ Electionem Epiſcoporum Germaniæ attinent, non videtur Imperatori cum Romanis Pontificibus fuiſſe controverſia. Nam quod Hadrianus IV. apud Nauclerum & Baronium ita per literas Fridericum primum affatur: *Quid dicam de fidelitate B. Petro & nobis à te promiſſa & iurata, quomodo eam obſerves, cùm ab iis qui dij ſunt, & filij excelſi omnes, Epiſcopis videlicet homagium requiris, fidelitatem exigis, & manus eorum ſacratas, manibus tuis innectis,* hæc de ſolis Italiæ Epiſcopis accipienda. Liquet id ex poſtulatis Imperatori à Pontifice propoſitis, quorum tertium eſt: *Epiſcopos Italiæ ſolùm ſacramentum fidelitatis ſine hominio facere debere Domino Imperatori.* De ſolis igitur Epiſcopis Italiæ, cujus dominium affectabant Pontifices, locutus Hadrianus. Vrbanus quidem jam olim in Claromontano concilio ſanxerat: *Ne Epiſcopus vel ſacerdos Regi vel alicui laico in manibus ligiam fidelitatem faceret:* ſed inſolens decretum nemo hactenus admiſerat. Adrianus autem ne finis ullus litium eſſet, iterum his iniquis poſtulatis ferocem principem, & cui jam aliquoties antè bilem moverat aggreditur. Id autem poſtulare audet, quod & naturali obligationi, & perpetuæ omnium ſeculorum conſuetudini penitus erat adverſum. Neque enim ſolùm in Germaniâ & Galliâ perpetuâ conſuetodine receptum, ut Epiſcopi ſuis regibus ſacramentum dicerent, ſed in ipſâ etiam Italiâ. Baronius ipſe juramentum, quo Epiſcopi & Comites Italiæ Carolo Calvo Imperatori ſe obſtrinxerunt inſeruit *Tomo XI. Anno* DCCCCCXXVI. Prudenter igitur reſpondit Fridericus Imperator: *Epiſcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium, ſi tamen & eos de noſtris regalibus nihil delectat habere. Quòd ſi gratanter audierint à Romano Præſule: Quid tibi & Regi; Conſequenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire: Quid tibi & poſſeſſioni?*

Quomodo verò in univerſum ſe hâc ætate habuerit Germaniæ Epiſcoporum conſtitutio, non aliunde quis meliùs cognoſcet, quàm ex ipſius Imperatoris verbis, & quidem ſopito jam, quod ipſi fuerat cum Alexandro III. certamine. Vrbanus enim III. cui iterum cum Imperatore propter decimas, advocatiam Eccleſiarum, & alia quædam, graves interceſſerunt inimicitiæ, cùm iniquum eſſe diceret, defuncto Epiſcopo quopiam, bona eius mobilia & proventus illius anni ab Imperatoribus auferri, conſuluit hac de re Fridericus Philippum Colonienſem Epiſcopum, & ita locutus, ut tradit Arnoldus Lubecenſis in Chronicis Sclavorum lib. III. cap. 17. *In veritate compertum habemus,* inquit Imperator, *quod prædeceſſores noſtri antiqui Imperatores hoc juris habuerint, ut defunctis, inveſtituram pontificalem ſine alicuius præiudicio probatis perſonis liberrimè locaverint. Sed quia hoc ipſorum voluntate mutatum invenimus, ratum habemus. Hanc verò minimam ſcintillam juris noſtri, quam invenimus, nequaquam mutari permittimus. Sufficiat vobis juſtitia veſtra, quam inveniſtis, quòd permittitur vobis electio Epiſcoporum, quam vos canonicè fieri dicitis. Sciatis tamen, quia, dum pro voluntate Imperatoris iſta diſpenſarentur, plures juſti ſunt inventi ſacerdotes, quàm hoc tempore, dum per electionem inthronizantur. Ipſi enim ſecundum vitæ meritum ſacerdotes inveſtiebant, nunc autem per electionem, non ſecundum Deum, ſed ſecundum favorem eliguntur.* Hæc Fridericus ſtrenuus jurium Imperii defenſor. Verè autem Otto Friſingenſis ait, *Principis autoritatem non ſolùm in ſecularibus, ſed & in Eccleſiaſticis negotiis plurimùm increviſſe,* ubi, quæ ipſi fuerat cum Eugenio Papa de Guicmanno Magdeburgenſi electo Archiepiſcopo controverſia, ex voto cecidiſſet. Dabant enim operam clerus & populus, ut eum eligerent, quem Principi gratum eſſe ſcirent. Hinc fortè eſt, quod Crantzius ait, Imperatorem Godſcalco de Mimigardevordenſi Eccleſiâ providiſſe. Et c. 12. *Valuit tum maximè controverſia inter ſacerdotium & regnum, quòd Epiſcopatibus provideret Fridericus, jus patrium revocaret. Pontifex proximis pactis, & divino juri pariter, & humano inhærebat, eſſe indignum, principem laicum diſponere de rebus Eccleſiaſticis.* Sed hæc, ſi ex allatis paulò antè Friderici verbis judicium ferendum eſt, non videntur omninò certa, niſi quid in ſchiſmate forſaſſis ſecus factum ſit, quo fervente, confirmaverit quoque Imperator, ſi Goldaſto fides, conſuetudines Regias Angliæ regni, in conventu Clarendonienſi deſcriptas, quas recitant Goldaſtus *Tomo ult. Conſt. Imper.* & Baronius *Anno MCLXIV.* Harum conſuetudinum XII. eſt: *Cùm vacaverit Archiepiſcopatus, vel Epiſcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus de dominio Regis, debet eſſe in manu eius, & inde percipiat omnes reditus & exi-*

tus

tus ſicut dominicos. Et cùm ventum fuerit ad conſulendum Eccleſiæ, debet Dominus Rex mandare potiores perſonas Eccleſiæ, & in capella debet fieri electio aſſenſu Regis & conſilio perſonarum regni, quas ad hoc faciendum vocaverit. Et ibidem faciet electus homagium, & fidelitatem Regi, ſicut ligio domino ſuo de vita & membris, & honore ſuo terreno, ſalvo ordine ſuo, priusquam ſit conſecratus. Sed hæc fortaſſis minùs certa. Id admiratiooe dignum, Henricum Leonem Saxonum ducem, quo vix quiſquam Ducum fuit potentior, jus inveſtituræ in ſui territorii Epiſcopatibus uſurpare auſum, quod non licebat Imperatori in Imperio. Id verò apertè ex Alberto Stadenſi, Helmoldo Buzovienſi, & Alberto Crantzio, liquet. *Vocatis*, inquit Albertus Stadenſis Anno MCLXII. *Epiſcopis, Geroldo Aldenburgenſe, Evermode Raciſburgenſe, Bernone Magnopelitano* (has enim Eccleſias Henricus Leo vel fundâtat, vel certè dotârat,) *locutus eſt iis ut ab ipſo reciperent ſuas dignitates, & fecerunt*, teſte Alberto Stadenſe. *Henricus Leo facilè tum impetravit ab Epiſcopis*, ait Crantzius *quos conſtituit, ut ab eo paterentur inveſtiri, quippe, qui nihil omninò, niſi de illius manibus habebant.* Wicelinus quoque Aldenburgenſis Epiſcopus, diu reluctatus, tandem, *fecit invitus, quod ſciebat non licere*, ait idem Crantzius. Quo Wicelino mortuo, cùm Geroldum ſubſtituiſſet Henricus Leo, nec cum Bremenſis Archiepiſcopus cooſecrare vellet, quia *quaſi per ducem & duciſſam electus erat*, inquit Abbas Stadenſis, Romam eum ſecum duxit, & perfecit, ut ab Adriano IV. etſi is quoque id præmonitus à Bremenſi tennerat, conſecraretur. Quin tanta fuit teſte Helmodo, in electione illorum Epiſcoporum Henrici Leonis autoritas, ut, Geroldo mortuo, Eccleſia aliquandiu vacaverit, quòd ducis, qui in Italiâ militabat, exſpectaretur ſententia. Ita patet, quomodo hoc tempore electio Epiſcoporum ſe habuerit, & jura Regia, quæ reliqua erant, generoſi illi cùm Imperator tum Dux propugnaverint.

Deinceps in peius omnia ruere cœperunt: accisa eſt Imperatorum autoritas: ademptum populo jus ſuffragii, libertas Eccleſiatum à Pontificibus oppreſſa. Sic jura omnia pro arbitrio Papæ ſerviunt. Quot decretis priores Pontifices ſanxerunt, ut Epiſcopus à Clero & populo eligatur! Gregorius tamen IX. quòd ipſi id non ampliùs videretur conſultum, reſcidit decreta, & corruptelam vocare audet. Vt Eccleſiatum libertatem aſſererent, ab Imperatoribus, ut ajebant, oppreſſam, totus Occidens commovendus erat, multæque hominum mactandæ myriades. Nunc ipſi in jura Eccleſiatum involant, libertatem omnem Eccleſiis eripiunt, adeò, ut vix quiſquam ſit, qui non in illam curiæ Romanæ uſurpationem Invehatur. Occaſionem præbuerunt, feralia Germaniæ Principum diſſidia, diſtractis in Imperatorum electionem ſtudiis plerumque enata. Diſertè id tradit Vrſpergenſis Abbas, ubi de contentionibus Philippi & Ottonis IV. agit. Sub ipſo Friderico etiam II. cum quo tamen Imperatoria majeſtas tantùm non concidit, Eccleſiarum jura invadere veriti non ſunt Pontifices. Neque enim ſolùm, ſi qua diſſenſio orta eſſet, in curiâ Romanâ cauſam agi voluerunt, ſed etiam inconſultis iis, penes quos eligendi erat poteſtas, obtrudere Eccleſiis Epiſcopos auſi ſunt. Conſecratio quidem & Confirmatio penes metropolitanos adhuc erat, ſed & eam ereptum dein ivêre. Crantzius Proviſionum & reſervationum Papalium acerrimus hoſtis, earum initium in hæc ferè tempora refert. *Raceburgenſis Eccleſia*, inquit, *vacabat & ſe ingerebat non electus à fratribus, Lambertus quidam Hamburgenſis & Bremenſis canonicus, qui Eccleſiam alienigena à ſummo Pontifice ad ſe nihil pertinentem impetravit. Vide in quantum licentia tum proceſſit, poſt Imperatorum deſtitutionem Romana Eccleſia, ut ſe inciperet intromittere de Eccleſiis vacantibus. Solebant Imperatores de Romana aliquando diſponere Eccleſiâ, perventum eſt eò, ut de ſolis Germania Eccleſiis & Abbatiis diſponerent, idque extortum eſt manibus eorum tempore Henrici V. Imperatoris. Tum Eccleſiis provenit libera electio. In eam quoque Papa manus inicit per hæc tempora, & crevit illa facultas in immenſum, ut ſatis ſit per Germaniam res tolerabiles, ſed in Franciâ & Angliâ immoderata.* Fridericus verò ipſe Imperator non ſatis ſibi videtur ab his Pontificum molitionibus caviſſe, latâ initiò Imperii, ad imitationem tamen Ottonis IV. illâ Aureâ bullâ de libertate Eccleſiaſticâ, quâ non ſolùm jure ſuo, quòd antiquâ conſuetudine in bona decedentium prælatorum, & vacantium Eccleſiarum, (quod tamen vel ſolo Annatarum nomine facilè defendas) Imperatores habebant, ceſſit, ſed etiam appellationes ad ſedem Apoſtolicam liberè fieri, & electiones prælatorum canonicè inſtitui permiſit, *quatenus is viduata præficiatur Eccleſiæ, quem totum capitulum vel major & ſanior ipſius pars duxerit eligendum.* Canonica electio dicitur, quæ fit à Capitulo, cùm priorum Pontificum ætate non alia eſſet canonica electio, quàm quæ fieret à clero & plebe, cuius decretum inde canonicum dictum. Alia itaque hac ætate canonica electio cœpit, quàm quæ fuit olim, quod patet, ſi quis eam quæ hac ætate in uſu fuit, cum illâ, quæ paucis quidem, ſed accuratè, deſcribitur in concilio Sueſſionenſi apud S. Medardum habito, cùm de Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi canonicâ electione & ordinatione lis eſſet, conferat.

Quod autem Speculi Saxonici autor ſatis adhuc magnificè de poteſtate Imperatorum in conſtituendis Epiſcopis loquitur, id omninò ad hanc ætatem non eſſe referendum videtur. Vixit enim circa confinia ſeculi XII. & XIII. ipſo fortaſſis Friderico imperante. Verba eius ſunt lib. III. Art. 59. *Cùm electus fuerit Epiſcopus, Abbas, Abbatiſſa, qui ſtudio fruuntur bellico, tales primò tenentur à Rege feudum recipere, & poſtea ab Eccleſiâ curam ſpiritualem. Vbi Epiſcopus, Abbas, aut Abbatiſſa in ſex ſeptimanarum tempore non eligitur, electioque Regi pertinet vel Imperatori, electio ut ſic devolvitur ad Imperatorem, & ille conferre poterit idoneo pro ſua voluntate.* Et Art. LX. *Imperator confert cum ſceptro ſpiritualibus, & cum vexillis ſecularibus, feuda omnia illuſtris dignitatis.* Prius quod ait, an quiſquam Imperatorum poſt Henricum V. obtinuerit, valde dubito, niſi id fortè Fridericus IV. indicavit, quod ipſum tamen non videtur veriſimile. Crediderim potiùs, ſi conjectari licet, in Saxonum gratiam ab Henrico IV. hujusmodi

Digitized by Google

conſtitutionem laxam, quum illi haud æquo animo ferrent, tam liberè ab Imperatore Epiſcopos conſtitui. Quicquid verò ſit, à Friderici II. obitu, etſi jam antè haud parva erat Pontificum in Epiſcoporum electionibus autoritas, ut patuit, dein tamen magna ſumpſiſſe incrementa certum eſt. Hic fructus fuit contentionum, & tricennalis interregni. Electus demum Rudolphus Pontificum conatibus non videtur ſatis obſtitiſſe. Invaluere tum magis magiſque infauſtæ illæ proviſiones, ereptâ Eccleſiis libertate, & neglectâ canonicâ propriè ita dictâ electione, cùm Epiſcopum capitulares Eccleſiæ cathedralis (cæterorum enim clericorum & populi jam non magna ratio haberi cæperat,) eligerent. Epiſcoporum quoque confirmatio Româ interdum peti cœpit, quæ, uti & conſecratio, cùm ad Metropolitanos ſemper pertinuiſſet, ita hâc quoque ætate iis reliqua ut plurimùm erat, à quâ demum conſuetudine tam procul paulatim tandem eſt receſſum, ut hodie etiamnum Epiſcoporum confirmatio Româ petenda ſit.

Omnibus autem fermè odio fuit illa Pontificum uſurpatio, quod & Reip. & Eccleſiæ eam noſſent apprimè eſſe noxiam. Si Anglicanos Scriptores conſulamus, plena eorum monumenta graviſſimis querelis. Idem de Gallis dixeris. Nec ſeciùs Germani magno ſuo malo, quis ſit proviſionum & reſervationum Papalium fructus, experti, oppreſſam Eccleſiæ libertatem deplorârunt. Quæ fuerit Philippo Pulchro Francorum Regi cum Bonifacio VIII. quòd rex ſibi collationem Eccleſiarum & præbendarum aſſereret, controverſia, notum eſt. Qui ei ſucceſſit Clemens V. Bremenſi Eccleſiæ, de Epiſcopo, ita enim loquebantur, providit, miſſo Bremam Iohanne quodam, Lundenſi quondam in Daniâ Archiepiſcopo, qui Pariſiis tum fortè habitabat. Quàm iniquum verò obtrudere Eccleſiæ hominem ignotum, exterum, cuique nulla quidem illius Eccleſiæ notitia! Neque tamen aliter Iohannes XXII. egit. Ita enim Henricus Rebdorff. in Annalibus: *Iohannes XXII. priùs vocatus Iacobus de Cahurio de Waſconia, multas gratias de Eccleſiaſticis beneficiis fecit, & ita pingues clauſulas formis gratiarum ſuarum appoſuit generaliter, quales antea ab aliquo Papa non emanaverunt, & diſpoſitioni ſuæ tot prælaturas reſervavit, quod antè ipſum ita communiter conſuetum non erat.* Idem in anno MCCCXXXIII. *In Alemannia*, inquit, *magnum ſchiſma eſt in clero & populo ex proviſionibus ſedis Apoſtolicæ ad Epiſcopatus, ſolennes prælaturas & alia beneficia, quæ idem Ludovicus in odium ſedis Apoſtolicæ fortiter impedivit, multos etiam proviſos à ſede deiecit.* Eadem fermè de Iohanne XXII. idem refert Gobelinus Perſona Coſmodromij Æt. VI. cap. 71. & de Benedicto XII. idem ait: *Hic Benedictus inter cæteras declarationes, quas fecit, declaravit, quod gratia ſpecialis beneficio vacaturo extendit ſe ad beneficia ubique ſita, ad collationem illius ſpectantia, ſub cuius collatione cadit gratia conceſſa.* Quin adeò hæc corruptela invaluerat, ut Bremenſi Archiepiſcopo defuncto, nemo eſſet in Eccleſiâ Bremenſi, qui ad Pontificatum adſpiraret, *ſcientibus cunctis, quod fruſtra niterentur, cùm Apoſtolicâ proviſione ſedes implenda putaretur. Iam enim inoleverat*, ait idem Crantzius lib. IX. cap. 23. *ut Apoſtolica proviſione darentur Epiſcopi, poſthabita capitulorum legitimâ electione.* Cùm igitur tam frequentes eſſent illæ gratiæ exſpectativæ, ſæpiùs accidit, ut alium eligerent Epiſcopum capitulares Eccleſiæ cathedralis, alium Româ vel Avenione mitteret Pontifex, multis munitum bullis, quibus refragari piaculum habebatur. Complura ſunt in promptu, quæ id docent exempla, nec hic adſcribere omnia vacat.

Nihilominus tamen accidit interdum, ut uterque Epiſcopus, tum, quem capitulum elegerat, tum etiam, quem conſtituerat Pontifex nollet ſe jure ſuo abdicare. Hæc igitur res ingentes dedit turbas, diviſis ſtudiis, adeò ut in bellum quandoque illæ contentiones eruperint cum maximo Eccleſiarum detrimento. Taceo, quod Eccleſias hominibus ſæpe exteris, ignotis, nec illo quidem officio dignis, gubernandas commiſerunt Pontifices. *Quid ſibi vult*, ait alicubi Gerſon, *quod modò potius omnes Epiſcopi, Prælati & parochiales ſacerdotes per Papam conſtituantur, quàm eligantur perſonæ notæ & aptiores de Patria, & nunc præficiantur Eccleſiis homines exteranei, in moribus, & linguis, & conſuetudinibus?* Addo, ſæpe homines flagitioſi, vitæque diſſolutioris. Hominem carnalem juvenemque vocat Trithemius *in Chronico Hirſaugienſi*, quem Vrbanus V. neglectâ à Capitulo Colonienſi jam factâ legitimâ electione, eo invito conſtituit Epiſcopum. Epiſcopi ipſi quibus providebatur, quo animo ad regendam Eccleſiam acceſſerint, vel illud argumento eſſe poteſt, quod ſedulò antè ſoliti fuerint rem ſuam agere in curiâ Romanâ, irrito laboraturi conatu, ni muneribus Pontificis Cardinaliumque antè eſſent aucupati gratiam. Dignum memoratu eſt, quod ait Crantzius, Nicolaum quendam Proviſione Apoſtolicâ Lubecenſem Epiſcopum creatum, ubi comperiſſet *Lubecam ad temporale dominium illius Eccleſiæ non pertinere, graviter ſibimet ipſi indignatum, quòd non antè perquiſiviſſet rerum qualitatem, ut non tanti laboris & ſumptuum impendia feciſſet.* Eadem cùm Pontificum tum ipſorum Epiſcoporum ambitione & avaritiâ, factum, ut pluralitas beneficiorum, quam vocant, ſub Commendarum nomine, vel quocunque alio, hac ætate plurimùm invaluerit, & tranſlationes Epiſcoporum ex tenuioribus in opulentiores Eccleſias ſæpiſſimè factæ, indultu Pontificum, à quibus nihil non redimi poterat. Verè igitur Crantzius exclamat: *Laxa Petre retia, anguſta interim ſunt, laxa, ut fiant capaciora. Ecce magna pars Italiæ tibi tributaria eſt. Per univerſam Germaniam & Hiſpanias de Eccleſiis & maioribus beneficiis diſponis: In Francia idem facturus, niſi nova adinventio pragmaticæ ſanctionis obſiſteret.* Et pòſt: *Amplificarunt per tempora ſummi Pontifices, magnificè ditionem Eccleſiæ, non per commentitiam Conſtantini donationem, quæ nunquam facta eſt, ſeu per munificentiam aliorum Principum, ſive de Gothis ſive de Longobardis, ſive per magnum Carolum. Amplificârunt in eccleſiaſticis rebus per reſervationes, confirmationes, & proviſiones fimbrias ſuas. Laxarunt retia & omnia in ſuam traxere poteſtatem. Mirabitur, quiſquis annales antiquorum temporum legerit, temporum mutationes, tum in cæteris, tum maximè in Eccleſiaſtica poteſtate.* Sed hanc Camarinam movere, & quæ mala hinc in Remp. & Eccleſiam redundarint perſcribere,

bere, operæ pretium fortè non fuerit. Id addo: haud auſuros fuiſſe Pontifices tam immenſam ſibi ſumere poteſtatem, niſi bullas ſuas omnes, & jura quæ condiderant in tanto honore haberi vidiſſent, ut nihil non ſanctè recipiendum putaretur, quod Româ aut Avenione profectum conſtaret. Quæ opinio, ubi pervaſit hominum mentes, nihil tam fuit arduum, quod à Romanis Pontificibus obtineri non poſſet. Succenturiantibus Canoniſtis, ſtrenuis Pontificiæ majeſtatis aſſertoribus, quos non puduit dicere, *de antiquo iure, & diſpoſitione eccleſiæ, poteſtatem conferendi Epiſcopatus ad Papam pertinere*: Quæ etſi falſiſſima ſunt & inepta, illo tamen tempore ad dementandas hominum mentes non parùm valuerunt.

Reſtitere tamen Pontificibus Ludovicus Bavarus, & Carolus IV. Sed hic quidem parùm videtur obtinuiſſe. Quin haud malè, confirmaſſe potiùs hanc injuſtam Pontificum uſurpationem dici poſſit, cùm non nunquam eorum opem implorârit, ſi cuiquam ſuorum Epiſcopatum conferri vellet, quod, invito quandoque capitulo, ſolâ proviſionis Apoſtolicæ autoritate factum. Exempla ſunt apud Crantzium & Trithemium *in Chronico Sphanheimenſi* Anno MCCCLXX. & MCCCLXXXIII. Magìs feriò hæc cauſa acta à deputatis provinciarum nationis Germanicæ in concilio Conſtantienſi, ſcripto quopiam compoſito, quo proviſiones, gratias exſpectativas, reſervationes per regulas potiſſimùm Cancellariæ introductas, abrogari volebant. Aviſamenta Conſtantienſia vulgò vocant, inſerta *catalogo teſtium veritatis Flaccij Illyrici, & tomo primo Conſtitutionum imperialium Goldaſti*. Sed cùm ne ſic quidem obtineri quicquam poſſet, Principes Germaniæ Moguntiæ coacti quatuor annis antè, quàm concilium Baſileenſe coiret, de his ipſis gravaminibus abolendis deliberant. Aviſamenta Moguntina vocant, in quibus Principes conſtituunt orandum Pontificem, ut in *ſingulare privilegium relevamen gravaminum* concedat. Privilegium petunt, quod Pontifices ſibi præter omne jus faſque uſurpaverant. Deinde gravamina ordine exponunt. Primum eſt: *Imprimis caſſet*, [Pontifex] *annullet & irritet omnes & ſingulas reſervationes tam generales quàm ſpeciales, ſive particulares Eccleſiarum Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, dignitatum & beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque, quibus pro electione provideri conſuevit; ſive per Extravagantes ad Regimen & Execrabil. aut per regulas Cancellariæ, ſeu quaſcunque alias conſtitutiones aut ordinationes introductæ ſint, reſervationibus in corpore iuris clauſis duntaxat exceptis.* Et verò ex voto Principum Germaniæ in concilio Baſileenſe res cecidit. Reſervationes enim publico concilij decreto abrogatæ, & Eugenius IV. *quòd electionibus obſiſteret, reſervationibus contrariis utendo* [ſunt hæc verba Concilij] graviter increpitus, & demum etiam, cum judicium concilij nullatenus admitteret, in eodem damnatus. Sed Germania, ſeu id factum Æneæ Sylvij artibus, ſive culpâ Friderici III. Imperatoris, quod nonnulli ajunt, interque alios graviter conqueritur Carolus Molinæus, tam optatâ occaſione excutiendi jugum Pontificum, frementibus & indignantibus pleriſque, uſa non eſt. Gallicana autem Eccleſia meliùs ſibi conſulens, editâ in Biturigibus, autoritate regis Caroli & omnium regni ordinum, Pragmaticâ ſanctione, decreta Baſileenſis concilij magno bono recepit & probavit, & mordicus, uſque ad Leonis X ætatem, nullis Pontificum artibus ſe deludi paſſa, defendit. Quâ de re pluribus agunt Franciſcus Duarenus *de ſacris Eccleſiæ miniſteriis lib. V. cap.* 11. & Marcus Antonius de Dominis *Lib. III. cap.* 12. *& lib. IX. cap.* 8. *&* 9.

Germaniæ non eadem erat fortuna. Parati quidem Epiſcopi exemplo vicinæ Galliæ excitati, ſe quoque in libertatem aſſerere, ſed neſcio quo fato factum, ut optimi conatus proſpero caruerint ſucceſſu. Indignabantur plerique Germaniam argento exhauriri, libertatem Eccleſiarum opprimi. Convenit igitur demum Fridericus III. anno ſeculi XV. XLVII. cum Legato quopiam Pontificis in certa quædam pacta, *Concordata Nationis Germanicæ* vulgò vocant, approbata dein à Nicolao V. Pontifice, in quibus non quidem omnes Proviſiones & reſervationes abolentur, ſed (uti ait Henricus Caniſius notis in hæc concordata) *certus modus adhibetur ſuper proviſionibus & reſervationibus Eccleſiarum, & beneficiorum eccleſiaſticorum quoad Germaniam*. Nondum tamen juſto Statuum deſiderio hoc ipſo, erat ſatisfactum. *Perſuadere* Nicolao defuncto, *Imperatori annixi ſunt*, ait Platina, *ne Pontificibus ampliùs obtemperaret, niſi quædam ad pragmaticam tendentia ab ipſis priùs impetraſſent, quod dicerent Germanis longè peiorem conditionem, quàm vel Gallis vel Italis, quorum ſervi, Italorum inprimis, ni res immutarentur, meritò eſſe dicebantur.* Res jam in eo erat, ut morem gereret Fridericus, cùm Æneas Sylvius obſticit. *Non procul abfuit*, pergit Platina, *quin Imperator tumultuantibus obſequeretur. Quominus autem id fieret, graviſſima Æneæ autoritas interceſſit.* Et verò non ſunt ita comparata illa pacta, quæ Imp. plùs juſto fortaſſis, quàm è re Eccleſiæ & Reip. eſſet, ſui commodi amantior cum Nicolao V iniit, ut obviam omnibus corruptelis eatur. Magnum diſcrimen, ſi ea cum Pragmaticâ ſanctione conferas. Reſervantur ſedi Romanæ omnes cathedrales aliæque Eccleſiæ, ſi in curiâ vacent: ſin extra curiam vacent, canonica permittitur electio. Confirmatio omnis Româ petenda eſt. Licet Pontifici, ſi canonicos ducat inhabiles, vel ex aliâ aliquâ rationabili cauſa de digniori & utiliori perſonâ providere: Menſes cum ordinariis collatoribus ex æquo partitur. Sed quid opus eſt plura inde excerpere, cùm in complurium manibus verſentur? Hæc ipſa tamen Concordata, non integrâ fide pòſt ſervata, tum multa exempla docent, tum vel illa gravamina, quæ anno MDX. Maximiliano Imperatori exhibita recitat Goldaſtus *tomo* II. *Conſtit. Imper.* Nec ſilent hac de re Gravamina centum Norimbergæ expoſita, quæ à Lutheranis in odium Papæ conficta eſſe contra publicorum actorum fidem aſſerit Bellarminus. Hinc utique factum arbitror ut Clemens VII. Anno M.D.XXXIV. peculiari conſtitutione illa concordata, cùm ea non ſatis æquo animo Germaniæ ferrent, iterum confirmari, cui dein anno ejuſdem ſeculi LXXVI. altera Gregorij XIII. declaratio de menſibus reſervatis acceſſit. Utraque extat VII. *Decretalium lib. II. Tit. XI.* ubi plura ſunt, quæ huc pertinent. Utramque à ſuis inſtitutionibus juris canonici, cum concor-

datis nationis Germanicæ notis illuſtratis, ſubjunxit Henricus Caniſius.

Hodie igitur omnes omnino Epiſcopi in Germaniâ conſtituuntur vel Electione, vel Poſtulatione, vel Collatione, quæ fit à ſolo Pontifice. Electio quid ſit, qui ritus in ea obſerventur, quot modis fiat, per ſcrutinium videlicet, vel per compromiſſum, vel inſpirationem divinam, ex corpore juris canonici facilè peti poteſt, ex quo breviter excerpſere Lancellotus & Henricus Caniſius *in ſuis inſtitutionibus*. Duarenus *de ſacris Eccleſiæ miniſteriis lib. V. cap. I. & ex* noſtris Ioachimus & Matthias Stephani in ſuis de juriſdictione ſcriptis, hic *lib. 3. part. I. cap. 9.* ille verò *lib. 6. cap. 12.* quos conſulet, qui illa ſcire volet, mihi illis immorari integrum non eſt. Poſtulatio, quæ puriori Eccleſiæ incognita, ſequiori dein ævo in fraudem legis inventa eſt. quid ſit, iidem, quos antè nominavi, docent. Cùm verò Poſtulatio nihil ſit aliud, quàm ejus qui eligi non potuit apud ſuperiorem concors capituli petitio, ſuperior autem ſolus habeatur Pontifex Romanus, nec Imperator ſibi ullum tale quodpiam impedimentum removendi poteſtatem tribuat, patet ab eo diſpenſationem ordinariè quidem petendam eſſe. Liquet igitur hinc, quare hactenus Pontificij Proteſtantes Epiſcopos, nec in Epiſcoporum ordinem, nec ad ſeſſionem & ſuffragia in Comitiis ferenda admittere voluerint. Quia enim ex pacto cum Nicolao inito, quòd vim quaſi legis detinet, Epiſcopis Germaniæ Confirmatio Româ petenda, & diſpenſatio quoque, ſi quis poſtuletur Epiſcopus, ab eodem Pontifice Romano impetranda eſt, cùm Epiſcopi proteſtantes, ſive electi, ſive poſtulati, utrumque negligant, arbitrantur illi deeſſe iis aliquid, quo ſine in Epiſcoporum Germaniæ numero haberi minimè poſſint. Nec fortaſſis ullum, niſi unius Henrici Iulij Halberſtadenſis Epiſcopi, ſive Confirmationis, ſive Poſtulationis in curiâ Romanâ probatæ, exemplum habetur, quid verò rectè, quid ſecus fiat, item, an Paſſavienſi receſſu à capeſſendis Epiſcopatibus excluſi ſint Proteſtantes, nunc diſſerendi non eſt locus. In Proteſtantium terris longè aliter ſe res habet: Epiſcopatus nonnulli in provincias redacti, vix nomen reliquum habent. Iura Epiſcopalia (ita enim Paſſavij primùm, dein Auguſtæ convenit. Principum hodie ſunt, quorum nomine ea exercent Conſiſtoria. Epiſcoporum nomen in deſuetudinem abiit, ſucceſſit Superintendentium appellatio, quos Præpoſitos alio nomine appellant. Superintendentes dein alij Generales, alij Speciales. Hos Epiſcopos, illos Archiepiſcopos vocare fortaſſe poſſis, quibus nonnunquam alius aliquis præeſt, qui Generaliſſimus dicitur, quem Primatem fortè dixeris. Eorum verò inſtituendorum non una eademque ubivis eſt ratio, ut ſatius fortè ſit hæc prætermittere, quàm incerta ſcribere.

Id quod mei erat inſtituti, quomodo Epiſcoporum Germaniæ conſtitutio cùm olim ſe habuerit, tum nunc quoque ſe habeat jam conſtare arbitror. Dicendum nunc nonnihil eſt, an hæc, quæ hodie obtinet, Conſtituendi Epiſcopos ratio, utilis ſit Reip. noſtræ, vel ſi utilis illa non eſt, quænam ſit maximè ea uſu Reip. Vbi initiò monendum eſt; non reperiri legem aliquam ſive naturalem, ſive divinam, de Epiſcoporum per Eccleſiam Conſtitutione, ſed omne hoc negotium humanæ eſſe prudentiæ commiſſum, modò ſemper attendatur illud: *in Eccleſia oportere omnia fieri ordine & decenter*. Leges itaque Eccleſiaſticæ, ſive veteres ſive novæ hujus argumenti, ſunt poſitivæ, eoque noſtra tempora aut Germaniam non adſtringunt & obligant. Et verò ita ſemper fuiſſe creditum certiſſimo argumento eſt, illa magna Eccleſiaſticarum Legum hac de re varietas & multitudo. Proinde ex uſu publico etiam hodie omnia ſunt æſtimanda. Videtur autem omnino ex re Eccleſiæ & Reipublicæ noſtræ eſſe, Pontificem ab electione & confirmatione. Epiſcoporum Germaniæ excludi: Quum enim Epiſcopi dimidiam ferè partem Ordinum Imperij faciant, ad Comitia & conventus omnes publicos, ubi de ſumma Reipublicæ decernitur, eant, quis non videt indignum eſſe majeſtate Imperij, & magno etiam cum periculo conjunctum, Epiſcopos Germaniæ ſuæ electionis Confirmationem à Pontifice juramento præſtito redimere. Iam olim Ariſtoteles cùm tres Reipublicæ tradidiſſet eſſe partes, unam quæ de Republica conſultat, alteram quæ in Magiſtratibus cernitur, & tertiam denique quæ in Iudiciis: prudenter monuit: *his bene affectis Rempublicam quoque bene affectam eſſe, & ex differentia harum inter ſe Reſp. quoque differre*. Iudicet ergò quivis, quem partium ſtudium non tranſverſum egit, an illa Reſp. benè affecta & omnino libera dici poſſit, cujus princeps pars, (ita eam vocat Ariſtoteles) quæ conſultat, ab extero quodam & abſoluto Principe, qualis ubique eſt Pontifex dependet, eique certo modo ſubdita eſt, ut taceam quod idem ille de Imperio ipſo ſtatuere audet, de rebus & perſonis Eccleſiaſticis vel in curia vel per legatos judicat, atque ita de præcipuorum civium Imperij ſalute & fortunis, quod utique ad majeſtatem pertinet, decernit.

Epiſcopus autem ſine Pontificis conſenſu, & præſtito ei juramento, (quod ipſum tamen novum autore primùm Hildebrando cœpit,) in Germaniâ nullus. Si quiſpiam id præſtare nolit, nec Epiſcopus Pontificiis dicitur, nec Imperij civis. Hinc igitur iterum periculum Imperio imminet. Sanxit enim Pius IV. ne quiſquam ad cathedrales aut quaſcunque alias Eccleſias admittatur, niſi priùs profeſſionem fidei edat, & Pontifici veram obedientiam ſpondeat ac juret. is verò cùm Proteſtantes hæreticos dicat, diris devoveat, & ex præſcripto Pauli IV. & Pij V. [quorum bullæ exſtant in *VII. Decretalium lib. V. tit. III.*] fortunis & honoribus exuendos, pronunciet, quid turbatum in Imperio futurum ſit, ſi pontifici morem gerant Epiſcopi, in aperto eſt. Nec minùs diſcrimen impendet, ſi quando Pontifex, ut factum ſæpiùs eſt, vel anathematis fulmine, vel bello Imp. petat, & finitimos principes fœdere ſibi jungat. Aut imperatoris igitur aut Pontificis caſtra ſequenda fuerint Epiſcopis: cujus autem potiùs ſecuturi ſint, haud certò dixerim. Id conſtat plerumque in Germaniâ Epiſcopos à Pontifice contra Imperatorem magno noſtræ Germaniæ malo ſtetiſſe. Beatior igitur indubiè fuerit Reſp. noſtra, ſi excuſſo Pontificum jugo, in eam libertatem aſſeratur quam olim habuit. Si Hiſpaniæ, Sueciæ, Bohemiæque reges, & Duces Armoricæ olim noluerunt ſuarum ditionum Epiſcopos Metropolitano alterius regni ſub-

ditos

dito: eſſe, in promptu eſt, quid Germanis ſit faciendum, cùm Pontifex hodie Princeps ſummus ſit & abſolutus, & viris, armis, fœderibusque inſtructiſſimus.

Neque tamen, ſi Pontifice excluſo, cuique Metropolitano jus conſecrandi, quod antiquitus habuit, reſtituatur, utile fortaſſis fuerit, liberam Epiſcopatuum collationem ſoli Imperatori deferri: Res enim hæc plena periculi foret, nec ex Reip. noſtræ [ut nunc quidem illa ſe habet] neque ex Eccleſiæ uſu, in futurum videtur? Cui enim incognitum, quâ fide multa in aulis agantur? Ac peccatum eâ in re olim multùm variis in locis, ut & præſertim per Germaniam, conqueruntur plurimi. Etſi igitur ratione Regalium, quæ Epiſcopi poſſident, jus liberè conſtituendorum Epiſcoporum rectè Imperatori aſſeri poſſit, neque ſi tale quid ſibi ille ſumat, iniquum ſit futurum, quia tamen is, cui regalia conferri debent, non tantùm Princeps Imperij, ſed & Eccleſiæ præſul, conſtituitur, à ſolo Imperatore Epiſcopos conſtitui Reip. & Eccleſiæ haud ſatis utile forſitan fuerit.

Regalia autem illa quod attinet: Veteres ſanè antiquæ purioris Eccleſiæ Patres Curam omnem & adminiſtrationem bonorum temporalium ab ordine Eccleſiaſtico voluerunt eſſe remotiſſimam. Ipſique Apoſtolicis Conſtitutionibus annumeratur Canon VII. *Epiſcopus aut Preſbyter aut Diaconus nequaquam ſeculares curas aſſumat, ſin aliter dejiciatur.* Item ille XXCI. *Diximus quod non oporteat Epiſcopum aut Preſbyterum publicis ſe adminiſtrationibus immiſcere, ſed vacare, & commodum ſe exhibere uſibus Eccleſiaſticis: Animum igitur inducito hoc non facere, aut deponitur. Nemo enim poteſt duobus Dominis ſervire, juxta præceptum Dominicum.* Et certè Apoſtolica hæc vox eſt 2. ad Timoth. 2. *Nemo qui militat implicatur huius vitæ negotiis.* Eadem etiam jam olim fuit ſententia Paſchalis II. Pontificis: dein Henrici V. Friderici I. Ottonis IV. & Friderici II. Imper. Nec videtur aliud ſpectâſſe Sigiſmundus Imperator in der geiſtlicher Reformation quæ apud Goldaſtum ſtatutis Imperialibus exſtat: de qua ſic Trithemius in Chronico Hirſang. *Sigiſmundi intentio fuit, ſummo Pontifici, Cardinalibus, Epiſcopis, Abbatibus, Monachis & Clericis legem neceſſariæ huius vitæ poſſidendi reſtrictam conſtituere, & unicuique, pro conditione ſui ſtatus, certam pecuniarum ſummam in annuos ſumptus aſſignari: quicquid autē ſupereſſet Eccleſiæ redituum Fiſco importaretur communi, & in uſus ſervaretur bellices contra Turcas Chriſti adverſarios pugnandi.* Nos verò rem ejuſmodi tot ſeculis receptam, bullis & variis Comitiis approbatam, atque ab Imperatoribus & Imperij Proceribus confirmatam, Cenſuræ noſtræ ſubmittendam non ducimus.

Certè (ſic tandem ad calcem properare liceat,) conſultum fuerit, ſi electiones Epiſcoporum ad antiquiſſimam primæ Eccleſiæ conſuetudinem, ſi non omnino, ſaltem ex parte potiore, reducantur: aut [ſi quidem relinquendi ſunt ſuis opibus] ita omnia inſtituantur, ut & Imperatori ſalva maneat autoritas, & Metropolitanis Iura ſerventur integra, & Populo demum aliquis etiam habeatur honos, ne invitis, [quod tantopere abhorruit omnis antiqua Eccleſia] quiſquam præſit Epiſcopus.

ADD. X.

Poſt lib. 1. Limnæi Enucl. c. 5. nu. 19. addendus ſequens Nobiliſſ. Dn. D. Herm. Conringij Diſcurſ. de Germanici imperij Civibus.

DE Civibus & Statibus Imperij paucula quædam tradituris, præmittenda nonnulla erunt, quorum auxilio, faciliùs in ipſius rei cognitionem devenire poſſumus. Nam & dicendum nobis erit, quinam verè Civium nomine veniant, & cùm non uno eodemque modo Cives dicantur, æquivoca autem ſimul definiri nequeant, vox illa inprimis *ab homonymia* erit liberanda.

Eruditè autem (ut ſolet) *lib. 3. Pol. cap. 1. de huius vocis ambiguitate* diſſerit Ariſtoteles, quæ quidem tam latè ſe extendit, ut pro variarum Reipubl. formis ſpecie etiam Cives differant. Et verò ſi Reſp. priores & poſteriores ſpecie differunt, Cives quoque in iis Rebuſp. eodem modo differre neceſſum fuerit.

Ut verò æquivocatio hæc dilucidè oſtendatur, omnibuſque ob oculos ponatur advertendum eſt. Primò, nonnunquam eos dici Cives, qui tantùm patre & matre Civibus nati ſunt, quamvis nonnulli, non contenti parentibus, etiam de avo & tritavo inquirendum ſtatuant an fuerint Cives. Sed hæc quidem ſignificandi ratio admodum eſt incerta, cùm in infinitum ita quæri poſſit, donec pervenias ad eum qui patrem Civem non habuit. Et hanc ob cauſam Gorgias Leontinus, ſive ioco, ut ſolebat multa, ſive quòd aliter ſe expedire non poſſet, Cives fieri à Civibus ajebat. Sicut enim mortaria fierent ab iis qui hanc callerent artem, ita eſſe opifices Lariſſæ, à quibus Lariſſæi Cives fierent. Sed quàm improvidè hoc ſit dictum quilibet facilè animadvertit. Nam ſi ij tantùm ſunt Cives, qui naſcuntur è Civibus, quomodo appellabuntur ij qui vel condiderunt vel fundârunt Civitatem? Impropriè verò etiam ij Cives dicuntur, qui reſpectu ſaltem aliquo hoc ſortiuntur nomen: quales ſunt civitate donati, qui non re ipsâ, ſed honorarij tantùm ſunt Cives: Dicuntur porrò etiam Cives pueri, & qui nondum perfectæ ſunt ætatis, itemque decrepiti, qui ob venerandam ſenectutem, Immunitatem ac vacationem à muneribus impetrârunt, & puerili ætati rurſum ſunt proximi. Hi verò quamvis Cives appellari poſſint, non tamen ſimpliciter hoc eſt aſſerendum, ſed ita ut illi imperfectè & potentiâ tantùm Cives eſſe dicantur, hi verò jam effœti & ideò hoc nomine gaudeant, quòd olim verorum Civium numero accenſiti fuerint.

Cùm autem hæ Civis appellationes longè ſint alienæ à noſtro propoſito, ſupervacaneum prorſus eſſe cenſemus, in hiſce diu morari: proinde breviter tantùm inſignem hujus vocabuli æquivocationem notâſſe ſufficiat. Nunc ut rem ipſam definiamus, & quibus verò Civium nomen competat accuratè explicemus ratio poſtulat.

Civis autem ſecundùm Ariſtotelem (quem in omnibus ſequendum meritò ſtatuimus) eſt, *cui in*

illa civitate cuius eſt civis, poteſtas eſt fungendi magiſtratu vel deliberativo vel iudicali. Quam quidem definitionem omnibus qui verè Cives appellantur, applicari optimè poſſe confido. Etiamſi enim objicere quis poſſet multos eſſe Cives quibus iſta non conveniat, (ſicut in Tyrannide aut Oligarchia multi ſunt Cives qui nullo loco ſunt, nullâ dignitate aut munere funguntur,) ei regerimus, æquivocam hanc Civis appellationem eſſe, ut paulò antè uberiùs explicavimus. Maximè propriè verò & in illis corruptis adeoque falsò dictis Rebuſpublicis nomine hoc eſſe dignos, quibus illum magiſtratum capeſſendi facultas eſt: valde impropriè verò qui hâc dignitate excluduntur.

Hiſce præmiſſis obſcurum nemini eſſe poteſt, quinam hodie in noſtro Imperio veri & genuini propriique ſint Cives, ij videlicet qui poteſtatem habent judicandi de iis, quæ ad τὸ κῦρος vel ſummam Reipublicæ (verſatur autem ea circa pacem & bellum circa leges publicas rogandas vel derogandas, circa fœdera cum peregrinis, circa vitam, mortem & exilium Civium, denique circa bona Civium aut confiſcanda aut verò in commune diſtribuenda) pertinent. Hinc etiam non poteſt non patere, rectè illos cives *Status & Ordines Imperij* appellari, quòd nempe ſint totius regni columnæ, vel quòd legitimam in comitiis habeant ſtandi perſonam.

Neque verò mirum ſit hos ſolos veros Cives, reliquos autem Incolas potiùs eſſe vel ſubditos. Omnis enim Civis utique ſocius eſt civilis ſocietatis: eſt autem veri ſocij ſuffragium ferre & ſententiam de rebus ad ſocietatem pertinentibus. Apertam ſanè implicat contradictionem, eſſe alicujus ſocietatis verum ſocium, nec tamen jus ſuffragij in eâ ſocietate obtinere.

Scilicet hoc ſuffragiorum jus uſque adeò eſt proprium Civium verorum, verorumque Ordinum ac Statuum alicujus civitatis ut eſſentiam eorum unicè conſtituat. Adeoque qui caret illâ facultate ſive per injuriam ſive jure, non eſt actu Civis: qui fruitur illâ, ſive jure ſive injuriâ, reapſe eſt in Statuum ſive Ordinum ſeu Civium cenſu. Neque enim refert nunc jure hoc fiat an injuriâ. Sic qui nondum gaudet illo jure, etſi gaudere debeat aut poſſit, rectè loquendo non eſt actu Civis, ſed potentiâ tantùm.

Quoniam hoc ergo verè conſtituit Civem, facilè apparet per accidens tantùm fieri, ut talis aliquis matriculæ aut albo ordinum ſit inſertus, ſive collectiones Imperij in publicum ærarium pro rata proximè ſolvat. Quæ duo tamen nonnulli perperam inter certiſſimas Civium atque Ordinum notas recenſent. Quod enim inſertionem in album attinet, certum eſt in multis Rebuſpublicis nullum eſſe album; quemadmodum nec ulla etiam matriculæ memoria exſtat in repub. noſtra, ante illam quam Sigiſmundus Imp: anno 1431. fecit conſcribi, quod rectè proditum eſt à Goldaſto *lib. 2. de Regno Bohem. cap.* 17. Itaque nec ante illud tempus ulli fuiſſent Imperij Ordines, quo nihil eſt dictu abſurdius. Eodem modo etiam ſæpe in Civitatum ac Rerumpublicarum ærarium conferunt illi, qui meri ſubditi ſunt, & parere dominis coguntur. Ita ſanè olim Polonia devicta aliquot auri libras quotannis Germanico Imperio ſolvit, nec tamen in conventu noſtrorum procerum ſententiam dicendi habuit facultatem: contrà Bohemiæ Rex onera Imperij uon fert, in electione tamen ſummi magiſtratus Cæſarij quaſi civem agit.

Fatemur tamen ut nunc ſunt imperij mores ferè ſolos illos, qui contribuunt immediatè in publicum ærarium, & albo ſunt inſcripti, ſuffragandi in comitiis jus habere. Sanè ex quo placuit omnes Ordines in album referre, deberet utique nunc illud album certam nobis notam veri Civis exhibere. Quoniam etiam conſtitutum jam eſt, ut ſoli Ordines proximè ſolvant debitum ſuum ærario, deberet utique & illa collectio ſignificare veros Ordines. At infra probabitur, turbatis Imperij rebus eſſe factum, ut de quibuſdam juréne inſeri debeant an non, item ſolverene ſua debeant publico necne, hodiéque incertum ſit. Et verò permultis licet hiſtoriis docere, haud paucos interdum errore quodam in publicum ærarium ſua contuliſſe, quibus neutiquam in comitiis publicis ſtandi poteſtas fuit.

Sed de hiſce infrà latiùs: Id verò ex his quæ diximus jam eſt manifeſtum; ne quidem etſi quis ſive Princeps ſive Comes Imperij dicatur, modò non habeat jus hoc comitiorum, in Ordinum aut Civium Imperij cenſu meritò eſſe numerandum. Anterioribus quidem ſeculis obtinuiſſe haud negamus, ut nemo Princeps vel Comes Imperij vocaretur, niſi qui idem hac ſuffragandi poteſtate valeret, cùm nempe illis nominibus adhuc officia publica deſignarentur. Nunc tamen longè aliis vivitur moribus: titulis nempe illis ſolis in multos collatis ſine ullo ſuffragiorum jure.

Ita conſtat, in annum uſque trigeſimum ſextum à ſolo Ferdinando II. Auguſtæ memoriæ Cæſare creatos Principes viginti duos, Comites plus quàm ſexaginta, Barones ultra centum viginti: formulæ tamen diplomatum vulgares, quas exhibet libellus cui titulus: *Status particularis regiminis Ferdinandi II.* non perhibent illos in Ordinum Imperij cenſum eſſe relatos. Verba Formulæ quæ in Ducibus creandis ſunt obſervata ita ſeſe habent: *Iuxta hac itaque per Imperium perque noſtras hæreditarias ditiones ſeriò ac ſtrictè mandamus & volumus, ut ſæpe iam nominatus dilectus noſter Dux N. & omnes illius in regimine dicti ducatus N. tam ex lineâ deſcendente quàm poſt hanc extinctam alij ſucceſſores, vigore diſpoſitionis huius pro iis inſtitutæ, uti ſuprà exprimitur, de hinc perpetuò, non minùs quàm alij in ſacro Romano Imperio reliquiſque noſtris hæreditariis regnis ac ditionibus Duces, pro Ducibus N. reliqui autem legitimi hæredes, liberi & eorum hæredis hæredes, mares & fœminæ, deſcendentis lineæ, qui iam nati ſunt, naſcenturve, primogeniti tamen non ſunt, & poſt extinctam modò lineam fratres Ducis N. qui, ſecundum commemoratæ diſpoſitionis tenorem, in Ducatus N. ſucceſſiſſet, licet Ducatum N. neque regant neque poſſideant, perpetuò impoſterum pro noſtris & Imperij Principibus & Principiſſis in quibuſvis honorificis conventibus, equeſtribus ludis, ſuperioribus & inferioribus diœceſibus ac præfecturis, tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus, & aliis ubique, colantur, admittantur, habeantur & agnoſcantur: ipſis quin etiam dicto ſenſu reſpectivè Ducum Principúmve titulus ac nomen tribuatur, quo tales nuncupentur atque ſcribantur: honos eorum autem, dignitaſque præeminentia,*

privilegia

Digitized by Google

privilegia, iura, iuriſdictiones, quibus, ut cæteri ſacri Romani imperii, noſtrorumque regnorum & terrarum Duces, Principes & Principiſſæ, de iure & conſuetudine gaudent, utuntur ac fruuntur, incorrupta ac in omnibus ſalva conſerventur, &c. Ad eundem ferè modum ſe habent verba formulæ per quam titulus Principis confertur. Ita enim ſonant: *Idcirco poſt clementiſſimam recognitionem generis præluſtris & pervetuſti Comitis ab N. & eorum nec non huius ipſius, laudabiliter acquiſitarum virtutum, & Nobis totique Romano Imperio exhibitorum fideliſſimorum obſequiorum, Nos probè deliberato animo, vero & maturo conſilio, rectâ notitiâ, nominatum iam Comitem ab N. ſingulari hâc gratiâ ex proprio motu affeciſſe; eum non ſolùm quidem, ſed poſt obitum, etiam maximum natu filium eius, atq; ſic porrò ſemper natu maximum, indeſinente lineâ legitimè procreatum, Comitem ab N. in ſtatum, honorem & dignitatem noſtrorum ac ſacri Imperij Comitũ Principum, noviter clementer eò evexiſſe & collocaviſſe, & collegio ac ſocietati aliorum noſtrorum & ſacri Imperii Comitum, Principum noviter clementer eò evexiſſe & collocaviſſe & collegio ac ſocietati aliorum noſtrorum ac ſacri Imperii Comitum Principum coniunxiſſe. ſociaviſſe & æquiparaviſſe; & ut titulus, ac in ſpecie prædicatum Celſiſsimorum, unâ cum reliquo titulo & dignitate noſtrorum ac Imperij Principum, ipſis daretur, & ab ipſis gereretur, ſeque DEI gratiâ tales ſcriberent & nominarent, clementer conceſsiſſe & indulſiſſe. Et ex Romana Cæſarea Majeſtatis poteſtate & perfectione, ſcienter & vigore harum ordinare & conſtituere, ut ſuprà dictus Comes ab N. eóque defuncto filius eius natu maximus ac porrò quotuſcunque ex iſtâ lineâ deſcendente maximus natu, Comes ab N. legitimè natus, uti intellectum, in ſtatum, honorem & dignitatem noſtrorum & ſacri Imperij Comitum, Principum, modò commemoratâ ratione referatur, collocetur, ita æquiparetur, & eorum collegio & ſocietati aſſocietur: Simulque illis impertiiſſe & attribuiſſe, præter iam acquiſitos honores & titulos, nomen ac titulum, noſtrorum ac ſacri Imperii Comitum, Principum ab N. & in ſpecie prædicatum Celſiſsimorum, iuxta titulum ſtatumque noſtrorum & Imperii Principum, adeò etiam ut ſe DEI gratiâ tales ſcribere debeant & poſſint: Et conſequenter, ſtatuere, decernere ac velle, ut ſæpe dictus Comes ab N. & poſt eum relictus filius eius natu maximus, ac deinceps omnes ipſius heredum hæredes, uti conſtitutum, continuò & ſemper noſtri & Sacri Imperii Comites Principes eſſe, eo ſeſe commemorato prædicato, titulis ac dignitatibus, ſupra & iuxta priſtinos benèque & cum laude acquiſitos titulos nominare & ſcribere, à Nobis & noſtris in Imperio ſucceſſoribus, aliiſque omnibus ac ſingulis tales haberi, agnoſci, coli, vocari ac inſcribi: univerſa quin etiam beneficia, privilegia, honores, dignitates, prærogativas, præeminentias, emolumenta, iura & iuriſdictiones, unà cum beneficiis in ſuperioribuſq; diœceſibus eccleſiaſticis ac ſecularibus, feudis & præfecturis, in conventibus & equeſtribus ludis, ſuſpicere, obire, aliaque omnia obtinere, & participare, his denique cunctis præcipuè verò Principali Principum Comitum titulo ac nomine, in ſeſſionibus, in votis, in proceſſionibus, ubique locorum & apud omnes, ſummo cum honore, prout par erit, eorumque neceſſitas, voluntas ac bene placitum feret, gaudere, uti, frui, debeant ac poſſint: Eo plane modo quo alii noſtri & ſacri Imperii legitimi Principes Comites de iure & conſuetudine talibus gaudent, utuntur ac fruuntur, nemine prohibente: &c.* Pari ratione Comitum quoque confertur titulus ac honor: *Nos ei ſequentem ſingularem gratiam & privilegium, bene delibrato animo, ſane conſilio, rectâque notitiâ, in optimâ valentiſſima & firmiſſimâ forma & modo contuliſſe atque conceſsiſſe; & in præſens eandem illi Romanâ Cæſareâ autoritate, abſoluto iure, ſcienter & harum vigore, conferre & concedere; nimirum ut deinceps à Nobis, noſtriſque in ſacro Imperio ſucceſſoribus; Romanorum Imperatoribus, Regibusque ſæpe nominatus Comes ab & in N. ipſius legitimi hæredes liberi, eorumque hæredes hæredes in deſcendente linea, ex omnibus noſtris & ſucceſſorum noſtrorum in ſacro Imperio, domoque Archiducali Auſtriæ archivis, in noſtris & illorum loquendi formulis, ſcripturis, tabulis & epiſtolis, aliiſque libellis, qui à Nobis & ſucceſſoribus noſtris, ſeu ad eos, ſeu aliâ ratione mittentur, in quibus mentio illorum fiet, titulo, prædicato, & axiomate Generoſiſſimi afficiantur & ſcribantur; &c.*

Cæterùm quid propriè conſtituat Civem reip. ex allatis eſt manifeſtum: conſequens eſt diſpiciamus quinam ad eum cenſum pertineant. Atque excutientibus quidem rerum patriarum antiqua monumenta; liquidum ſtatim fit, non adeò certò ſemper eorum numerum initum fuiſſe. Neque enim aliâ de causâ tam ſerò cœpit album quoddam publicum, aut matricula Imperii Ordinum, quam appellant, conſtitui. Ceſſit autem hæc negligentia dubio procul, haud levi damno Reipublicæ. Etenim pro vario numero eorum qui ad comitia vocantur, Reipubl. quoque diverſæ ſpecies oriuntur. Mutatur ſcilicet ſenſim in oligarchiam democratia, ſi pauciores paulatim comitia frequentent, reliquis domi remanentibus: contrà oligarchia in democratiam degenerat, ſi magìs magìſque plures ad publica conſilia conveniant. Quocirca & prudentiores legibus poſitis, aut arcanis artibus, ſive ſervandus ſit præſens ſtatus, ſive mutandus, vel minuunt, vel augent, vel verò ſervant ac tuentur diligentiſſimè Civium verorum numerum.

Verùm quò liqueat etiam apud Germanos aliam atque aliam cæpiſſe Reipub. formam, non obſervato ſemper eodem verorum Civium cenſu; haud abs re fuerit fortaſſis ab antiquiſſimâ uſque memoriâ repetere quinam jus conſiliorum publicorum habuerint. Ubi initiò monendum Germaniam olim non in unam Remp. aut civitatem coaluiſſe, ſed ferè quot populos totidem diverſas civitates extitiſſe. Primi ſanè Franci, auſpiciis & rarâ felicitate Caroli Magni, omnia quæ Balthico mari, Oceano, Alpibus & Carpatho monte, ac Viſtulâ fluvio, ſunt cincta, ſuo per Galliam omnem extenſo imperio conjunxerunt.

Antiquiſſimis verò temporibus quid conſueverit ac fuerit receptum ex Tacito apparet. Prodit enim duo tum fuiſſe in uſu conciliorum genera, alterum *majus* de majoribus rebus: alterum *minus* de minoribus, & huic quidem ſolos Principes interfuiſſe, illi autem totum Populum. Sunt autem Tacito Principes qui in ſingulis civitatibus *jus per*

pagos & vicos dixerunt, *pagorum* vocabulo venien-te id ferè quod nunc ein Ampt/ *vicorum* verò quod nunc ein Flecken / aut ein Dorff / appellamus. Quos *principes* olim præcipuæ fuiſſe nobilitatis haud obſcurè ex eodem eſt Tacito colligere. De majoribus verò comitiis videntur omninò accipienda illa ejuſdem Taciti: *ut turbæ placuit conſident Armati. Mox Rex vel Princeps audiuntur, autoritate ſuadendi magis quàm iubendi poteſtate. Si diſplicuit ſententia fremitu adſpernantur.* Nimirum *turba* voce populus notatur, cui Rex vel Principum aliquis ſententiam ſuam de negotio jam tum apud ſuos prætractato propoſuit.

Ex his verò Taciti verbis colligere eſt duplicem tum in civitatibus Germanicis Statuum aut Civium fuiſſe conditionem: aliam nimirum primæ, aliam ſecundæ autoritatis ac dignitatis. Primi generis fuerunt qui pòſt *Adelingi* & ab officio Grafen vel Richter aut Hauptlinge ſunt dicti: nobili omnes ſtirpe nati. Ad alterum autem ordinem plebs omnis pertinuit. Non tamen eo in honore Servi tum fuerunt, ſed nec ipſi quidem Liberti. Diſertè enim de Germanis idem Tacitus: *Liberti non multum ſupra ſervos ſunt, rarò aliquod momentum in domo, nunquam in Civitate, exceptis duntaxat iis gentibus quæ regnantur. Illic enim ſuper ingenuos & ſuper nobiles adſcendunt: apud cæteros impares Libertini Libertatis argumentum ſunt.* Aſt regnatum Germanis populis rariſſima fuerunt: Liberti verò voluerunt, procul dubio, miniſterio potiùs regio quàm ſuffragiorum poteſtate. *Principes* autem ex nobilitate fuiſſe, haud difficulter patet. Prætetquam enim quod perpetuò *principes* opponantur *plebi*, diſertè ita ſcribit Tacitus: *Eliguntur in iiſdem conciliis & principes qui iura per pagos vicoſque reddunt: centeni ſingulis ex plebe comites, conſilium ſimul & auctoritas adſunt.* Si autem *comites* ex plebe, utique principes nobiliore fuerunt ſtirpe orti. Non multò pòſt idem ait: *Inſignis nobilitas aut magna patrum merita Principis dignationem etiam adoleſcentibus aſſignat.* Et verò recepti olim in omnibus Germanicis populis moris fuit, non tribuere hanc juris dicendi poteſtatem niſi maximâ nobilitatis ratione habitâ.

Loquitur autem de illis cùm majoribus tum minoribus comitiis in hæc verba idem Tacitus. *De minoribus rebus principes conſultant, de maioribus omnes: ita tamen ut ea quoque quorum penes plebem arbitrium eſt apud principes pertractentur.* Vbi tamen cum Hugone Grotio, ſummo ſanè viro, legendum fortè *præ tractentur*. Nempe ut penes Principes illos de maximis rebus fuerit προβουλία, at de minoribus integrum arbitrium. Et verò conſtare id ipſum videtur etiam ex uſu rerum Germanicarum ſequentibus ſeculis ſueto: tum quòd in comitiis maioribus illis ſoli Plebi ſit propoſita non tam res aliqua tum primùm deliberanda, quàm concepta iam ſententia.

Ergo omnes iam ex plebe ingenui Civium tunc autoritate polluerunt: primario licèt loco fuerint *Adelingi* aut *Principes*: utpote cùm ſine ingenuorum omnium conſenſu nihil magnæ rei conſtitui potuerit. Conſtat verò idem & ex iudicandi poteſtate, quâ valuerunt plebeii. Neque enim judicia tum fuerunt penes ſolos nobiles, etſi hi illis præfuerint potiſſimùm; ſed ex parte & penes inferiorem illum ordinem. Iam enim antè audivimus, centenos ſingulis Principibus *ex plebe comites* fuiſſe, adiunctos conſilii & auctoritatis nomine.* Qui fortè ſunt, quos Tacitus *lib.* 5. *Hiſtor.* de Treviris loquens, ut & Cæſar *lib.* 4. de Vbiis, *Senatores* appellant. At qui veri Cives, conſulendi iudicandique poteſtate definiuntur.

Nimirum alio planè loco apud Germanos antiquitus Plebs fuit quàm apud Gallos, de Gallis enim Cæſar *lib. 6. de bello Gallico: Plebs penè ſervorum habetur loco, quæ per ſe nihil audet & nulli adhibetur conſilio.* De Germanis autem idem: *Vbi quis ex principibus in concilio ſe dixit ducem fore, qui ſequi velint, profiteantur: conſurgunt ii qui & cauſam & hominem probant, ſuumque auxilium pollicentur, atque à multitudine collaudantur.* Eburonum, gentis Germanicæ Ciſrhenanæ, Rex Ambiorix apud eundem Cæſarem l. 5. ita loquitur: *Sua eſſe imperia eiuſmodi ut non minus haberet in ſe iuris* multitudo *quàm ipſe in multitudinem.* Hinc Tacitus *lib.* 4. *Hiſtor.* ſcribit, Civilem Batavum rebellionem dum moliretur, non tantùm *primores gentis* Batavorum, *ſed & promptiſſimos vulgi convocâſſe.*

Quanquam verò populi nonnulli Germanici ſub Regibus vixerint, quidam ſine Regibus, etiam apud illos tamen eadem fuit Civium natura. Neque enim Regibus fuere plena majeſtatis jura quæ vocantur; ſed omnis eorum poteſtas fuit haud alia quàm olim Regum Lacedæmoniorum. Diſertè Tacitus: *Regibus non infinita aut libera poteſtas.* Item ubi de comitiis integri populi diſſeruiſſet, *Reges*, ait, *auditos ibi eſſe, autoritate ſuadendi magis quàm jubendi poteſtate.* De Friſiis cùm dixiſſet *lib.* 14. *Annal.* eos à Verrito & Malorige regi, adjecit: *in quantum Germani regnantur.* De Gothonibus idem *lib. de moribus Germanorum. Trans Lygios Gothones regnantur, paulò iam adductiùs quàm cætera Germanorum gentes; nondum tamen ſupra libertatem.* De ſolis autem Sueonibus idem ſic loquitur: *Unus imperitat nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi.* Quo oſtendit eos à Germanico ingenio multùm abeſſe. Si autem libertas populi etiam ſub Regibus olim ſalva fuit; non potuit non & ius comitiorum, cùm nobilibus tum plebi, fuiſſe integrum.

Manſiſſe verò hanc formam Civium etiam aliquot pòſt ſeculis, argumento eſt, quod in univerſum Germanicorum populorum libertas deprædicetur. Opponitur autem libertas dominatui. Vbi autem libertas viget populi non poteſt ille excludi à conſiliis rerum maioris momenti.

Cæterùm illa libertas in plerisque populis videtur pòſt extincta à Francis. Hi enim devictis à ſeſe pleriſque Germaniæ populis, duriſſimam videntur

dentur

dentur ſervitutem impoſuiſſe. Certè hanc fortunam ſubierunt Alemanni potentiſſimus antè populus, poſt victoriam Clodovæi anno Chriſti 499. partam. Quâ de re Æmilius florentiſſimus Gallicarum rerum ſcriptor: *Cadit Allemannorum Res: Alemannia fracta ingens tributum pendere juſſa, leges etiam graves, magiſtratusque ab irato victore accepit.* Ioachimus Vadianus, vir Germanicarum, inprimis Alemannicarum, antiquitatum peritiſſimus, epiſtolâ quâdam quam recitat Goldaſtus tomo 2. Antiquitatum Alemannicar. f. 84. ita loquitur: *Plena fuit ſervis & ſervitutibus Alemannia noſtra, cujus magna pars hodie Helvètia eſt. Nec eſt quod ſciam montanus pagus aliquis Helveticus, qui, rebus Francorum florentibus, duriſſimam illam ſervitutem non ſervierit, Extant enim tabulæ veteres quæ hanc rem clariſſimè teſtantur.* Pervenerunt autem in miſeram iſtam ſervitutem illâ Clodovei victoriâ non Alemanni tantùm, ſed & Bajoarii, quemadmodum ex Gregorio Turonenſi, Sigeberto, aliiſque antiquis Francicarum rerum ſcriptoribus eſt manifeſtum. Summa rei verò totius Alemannici & Bajoarici populi ad Francos delatâ, non illi liberi Cives regni Francici ſunt facti, ſed potiùs ſubditi. Qui enim illis ſunt præfecti magiſtratuum loco, Francicæ plerique proſapiæ videntur fuiſſe, non Alemannicæ aut Bajoaricæ.

Poſt Alemannos circa annum 524. devicti Thuringi, non quidem in eandem videntur ſervitutem redacti, jus civitatis tamen ſub Francis retinuiſſe, aut in civitatem Francorum tranſiiſſe non videntur. Namque & ipſi tributum pendere ſunt juſſi, magiſtratus quoque & leges ex victoris populi arbitrio acceperunt. Neque enim in ſocietatem aſſumpti, ſed imperio ſubjecti ſunt.

Eadem fortuna Friſiorum fuit. Qui populus oram maritimam à Rheno uſque ad Viſurgim inſedit. Namque & illa regio omnis à Carolo Martello, & pòſt Pipino, in provinciam redacta eſt: populo, ut nonnulli perperam volunt, in ſervitutem compulſo. Etſi verò libertatem illis reddiderit Carolus Magnus, præclarè in Italiâ geſtis eorum rebus motus, in civitatem tamen Francorum eos aſſumptos non liquet.

Meliori eventu Saxones ab iiſdem Francis ſunt victi. Illi verò eâ tempeſtate Weſtphaliam omnem & Angrivariam, quicquid item eſt terrarum Salam inter, Melibocum montem, Viſurgim, Oceanum & Albim, imò & trans Albim quod ad Oderam uſque amnem oræ eſt maritimæ, tenuerunt. Quanquam enim & hi initiò juſſi ſint pendere tributum, & communem devictarum gentium fortunam ſubierint, exitus tamen belli felicior fuit. Notatu eâ de re digna ſunt verba Eginbardi l. de vita Caroli Magni: *Eâ conditione à Rege propoſita, & ab illis ſubſcripta, tractum per tot annos bellum conſtat eſſe finitum: ut abjecto Dæmoniorum cultu, & relictis patriis ceremoniis; Chriſtianæ fidei atque religionis ſacramenta perciperent, atque* Francis Adunati Unus Cum Eis Populus *efficerentur.* Paulò pleniùs contractum hunc deſcribit poëta ille anonymus & annalium Caroli Magni autor, quem primus edidit Reinerus Reineccius ad annum 803. Teſtatur enim ille initum fuiſſe pactum cum *Nobilitate* Saxonum. Quo nomine intelliguntur ſoli illi qui juris dicendi poteſtate valentes vulgò Graffen aut Fürſten appellati ſunt. Contractum autem ſcribit tum in alia tum in hæc:

At verò cenſum Francorum regibus ullum
Solvere nec penitus deberent, atque tributum
Cunctorum pariter ſtatuit ſententia concors.
Tum ſub judicibus quos rex imponeret ipſis
Legatiſque ſuis, permiſſi legibus uti
Saxones patriis, & libertatis honore:
Hoc ſunt poſtremo ſociati fœdere Francis,
Ut gens & populus fieret concorditer unus
Ac ſemper Regi parens æqualiter uni.

Ex his autem videtur, ſolam illam *Nobilitatem* Francicæ tunc civitatis jus accepiſſe, non autem plebem reliquumque populum Saxonicum: quippe cum quibus ſolis eſt contractum. Non quaſi non & aliis ſua manſerit libertas reliqua; ſed tantùm quòd non omnis populus in curam communis Reip. conceſſerit. Neque verò probabile mihi fit, quod Reineccius ad hunc locum notat, etiam ante hanc mutationem plebem à Reip. negotiis fuiſſe remotam. Quod tamen diſputare non eſt hujus loci. Id verò etiam atque etiam eſt notandum: ex hoc pacto magiſtratuum omnium conſtitutionem Carolo ceſſiſſe, omnemque Saxoniam gubernandam partim per ordinarios magiſtratus, partim per miſſos aut legatos, hoc eſt, extraordinarium magiſtratum, utrumq; tamen à Cæſare dependentem. Quomodo ſcilicet & aliæ provinciæ tum gubernabantur.

Iuncti igitur Francis Saxones, at non ut penitus ſubditi, ſed ut unius Reip. Cives. Quod ipſum & Witekindus Corbeienſis l. 1. innuere voluit his verbis: *Qui olim ſocii & amici erant Francorum, jam* FRATRES *& quaſi* UNA GENS *ex Chriſtiana fide, veluti modò, facta eſt.* Nec verò aliâ de cauſâ Carolus Saxoniæ Dominum ſe dixit & Francorum Regem; non autem aliorum populorum, quos plurimos continuit imperio ſuo, niſi ſolorum in Italiâ Longobardorum nomen titulo ſuo adjunxit. Nempe quòd hi populi ſoli libertate fruentes non in Francorum ditionem penitus conceſſiſſent. Is autem Caroli titulus legitur in iis literis quibus epiſcopatum Oſnabrugenſem condidit: *Carolus Imperator Auguſtus, Romanum gubernans Imperium, Dominus & Rex Francorum & Longobardorum, nec non Dominator Saxonum.*

Præter autem laudatas antè nationes nihil in Germania cis Rhenum quidem fuit Germanicæ originis; reliquum omne Venedis aut Sclavis occupantibus. Hi verò nec paruerunt integrè Francis, nec in ſocietatem Reip. accepti ſunt, ſed tributum ſolummodò penderunt. Poteſt hoc plurimis doceri, at ſufficerit unum Eginhardi rerum harum omnium peritiſſimi teſtimonium adduxiſſe: *omnes barbaras ac feras nationes, quæ inter Rhenũ ac Viſtulã fluvios, Oceanumque & Danubium poſitæ, linguâ penè ſimiles, moribus autem atque habitu valde diſſimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit ut tributarias eas fecerit. Inter quas ferè præcipuæ ſunt Welatabi, Sorabi, Aboriti, Boëmanni: cum iis namque conflixit, cæteras verò quarum longè major eſt numerus in deditionem accepit.* Incoluerunt autem Sorabi ea quæ inter Salam ſunt & Albim. VVelatabi & Aboriti Mecklenburgicam hodie dictam terram tenuerunt.

Cæterùm omnibus hiſce ita ſeſe habentibus apor-

rum ſit, eo tempore quo Franci rerum per Germaniam omnem ſunt potiti, nullum populum Germanicum libertate fuiſſe uſum, aut civitatis jus habuiſſe præter ſolos Francos, & quibus hoc relictum fuit, Saxones. Conſtat tamen in omnibus aliis quoque Populis, Primores ad conventus publicos eſſe accitos, qui fortè fuerunt Franci, & aliis illis præfecti. Hac ſanè de cauſâ, præſertim verò quòd & illi Francicæ originis eſſent, & vel pagis vel regionibus devictis olim præpoſiti, dicitur quidem paſſim populus Francorum conveniſſe, alius autem præter hunc nullus: ex omnibus tamen provinciis dicitur in unum coiiſſe.

Vt autem res omnis eò clariùs pateat, operæ pretium fortè fuerit apertè oſtendere quinam ergo jus comitiorum Francicorum olim habuerint. Quod idem eſt atque exponere, quinam olim potientibus rerum Francis Cives veri fuerint Germanici. Id ipſum autem ſi non aliunde, optimè fortaſſis poteſt perſpici ex iis quæ ex Adelhardi propinqui Caroli Magni & conſiliarii, mox Abbatis Corbeiæ utriuſque Gallicæ & Germanicæ, libello *de ordine palatii* recitat Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis, nobili & ipſe Francorum ortus proſapiâ, inque aulicis regni negotiis ætate Ludovici Pii eiuſque filiorum verſatiſſimus, epiſtola ad Epiſcopos Franciæ perſcripta 3. c. 29. *Conſuetudo* (verba eius ſunt) *tunc temporis talis erat, ut non ſæpius, ſed bis in anno, placita duo tenerentur. Vnum quando ordinabatur ſtatus totius regni ad anni vertentis ſpatium: quod ordinatum, nullus eventus rerum niſi ſumma neceſſitas, quæ ſimiliter toti regno incumbebat, mutabat. In quo placito generalitas univerſorum Majorum, tam Clericorum quàm Laicorum conveniebat. Seniores propter conſilium ordinandum: Minores propter idem conſilium ſuſcipiendum, & interdum pariter tractandum, & non ex poteſtate, ſed ex proprio mentis intellectu vel ſententiâ confirmandum* cap. 30. *Cæterùm autem propter dona generaliter danda aliud placitum à Senioribus tantùm & præcipuis conſiliariis habebatur, in quo jam futuri anni ſtatus tractari incipiebatur. &c.*

Hæc verba modò rectè intelligantur, omnem rem quam inquirimus nobis demonſtrant. Duo ſcilicet apud Francos fuere conciliorum genera: alterum commune totius Populi alterum particulare, de rebus quidem minoribus ſemper, interdum tamen & majoribus, ſed non niſi *πολιλίας ἴτινα*, quorundam ex Principum aut primorum ordine delectorum. Vtrumque quotannis celebratum. Et Majore quidem illo negotia regni conſtituta ſunt in integrum annum. Minore res maximæ in futuro generali conventu conſtituendæ, ſunt prætractatæ. Quem morem omnibus Germanicis populis olim fuiſſe uſitatum ex Tacito ſuprà probavimus. Tempus porrò comitiorum illorum Majorum ſtatum fuiſſe circa calendas Maii, probat teſtimonium Sigeberti Gemblacenſis in Chronico ad annum 662. *Francorum* inquit ille *Regibus moris erat Calendis Maii præſidere coram totâ gente, ſalutare & ſalutari, obſequia & dona accipere.* Quod totidem penè verbis dicit Cedrenus. Sed hoc fortaſſis primis obtinuit temporibus: ætate certè Caroli Magni adeò religiosè obſervatum non fuit.

Iam verò cùm in comitiis illis majoribus fuerint totius regni negotia conſtituta, & verò illa peracta fuerint totius populi arbitrio ac conſilio, liquet utique omnem populum Francicum obtinuiſſe jus Civium, & comitiis interfuiſſe. At Populi nomine multi veniunt. Namque & primores ſeu proceres pars populi ſunt, & plebs quoque Ingenua eodem nomine comprehenditur. Videri autem poſſet ex Hincmaro, ſolos Proceres olim ad comitia convocatos, ſeclusâ plebe. Scribit enim coiiſſe *generalitatem MAIORVM.* Cæterùm mendo textus laborat: ſcribendumque, *generalitas Majorum & Minorum.* Statim enim pòſt & Minores conſilio ſcribit interfuiſſe, quos utique ergo conveniſſe neceſſum eſt.

Illos verò Minores fuiſſe multitudinem ipſam ſeu plebem, claret ex iis quæ habentur *cap.* 35. eiuſdem epiſtolæ, ubi disertè ſcribitur diſtinctis locis in comitiis iſtis Seniores & Multitudinem reſediſſe. Quanquam verò & multitudo illa convenerit, liquet tamen ex Hincmaro non eam fuiſſe *multitudinis*, quæ erat Procerum, auctoritatem. Disertè enim ſcribit *Seniores*, quo nomine ille appellat Proceres aut Primores regni) conveniſſe, *propter conſilium ordinandum*, *Minores propter idem conſilium ſuſcipiendum.* Nec tamen omne arbitrium rerum fuit multitudini ereptum. Addit enim: *& interdum pariter tractandum, & non ex poteſtate* (h. e. non tam alieno potentiorum iuſſu) *ſed ex proprio mentis intellectu vel ſententiâ confirmandum.* Ergo & multitudo interdum tractavit res illas maximas: habuit verò poteſtatem, ea quæ placuerant Primoribus *confirmandi*, & quidem *ex proprio conſilio*, non ex mandato. Si autem confirmandi liberum jus habuit, habuit jus quoque rejiciendi quæ diſplicuerunt, more antiquo ſc. adhuc integro. Patet idem ex capitulari Caroli M. 16. c. 217. *de capitulis quæ in legem noviter addita ſunt, & poſtquam omnes conſenſerunt, ſubſcriptiones & manu confirmationes ſuas in ipſis capitulis faciant.* Fine legis Alemannicæ hæc habentur: *Hoc decretum eſt apud Regem & Principes eius, & apud cunctum populum Chriſtianorum, qui infra regnum Merovingorum conſiſtit.* Vbi Populus oppoſitus Principibus non poteſt non plebem ſignificare. At ex illius Populi *decreto* Leges illæ Alemannicæ ſunt conſtitutæ. Idem confirmant & conſtitutiones illæ *l.* 5. *c.* 38. ubi recenſentur quæ communi *fidelium* regis conſenſu conſtituta ſunt. Ad *fidelium* enim numerum non poteſt non & plebs pertinere. Iſtâ verò loquendi formulâ & ipſe Ludovicus Pius utitur *l.* 1. *Capitular. ſub init. &c.* 22. *&* 24.

Tanta verò fuit præ Plebe Procerum auctoritas, ut libertate ſuâ antiquâ, rejiciendi nempe illa quæ Principibus placuerant, nunquam uſa legatur, ſive non diſplicuit quod illis placuit, ſive contra niti haud fuerint auſi. Hinc in antiquis monumentis concilia illa Populi plerumque, haud alio nomine quàm *conventus Procerum*, aut *Principum*, vel *Optimatum* audiunt: omni ſcilicet concilii poteſtate ferè ad hos ſolos relatâ. Eòdem ſpectat procul dubio Hincmari illud conſilium Ludovico Baldo datum *Epiſt.* 1. uti rem publicam adminiſtret ex Procerum aut Principum conſenſu, nuſquam Plebis mentione factâ. Vnde & epiſtolam illam claudens cap. x. ſcribit

Digitized by Google

ſcribit: *De generalibus Eccleſiæ ac regni negotiis ſine generali Primorum regni conſenſu & conſilio ſecretum dare conſilium nefas: etiam conſenſum deliberare non volo.* Poſſet autem idipſum facilè plurimis probari teſtimoniis ſi opus foret: ſed rei perſpicuæ fidem conciliare velle; videtur eſſe operam ludere.

Proceres autem ac Primores ordines quod attinet, notandum eſt Hincmarum teſtari conveniſſe *generalitatem Vniverſorum maiorum tam clericorum quàm Laicorum.* Itaque primùm omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopiſque in univerſo Francorum Imperio jus fuit ſuffragii in comitiis publicis ferendi. Eòdem pertinuerunt & Abbates. Namque & illorum cumprimis magna fuit auctoritas. Eoque & Hincmarus *Ep. 5. c. 7.* Ludovico Baldo ſuadet, ut inter alios proceres, Hugonem & Gozlinum Abbates minùs Regi æquos convocet, atque ex eorum etiam conſilio negotia regni ordinet. Laici deinde Maiores omnes veri fuerunt Cives. Eo autem nomine comprehenduntur Duces ac Comites. Atque hi quidem videntur & *magiſtratus* appellari ac *iudices* in antiquis Francorum monumentis. Nam qui plebeios credunt his nominibus ſignificari, illi ſanè falluntur. Vt enim alibi probatur, eâ tempeſtate, magiſtratuum & judicum officia, ſola nobilitas adminiſtravit. Quinimò Comitum officium non aliud fuit quàm judicum. Vt alibi itidem rectiùs exponetur.

Hoc porrò Proceres iam temporibus Francorum antiquiſſimis, concilio interfuiſſe, plurimis quidem teſtimoniis probare in proclivi eſt: ſatis autem fortaſſis eſt unum alterumq; attuliſſe. Apud Theganum Chorepiſcopum Trevirenſem *l. de geſtis Ludovici Imp. c. 6.* de Carolo Magno ita legitur: *Imperator cùm intellexiſſet appropinquare ſibi diem obitus ſui, vocavit filium Ludovicum ad ſe cum omni exercitu. Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus loco poſitis, habuit grande colloquium cum iis Aquisgrani in Palatio.* Initium legum Alemannicarum ita ſeſe habet: *Lex Alemannorum quæ temporibus Lotharii Regis cum Principibus ſuis, id eſt 33. Epiſcopis, 34. Ducibus, 72. Comitibus, & reliquo populo conſtituta eſt.* Vbi tamen nulla Abbatum fit mentio, quòd nempe primâ Francorum ætate nondum id juris eſſent adepti. Ætate tamen Caroli eâ dignitate iam potitos fuiſſe Abbates, ex iis quæ attulimus certum eſt. Taceo enim nunc quod Hincmarus *c. 3. c. 35.* disertè ſcribit, Epiſcopis & Abbatibus in cõcilio populi ſua fuiſſe ſubſellia.

Cæterùm Carolo Magno & Ludovico Pio eius filius non Germania tantùm ſed & Gallia omnis atque Italia paruit, itaque tum quidem temporis ad concilium generale ex omnibus illis locis Ordines ſunt vocati. At Germania reliquis illis in proprium regnum cœpit pòſt ſeparari, per diviſionem illam inter Ludovici Pii filios tres inſtitutam. Ludovico enim ceſſerunt præter Auſtriam, Bavariam, Alemanniam & Franconiam, Friſia, Saxonia, venedorum potior terra, & Vrbes ad Rhenum. Acceſſit pòſt & illa portio, quæ cis Alpes ad Lotharium ex eadem diviſione devenerat, & Lotharii regnum aut Lotharingia hinc appellata eſt, veteremque Belgicam Galliam penè exæquat. Omnia hæc imperio ſuo & Henricus Auceps complexus eſt: ab eo verò per multa ſecula ſequentes Impp. Germanici acceperunt. Adiecit Otto Magnus Italiam. Conrado porrò Cæſare & Burgundiæ regnum ſeu Arelatenſe cum Germanico & Lotharingico coniunctum eſt. At poſtfatale illud interregnum quod Friderici Secundi tempora excepit, Burgundici quidem regni Procerum plerique pro ſe quiſque liberum ſibi regnum condidere, ac mox in Gallorum Regum poteſtatem pervenerunt. Multæ quoque Lotharingici regni provinciæ à corpore Imperij Germanici, ſive vi detractæ ſunt, ſive ultrò ſeceſſionem fecerunt. Germanici quoque propriè ita dicti regni portiones quædam haud leves Reſpublicas ſibi proprias ſtruxerunt. Nec verò quicquã Germanico quidem regno poſt Ottonem M. acceſſit, præter illa quæ trans Albim in Meklenburgenſi & Pomeranico ſunt tractu, Pruſſiam item & Livoniam: quæ ultima tamen iam in civitatem Polonicam conceſſerunt. Non annumerabo enim Germanicis provinciis Daniam, Poloniam, Vngariam, etſi tributum interdum penderint, Polonia verò etiam leges ex parte acceperit.

Verùm hæc latiùs & pro dignitate deducere eius operæ eſt quâ de provinciis, & limitibus regnorum omnium Germanicorum agitur. Facilè autem ex his manifeſtum eſt, prout crevit vel decrevit Imperium Germanicum, ita & numerum civium fuiſſe immutatum. Namque Ludovici Germanici ætate quidem, ſolius Germanici propriè dicti regni Ordines comitia conſtituerunt: pòſt in idem concilium & Lotharingici ſtatus aſſumpti ſunt. Burgundici regni ordines, an Germaniæ concilia frequentaverint, meritò fortaſſis quis dubitet. Exceperunt enim illam ætatem, quâ primùm conjuncta eſt Germaniæ Burgundia, ingentes motus, quibus Germaniæ robur fractum: & ipſi Ordines Burgundici ſui juris eſſe maluerunt. Italicum quoque regnum ſua habuit ſemper concilia. Certè omnium horum regnorum univerſale aliquod concilium ſi habitum eſt unquam, non niſi rariſſimè eſt habitum. Videtur tamen penè eiuſmodi aliquod celebratum, cùm eligeretur in regem Conradus Saliquus. Hiſtoriam illam deſcribens Wippo, *Italiam* (inquit) *tranſeo cuius principes in brevi convenire ad Regiam electionem nequiverunt.* Scribit tamen: *Tunc ſinguli de ſingulis regnis eadem verba electionis ſæpiſſimè repetebant.* Sed tale quid fortaſſis factũ in electione Regum: aliàs autem factũ eſſe vix legas.

Illud verò conſtat, Lotharingicum & Germanicum regnum ita à temporibus uſque Henrici Aucupis coaluiſſe, ut uno nomine, iiſdem conciliis, pari auctoritate ſint uſi utriuſque regni ordines, verèque unam civitatem conſtituerint. Sed eorum qui ex iis terris jus habuerint verorum Civium, numerum inire difficile eſt. Namque & à monumentis antiquis deſerimur, & quæ laudantur ſubleſtæ ſunt fidei, tum verò longa ætas magnam omnium rerum mutationem fecit.

Circumfertur tamen vetus quædam Ordinum tabula, quâ illi in quaterniones diviſi ſunt. Inſeruit illã operi ſuo jam olim auctor Chronici Colonienſis editi anno 1499. inſeruit & Petrus de Andlo *l. 1. cap. 16. de Romano Imperi*; exhibuit ex poſterioribus Munſterus *l. 1. coſmogr. c. 18.* plurimi alii laudârunt, eoque vulgò nunc in picturas

abiit. Nec verò dubitant nonnulli auctorem eius Ottonem III. imperatorem ſtatuere, prudentiores tamen incertam illi adſcribere originem malunt. Verùm enim verò qui non videt omne illud ineptum eſſe otioſorum hominum commentum, in antiquis Imperii rebus nihil videt. Certè hæ diviſiones contra omnem ſunt hiſtoriæ fidem. Nec verò eſt quod cum Limnæo *l. 1. c. 7. n. 44.* mitiùs ſentiamus, eò quòd in Receſſibus Imperii Erphurdiæ celebratis paragrapho darauff wir nach außweiſunge / Comites Svvartzburgenſes nominentur titulo der vier Graffen des Reichs / aut quòd Receſſibus anno 1557. Carolus de Frauenburg ſubſcripſerit des heiligen Römiſchen Reichs Erbritter. Huiuſmodi enim & alia multa meris commentis ſubnixa per incuriam quandam in Receſſus irrepſerunt. Ottonis certè tertii opus tabula illa nequaquam eſt. Referuntur enim in eâ Duces Brunſvicenſes, nec non Thuringiæ & Haſſiæ Landgravii: quos diu poſt Ottonem conſtat cæpiſſe. Comites porrò Sabaudiæ Arelatenſi ſunt regni proceres: illi verò regno eâ tempeſtate cum Germanico regno nihil fuit commercii. Lubecam quoque certum eſt liberis Imperii urbibus additam demum eſſe à Friderico 1. Barbaroſſâ. Non dicam nunc, quod illa tabula nullos Epiſcopos, nullos Abbates exhibeat, ſileat quoque plurimos Comites, plurimas urbes Imperiales: quibus in conciliis Imperii jam illâ ætate fuit locus.

Aliam tabulam Ordinum itidem per quaterniones diſtinctam, inſeruit *tomo unico conſtitut. Imperial. p.* 34. Melchior Goldaſtus, & ex illo repetiit Limnæus *l. 1. c. 7. n.* 48. Quæ & ipſa videtur nonnihil antiquior, minùs tamen vulgaris quàm illa prior. Eſt autem & illa nihil aliud quàm luſus quidam hominis vani & inepti, qui ut multos quaterniones conficeret, totius orbis Reſpublicas non erubuit ſuis nugis concutere. Adeò autem putida ſunt & anilia commenta, ut iis confutandis operam impendere, fuerit operam perdere; neque enim quicquam ferè habet illa tabula ſani.

Ampliſſimum Catalogum Ordinum Imperii eorum, *qui intra annos circiter quadringentos Civitati Germanica adſcripti, ius ſuffragiorum ferendorum in comitiis habuerunt, deſcriptum ex tabulis publicis* (verbo recito) *quos Fridericus III. Imperator in Comitiis Ratiſbonenſibus anno* 1471. *conſcribi & in acta Imperialia inferri mandavit, nec non ex Receſſibus & Imperii Matriculis variis tam veteribus quàm novis*, propoſuit idem Melchior Goldaſtus *tomo unico Conſtitution. Imperial. pag.* 12. & ex illo Limnæus *l. 1. c.* 8. At ſatis apparet, totum illud confictum eſſe ingenio Goldaſti: illum verò huc tranſtuliſſe omnes qui unquam Receſſibus nomina ſua ſubſcripſerunt: quod conſtat ſæpe à peregrinis Regibus ac Principibus eſſe factum, in teſtimonium potiùs & majoris fidei pondus. Id certum eſt Reges Angliæ, Franciæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, Archiepiſcopum Gneznenſem, Lundenſem, Pragenſem, & plurimos alios nunquam fuiſſe Ordinibus Imperii accenſitos, quos ille Catalogus inter primos locat.

Meliorem & fide digniorem Ordinum Catalogũ recitat Paurmeiſterus *lib. 2. de iurisdictione Imperii Romani c. 1. n. 17. & ſeqq.* Quum tamen & ille ex monumentis Imperii haut ſit deſcriptus, non eſt quod illi fidem tutò adhibeas. Quin nec ex ipſis quidem monumentis antiquis plerique haud aliud tutò colligas, quàm quinam ſint ad concilia vocati, aut quinam concilio interfuerint interdum; aut denique quinam ex decreto publico contribuere quicquam debuerint in ærarium Imperii: jure verò an injuriâ horum aliquid ſit factum, non colligas.

Scilicet exitiali peccato per plurima ſecula neglecta eſt publici Ordinum Albi confectio, & certa in illud omnium nominum inſertio. Acceſſerunt pòſt à tempore Henrici quarti perpetui ferè civiles motus, cum Cæſareæ dignitatis & auctoritatis tantùm non interitu conjuncti. Ipſa quoque concilia magis magiſque cæperunt eſſe ſumptuoſa. Ex eo verò plurimi paulatim Civitate Germanicâ deſertâ maluerunt domi vivere immunes & liberi, quàm turbulentis Imperii negotiis immiſceri. Nec verò vel illi, qui permanſerunt in obſequio, Ordines, videntur hanc mutationem ægris oculis aſpexiſſe: ſive quòd & ipſi ad eandem libertatem adſpirarent; ſive quòd domi regna ſibi conderent, aut pace fruentes & otio, publicas Imperii res extra ſuas curas ponerent: ſive quòd latentibus omnibus in obſcuro ſibi proclive viderent bona quædam publica intervertere: ſive denique deſperarent de conſervando Imperii ſtatu. Sanè ſi ab initio fuiſſet confectum Album aliquod opum & Ordinum Imperij publicum, ſi Imperij acta & decreta ſanctè ſemper fuiſſent conſignata, ſi Cæſaris poſtremò auctoritas manſiſſet integra; longè nunc alia eſſet Civium Imperii ratio.

Nempe prudentiæ civilis monitum eſt, ne qua mutatio fiat minùs divitum Civium, cavenda eſſe ſumptuoſa comitia, aut verò ſumptus omnes ex publico faciendos. Quin invitandos eſſe omnes & ſingulos pœnis ac præmiis propoſitis. Ante omnia autem Album publicum conſtituendũ, inque id omnium, qui jam per ætatem habent comitiorum jus, nomina eſſe referenda. Id ſanè optimæ quæque olim Reſpublicæ obſervaverunt: imò & nunc prudentiores quæque obſervant. Nec verò nulla Reſpublica hujus rei obſervatæ non fructum magnum, non obſervatæ autem non magnum ſenſit detrimentum.

Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Cæterùm Sigiſmundo Imp. & pòſt Friderico, Maximiliano, ac Carolo V. videntur majori curâ Ordines de certo numero Civium ineundo laboraſſe. Eius autem rei incitamentum proculdubio præbuerunt Bohemica & Turcica bella, utraque vi & auctoritate publicâ geſta; quod à temporibus uſque Friderici Primi per fuit inſolens. Etenim cùm bellũ publicis ſumptibus eſſet alendum, neceſſarium omnino fuit Ordinum cenſum inire, quo ſciretur quid à quoque eſſet expectandum.

Ac initiò quidem vix potuit error evitari. Erant ſcil. illis primis temporibus res Imperii in denſiſſimis tenebris, & omnia adhuc barbaries infeſtabat. Ad hoc, multorum intererat, ut ampliaretur quàm maximè Ordinum numerus, non tam ſtudio quodam Reipublicæ juvandæ, quàm quò in plures diviſo publico tributo ſinguli minùs onerarentur. Sed & maluerunt multi in Imperii potiùs quàm in provinciæ alicujus ærarium ſuam pecuniam conferre: ſibi eò & dignitatis multùm

& li-

& libertatis accreſcere haud ineptè colligentes. Acceſſerunt Cæſarum Ordinumque varia circa hanc rem & occulta ſtudia. Enimverò intereſt hodie Cæſareæ auctoritatis, ut creſcat numerus Ordinum, cumprimis verò ut omne quod in provinciis eſt robuſtiſſimum in hunc cenſum tranſeat. Vires enim ac opes regni non in paucorum, ſed plurimorum eſſe manibus, ſalus regia eſt. Quin ipſæ inter multos de libertate civica contentiones, cùm parandæ tum conſervandæ regiæ auctoritatis maxima ſunt adminicula. Ex adverſo Ordinum quiſque ſibi mavult alium ſubjectum quàm toti Imperio, ſed tamen & vicinus vicini potentiam ſuſpectat. Itaque & inter ipſos illos Ordines occultis hoc in negotio eſt odiis aut amoribus certatum haud leviter.

Hiſce de cauſis effectum ſanè eſt, uti hodiéque omnis hæc res per ſit impedita. Namque primis quidem illis in conciliis à temporibus Sigiſmundi Cæſares plures eſſe errores commiſſos, vel ex eo ſtatim apparet, quod in omnibus ferè comitiis alia ſit matriculæ ſeu Albi Ordinum ratio. Facilè cuivis eſt perſpicere, ſe libeat inter ſe conferre Matriculas (quas appellant) conciliorum anni 1431. 1467. 1471. 1480. 1481. 1486 87. 89. 1507. Liquet enim multos Ordinibus eſſe accenſitos, qui alibi omittuntur. Tum verò certum eſt (ut unum hoc adducam ſolummodò) concilio anni 1471. inter alia ſubſcriptum eſſe: Goßlar / Herr Johan Buchholtz mit gewalt Braunſchweig / Hildesheim / Göttingen / Eimbeck / Hannover vnd Hameln / & tamen in nulla Matricula nomina plerarumque harum urbium inveniuntur; imò nunquam aliàs comitiorum Imperii iure pleraſque eſſe uſas certiſſimum eſt.

Agnoverunt illud ipſum Ordines omnes, eoque ſuperioris ſeculi anno 21. majori diligentiâ plurimos errores emendarunt, & Matriculam elaborarunt perfectiorem. Sed neque hæc omni ex parte eſt perfecta. Nam in comitiis anni 1548. Auguſtanis, exhibitus eſt Cæſari ab Ordinibus magnus ſanè catalogus eorum, quos eximendos Matriculâ Imperij pro ſe quique crediderunt. Edidit ejus partem Limnæus *lib.1.c.7.n.73.* at integer habetur, *Actor. Brunſvicenſium part.2.ſect.2.p.*1084. Ea propter in Comitiis anni 1570. §. wann dann darneben indictus eſt locus certus perficiendæ demum Matriculæ. Repetitum idem anno 1576 § demnach wir ferners/anno etiam 1594 §. demnach wir auch zum Fünfften. Etſi enim in comitiis anni 76. §. wann auch zu Franckfurt das dubium erreget worden welche Reichs matricul. conſtitutum ſit ſequendam illam anni 1521. disertè tamen additur: was vnd ſo wiel dann die vörige im Jahre 45. 57. 71. geweſene moderatoren (doch der interponentem appellationibus ohne nachtheil) oder durch nechſtkünfftige moderatoren oder deputatos geändet wördt / darnach dann dieſelbige erſt matricul endlich ergänzet vnd richtig gemachet werden ſol. Ex quibus patet ne ſic quidem Matriculam iſtam, omni ex parte eſſe perfectam. Probant autem id ipſum quàm maximè acta comitiorum Ratisbonenſium anni 1603. Tum verò lites hodiéque haud pravæ pendent, à Fiſcali Imperij hoc nomine inſtitutæ. Quin Matriculæ inſertionem non niſi præſumptionē juris Status afferre etiā aſſerit Gallius.

Porrò etiam in conventione Ordinum ſæpe hodiéque peccari, alios nimirum non vocando, alios verò vocando qui vocari minimè debebant, vel unica illa epiſtola Rudolphi II. Cæſaris doceat quæ habetur *parte ſec. Actor. Brunſvicenſ. ſect.2. in additione pag.*21. Acriter enim à Cæſare objurgatus eſt Papenheimius Vicemareſcallus Imperij ob multos errores in comitiis anni 1602. commiſſos.

Non eſt autem quod quis cenſeat, omnes illos eſſe Ordinum loco habendos, quibus imponitur nonnihil in ærarium Imperij conferendum. Namque de Hanſiatici fœderis urbibus conſtat ſanè, ab iis in univerſum aliquid eſſe poſtulatum: ut tamen ſingulæ non minus ſuo loco quotam ſolvere teneantur. Et verò quid notius eſt, quàm pleraſque hujus fœderis, non liberas fuiſſe urbes ſed provinciales, quum tamen magno numero urbium illud conſtiterit. Quin hoc ipſum disertè agnoſcitur *Receſſ. Comitiorum anni* 1566. §. Ob denn nicht allein & nihilominus tamen omnes ſociæ urbes ad contribuendum publico invitantur, quod opulentæ ſint & periculum id poſtulet. Eodem modo & Comites Suevicæ ac Franconicæ Rhenanæque provinciæ publico tribuunt ſua, ſine ſuffragandi poteſtate.

In univerſum ergo æſtimanti, hodiéque omnis hæc res eſt perimpedita, nec ſatis accuratè conſtituta, magno ſanè Reip. malo. Non tantùm verò in dubio eſt maximo de nonnullis, ſintne Ordines Imperii nec ne, ſed & illud incertum videtur, quum multorum, quibus olim ius ſuffragii fuit, opes ad unum aliquem pervenerint, an uni illi totidem ſuffragia ferre licitum ſit. Sanè nonnullos id ſibi nemine contradicente ſumpſiſſe conſtat: Brunſvicenſis autem familiæ Principes noſtros id ipſum haud obſervâſſe, iam antè monuit *Ampliſſ. Lampadius tractatus de Republ.* Romano Germ*an. c. n.* 19.

Illud tamen conſtat, Civium Imperij alios eſſe Clericos, alios Laicos. Illius Ordinis ſunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ, Magiſtri Ordinum militarium ſacrorum omnes, quotquot hodieque Imperij Germanici finibus continentur, & territorium aliquod ab Imperio obtinent. Illi tamen Clerici qui Auguſtanam confeſſionem profitentur licet ſint iſtius Ordinis, à jure hoc conciliorum, vi Tranſactionis Pragenſis nuperæ excluduntur. Ad alterum verò Ordinem pertinent Electores, Archiduces, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, & denique Vrbes variæ, quæ itidem Imperij legibus viventes, territoriorum aliquod Imperij obtinent. Adeò ut hodie quidem illud Civitatis jus territorio hujuſmodi ſit annexum.

Harum autem Ordinum Clericorum & Laicorum, jam Francorum temporibus locum fuiſſe in comitiis publicis, certiſſimum eſt. De Vrbibus ſolis nonnihil nos dubios facit, quod illarum disertè nuſquam fiat mentio in antiquis monumentis. Nam quod à Lehemanno *l.4. cap.*3 *Chron. Spirenſis* adducitur è Rhadevici *l. 2. cap.* 3. Friderico primo etiam Cæſare *civitatum* conſules in Roncalias eſſe citatos: id ad Italicas urbes quidem pertinet, at eā ætate longè inferiore conditione fuerunt Vrbes Germanicæ, quod peroptimè docet idem vir harum rerum longè peritiſſimus, eodem capite.

Primis tamen Saxonicorum Cæſarum temporibus *in multitudine* ſic dictâ & Vrbium fortè nonnullarum delegati fuerunt. Fuit ſanè & tum multitudini aliquis in comitiis locus. Liquet ſcilicet id ipſum ex electione Henrici Aucupis quam *l.1.* magis verò clarè ex electione Ottonis Magni quàm *lib. ſecundo* deſcribit Witikindus: ex Dithmari item *l. 4. & 5.* ubi deſcribitur electio Henrici Secundi: ea Wippone denique quo tomo narrat Conradi Saliqui electionem. Sed *multitudinis* illius maximam partem videntur conſtituiſſe equeſtris dignitatis homines, quos de hinc milites dixerunt. Sequentibus tamen ſeculis omne hoc videtur abolitum: ſive quòd multitudinis nulla propè ratio haberetur, ſive quod ſumptuoſiora eſſent comitia, quàm ut ferendis ſumptibus ſufficeret, ſive denique quòd nullum ex comitiis fructum ſperaret. Decimo quarto tamen à nato Servatore ſeculo, paulatim Vrbes iterum ad comitia accitæ, quòd illâ tempeſtate & numerus earum ſat magnus eſſet, & præcipuæ opes & vires Imperij iis continerentur, & novis ſumptibus ad onera publica eſſet opus quàm maximè. Nunc certè pleno jure conciliorum fruuntur Vrbes illæ liberæ. Nam quod Peucerus ſcribit lib. 5. Chronicorum eas *nec ſuffragia ferre, nec ſententiam in comitiis dicere*, id verò optimè refellit Lehmannus *l.4.c.3.* fuſiſſimè verò cõſirmârunt in cõſiliis ſuis hujus materiæ editis Ludovicus Brēptus & Hieronymus zum Lamb ex quibus multa tranſcripſit Limnæus *lib.7.c.1.* quorum ſcrinia compilare non eſt meum. Et verò de hoc argumento jam ſatis fortè eſt actum pro inſtituto noſtro.

ADD. XI.

Ad lib. 1. Limnæi Enucleati c. 8. poſt n. 3. inſeruntur ſequens tractatus: De Statu & Scopo Republicæ Germanicæ, de tranquillitate illius ac ſecuritate domi foriſque tuenda, ut & potiſſimis tuitionis mediis, itemque de ejus tum æquo, tum iniquo fato.

QUOD BENE VERTAT DEUS!

PARS PRIMA.

ΠΑΙΔΕΙΑΝ PRÆMITTIT.

SECTIO I.

exhibet

Formam ſeu ſtatum Imperii Germanici.

I. DE Germanici Imperij tranquillitate ac ſecuritate domi foriſque tutanda diſſerturo mihi paucula quædam præfaminis loco de forma regiminis prælibanda omninò erunt, ne extra oleas evagari, ſeve id inſuper habere videar, quod methodi lex inprimis expoſtulat. Sicuti enim Medici corpori humano malè ſano medelam aliquando allaturi, illius ut cognitionem ſibi comparent, multum laborare amant: *vid. Ariſtoteles 1. Eth. Nic.c.13.n.8.* ita & Politico, qui feliciter & inoffenſo niſu progredi geſtit, forma Reipubl. cui operam navaturus eſt, ante omnia exactè attendenda venit.

II. Quis & qualis ſit Reipubl. Germanicæ ſtatus? anceps olim & intricatæ, adde & periculoſæ plenum opus aleæ fuit, diſputare. Sed nec hodie lis omnis ſopita, cum multa multorum hac ſuper re diſſidia deprehendere tantùm non ubique in proclivi ſit. Quo verò expeditius progredi liceat, repetendum duco, tres, *Fruſtra de pluribus cogitat Boxhornius Diſſertat.8. de Imp. Rom. §. 4. Ad quem locum conferantur Notæ & Animadverſ. Clariſſimi D.Schmidelij.* dari Rerumpubl. formas ſeu ſtatus, quos compendio compleaus Tacitus (*lib. 4. Annal.*) *Cunctas*, inquit, *nationes & urbes Populus, aut Primores, aut ſinguli regũt.* Seneca *Epiſt.14.* (paulò plenius: *Interdum Populus eſt, quẽ timere debeamus; interdum plurima per Senatum tranſiguntur; interdũ unus timetur, cui poteſtas Populi collata.* Omnium verò optimè ac uberrimè idem hoc tradit Ariſtoteles *lib.3. Polit.c.5.p.160.* differentiam inſuper inter rectas & aberrantes Reſp. oſtenſurus: *Neceſſe eſt dominari vel unum, vel paucos, vel multos. Quando unus, vel pauci, vel multi, ut communis utilitas poſtulat, imperium geſſerint, has quidem rectas eſſe Reſp. neceſſe eſt: Quæ autem ad ſuum propriumque vel unius vel paucorum, vel multitudinis commodum ſe conferunt, has labes, migrationesque. Vocare autem conſuevimus ſtatuum, qui reguntur ab uno, ſpectantem ad commune bonum, Regnum: paucorum vero ſtatum, plurium tamen uno, optimatum poteſtatem, vel quia optimi Viri imperant, vel quia ſpectant ad id, quod optimum eſt civitati. Quando autem multitudo civitatem regit ad commune bonum converſa, vocatur communi nomine omnium Rerump. Reſpubl. Depravationes autem dictarum ſunt, Tyrannis quidem Regni, Oligarchia Ariſtocratiæ, Democratia Reip.*

III. Sciendum autem eſt, perſæpe uſu venire, hos ſtatus invicem commiſceri; imò pleraſque propemodum Reſpubl. ab aliquali ſaltem mixtione immunes haud eſſe, è ſchola Politicorum multi, iique celebriores aſſerere nulli dubitant. *Les polices de nôtre temps*, inquit Louys de Mayerne Turquet *En la Monarchie Ariſto Democratique livr. 2.p.68. Add. Chiaramont dell.rag. di Stat.lib.1.c.26. & ſeqq. ſont ſi confuſes, que l'on eſt bien empeſché de les finir, ou leur donner un convenable nom.* Negat diſertim Arnoldus Clapmarius *de arc. Rerump. lib. 1. cap. 20. Conſ. Petri Syringij Diſſert. de pace Relig. Thom. Morus in Vtop Caſp. Contarren. lib.1. de Rep. Venet.* ullam facilè apud Chriſtianas præſertim Gentes puram ac ſimplicem talem formam, quæ ab omni abhorreat mixtura, repertum iri. Qui tamen ipſe ne quicquam impetret, ut Ipſius calculo ita ſimpliciter ſubſcribendum putem. Equidem uti præter corpora ſimplicia ſeu elementa corpus etiam datur mixtum: perinde ita ſimplicem præter Rempubl. & mixtam dari omnino cenſendum eſt. quicquid etiam Bodinus, *vid. lib. 2. de Rep. c. 1. Templerus lib.5. Pol.2.c.9. 7. Hanonius diſp.9.th.2. Add. Beſoldus in Diſſert. politico jurid. de ſtat. Reip. mixt.c.1. per tot. ubi contra Danielem Ottonem diſput. Hippol. à Collib. lib.1. Princip. c. 1.* & ejus ſequaces contradixerint. Et vero à ſanioribus exploſa dudum ac exulare juſſa eſt iſthæc ſententia, ſummam poteſtatem, ſi penes plures diviſim dicatur, ſummam haud

mam haud ſtatuendam eſſe. In eo enim natura mixtæ Reſp. conſiſtit, ut alicubi duæ pluresve Reſp. ſimplices in unam coaleſcant; ita tamen, ut penes quamlibet illarum aliquæ ſaltem ſummæ poteſtatis particulæ ſint, aliquæ non ſint, penes omnes verò ſimul ſumptas tota ſit. Certè Majeſtatis jura ita diviſa eſſe poſſunt teſte Beſoldo, *lib. 1. Polit. c. 8. §. 2. ut quadam Rex, quadam Senatus habeat, aut quadam optimates, quadam Plebs. Interdum quadam communicantur, ut nec Rex ſine Senatu, nec Senatus ſine Rege ea obtineat, sive Plebs ſimul fruatur, & nobiliores.* Varij ac diverſi Mixtionum modi complures videri poſſunt apud Autores: *Limn. Addit. ad lib. 1. cap. 10. n. 11. Arniſ. lib. 2. Rel. Pol. cap. 6. ſect. 1. Balthaſ. Cellar. Polit. lib. 2. cap. 6. Grot. lib. 1. c. 3. n. 17. de Iure B. & P. Boecler ibidem pag. 253. Ejusdem Grotij lib. 3. cap. 19. n. 10. Oſw. Hillig. lib. 19. cap. 2. lit. G. p. 457.* non enim vacat nec lubet hæc illos recenſere.

IV. Nunc è diverticulo in viam redeunti ſuprà jam inſinuata quæſtio evolvenda penitius eſt, quis & qualis ſit Imperij Germanici ſtatus, ſimplex h. e. Ariſtocraticus vel Monarchicus (Popularem enim non eſſe extra controverſiæ aleam eſt) an mixtus? & ſi mixtus ſit, quomodo cum iſta mixtione comparatum ſit. Lubrica ſanè ac ardua vel ideo futura eſt hæc diſquiſitio, quod diſſentientes hic ac repugnantes magnæ autoritatis aliquam multos offendere continget. Verum *Ariſtoteles lib. 1. Eth. Nicom. c. 6. num. 3. præſtat ſcilicet atque adeò oportet etiam veritati ita eſſe addictos, ut pro illa vel noſtra ipſorum decreta evertere non dubitemus: præſertim cum Philoſophi quoque ſimus: Nam cum utraque chara ſint, pium eſt tamen, antiquiorem habere veritatem.* Inter noviſſimos, qui Monarchicum Imperij ſtatum pro aris ac focis defendunt, familiam ducit Beatus Dn. Reinkingius *de Regim. ſecul. & Eccleſ. lib. 1. claſſ. 2. cap. 1.* Magnificus olim Regiæ Majeſtatis Danicæ Cancellarius, cujus nomen & merita immortalitati conſecranda, certè quidem mihi etiamnum poſt fata veneranda. Nefas inſuper foret, ab Ipſius ſententia, utpote quam SS. literis, Iuri Canonico & Civili, Aureæ Bullæ, & reliquis Imperij Conſtitutionibus conformem putet, vel tantillum abire; ſed cum rationibus ab illo & Witzendorffio allatis Limnæus *in Iur. publ. tom. 1. lib. 1. c. 10. n. 20 & ſeqq. & n. 29. cum ſeqq. vid. ejusdem diſſert. Apoleg. de ſtat. Imperij. Hipp. à Lap.* aliique ex aſſe ſatisfeciſſe viſi ſint, ignoſcant mihi ipſius Manes, quod iſthanc ſententiam amplecti nullus ſuſtineam. Nec tamen in eorum concedere ſententiam lubet, qui Ariſtocraticam Imperij formam præfractè adeo ac protervè tuentur, ut vel ſimulacrum aliquod Monarchiæ inibi apparere negent. E quorum claſſe præcipuus habetur Bodinus, *de Rep. 2. c. cap. 1. nu. 181. itemque in meth. hiſtor. cap. 7. Add. Kubach. cent. 1. quaſt. dec. 1. quaſt. ult. Paurmeiſt. lib. 2. de iuriſd. Imper. Rom. cap. 1. num. 9.* qui & alios videtur hanc in opinionem traxiſſe. Verum Coryphæi iſtius argumenta plurimam partem levicula eſſe ac plumbeo etiam pugione confodi poſſe poſt alios jactitat Nobiliſſimus Dominus Daniel Otto. *diſſert. de Iure publ. cap. 7. p. m. 106. Add. Arnold. Clapmar. de arcan. Rerump. lib. 5. c. 20. Petr. Syring. de pace Relig. n. 24.*

V. Sanè mirum uſque adeò non eſt, multos hic hallucinatos eſſe, ac à vero paulò longius abluſiſſe, utpote quod partim partium ſtudio cæcè abrepti, partim imperitia quadam ſeducti, partim ſolis exemplis innixi trutinam hujus controverſiæ ſuſceperint. Enimverò experientiæ tabulâ Hiſtoriâ edocemur, diverſis rarò tempeſtatibus non uniformem Imperatorum dictaturam, nec æqualem Principum Imperii Virorum poteſtatem fuiſſe, ſed variè mutâſſe, ſubindeque aliam atque aliam extitiſſe Reipubl. formam. Nunc enim Imperatorum, nunc Procerum autoritas viſa eſt quodammodo prævalere; Mox iterum metamorphoſi quaſi inducta ſumma rei ſolos ad Imperatores fermè delata; prout quippe illi ſegniores ac infirmiores, hi contrà potentiâ, opibus ac meritis inſignes extiterunt, atque adeo ſui ſive amorem, ſive terrorem incuſſerunt. Appoſitè hanc in rem Illuſtris Forſtnerus *in not. Polit. ad Tac. lib. 15. cap. 54. p. m. 268. monendum habeo,* inquit, *vix ſolido fundamento niti, qui tantam controverſiam ſolis exemplis definiri poſſe arbitrantur.* Et pluſculis interjectis lineolis: *Illud in univerſum obſervaſſe mihi videor, ſub potentibus & bellicoſis Principibus intentiorem dominationem fuiſſe; contrà ſub inertibus aut invalidis majorem Procerum audentiam. Sub Carolo Magno & Ottonibus regia manus. Vnus imperitabat, nullis exceptionibus, non precarie jure parendi. Poſtquam verſa rerum facies, & Henrici Fridericique cum Pontificibus Romanis diſſidere cœperunt, Principum haud pauci Cæſaribus fidem & obſequium vendentes, immunitates extorquebant; quiſque ſibi; & quo ſocius potentia uteretur, etiam aliis. Rudolfus Habſpurgius medicis initiis, contra Ottocari ferociam, liberis quoque provehendis favorem ſibi Procerum conciliaturus; Carolus IV. imperium Wenceslao filio ambiens, omnia Principibus largiebantur.* Plura ſis modo alleg. L. apud eundem huc facientia lege; ubi & rationes ex Tacito duas affert, quibus excuſari ſaltem poſſint luculentæ illæ in Republ. Germ. factæ mutationes.

VI. Iam prope eſt, ut quam ego de moderno Imperii ſtatu ſententiam impræſentiarum ſuſceperim propugnandam, pauca pro tenuitate virium explicare aggrediar. Certe quidem Rempubl. Germanicam eſſe civile quoddam corpus mixtum ex diſtinctis Rebuspubl. indubius reor. Hujusmodi autem inter corpora civilia, quæ ex aliis conglomerata ſunt, duplex diſcriminis intervallum intercedere dixerim: Ita namque cum illis comparatum eſt, ut inter totum corpus & ſingulas particulares Reſpubl. ſit quædam aut coordinatio aut ſubordinatio. Prioris civilis corporis quod ex coordinatis Rebuspubl. conſtat, ſimulacrum nobis inſigne exhibet fœderatum illud Belgium ex ſeptem diſtinctis & propriè ita dictis Rebuspubl. conflatum. Imitatur ejuſmodi coagmentatum civile corpus Rempubl. ſi quando ipſi cum alia Reſpubl. negotii quid intercedit. Exempli inſtar eſſe poteſt funeſtum illud, quod ab unito Belgio conjuncto Marte hodiernum proh dolor! adverſus Anglum geritur navale bellum. Quælibet enim illarum Provinciarum abſolutè ſui juris eſt, & tantum arctiori fœderis vinculo

inter ſe connexæ quaſi conſpirant harmonice. Idem hoc oppidò quam perſpicuè confirmat Antor *Vid. cap. 2. de la puiſſance des Etâts en chaque Province.* non inelegantis tractatus de l'état & gouvernement des Provinces unies du Pays Bas. *Toutes les Provinces à part ont une ſouveraine puiſſance, & peuvent faire d'elles mêmes toutes les actions de la Royauté; excepté celles, qui doivent être communes à tous en vertu des articles de l'union.* Poſterioris civilis corporis, quod ex ſubordinatis Rebuſpubl. compoſitum eſt, ſpeciem ac effigiem præ ſe ferre imperium Germanicum accuratius perpendenti videtur. Etenim quæ ad imperij univerſim ſumpti ſalutem quicquam conferunt, in Comitiis, quæ totum oſtentant imperium, excutienda veniunt, quæ autem ſingularum particularium Rerumpubl. utilitatem concernunt, quælibet domi ſeorſim ac privata intra ſubſellia attendit. Interim in id impensè etiam atque etiam incumbendum, ut particulares Reſpubl. ſubordinatæ ſemper ac quaſi trabali clavo affixæ maneant univerſo Imperio, ceu toti civili corpori, à quo etiam quà tali dependeant. *Duplici regimine*, inquit Dn. Ludolph. Hugo, *Vid. Diſput. de ſtatu Regionum German. & regim. Princip. Imperium noſtrum adminiſtrari animadvertimus: Nam & communi aliqua Republ. Imperium univerſum regitur; & ſingulæ regiones, ex quibus componitur, proprios quoſdam Principes, vel magiſtratus, iudicia & conſilia; atque adeò peculiarem quandam ſuperiori illi ſubiunctam Rempubl. habent.*

VII. Concludo tandem communem illam Rempubl. quæ univerſum civile corpus Germanicum in Comitiis præprimis repræſentat, ex Regno & Ariſtocratia mixtim coaluiſſe: Solus enim Imperator jura Majeſtatis non habet; ſed in illorum partem eamque minimè exiguam veniunt Ordines Imperij junctim ſumpti vel Senatus Imperij. Ita Majeſtas Imperij hodie reſidet penes Imperatorem, Electores, ac univerſos Ordines ſimul, & ab his, iſtis, ac illo jura Majeſtatis pro ratâ proportionaliter exercentur. Cùm verò pleraque imò lautiora & potiora Majeſtatis jura univerſis ordinibus ſimul competant, nec ſolius Imperatoris arbitrio ac Dictaturæ relicta ſint, vel ſole meridiano clarius hinc eſt ac evidentius, Majeſtatem Imperij potiſſimum eſſe penes ordines univerſos, adeoque Ariſtocratiam in Germanorum Republ præcellere. Luculentè hæc confirmans Arniſæus *lib. 2. Rel. Polit. c. 6. Concludo*, inquit, *uno verbo, hodierni Imperij ſtatum eſſe mixtum ex Ariſtocratia & Democratia ita quidem, ut Ariſtocratia præponderet, ſed Imperatori ſua quoque iura incolumia & integra cum ſumma poteſtate relinquantur.* Eandem hanc ſententiam momentoſis iiſque bene multis rationibus cum multis aliis acriter defendit Limnæus *de iur. publ. tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 12. & ſeqq. itemque addit. ad all. l. nec non diſſert. Apolog. Add. Wurmſer. Exerc. Academ. 1. quæſt. 9.* Equidem, ut non inconcinnam quidam inſtituunt comparationem, eſt Imperium inſtar Pyramidos, cujus baſis latior, ſed ubi aſſurgit in altum, ſemper coit, donec in punctum terminetur: Ita in Pyramide Imperii baſis ſunt comitia vel univerſi ordines Imperij, qui ſeſſionem ac votum habent in Comitiis: certè enim in hoc fundamento tota moles Imperij ſita; mox Pyramis arctari incipit, & faſtigiatur in Electoribus, qui in nonnullis cæteros ordines ſupereminent; ideoque dicuntur in Receſſibus, Hauptſeulen des Reichs / die forderſten Glieder des Reichs / Palmites Imperij. Tandem faſtigium Pyramidos abſolvitur in Imperatore tanquam in acuminato Apice: Is enim primus ac præcipuus in Imperio Princeps ad ſumma ab Electoribus evectus & in omnium poſitus conſpectu. Verùm manum de tabula, & tantùm de ſtatu Imperij Germanici hodierno!

SECTIO II.

Scopum Reipubl. Germanicæ proponit, deindè civiles illius corruptelas quà internas quà externas oſtendit.

I. EXpoſito moderno Reipubl. Germanicæ regimine, jam id quod mei eſt inſtituti aggrediendum eſſet, eaque quæ ad illius conſervandam incolumitatem facere videantur, proferenda forent, ni religio eſſet, ab Ariſtotelis inclyti Philoſophorum Primicerij aureo, quod toties inculcat, præcepto nimis quàm longè recedere. *Neque verò*, inquit is, *lib. 1. Rhet. cap. 8. numer. 8. ignorandus eſt ſinis cuiuſlibet Reipubl. finis: Ea enim ſectantur quæ ad finem pertinent.* Et alibi; *lib. 1. Eth. Nicom. cap. 2. numer. 2. Huius ergò cognitio an non magnum etiam habitura ſit momentum, & annon hoc perſpecto ſcopum certum nobis propoſitum habentes, tanquam ſagittarij, id, quod expetere nos oportet, facilius conſequemur.* Bellè ſanè! Prout enim variant fines, Ita etiam abeſſe non poteſt, quin & media varient. Neque hercle quibusvis mediis ad finem quem ſpectas pertingere licebit. Proinde, ut eodem Philoſophi ſimili utar, quemadmodum ſagittario cognitio ſcopi vel metæ, quam ferire velit, ſummè utilis ac per admodum neceſſaria eſt; ita & ille, qui de iis, quæ Reipubl. proſint noceantve, diſpicere inſtituit, finem ejuſdem ut probè cognitum ſibi perſpectumque reddat, palmariam intendat curam neceſſe eſt.

II. Finem, ob quem civitas initiò omnis nata ac condita eſt, egregiè inſinuat Stagirita. *lib. 1. Polit. cap. 2. itemque lib. 3. cap. 4. Add. omnino Piccart. in eruditiſſ. comment. ad all. V. E pluribus pagis communio perfecta civitas eſt, nata ſanè vivendi causâ, exiſtens tamen bene vivendi causâ.* Singulis *Vid. Ariſtoteles lib. I. Rhet. cap. 8. num. 8. & num. 9.* autem Rerumpubl. formis ſuum peculiarem conſtare finem in propatulo eſt. Uti enim alia atque alia eſt Reipubl. forma; ita indubiè quoque alium atque alium ſibi finem propoſitum habeat oportet. *Vid. famigeratiſſimus Dn. Boſius in Diſcurſ. Acad. de Imp. Turcic. ſub init. Siquidem non exiſtimandum, eoſdem ab omnibus Rebuſpubl. fines attendi: nam quemadmodum homines ſecundum temperamentorum; ſic Reſpubl.*

ſecun-

Reſpubl. ſecundum intentionem varietates à ſe invicem diſtans. Hinc etiam eſt, quod quemadmodum reſp. benè vel malè affectæ ſunt; ita in eligendo quoque fine vel benè vel ſequius ſe habeant. Licèt enim omnes bonum aliquod pro fine habeant (Bonum quippe & finis materialiter ſunt idem; ſiquidem appetitus quandocunque ſe movet, & hominem ad operandum incitat, in bonum tendit) bonum tamen in vere bonum, & bonum φαινόμενον h. e. apparens diſtinguendum venit. Sunt proinde Reſp. quæ divitias ac opes ſectantur:

Omnis enim res
Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris
Divitiis parent, quas qui congeſſerit, ille
Fortis erit, ſapiens, pulcher.

Non defuere olim, quibus hujuſmodi finis præfixus fuit, & hodiernum eſſe videre quoque eſt in ingenioſa illa, libertatis ſtudioſa, lucro verò nimium quantum avidè inhiante Batavorum Natione, quæ Poetæ illud ſedulò in ore habet.

Eſt mundus pelagus, regina pecunia, nauta
Navigat infelix, qui caret ejus ope.
Hos ſoles aiunt ſapere & bene vivere, quorum
Conſpicitur nitidis fundata pecunia villis.

Aliæ voluptatem tanquam Helenam exoſculantur ac pro fine amplectuntur. Cujuſmodi Rempubl. in molli ac delicata Sybaritarum Gente deprehendere licuit, & fortè etiamnum in Perſia. Non verò paucæ amplitudinem Imperij, longè latèque patens Dominium, ac potentiam bellicam inprimis ſuſpiciunt, ac in votis habent. Quod advertere hodie eſt in injuſtiſſimo Turcico dominatu, nec minus olim de Rom. Republ. verùm fuit. Etenim

Orbem jam victor populus Romanus habebat
Nec ſatiatus erat, ſi quis ſinus abditus ultra,
Si qua foret tellus, quæ fulvum mitteret aurum,
Hoſtis erat: fatisque in triſtia bella repulſis
Quærebantur opes.

III. Demum ſunt, quales tamen & olim & hodie pauciores omninò animadvertere contigit, quæ virtutem præferunt, eamque quantum quidem humanarum ac civilium præſertim conditio rerum non refractatur, inconnivis ac irretortis intuentur oculis. Qualem namque Ariſtoteles *Vid. lib. 1. Eth. cap. 7. lib. 2. cap. 6. itemque Polit. lib. 4. cap. 11. & 12.* omnibus numeris expletam definivit virtutem, qualem perfectiſſimam Plato delineavit Rempubl. neuter ſanè deprehendet, niſi hic in ipſa ſua imaginaria idea, ille in Vtopia illam fortè obviam inveniat. *Vivimus* enim, ut Cic. *lib. 1. offic.* illa Latina Cypris & Romanæ eloquentiæ flos aſſerit, *non cum perfectis hominibus, ſed cum his, cum quibus præclarè agitur, ſi habeant ſimulacra Virtutis.* Quin differenda erit tam exquiſitæ affectatio perfectionis in alterum uſque ac beatiorem orbem. Et cum Thoma *in fin. libelli de Vtopia.* Moro *facilè confitendum* interea, *per multa eſſe in Vtopienſium Republ. quæ in noſtris civitatibus optarim verius quàm ſperarim.* Inde itaque nil impedit, quin ſeriò nihilominus ſtatuamus, dari Reſpubl. quæ in Virtutis ſaltem illius, quæ in humanam infirmitatem cadit, amplexu acquieſcunt, illamque pro fine, quoad civilem beatitudinem, habent. Quod cum & ex illarum actionibus, unde omnis, teſte Ariſtotele, æſtimandus venit finis, manifeſtum ſit, injurius ſit in hujuſmodi ſanctiores Reſpubl. qui de iis ſequius ac profanius ſentire præſumat. Certè fuit olim Reſpubl. Hebræorum à Deo Legiſlatore prudentiſſimo ſapienter adeò inſtituta, ut ſi quæ unquam, certè illa perfectæ ſcopum vitæ affectârit. Omninò verò exiſtimem, ad virtutem & εὐνομίας à Germanica Republ. collimari.

IV. Sed cum hic finis obtineri neutiquam poſſit, ni ſua Imperio conſtet ſecuritas ac tranquillitas, hæc autem fruſtra ſperetur, ni, quæ ad eam promovendam ac ſtabiliendam faciant, ſapienter inibi ſint inſtituta; jam tandem, quòd qualiſcunque hujus caput diſſertationis eſt, peragendum mihi duco, in medium allaturus, quibus potiſſimum rationibus Reip. Germanicæ conſuli, quibus remediis emergentibus ejuſdem aut fortè emerſuris malis, quæ Politicis morbi non incongruè dicuntur, obviam iri poſſit. Velim autem hanc diſcuſſionem Medicorum methodo genuinam quadantenus eſſe: In medicina enim primò docentur temperamenta, formæ, & partes principes corporis, & quidem ideo illæ explorantur accuratius, quo poſtmodum appareat, qui morbi quibus membris aut partibus inſint, ut curatio deinde rectius inſtituatur. Sic & ego ea, quæ ad cognitionem corporis civilis Germanici, ejuſdem formam & ſcopum pertinent, quoad ejus ad inſtitutum fieri debet, attigi certè, ſi non omninò explicavi. Nunc diſſerendum erit, quæ Germanicæ Reipubl. inſint affectiones, qui morbi, quibus traditis ſubjungentur demum medelæ. Cognitis certè morbis, eorumque affectionibus, facilior erit & expeditior curandi ratio, quippe cum curationes fieri debeant per contraria, contrariorum autem uno intellecto faciliùs percipiatur & alterum: Morbum verò & remedia eſſe contraria, contrariis ex effectis cernere liceat: Morbus enim Reipubl. corruptionem, contra remedium ſalutem affert.

V. Duplex autem omnium Rerumpubl. morborum & ex iis propullulantis interitus genus generaliſſimum ſuggerit nobis Ariſtoteles: *lib. 5. Polit. cap. 7. Omnes*, inquiens, *Reſpubl. diſſolvuntur aliàs quidem per ſe, aliàs verò extrinſecus.* Duplicem eandem ſcaturiginem jam ante illum vidiſſe videtur omnino Plato: *Nonne*, ait is, *lib. 8. de Republ. quemadmodum debile & valetudinarium corpus vel minima mutatione extrinſecus inſecta in morbos incidit, ſæpe etiam nulla extrinſecus re nocente ipſum intra ſe diſſidet, ita & civitas.* Iuvat Philoſophis hiſce duobus duos Hiſtoricos ſuffragantes addere, Livium & Polybium, qui præterea veriſſimè adſtruunt, interna illa morborum civilium ſymptomata lue & contagiis externis vehementiora longè multóque magis metuenda eſſe. Ille apertè aſſerit, *lib. 3. Decad. 15. factiones*, utpote quæ reliquorum Reipubl. malorum agmen quaſi ſecum trahunt, *fuiſſe foreque pluribus populis magis exitio, quàm bella externa, quàm fames, morbive, quæque alia in Deum iras velut ultima*

publicorum malorum vertunt. Hic verò nihil circuitione uſus ait: *lib. 2. inteſtinos hoſtes:* ceu inteſtinos morbos, *difficilium vitari quàm externos.*

VI. Verùm de hiſce civilibus morbis, qui qui in Rempubl. irrepentes, eandem vel lentâ tabe latenter conſumunt, vel violento modo internecioni tradunt, in univerſum eleganter ſatis & nervosè more ſuo egit Ariſtoteles *lib. 5. Polit. per tot. add. Erudiſſ. Comment. Piccarti, ut & Feldens ad l. all.* Ratio inſtituti jubet potius ad ea me ſeorſim nunc accingam, quæ veluti concatenatæ morborum cohortes, Rempubl. Germanicam perdin jam invaſerunt, miris modis diſtraxerunt, & tantum non nutare, ne labaſcere dicam, fecerunt. Redigo autem illa itidem ad interna & externa principia. Inter illa agmen ducunt domeſtica diſſidia partim Imperatoris & Ordinum, partim Ordinum. inter ipſos. 2. attendi meretur læſio tum autoritatis Imperatoriæ, tum libertatis Ordinum. 3. atro inprimis carbone notandus eſt contemptus Imperij Legum. 4. corripienda & corrigenda eſt præpoſtera Comitiorum inſtitutio. Hæc quod attinet externa, luculentè ſanè & iſta apparebunt, ſi advertatur, quâ ratione in ordine ad alias Reſp. Germanica ſe habeat. Quod ſi fiat, deprehendas ſimulque reprehendas licèt, defectum militis perpetui, inopiam ærarij bellici, perniciosam ac pravam cum exteris fœdera incundi rationem. Præter alia quæ hic conſultò ſilentij ſipario tegere, quàm in ſcenam producere maluerim, hæc inquam quaſi è prora eminent Reipobl. Germanicæ æquè probroſa ac noxia. Iſtas autem tum internas tum externas corruptelas hactenus cognoviſſe ſatis erit ad id, ut de illis ſingulatim, nec non de modo medendi ſingulis diſpicere ulterius liceat.

PARS SECVNDA.
agens de
MEDIIS, QVÆ INTESTINIS Corruptelis Opponenda.
SECTIO I.

Suggerit medium primum internum, ſtudium puta Concordiæ, cum inter Imperatorem & Ordines, tum mutuò inter Ordines: additis inſuper remediis, quibus id excitari, ac ſuſſlari poſſit, debeatve.

I. VIX equidem quampiam invenias Rempubl. in qua cives adeò adamantino ac Gordio concordiæ vinculo devincti cohæreant, quin pars nonnunquam aliqua harmoniam iſtam ſufflaminet, aut certè interpellet: *Vid. Miniſt. Rich. I.694. Comme il n'y a point de laboureur quelque vigilant, qu'il ſoit, qui puiſſe empeſcher, que les champs ne produiſent de mauvaiſes herbes: de même il n'eſt pas poſſible à un Prince, de quelque prudence qu'il puiſſe étre doüé, de faire ſubſiſter un état dans un tel établiſſement, qu'il n'y ait plus aucun deſordre, veu qu'il n'eſt pas moins naturel aux peuples de s'y porter, qu'il eſt à la terre, de jetter de mauvaiſes plantes.* At verò uti parva ſcintilla neglecta vires ut plurimum ſumit eundo, adeoque magnum excitat incendium, ita modicus initiò diſſenſus, ac contraria civium ſtudia, quæ temporiùs ſopita non fuerunt, & jam ſeſe animis penitius inſinuant, in odia ſæpe adoleſcunt petulanter, inter, in contentionum & factionum diverticula erumpunt adeò violenter, ut diſſolutionem partium totius etiam corporis excipiat ſolutio.

II. Enimverò *infirmum eſt*, teſte Stagirita, *lib.5.cap.6.p.230.edit. Conr. quod diſcordiis laborat.* E diverſo, *Liv. lib. 2. Adde lib.10.cap 22. Ium Pratus de concordia regnorum. Aug. Buchner. 3. Tacit. Agric. cap. 13. ubi perpetua concordia, ibi creſcit Imperium.* Scilurus *Vid. Lamb. Dan. Aphor. ex Liv. lib. 5. pag. 334. octoginta filiorum pater, iam vicinus morti, faſciculum iaculorum porrigens unicuique ex filiis confringi juſſit. Cum autem omnes defeſſi nihil effeciſſent, ipſe ſingulatim extrahens iacula omnia fregit, docens ipſos hoc argumento, quod uniti & concordes robuſti permanſuri eſſent, diſſoluti autem imbecilles futuri.* Xenophon *Cyropad. lib. 8. p. m. 252. ſeqq. Adde Ejusdem lib. 4. memorabil. p. 169. ut manus, oculi, pedes ideò bini conditi ſunt, ut ſe adjuvent, non impediant; ſic decet fratres & collegas conſilia, animos & actiones conferre.* Maſiniſſa apud Saluſt. *lib. 1. Bell. Iugurth.* ad liberos: *Equidem trado vobis regnum firmum, ſi boni eritis: ſi mali, imbecillum: nam concordiâ res parva creſcunt, diſcordiâ maxima dilabuntur.* Bene utique hoc perpendiſſe videtur Carolus IV. *Vid. A. B. ſtatim in princ.* adducens Servatoris noſtri effatum non paulò fortè veriùs Delphico Oraculo. *Regnum in ſe ipſo diviſum deſolabitur.*

III. Vt ut autem in omni, vel maximè tamen in illa, quæ Germanorum eſt, Republ. ſummo allaborandum eſt opere, diſcordiæ ac factionum ipſas fibras evelli, ac concordiæ ſtudium omnium animis altius inſtillari. Quod ſi enim in hujuſmodi Republ. ubi penes uno plures ſumma reſidet poteſtas, in ſtudia & factiones abeant Proceres, ac nulla inter ipſos animorum conjunctio, concordia nulla nedum confidentia, quin potiùs apertum bellum, quale non ita pridem tricennale fuit, ſubmetuendum omninò eſt, ne alterum ex his duobus eveniat, ut univerſus Imperij interitus, aut is, cui victoria læta obtigerit, armis ac potentiâ fretus, ſpe ac animo inflatus, dominandi cupidine illectus imperium ſibi ſoli vindicet. Hic enim bolus adeò lautus eſt, adeò ſalivam dulcedine movet, ut vix modeſtiſſimi mortalium ab eo abſtemij eſſe ſuſtineant. Præſertim ſi quando nullo negotio, aut certè minori cum periculo illum ad ſe trahere ac ad Imperij faſces adſpirare liceat; licere id autem tum, cum diſcordiis omnia feſſa ſunt civilibus, oſtendit Mariana illa & Syllana æmulatio, teſtatur Pompeiana & Iuliana diſſenſio, quin infinita Hiſtoriæ monumentis conſignata loquuntur exempla: Nullum enim aliud poſteà remedium diſſidenti Reipubl. reperiri poſſe, quàm ut ab uno quodam Auguſto

regatur

Digitized by Google

regatur, argutè commonſtrat Tacitus *l.b. 1. Annal. cap. 9. conſ. Beſold. 2. Polit. 9. add. l. 2. ff. de orig. jur.* Proinde ſi quid unquam Reipubl. Germanicæ exitiale eſt, aut fuit, certè eſt diſcordia malum illud Babylonicum. Contrà ſi quid eidem ſalutare reperiri poteſt, eſt ſanè alma concordia cum inter Imperatorem & ſtatus, tum inter hos invicem firmiori quaſi glutine aptata. Hæc vera eſt panacea, quæ exulceratis Reipubl. vulneribus cicatricem obducere, omnibus moribus ac doloribus (hiſce nominibus civilia mala paſſim Indigitat Ariſtoteles) mederi ac auxiliari poſſet.

IV. Ad hanc ſive diſcordiam eliminandam ſive concordiam omninò recuperandam, poſt alios Imperatores boni publici amantiores collimâſſe quoque viſus eſt Ferdinandus III. *In ſua propoſitione habita Ratiſpona anno* 1653. Spectârunt huc dudum multi cordati Principes, ac Imperii ſtatus. Tendunt eò quadantenus hodienum præſentibus in Comitiis Ratisponenſibus. Verùm in caſſum laboratur, ni iis, quæ laudabili huic ac ſalutifero inſtituto remoram videntur afferre, obicem ponant, ac adeo obſtacula omnia removere antè curæ ſibi habeant. Certè vèrò donicum in Imperio alter de altero habet adhuc, quod queri poſſit, tantiſper vel cogitare de intemerata Animorum conjunctione, vanitatem redolebit. Præcipuè namque ad amicitiam conciliandam, ac concordiam omni in ſocietate ſartam tectamque ſervandam peropus eſt: *Ariſt. lib. 9. Eth. Nic. c. 1. 2. 3.* ſuum cuique ut tribuatur. Hoc ſi neglectum ſit, multa oriuntur ſtribuſcula, multæ naſcuntur querelæ, multæ dividiæ. Cum autem certum ſit, illam ficulneam ac lubricam admodum eſſe amicitiam, quæ tot obnoxia eſt querelis, tot expoſita criminationibus, ſuapte ſponte hinc patescit, quid ſentiendum de ea, quæ inter Imperii Germanici Ordines nunc temporis eſt, amicitiâ. In propatulo ſanè eſt, ac ea propter non video, cur hic celetur, multis ſtatibus amplam ſatis querelarum materiam ſuppetere, ingentem quippe gravaminum catalogum contexentibus. Plures deprehendere eſt, qui quodam prætenſionis ſaltem jure innixi aliquid ſibi deberi ac reſtitui urgent. Quæ cum ita ſint, iis imprimis, *Joh. Theod. Spreng. Lucerna exhibens faciem Imperii c. 9. p. 464. add. Inſtrum. pacis art. 2. & 3. qui occaſione præteriti Bohemici Germanicique belli ſua bona, jura & privilegia perdiderunt, & ex capite amneſtiæ reſtituendi veniunt*, ſatisfaciendum eſſet. Quandoquidem autem plura indies propemodum gravamina ac litigia inter ſtatus ingraveſcant, optandum oppidò foret, ut amicabili ſe compoſitioni, ac juſtitiæ foro æquo ac defecato animo ſubmitterent, neve præconcepti juris apicibus ita obſtinatò inhærerent, minime verò omnium ad arma præpropere tranſilirent.

V. Cum inſimul Imperium tribus iisque diverſis utatur religionibus, Pontificiâ videl. Lutheranâ, Calvinianâ, diverſitas autem illa nimis quàm ſæpe civilium quoque mater ſit diſſenſionum, ſummopere cavendum eſſet, ne propterea animi ac ſtudia Imperatoris, & Ordinum publicis in negotiis diſtraherentur, ſed religione diverſâ nil obſtante amico more & fraterniter inter ſe conſpirarent. *Religionis* enim *diverſitas*, ceu aſtruit diſertim Illuſtriſſimus Rohanus *in ſua Trutina ſtatuum Europæ diſc. v. p. 54. in cauſis bonum publicum concernentibus diſtractionem animorum cauſare non debet.* Licèt quidem Atheismus nulli non Reipubl. ſit internecinus, *vide Gisbert. Voet. diſſert. de Atheiſmo.* adeo, ut Plutarchus ipſe Gentilis nullus dubitarit olim aſſerere, facilius eſſe, ut urbs ſine ſolo conſiſteret, quam Reipubl. ſine religione, qua abſque temporalis *Conſ. Did. Saaved. Symb. Polit.* 24. *p.* 180. *ubi elegantia, quæ huc omnino ſpectant, legi aliquam multa merentur. Inſtitia legibus armata, Præmium item ac Pœna columnæ erunt in aere*, tantùm tamen abeſt ut una ad conſervandum Imperii ſtatum de Deo præciſè requiratur doctrina, ut Civitates quondam multæ multos Deos, multas religiones intra una mœnia coluiſſe, ſatisque inſuper diu civili felicitate gaviſæ fuiſſe legantur. Nobis quidem præſertim Chriſtianis nil potius, nil penius, ac antiquius eſſe deberet, quàm ut unâ orthodoxâ religione uti liceret; ſed cum hoc vix optare, nedum ſperare integrum ſit, imitemur Ariſtotelia *Ariſt. lib. 3. Polit. c. 9. p. 191.* Inſtitutum, & *ad ſecundam confugiamus navigationem*, ſeu cum id, quod in votis habemus, obtineri minus queat, obtemperemus tempeſtati, ne luctantibus ventis navis Reipubl. omninò naufragium faciat.

VI. Diverſitatem quippe trium iſtarum religionum in Republ. Germ. è medio velle tollere, non aliud forte eſſet, quam hydræ caput conari amputare. *Vide literas Parlamenti Pariſienſis ad Henr. II. Gall. R. apud Thuan. Hiſt. lib. 16. quarum partem in not. ad Boxhorn. exhibuit etiam Clariſſ. D. Schmidelius pag. 253. Adde ſententias Senatorum Galliæ apud eund. Thuan. lib. 22.* Quin id moraliter hactenus impoſſibilitatem involvit. Signanter dico hactenus: quia partes diſſidentes potentiâ ferme pares adhuc exiſtant, & quælibet orthodoxam ſuam jactitat Eccleſiam? Et ita omnes & ſingulæ pro ſua religione cum armis, tum argumentis, cum Marte, tum Arte propugnare poſſunt. Sanè quidam ex Theologia moderatioris ac indulgentioris ingenii nulli verentur fateri, in ſimplici fide convenire nos omnes, adeo, ut niſi diſputationum tricis, & variis errorum Mæandris illa mirè ac tortuoſè involveretur, nil obſtare, quo minus in unam coire ſocietatem liceret. Verùm cum hac ſuper re in ſacro Theologorum ſuggeſtu acerrimâ animorum contentione ad convitia uſque dudum jam agitatum ſit, religioni mihi vèreeſt, meam hic facere arduam illam, & *Sabbathinam. Sabbathina quæſtio Raphaëlis Fulgoſio ad l. 36. §. 2. ff. mand. ea dicitur, quæ die Sabbathi tractanda i. e. religioſè & circumſpectè, cum plura utrinque momentoſa afferri poſſint. Ern. Cothm. vol. 1. reſp. 44. n. 41.* omninò, proindeque ad altiorum Theologiæ S. S. cathedram remittendam litem. Nihil tamen impedit, quominus Excellentiſſimum Baconem de Verulamio hic ſaltem adducam. *Videndum Vid. ferm. fidel. 3. p. 16. eſt, ne Homines Eccleſiam*

Digitized by Google

Dei lacerent per duô controverſiarum genera. Primùm eſt, cùm controverſia materia levior eſt, nec tantâ contentione, quanta circa eam excitatur, digna; contradictione ſolâ inflammatâ: Quemadmodum enim acutè & eleganter notatum eſt, ab uno ex Patribus: Tunica Chriſti inconſutilis fuit; at veſtis Eccleſiæ verſicolor. Unde præcipit: In veſte varietas ſit, ſciſſura non ſit. Differunt enim haud parùm inter ſe unitas & uniformitas. Secundum eſt, cùm materia quidem controverſiæ pondus habet, ſed ad nimiam ſubtilitatem ac obſcuritatem redacta eſt: adeo ut ingenioſa quædam res eſſe videatur potiùs quàm ſolida. Videmus quandoque fieri, ut quis doctus, & intelligens, Homines imperitos de aliqua quæſtione inter ſe litigantes audiat; atque perſpicuè advertat, eos idem re ipſa ſentire, & in unum convenire, quibus tamen ipſis nunquam fuiſſet aliquis diſſidendi finis. Quodſi hoc nonnunquam eveniat, in exigua illa judicii diſparitate, quæ inter homines eſſe poteſt; an non credere par eſt, Deum in cœlis, qui corda ſcrutatur & novit, ſatis perſpicere, nos homines fragiles, in aliquibus, de quibus controverſiam movemus, idem revera ſentire, & in ambobus benignè complacere? Ii tamen perſtringendi & profani habendi, qui Laodicenſium more in cauſis religionis tepidi ac planè frigidi aſſeverare nulli tergiverſantur, quæcunque controverſa religionis capita facili negotio arctiſſimo uniformitatis nexu colligari poſſe *Vid. alleg. Bacon. Serm. fidel. 3. p. 14. per vias medias, & opiniones utrinque participantes & reconciliationes ingenioſas, ac ſi pro arbitris ſe gerere vellent inter Deum & homines.* Magìs autem an minus, incertum eſt, odio habendi ſint illi, qui omne pacificationis religioſæ negotium oculis fugiunt, auribus reſpuunt, animo execrantur. Qui hac in re Anteſignanos ſequuntur Pontifices. Ut enim de illorum tyrannide, quàm in Imperium Germanicum jam olim & multis retro ſeculis omnimodo exercuerunt, religioſæ imprimis tranſactionis negotia remorantes, nihil hìc memorem, quid non in illa nupera conventione Pacis Oſnabrugenſis clam palamve per Nuntium ſuum egit Pontifex, ne pax coaleſceret? certè jam coalitam conditâ Bullâ pluſquam vetano auſu infringere ac labefactare enixiſſime conatus eſt, nullâ ærumnarum, nullâ periculi, filiorum etiam ſuorum, quos vocat, ratione habitâ.

VII. At verò, quosd modos, queis religionis diverſitas quodammodo tolli poſſit, graviſſimè admonent Prudentiſſimi Viri, cautionem imprimis adhibendam eſſe, ne dum nimiopere allaboremus uniformitatem ejus conciliare, vincula ac legis charitatis ac ſocietatis laxemus ac tantùm non ſolvamus. *Hoc enim nihil aliud eſſet*, atteſtantè iterum eleganter æquè ac piè Bacono *cit. l. p. 18. quam alteram ex tabulis legis in alteram allidere, & in tantum homines ut noſtra religioni addictos intueri, ut interim obliti videamur, quod ſint homines*, imò quod & Chriſtianos ſe maximè profiteantur. Spontaneus ſit oportet religionis cultus, ideoque alterius coactionem admittit ægerrimè. Et ſanè ſi jure civili nemo quiſpiam temerè cogi poteſt ad ſuam rem vendendam, quanto minus cogendus eſt ſua ut de religione perinvitus diſcedat, alienæque ſuam urgentiſſimo cum conſcientiæ ſcrupulo fidem mancipet. *Cum autem*, ut ait nonnemo *apud Goldaſt. tom. ult. Conſt. Imp. patiatur divinitas, multas eſſe religiones, quare nos unam audiamus imponere?* Aſt dudum detectum *Confer. Beat. Reinking.* Bibl. Pol. *l. 2. axiom.* 136. *Natalis Comes lib. Hiſtor.* 11. & 13. *Conring. Præfat. Polit. in Ariſt. & animad. in Bull. Pap. Inn: item adv. Ern. de Euſeb.* inſuper & proditum jam eſt deteſtandum ejerandumque illud arcanum, eos, qui teterrimas in conſcientias Imperium ſibi vendicant, ſub adſcititio religionis velo cupiditates ſuas occultare ac monſtri aliqui alere. Eſt quippe tum religio (ingens certè ac dignum vindice facinus) inſtar puellæ, quæ fuco ornari amat, non tam ſacrorum quàm Imperii cauſâ. Quod ſi itaque hæc larva penitus abjecta, omniſque inſimul Zelus intempeſtivus, quem religionis ergo intra præcordia tenus hac fovent Pontificii, ademptus foret, multa ſecum commoda res iſthæc afferret. Certè enim extincto ſacro illo & pluſquam internecino odio, quo alter alterum diverſæ religionis cultorem ſaltem latenter, ſi minus apertè inſectatur, via ad arctiorem concordiam proxima ſtrata eſſet. Nec cauſam quis amplius haberet, cur querelis omnia miſceret, in Publ. deliberationibus inter Pontificios & Proteſtantes ſententiis nunquam aut ægrè admodum convenire, propterea quod contradictionibus & diverſis ſtudiis diſtrahantur, nec in commune conſulant. In confeſſo *Vid. Rec. Imp. de anno* 1548. §. und nach dem wir uns. Namque pridem fuit, daß ſolcher zwieſpalt der Religion eine gewiſſe Wurtzel und Haupt-Urſach ſey alles Ubels/ Unglücks und Unfalls Teutſcher Nation; daraus nicht allein viel unrichtige/ ſondern auch alles Mißvertrauen/ Unfreundſchafft/ und Unwillen/ zwiſchen gemeinen Ständen erfolget iſt. Expirent igitur hæ religionis cauſâ ſævis incluſæ ſenſibus ſimultates, deferveſcant illi nimis vehementis Zeli igniculi, & faceſſet diffidentia, reviviſcet concordia. Ac licebit tum Ampliſſimæ Germaniæ adaptare encomium illud, quod bene moratæ Venetorum reip. non nemo tribuit: *Lamb. Danæi Aphor. Polit. ex lib. 5. Liv. p. 334. de urbe Veneta ex vero non aliud dicere poſſumus, quàm quod ſit parvus mundus ſed perfectus, alma regina omnium aliarum Urbium, domicilium virentium, felix Ordine ſuo ſenatorio, admirandum ſpeculum Iuſtiſſimarum & ſanctiſſimarum legum, quæ reguntur CONCORDIA, non alio modo, quàm corpus regitur animâ, dignum receptaculum omnium felicium, omnium imperiorum, quæ virtute non vi ſtant, imperium.* Quæ omnia ut inclytæ Germanicæ Reip. propria ſint aliquando & perpetua, faxit Concordiæ Autor.

SEC-

SECTIO II.

Attingit alterum medium internum, quod non minus in Autoritate & Maieſtate Imperatoris pro norma & forma Reip. tuenda, quam in ſtatuum libertate ac Iuribus ritè aſſerendis conſiſtit.

I.

CUm omnium domos, ut ait Seneca in conſolat. ad Polyb. c. 26. *Add. Limn. tom. 1. jur. Publ. lib. 4. c. 7. Cæſaris vigilia defendat, omnium etenim illius labor, omnium vacationem illius occupatio, eius in compenſationem meritò & honorem & prærogativas illuſtres eidem attributas eſſe voluit antiquitas.* Certè verò publicitùs intereſt, & ad ſummam Germanorum Reip. dignitatem, & Authoritatem apud Exteros & vicinos Reges tuendam facit cum primis, ne Auguſto Imperii Capiti ſeu Imperatori omnis omnino Majeſtas abdicetur, ſed titulus Cæſareus & Imperatoriæ Majeſtatis, *quâ nihil in terris majus, nihil ſanctius l. ult. C. de LL.* unà cum juribus ac præeminentiis nonnullis, quæ oculos hominum feriant, inconvulſus relinquatur: Secus namque aliis Regibus Majeſtatem habentibus exiſteret inferior Imperator, Imperiumque ipſum non eo loco, quo nunc eſt, apud Exteros foret. Eſt quippe Rex Germanorum ideo, quod Imperator Romanus Salutetur, omnibus univerſi Orbis Regibus dignior æſtimatus. Nec verò, ſi quidem à Turcico Imperatore ac Papa Romano, qui, dum ſupra omnes Deos terreſtres ſe ipſos extollunt, duo Antichriſti, alter Orientis, alter Occidentis cenſendi, diſceſſionem fecerimus, ullus Regum, quamvis præpotentior, præferentiam ipſi denegat, certè non valet eripere. Sanè ab ipſo Turcico Monarcha Imperatorem Romanum maximi fieri, ſatis ſuperque teſtatur Thuanus. *Hiſtor. lib. 136. p. 1113.* Suffenus ſibi ac vanus omnino eſt Bodinus, *lib. 2. de Republ. c. 9. Add. Limn. lib. 1. Iur. Publ. c. 2.* dum Imperatori Romano Galliæ Regem à Turca præferri aſſerit. Equidem Francorum Regum Legatos eo elationis ac arrogantiæ proceſſiſſe, ut Legatis Imperatoriis quà talibus de præcedentiæ jure quæſtionem unquam moverint, nullibi fide dignus ſcriptor tradiderit. Id quod confirmat Thuanus: *lib. 78. hiſt. p. 133. Conf. Limn. modo all. l. Nam quamvis Rex*, Galliæ puta, *ubique in Orbe Chriſtiano primas Cæſari concedat, quia tamen ad portam Othomanicam Cæſaris, ſed ut Hungariæ Regis, qui tributum Turcæ pendit, Legati comparent, quā ſimulatione utcunque Imperii Maieſtati Principes & Ordines conſultum exiſtimant: idcirco in eo loco nunquam non fuit primarius locus ei, quem inter Reges Principem locum tenere extra controverſiam eſt.* Similem Dav. Blondelli *præfat. Apologet. Contra Chifletium.* propter viam caſtigavit Clariſſ. Boeclerus: *in vindic. Sac. Rom. Imp. p. 45. ſeqq.*

II. Authoritas cujuſcunque regiminis anima dici non ineptè poteſt: *vide Q. Curt. lib. 8. c. 5. Aurel. Caſſiod. lib. 1. Epiſt. 35.* Fruſtra enim quis Magiſtratum gerat, & trunci inſtar inter ranas ſedeat, qui ſuâ authoritate & gravitate illos, qui juſſa capeſſere, aut ſaltem reverentiam exhibere debent, movere potis non eſt. Certè verò quem unus impunè læſerit, eius authoritatem plures mox in dubium vocabunt. Veterem quippe tolerando iniuriam nova provocari ſubinde aſſolet. Quid autem ſalvi amiſſâ autoritate eius, qui in Imperio præcipuus, qui caput eiuſdem eſſe debebat? Hic omnino aditus patefactus foret invadendi Rempublic. multique commodam nacti eſſent occaſionem, res novas moliendi. Proinde ſecuritatis ac tranquillitatis Reipubl. Germanicæ quàm multùm refert, pro norma ac forma Imperii Auguſtam Imperatoris Authoritatem ſanctam ſalvam, ac incolumem retineri. Facit huc non parùm, plenitudinem poteſtatis Imperatori in receſſibus: *Vid. Rec. Imp. paſſim, itemque A. B. c. 3.* Imperii impertiri, vollkommene Macht und Gewalt / quaſi ſit Dominus abſolutus. Splendori quoque eius facem veluti præfert, nomen illius ſemper Imperio anteferri. Et eſt communis ſtylus Curiæ perinde ac ſi Imperator Imperio dignior ſit. Vti hinc inde in Receſſibus apparet haut obſcurè. Unſere und des heiligen Reichs Getreue / Unſer Fürſten und des heil. Reichs Glieder. Unſere und des Reichs Hochheit. Imperialem hanc præeminentiam valde etiam coruſcare faciunt ipſa Imperii decreta, utpote quæ Imperatoris nomine emanant, non ſecus fermè atque ſi ille ſolus in Imperio ordinet omnia. Adhæc ad Imperatoria dignitatem non leve utique momentum confert, quod Ordines ſeſe coram illo ſubmittant, ejus ſe ſubditos profiteantur, eique obedientiam polliceantur. Hæc & hujus commatis alia concedere Imperatori, ratio ſtatus videtur omnimodo permittere non modò, ſed & exigere. Interim hæc omnia magnificentiùs crepitari ac ambitioſius decantari, non temerè quis putet, adeoque plus multo in verbis eſſe, quàm in re & opere obtinere ipſo. Apprimè huc pertinet illud quod Louys de Mayerne Turquet *en la Monarchie Ariſtodemocratique livr. 7. p. 448.* hodiernam titulorum prodigalitatem perſtringens ſcribit. *La conſideration des choſes, que l'on attribue à la perſonne d'un Roy nous met en avant en premier lieu l'abus de ce mot de Maieſté, dont l'on penſe bien uſer auiourd'huy en tous propos, que l'on luy tient au lieu que plûtôt on le prophane. Ce titre proprement appartient à Dieu, & s'il doit être communiqué aux Roys, c'eſt aux grands actes & ſolemnels, tenans leurs Etats, ſeans en leur lit de juſtice, en autrement exerçans leurs charges en qualité de Rois & vrays Lieutenans de Dieu en terre. Hors cela c'eſt un titre orgueilleux & ambitieux, preſque incognu aux Nations franches avant un âge ou deux.*

III. Quæ tamen reſervata, licèt minus rectè, vocari côlueverunt hactenus, illorū ratione Imperator, pro eo ac pro lubito tenetur, pleniſſima diſ-

Digitized by Google

penſandi gaudet poteſtate, & quà talia Germanorum Regem illum ſalutari veriſſimè poſſe, fatendum omnino eſt. Et ſanè quæ illacunque fuerint, illibata penitus ac intacta Imperatoriæ Majeſtati relinquenda eſſe, nemo præfractè negabit, niſi qui iniquiori novandarum rerum ſtudio elatus *ſacrilega manu arg. l. 3. C. de Crim. Sacril.* Auguſtiſſimæ Imperatoriæ dignitati detrahere, ſimulque oſtendere auſit, quam parùm memor, multoq; minus obſervans ſit dicti Servatoris noſtri, quo ea, quæ Imperatoris ſunt, Imperatori danda eſſe graviter admonet. Enimvero, ut leviſſimè dicam, ad Agnatos & Gentiles remittendos putem omnes, qui Novercali & Galateo in florentiſſimam domum Auſtriacam affectu abrepti, eandem exſtirpādi calida pariter ac callida ſuggerunt conſilia, nimiam illius magìs magìsque indies exſurgentem cauſati potentiam. Largiar jam cum Forſtnero *Vid. Not. Polit. ad Tac. p.* 427. aut ſaltem quod mihi impunè magìs licebit, fingam, Imperio nimium, nimiſque grave Auſtriacæ potentiæ robur eſſe; non tamen hæc *demiſſa è cœlo in terras*, ut ait Lipſius; *de magn. Rom.* delenda eſt familia. Eſſet hoc remedium malo deterius. Et verendum id nuſuris foret, ne fortè domus Auſtriaca incendium ſuum ruina Germaniæ exſtingueret, aut ſaltem injuriam illam jactura potiſſimæ Germanorum libertatis ulciſceretur. Vti linquere ſatius eſt, quàm movere morbum; ita hic nullum remedium optimum eſt. Atque inſuper boni eſt civis, præſentem Reipubl. ſtatum amare. *vid. Hug. Grot. lib. II. de Iur. B. & P. cap.* 4. n. 8. *& annot. Excellentiſſ. Dn. Schmid. obſerv. ad Boxhorn. p.* 390. *ſeq.* Valeant ergo hi claſſicum canentes, omneſque illi, qui libenter ungues ſunt in ulcere, ac ſe puriori purget helleboro unà cum ſequacibus Autor; qui cauſæ ſuæ diffiſus Hippoliti à Lapide nomen mentitus alte abditum livoris virus, ac odii cacoethes audacter ſatis eructavit.

IV. Verumtamen eſt, cur excubias hìc ſedulò agant Imperii ordines, ne hæc toties increbeſcens & convaleſcens potentia ſaluti ipſorum immineat aliquando & libertatis jugulum petat. Obverſetur animis illud Ariſtotelis veri verbium: *lib. 5. Polit. c. 10. Quæ autem poſſunt, cum volunt, agunt, omnes.* Et prope eſt, ut eodem loco admoneat: *Maxime eſt evitendum legibus ita inſtituere, ut nemo exoriatur nimium conſtans potentiâ vel amicorum vel divitiarum.* Aureum hoc præceptum ſi neglectum ſit, quàm condignâ animadverſione contemptum ſui ulciſcatur, ſcito ac peræquè feſtivo & lepido alibi commonſtrat ſimili: *lib. all. c. 9. Contrà verò tales non eſt lex. Ipſi namque ſunt lex. Riſum enim de ſe excitaret, qui experiretur lege ipſos illigare. Dicerent enim fortaſſe eadem illa, quæ Antiſthenes ait Leones dixiſſe, cum in concione verba facerent lepores, poſtularentque, ut omnes æquum rerum haberent.* Verum hæc de Auſtriacis uſque adeo ſuſpicari, ne metuere dicam, benignior ipſorum, & mitiori exculta ſydere, quin tot decantata elogiis indoles vix permittet, utpote cum hactenus competentis ſorte faſtigii contenti ſi non omnes, ſaltem plurimi perhibeantur, nec tam armis quàm matrimoniis in invidendam hanc potentiam adoleviſſe videantur. *Sunt tria*, inquit Limnæus, *vid. tom. 4. jur. Publ. ad lib. 5. cap. 2. p. m.* 682. *potiſſimum, quæ Auſtriacam Habſpurgenſium familiam ad tot tantaſque provincias & opes perduxerunt; Divum, hominumque favor, & inde ſecuta matrimoniorum felicitas. Quis autem dubitet, poſteriora à ſummo Primo, tanquam inſtrumenta vel media dependere, non excluſo tamen mortalium libero arbitrio: quoniam res inter dantem & accipientem vertitur; ut recte proverbio dici ſoleat, quilibet fortuna ſua faber.* Idem arguto & quaſi invido calamo innuit Silhon *en la premiere partie du miniſtre d'eſtat livr. 3. diſcours 4. pag. 545. C'eſt une choſe aſſés connue dans le monde, ce que doit la maiſon d'Auſtriche aux alliances du ſang, & ſi la devotion, comme l'on dit a eſté le fondement de ſa grandeur, on ſçait aſſés, que ce ſont les alliances, qui l'ont edifiée, & portée d'une origine mediocre à cette haute puiſſance, ou l'on la void, & à ceſte vaſte domination, pour laquelle le ciel n'a point d'orizon, ni la terre de limites.* Tametſi autem hunc imbellem per matrimonia acquirendi modum vilem & abjectum habuerint Galli, his tamen Auſtriacos hac in parte imitandi non tam voluntatem unquam quàm fortunam, (cum nōn omnes æqua Venus, non omnes æquus aſpiciat Iupiter) defuiſſe diffiteri nullus habet Louys de Mayerne Turquet: *livr. 7. de la Monarchie Ariſto-democratique p. 493. C'eſt choſe remarquable en la couronne de France, que depuis qu'il y a memoire de ſon établiſſement, aucune femme n'a donné accroiſſement, ni acceſſoire permanent à icelle, ni apporté aide, ſupport, ni preſques faveur aucune à nos affaires, mais de querelles, de pertes, & de depenſes aſſés. Et s'il eſt avenu quelques fois d'entrer en traitté de mariage, ou il y ait eu attente ou eſperance de quelque bonne ſucceſſion, il y a toûjours eu des traverſes & des empeſchemens, par ie ne ſçay quelle diſpoſition ſecrete, qui n'a permis, qu'ils ayent eu lieu.* Sanè verò ſi verum, uti non minus verè quàm facetè, admodum loquitur Limnæus: *Annotam. ad Capit. Carol. V. voc.* Ertz-Hertzog *n. 4. p. 66. amamus dicere: Modus acquirendi regna & provincias per matrimonium tanto eſt humanior, modis illis, qui fiunt per lanceam ferro armatam: quanto baſia verberibus ſuaviora, quanto amor violentia: & liberorum procreatio eſt præſtantior hominum ſtrage.* Quin imò idem fermè vi veritatis victus largiri ſuſtinet jam prælibatus Silhon: *Vid. loc. ſupr. alleg. C'a toûjours été le deſſein des Princes de la maiſon d'Auſtriche, d'arrêter leur viſée, & de tetter leurs filets ſur les partis, qui pourroyent ioindre quelque nouvel état au leur, & étendre leur domination ſous un titre ſi innocent & ſi iuſte.*

V. Quemadmodum verò in aperto eſt, intereſſe valde, Imperatoriam dignitatem & auctoritatem pro menſura & forma Reip. Germanicæ ſanctam eſſe, & intemeratam ac illæſam ſervari; ita utique non levius præſentis ejuſdem ſtatus tuendi fundamentum in Ordinum libertate, dignitate, iuribus, & privilegiis ritè aſſerendis collocandum erit. Quæ autem illa ſint, cum vix paginæ anguſtiæ capiant, & ex ſinuoſis Receſſibus Imperii, inſtrumento Pacis Oſnabrugenſis, nuperrimiſque Capitulatione

Digitized by Google

Capitulatione ſatis pateſcant, nec non ſingula apud Autores, qui intimiori Iuris prudentiæ Publicæ operantur, diligentius & exactius excudantur, hic equidem omnia ſeorſim memorare ſuperſedens, eò me remitto. Quo verò àvitam illam ac ſplendidam Germanorum libertatem, veluti ex ungue leonem, ſive mavis, ex pollice gigantem cognoſcere quadantenus ſaltem detur generatim dico, illa maxime, unde ceu ex fonte omnis in Imperio Germanico exiſtit Majeſtas, quam Galli la Souveraineté, la ſouveraine puiſſance, Itali la Maeſtà vocare aſſolent, in gemina eſſe differentia. *S*unt enim quædam, & quidem ea, quæ recepto in vulgus Reſervatorum nomine ſupra indigitavi, quæ in Imperatoris quà Regis Germanorum (eo enim tum nomine ipſum mactandum eſſe numero tertio huius membri itidem jam dixi abſolutà ſita ſunt poteſtate. Deinde ſunt alia, quæ Majeſtatem ex aſſe ac numeris omnibus expletam inferunt, ad quæ Imperatoris poteſtas variè circumſcripta ac limitata, ſeu ut rectius dicam, non ſubordinata quidem, ſed coordinata ſeſe illa extendit. Tripliciter hæc rurſus ſubdiſtingui poſſunt, adeò, ut illa excuſſo partim omnium Ordinum, partim maximæ illorum partis, partim denique Electorum ſaltem conſenſu ac ſuffragante voluntate ab Imperatore geri ac peragi neceſſe ſit. Enimvero quoad Electores ſeorſim attendi meretur, eſſe illorum eminentiam reliquos inter ſtatus, veluti inter ignes Lunam minores, conſpicuam. Radiat præ cæteris ipſorum ſplendor ex clauſula Capitulat. Ferdinandi II. §. 39. & Ferdinandi III. art. 42. Wir ſollen und wollen in allen wichtigen Sachen / ſo das Reich betreffen / bald Anfangs der Churf. Raths vnd Bedenckens uns gebrauchen / ſcilicet ex eo capite, quod ſint *Vid. A. B. cap. ult.* Die förderſten Glieder des Reichs / auf welchen gleichſam als Seulen deſſelben Wohlfahrt ruhet. Alia verò Electoribus poteſtas haud videtur conceſſa, quam quæ cum totius ſalute ac commodo Reipubl. conjuncta eſt. *Inde Vid. Beat. D. Carpz. ad l. Reg. c. 1. S. 16. n. 14. 15. etiam quicquid agunt collegialiter, id nomine reliquorum ſtatuum totiusque populi agere cenſentur.*

VI. Cum in omni ſanè Ariſtocratia id operæ & providæ dandum ſit curæ, ut ambulatorius ſit ſummus Magiſtratus, neve is in una familia diutine continuetur, *Livius lib. 11. cap. 25. Machiav. lib. III. Diſcurſ. in Liv. cap. 24. Add. Roban. Trut. Stat. Germ. Trat. Beccal. cent. 2. ragguaglie 20. Pie Muttaſopra il lib. 1. di C. Tac. conſider. 2.* cardo utique libertatis omnium Imperii Ordinum in eo vertitur, ut videant, ne longâ temporum ſerie in præpotentiſſima domo Auſtriaca facta electio in hæreditariam tranſeat aliquando ſucceſſionem. Nec enim abs re exiſtimet quis, familiam illam dolenter admodum & iniquo animo laturam eſſe, ſi quando ab aſſidua illa & tot annorum decurſu continuatâ electione impoſterum fortè recederetur, adeò ut radicata jam inibi, & tralatitia videri omnino poſſit, utpote cum quindecim ipſi inde prodierint Imperatores. Id quod Goldaſtus *ex conditionibus Caſarea Maieſtati à Proteſtantibus oblatis pars. 2. tom. 1.* an valde nimis contrariari diſertæ Proteſtantium proteſtationi: Daß hinfüro aus keinem Fürſtl. Hauſe drey Könige nach einander erwehlet / oder genommen werden ſollen / damit die Freyheit oder Wahl der Perſonen halber nicht in eine Verjährung oder Gerechtigkeit geführet werden möge. Eſto autem, fuerit dignitate imperatoria domus Auſtriaca diutius gaviſa, quàm ulla alia antecedens ſive Carolina, ſive Saxonica, ſive Franconica, ſive Suevica familia, id tamen nihildum libertatem electionis præpedire, nedum tollere poteſt. Etenim variis hactenus rationibus libera Electorum vota inducta fuerunt, uti Auſtriacæ Familiæ tenaciter ita adhærerent. Conſtat quippe *Carol. V. apud Sleid. de Stat. Rel lib. 7. ipſius Regna veluti murum ſalutis communis eſſe oppoſitum immanitati Turcica.* Et certè meretur attendi illam familiam una cum infauſtis Ottomannorum auſpiciis 1303. circiter abhinc annis ſuccreſcere & innoteſcere cæpiſſe, adeoq; & Turcicis machinis ac conatibus retundendis natam & quaſi cælitus deſtinatam videri. Deinde *inter alia*, inquit Limnæus, *lib. 2. Iur. Publ. c. 10. n. 16. quam maxime divitiarum & opum reſpectum tenentur habere Electores, ut videlicet talem ipſi Imperatorem eligant, cui ex patrimonio proprio tantùm ſuperſit, quantùm ad Magnificentiam hanc ſuſtinendam æquivalens eſſe poteſt.* Equidem veriſſimè dictum eſſe: *ex conditionibus Caſarea Maieſtati à Proteſtantibus oblatis part. 2. tom. 1.* Pol. R. Hand. *Nous ne ſommes plus au temps, que les moindres Princes ou Seigneurs, relevés de leur ſeule vertu, eſtoient capables de la Couronne de l'Empire, comme il a paru principalement aux elections de Rodolphe de Habebourg, & d'Adolphe de Naſſau.* Et alibi eleganter: *l'Autheur du recueil des diſcours Politiques, pag. 87. n. 2. Sur l'election d'un Empereur. La dignité Imperiale eſt un joyau, qui éclate ſur la main, qui le porte, ou pluſtoſt un zero en chiffre, qui ne fait point le nombre de ſoy, mais ajoûté à un nombre le multiplie grandement; eſtant un peſant fardeau à un foible, & un puiſſans inſtrumens de domination à ceux, qui ſont déja ſoûtenus de leurs propres forces.* Nihil interim libertimæ electioni derogari, ſollicitè ſatis videntur cavere Electores, dum Imperatorem noviter Electum ſucceſſionem inter alia abjurare cogunt: Ita enim habent ipſiſſima Capitulationis verba: *Vid. Capit. Leop. de anno 1658. art. 36. p. 37. Add. Gold. Part. 5.* Pol. Reichshandl. *pag. 163.* Und inſonderheit ſollen und wollen wir uns auch keiner Succeſſion anmaſſen / unterwinden / noch in ſolcher Geſtalt unterziehen / oder darnach trachten / auff uns ſelbſt / unſer Erben und Nachkommen / oder auf jemand anders unterſtehen zu wenden. Sondern wir / dergleichen unſere Kinder / Erben und Nachkommenn / die gemeldten Churfürſten / ihre Nachkommen und Erben / zu jeglicher Zeit / bey ihrer freyen Wahl und Vicariat, wie vor Alters hero auf Sie gekommen / die Gülden Bull / Päbſtliche Recht / und andere Geſetze oder Freyheit vermögen / geruhig bleiben / und gantz unbetränget laſſen. Wo aber darwieder ichtwas geſuchet / gethan / oder die Churfürſten in deme betrungen würden / das doch keines We-

ges ſeyn ſolte / das alles ſoll nichtig ſeyn und dafür gehalten werden. Pertinent hæc verba, quibus Matthiam jam coronandum allocutus olim fuit Moguntinus: *Sta & principem locum tene, non hæreditario iure, ſeu ſuffragio ſeptemvirorum tibi tributum.*

VII. Et omninò citius ſibi quis perſuaſerit, Herculi Thebano clavam, quam Teutonico ſanguini libertatem extortum iri. Fertur olim Jaſon dixiſſe *Ariſtot. lib. 3. c. 3. eſurire ſe, quando non regnaret, tanquam neſciret privatus eſſe.* Et de Miltiade in eundem penè ſenſum locutus eſt Æmilius Probus *vid. in vita Miltiadis. Multum in Imperiis, Magiſtratibusque verſatus non videbatur poſſe eſſe privatus. Conſuetudine enim ad cupiditatem Imperij trahi videbatur.* Habet autem adhuc Germania multos Iaſones, multos itidem Miltiades. Non eſt, quod ad hoc privatorum jam ſuffragia benè multa operoſè conferam. Illuſtriſſimum Haſſiæ Landgravium Heroem illum laudatiſſimum lubet hic adducere, qui ſuccinctè & emphaticè admodum adſtruit: *apud Herdlederum de cauſis belli German. lib. 4. c. 5. pag. 65.* Teutſche Nation iſt ein Frey-Reich und billich das freyeſte auf aller Welt. Hoc ille elogium promit de toto Imperio. At verò ſi membra ejuſdem eminentiora ſpectes, ſi dignitatem & libertatem ſtatuum atque ordinum Imperii ponderes, non amplius ſolo liberorum nomine res æſtimanda erit, ſed Regum atque Principum. Satis hoc innotuit Maximiliano I. qui dicere conſuevit, *Limn. lib. 4. c. 8. n. 3. & Guil. Parad. de l'hiſtoire de Lyon. p. 656.* Regem *Hiſpaniæ eſſe* Regem *Aſinorum (ou des bêtes, à cauſe de la grande facilité du peuple François, qui ſe laiſſe emmener par le nez, comme des bêtes) Britannum eſſe Regem diabolorum, ſe verò ſolum eſſe* Regem *Regum.* Quod & ingenuè fateri gloriæ ſibi invictiſſimus ille Heros Carolus V. valde duxit, dum toties fertur pronunciâſſe: *Petrus Syring. in de pace Relig. eruditiſſ. diſſertat. Add. autor* der Grundfeſte des heyligen Röm: Reichs. *Part. 1. cap. 1. p. 11. & 12. In Germania ſe Regibus, in aliis Regnis ac provinciis mancipiis ac ſervis imperitare. Acrior Arſacis Regno Germanorum libertas*, inquitus Tacitus *in lib. de Morib. Germ. c. 37.* nunquam tacendus, qui inſitæ huic Genti præ reliquis Nationibus libertatis æmulationi tot è populo Romano relatas victorias, ac totidem ad internecionem fuſos Conſulares exercitus tribuendum cenſet. Quin nullam aliam ob cauſam, quam libertatis protelandæ ergo tot inteſtinis bellis colliſas ipſorum inter ſe acies legimus. Equidem cum innata quaſi & ingenita ut plurimum Germanorum Genti fortitudo tradatur, priſtina ipſis etiamnum ſub Imperatoribus vel propterea indulta, nec deminuta eſſe videtur libertas, ut ne arctiori diſtricti ſervitute degeneres, & antiquæ immemores virtutis exiſterent, ſed libertate adhuc ſartâ & tectâ fruentes urgentibus Imperii fatis Germaniæ Orbem adverſus aliorum inſultus, omniumque machinationes tantò alacrius propugnarent. Maximi proinde intereſt, ne quid ipſorum libertas detrimenti capiat, neve juribus Ipſorum aliquantillum decedat. Et ſic capiti huic colophonem jamjam imponens pro vindicandis ſtatuum & ordinum Imperii juribus Magni & Graviſſimi Conringii *ſub initium Aſſertionis jur. Mogunt. pro coronat. Reg. Rom.* Præceptoris olim mei ſanctè venerandi verba hic adſcribenda duco: *Intereſt ſanè ipſius quoque Reipubl. ut ſua cuique dignitas, ſuum jus ſervetur, præſertim maximis Principibus, quod noceant ejuſmodi injuria ſaltim exemplo, & iniquum ferendo muniant quaſi viam licentiæ.* Mantiſſæ loco paucula hæc illuſtriſſimi Rohanæi *Trut. Stat. Europ. diſcurſ. 6. de Rat. Stat. Germ. p. m. 55.* adjicio: *Ratio ſtatus omnium Germaniæ Principum in genere, & cujuslibet in ſpecie eſt, ut mutuo ſe defendant, ac conjunctim impediant, ne quid Imperator ſub quocunque prætextu adverſus eorum libertatem moliatur.*

SECTIO III.

Tertium adducit medium internum, quod à Nomothesia, & arctiori legum Imperij obſervantiâ dependet.

I. FElix omnium ſuffragio cenſenda eſt illâ vitæ facilitas, qua *Tacit. lib. 3. Annal. c. 26. Add. Forſtn. Not. Polit. ad lib. 3. Annal. Tacit. p. 265. vetuſtiſſimi mortalium, nulla adhuc mala libidine ſine probro, ſcelere, eòque ſine pœna & coercitionibus agebant; neque præmiis opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur.* Verum

Damnoſa quid non imminuit dies!
Ætas Parentum pejor avis tulit,
Nos nequiores mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Creſcente itaque paulatim cum mundi ætate malitiâ, civilium imperium legum eſt inventum, imò *virtus*, *Symb. Polit. 21.* teſte Saavedrâ, *cautior reddita, quæ ſincera aliàs & ab omni ſolicitudine & coactione libera in terris morabatur. Poſtquam nimirum*, ceu eleganter loquitur Tacitus, *d. l. exui æqualitas & pro modeſtia ac pudore, ambitio & vis incedebat, provenere dominationes*, cœpitque opus eſſe legum adminiculo, quæ ſua facinoribus ſupplicia & virtutibus præmia condigna decernendo intra juſtitiæ & pacis terminos omnes civili in ſocietate viventes cohiberent. Hinc uti tempora jam & mores mortalium ſunt! Anarchico, & Cyclopico more vivitur, imò enim verò *nulla*, aſſerente Ariſtotele, *lib. 4. Polit. c. 4. eſt Reſpubl. ubi leges non imperant.* Cum enim hodie in tanta humanæ naturæ ſive perverſitate, ſive imbecillitate oppidò pauci ſuapte ſponte & citra legibus expreſſam neceſſitudinem probè ſe ac æquanimiter gerant, adeò leges ſunt neceſſariæ, ut ſine illis nullâ ratione nedum bene & feliciter ulla in Republ. degi poſſit. Prout autem omnia in Republ. negotia ſunt vel publica, vel privata; ita & leges civiles vel publicæ ſunt, vel privatæ: hæ de negotiis atque actionibus inter privatos intercedentibus agunt, illæ pro objecto habent iſta omnia, quæ Reipubl. pro ejus forma & ſcopo primariò momenti quid conferunt: Dico primariò quia per conſequentiam *vid. Treutler, diſput. 1. th. 3. lit. b. Harpprecht. Comment. ad §. fin. inſtit. de juſt. & i.* cujusq; etiam civis intereſt, ſta-

tum

tum Reſpubl. bene eſſe moratum & conſtitutum: Nam, ut Lævinus *apud Liv. lib. 26. c. 36.* inquit: *Reſpub. incolumis & privatas res facilè ſalvas præſtas, publica prodendo, tua nequicquam ſerves.* Quare vero in Republ. ſtatis ac certis legibus quoad ejus fieri poteſt accuratiſſimè omnia definita eſſe debeant, ejus rei cauſas non unas quamvis prolixè non tamen minus ſcitè oſtentat Ariſtoteles. *lib. 1. Rhet: c. 1. n. 14. 15. & ſeqq Primum quidem quoniam unum aut paucos deligere facilius eſt eā prudentiā præditos, ut leges ferre & judicare poſſint, quàm multos. Deinde leges feruntur adhibitā diuturnā conſideratione: judicia autem re adhuc recenti. Itaque difficile eſt iis, qui judicant, definire bene, quid juſtum atque utile ſit. Iam quod maximum eſt, legiſlatoris quidem judicium eſt, non de una aliqua re, neque de præſentibus, ſed & de futuris, & univerſis. At ii qui deliberat quive judicium exercet, jam de præſentibus ac definitis judicant: erga quos ſæpe aut amor, aut odium eſt, aut aliqua propria utilitatis contanctio: ita ut non amplius poßint liquidò perſpicere, quid verum ſit, ſed aut propria voluptas aut moleſtia tenebras judicio offundat.*

II. Cum autem leges in immenſum ſæpe excreſcant numerum, ut memoriæ mandari amplius nequeant, uſu venire ſolet, ſcribi eaſdem & literarum monumentis inſinuari. Quæ ſcriptarum omnium omnino legum origo eſſe videtur. Quod verò complures Reſpubl. nullis aut certè pauciſſimis ſcriptis legibus uſas olim fuiſſe legamus, inde forſitan eſt, quod vel literarum rudiores fuerint, vel eo ipſo Senatus ac Magiſtratus ampliorem *Add. Lehman. Chr. Spir. lib. 4. cap.* 21. ſibi aſſertum iverit auctoritatem, pro ſui quippe arbitramenti indulgentia ſententias ferendo, & jus faſque dicendo. Ita cum literarum uſus apud Germanos ſerò eſſe cœperit, legibus non ſcriptis & bonis moribus, qui tamen apud ipſos, teſte Tacito, plus valuere, quam apud alios bonæ leges, in arbitrandis & diſceptandis controverſiis uſi perdiu fuerunt, rati inſuper, *melioris eſſe viri,* ceu adſtruit Ariſtoteles *lib. 1. Rhet. cap. 15. §. 8. Leges non ſcriptas ſequi.* Et potiori tum jure de Germanis dici potuit illud Ennij de Romanis aſſertum.

Moribus antiquis ſtat res Romana Viriſque.

III. Annis autem retro circiter ducentis *Conſ. D. Conring. in de orig. Iur. Germ. lib. cap. 25. itemque* 33. ſeculo 15. diffuderunt ſe leges civiles Iuſtinianeæ èx Italia in Germaniam, non quidem publicâ Imperatoris & ſtatuum lege ac ſanctione, ſed uſu & tacitâ illorum approbatione. *Et tanta Diſput. Conr. de recta leg. ferend. rat. th.* 60. *quidem* leges iſtæ Romanæ *cœperunt eſſe auctoritate, ut naturalem quandam bonitatem, ac vim omnes homines obligandi habere vulgò crederentur. vid. Exegeſeos Examinis Schotanian. Exerc. III. quam hac. Iena non ita pridem publicè defendi, pag.* 57. Qui error, utpote ingenti cum Reip detrimento conjunctus redarguendus omnino eſt. Cum enim leges illæ Romanæ ſint poſitivæ, adeoque pro Reipubl. forma mutationi obnoxiæ, pateſcit, ad quamvis Rempubl. illas aptari undiquaque non poſſe. Sane uti lapis ad perpendiculum dirigendus eſt, & calceus pedi aptus eſſe debet, non contra: ita etiam leges Rebuſp. accommodas eſſe oportet, non verò has illis. Inſulſius hercle faciunt, & meliorem mentem capeſſere jubendi ſunt illi, qui quoties litigioſi quid ſermonis de Imperatoribus hodiernis oritur, ad Pandectas, Codicem & reliqua jura Iuſtinianea provocant, indeque infinitum legum Romanarum cumulum prodigo more arceſſunt, eandemque, quæ olim fuit, hodiernorum eſſe Imperatorum vim ac poteſtatem, Ordines verò Imperij non niſi Magiſtratuum ac Præfectorum vices gerere, & neſcio quæ alia abſurda, infrunito dogmate adſtruunt. Quin potiùs conſtat, legibus Iuſtinianeis, tanquam à Germanorum Imperio alienis, nullam obſervantiam antehac in Germania publicâ Comitiorum lege delatam eſſe, eaſque duntaxat ante annum ſeculi XVti nonageſimum quintum in judicio Cameræ Spirenſis, quod Maximiliano Cæſare tum temporis ordinatum fuit, eatenus tantum Comitiali ſuffragio receptas eſſe, quatenus vetuſtiſſimis inſtitutis & receptis conſuetudinibus non repugnarent ac ea definirent negotia, quæ deciſionem & determinationem Imperij Germanici conſtitutionibus nullam acceperant.

IV. Proinde leges Iuſtinianeas, ceu Romano in orbe domeſticas, & indigenas authoritate poſt ſe relinquunt longiſſimè Conſtitutiones Imperij, decreta Comitialia, Germanicè die Reichs-Abſchiede; quæ ſunt communes Imperatoris & ſtatuum Imperij in Comitiis factæ ſponſiones, tam ipſum Imperatorem, quàm reliquos Imperij ordines conſtringentes. Per modum namque conventionis ab Imperatore & Statibus illas ſanciri, & omnibus pro lege eſſe, manifeſtum eſt ex clauſulis obligatoriis, quæ ſingulis conſtitutionibus ſub finem annecti ſolitæ ſunt. Sanè enim fruſtra ıni ſunt illi, qui ſtatum Reipubl. Germanicæ Monarchicum eſſe enixim contendunt, ita non ſecus patet hinc, fallere & falli, qui hanc legum dictaturam Imperatoribus tranſcribant, & ab illorum authoritate vim omnem legiſlationis unicè ſuſpendant. Certè cum illi legibus Capitularibus ab Ordinibus præſcriptis juramento ſe obſtringere & devincire neceſſe habeant, ad Conſtitutionum autem ſeu Receſſuum Imperij obſervantiam vi & jure contractus teneantur, dicendum omninò inſuper eſt, illos tam quoad vim coactivam, uti loquuntur, quàm quoad directivam, quà de neceſſitate quà de honeſtate legum vinculis obligatos eſſe. Planè autem nullam univerſalem legem ſolus Imperator Statibus invitis condere vel abrogare potis eſt: Imò ſi quid è re magnopere viſum eſt Ordinibus, vel repugnante Imperatore decernendi quadantenus facultatem iſti hauddubie obtinebunt. Et ita junctim iis demum omnibus, qui in Comitiis convocantur jus legum quarumcunque condendarum, quin & ſoluta legibus, & ſupra Imperij leges poteſtas aſſignanda. Siquidem enim id communis Comitiorum conſenſus ferret, extra controverſiæ aleam poſitum eſt, nihil impedire, quo minus ipſam etiam auream Bullam è medio tollere liceret, cum juxta Philoſophorum quoque aſſertum nihil æquè naturæ conveniens ſit, quàm

Digitized by Google

aliquid modo diſſolvi, & deſtrui, quo colligatum & conſtructum erat.

V. Cæterùm cum non tam à legibus, ut ut rectè latis, quàm ab earum obſervantia ſalus Reipubl. veluti ab Atlante dependeat, gemina jam attingenda erit quæſtio. Prior in eo verſabitur, num leges in Republ. Germanica rectè ſe ipſæ habeant? Altera, num obſervantiâ valeant, nec debitâ destituantur executione? Priorem quod attinet, nullam equidem crediderim Remp. temeré repertum iri, quin Germanicæ cum ubertate tum æquitate ac præſtantiâ legum primas facilè cedat. Adeò enim illa legum inopia non laborat, ut vel pauciores juſtitiæ foris ſufficere poſſe credibile ſit. Verum cùm aliud ſit, habere leges, aliud iis uti; alterius utique erit quæſtionis, num iſtæ ſuo fungantur officio, ac debita iisdem exhibeatur executio. Sed heu! dubitare nos admodum faciunt præter aſſiduam experientiam multæ multorum hac de re querimoniæ, quas apud VVehnerum *vid. Eius pract. obſervat. lit. I. in voce Iuſtizweſen. pag. 350. Ludolph. Hugo de Abuſu Appellationum tollendo, & Camera Imperiali immenſo earum numero levando*; & alios paſſim deprehendere eſt. Quæ ſanè deplorandam in foro præcipuè Camerali (*quod tamen audit ſummum Iuſtitiæ domicilium, Illuſtre Palladium totius Germaniæ, quo uno Natio Germanica rectiùs gubernatur, quam Gallia ſuis X. Parlamentis*,) juſtitiæ adminiſtrandæ, ſeu, ut verius dicam, protrahendæ rationem & conſuetudinem luculentè ſatis ac graviter arguunt, cum & Privatorum jurgia & lites tortuoſis Reorum ac Patronorum auri ſitientiſſimorum technis nunc evadant ſæpe immortales. Quæ res cum Germaniæ noxia eſt, tum ingentem juſtitiæ Divinæ offenſam meretur, juſtiſſimamque ipſius iram provocat, adeoque ſalutarem dudum jam deſiderat medelam. Quæ quî adornari debeat, *Add. Dn. Conring. Diſſert. & Dictat. ad Lampad. itemque exercit. de Iudic. Reip. German. ſub fin.* ut malum iſtud ſanari, & tolli poſſit, remedia bene multa, & conſilia bene meditata magni nominis, magnæque prudentiæ Viri ſuppeditant.

VI. Potiſſimum verò Reipubl. Germanicæ ſalus exigit, legum Imperii fundamentalium, quæ partim ex Aurea Bulla, partim ex Receſſibus, & Capitulationibus Imperatoriis, partim ex eo, quod nuperrimè acceſſit, inſtrumento Pacis petendæ, obſervantiam ſalvam, ac authoritatem illæſam manere. Hæ ſunt baſes Imperii & ſuſtentacula, quibus ſubtractis omnem civilis huius corporis molem,

ceu collapſa cadunt ſubductis tecta columnis,

corruere omninò neceſſe eſt. Verùm hiſce Reipubl. necdum ſatis cautum eſſe, experientia videtur ſat locuples eſſe teſtis, cum & de novis denuo pangendis ſollicita ſæpe ſint comitia. Sic noſtras ſubinde cumulamus leges, nec illas figendi finis eſſe poteſt, ac modus, cùm peccandi nullus ſit. Bene Arceſilaus: *Vid. Piccart. Comment. in Ariſt. Polit. lib. 4. c. 7. Tac. lib. 3. Annal. Quemadmodum*, inquit, *multos oportet invaſiſſe in urbem eam morbos, in qua multi ſunt Medici, multa pharmacopolia: ita Rempubl quoque eam morbidam eſſe neceſſe eſt, in qua multis opus eſt legibus*. Proinde & Reipubl. Germanicæ ægrotantis ſignum eſſe videtur multitudo legum. Attamen tantùm quidem abeſt, ut exiſtimem leges pro hypotheſi cuiuſdam Reipubl. bene latas quantumcunque ſatis multas corrupto ſtatui cauſam præbere, ut contrà indubius reat, à Reipubl. vitiis adeoque perverſo eius ſtatu legum multitudinis originem, occaſionem, ac cauſam arceſſendam eſſe. *Non ægra*, teſte Forſtnero *in Not. Polit. ad Tacit. lib. 3 Annal. p. 265.* magno illo Civilis prudentiæ Oraculo, *civitas ideo corrupta eſt, quia multas habet leges: ſed multæ ſunt leges, quia ægra Civitas eſt.* Etenim prope eſt ut fatendum ſit, bujus modi Rempubl. eſſe hominis inſtar incontinentis, qui aureas ſæpe ſententias in ore baber, ſed eas non uſurpat, nec in vitam ac mores convertit. Rectè itaque Charillus Rex roganti nonnemini, quamobrem tam paucas leges Lycurgus ſanxiſſet, reſpondiſſe fertur: *Piccart. all. l. non opus eſſe illis multis legibus, qui paucis bene utantur.*

VII. Sanè verò fruſtra ſunt Legiſlatores, fruſtra ipſæ leges, ſiquidem obices illarum & repagula à quibusvis potentioribus, non ſecus ac à Scarabæis aranearum telas perrumpi impunè contingat. Quoties id autem factum, & à multis patratum ſit, affatim produnt exempla multo retro tempore literis conſignata, ipſique Receſſus Imperii paſſim arguunt. Et de perturbato ſtatu, qui & inprimis nupero funeſto tricennali bello exardeſcente Germaniam omnem inundavit, ſerio ſatis queſti ſunt Evangelici Principes & Ordines: *In literis ad Imperat. de dato* Leipzig 18 *Maii A.* 1631. Es wurde die ſo theur erworbene/und ſo tapfer erhaltene Teutſche libertät / darin doch die Ehre und Würde des heiligen Reichs beſtunde / betrübet / betrucket / geängſtiget / die ſtarcken und unbeweglichen fulcra des Religion- und profan-Friedens waren mercklich geſuncken / die heilſame Reichs-conſtitutiones, Kreißverfaſſung und andere löbliche Ordnungen und Reichs-Abſchiede wurden verdunckelt / und von vielen zurück geſetzet / als wenn ſolche gar ihren Abſchied haben ſolten. Quin imò conſtat, Ferdinandum II. diſertim quondam dixiſſe, ac jactâſſe: *In Republicâ in conventu Ratiſponenſi inſtituta anno* 1630. *d.* 20. *Iul.* Es habe ihm weder des Reichs Ordnung / noch auch das Herkommen einige maß zuſchreiben. Sed rectè regeſſit univerſus Electorum ordo: *In Duplica ſua, in comitiis Ratiſponenſib. A. 1630. d. 29. Iulii.* Weil ſolche Sachen vorgiengen / ſo des Reichs fundamental Geſetzen zuwieder / ſo könten dieſelbe ohne convulſion und Zerrüttung des Reichs nicht länger geduldet werden. Nec non ipſi ſtatus habent nonnunquam, quod de ſe invicem querantur, dum ſæpius via facti alter ab altero jus ſuum vendicat. Quod & luculentè nimis noſtra docent tempora. Vnde præſens multorum fundi calamitas.

VIII. Item in propatulo eſt, aliter ſæpiuſcule publicè agi, quam Imperii leges volunt, partim directè, partim indirectè. In cauſa eſt, quod leges Imperii rectè ſancitæ Imperatori ac ſingulis ordinibus ſuum tribuendo obſervent proportionem. Paucos autem invenias, nantes in gurgite vaſto, qui ſuo jure contenti, ac in eo acquieſcant, nec aliena appetant, modò ſeſe apparentia quædam tituli, quo factum illud excuſari

ſari

Digitized by Google

ſari poſſit, vel eminus oſtendat. *Saaved. Symb. Polit.* 59. *Vetus ac jam pridem inſita mortalibus potentiæ cupido cum Imperij magnitudine adoleſcit, & incrementum capit. Opportunitas occaſionum medsorumque facultas oculos rapiunt, animosque Principum, ut ne videant quidem, non omnia, quæ obtineri poſſunt, eſſe appetenda. Non ille ſe melius tuetur, qui plura poſſidet, ſed is, qui plura jura poſſidet.* Enimvero Principibus longius ac latius patentis affectatio dominii non ſecus ac avaris fulvi fulgor metalli, oculorum aciem perſtringit ſæpe, adeoque imponit, ut æquum ac verum videant, ſed ſibi plus juſto arrogent. Hinc dum via juris id indipiſci fortè deſperant, aut inſuper habent, vi & armis rem gerendam eſſe ſibi perſuadent. Hinc prævaricationes exiſtunt legum publicarum; quæ enerves admodum ac elumbatæ ſunt, propterea quod ſuo deſtituantur cuſtode, qui ſingulas urgeret, ac à tranſgreſſoribus debitam ſumeret pœnam. Qua de re jam tum ſesqui ſeculo circiter abhinc Colonienſibus *Receſſ. Imp. A.* 1512. §. 8. und ob jemand. *itemque Rec. A.* 1521. in Comitiis, & in aliis poſtmodum inſequentibus agitari cœptum eſt. Commodiſſimum verò viſum eſt, ſi in decem *Receſſ. An.* 1522. §. 1. und ob in dem allen. circulos diſtinctâ Germaniâ, cuilibet iſta jus ſuſque tuendi, & exequendi auctoritas deferretur. Latæ inſuper ſunt ſingulis in circulis leges de executionum modo. Quin & noviſſimè hanc in rem ita prodiit Receſſus Imperii: *de anno* 1654. §. 178. und nach dem allen. Setzen und ordnen alſo / daß der in dem Reichs-Abſchiede de anno 1555. heilſamlich aufgerichtet und hernach in ann. 1559. 1564. 1566. 1570. 1576. 1582. 1594. mit nützlichem Zuſatz und Verbeſſerung wiederholter Executions-Ordnung / wieder vorgemelte und alle andere eines oder andern Orts entſtehende Gewalthätigkeiten und Empörungen mit rechtem Eifer und Fleiß nachgegangen / und auf alle begebende Nothfälle die darinnen enthaltene Hülffleiſt- und Verfaſſung mit würcklicher ſtarcker Hand unverzügl. zu Werck geſtellet / und obgemeldte Reichs-Verordnung / als eine unfehlbare rechte Richtſchnur in allen und jeden Puncten von männigl. veſtigl. gehalten werden ſollen / etc. Sanè quidem ſunt hæ executionum ordinationes toti ſaluberrimæ Imperio, adeoque per admodum neceſſariæ; cum *Rec. Imp. de anno* 1555. §. 96. Ferner nach dem es etc. leges abſque armata manu & executione pernici ludibrium ſint juſtitiæ, & campana abſque piſtillo habeantur. Nihil quippe proficient fulgura ex pelvi, & fulmina bruta, quantum-etiam-cunque illa iteratò vibrentur, & ſæpius emittantur. *Quantum eſt*, inquit Gajus, *l. 13. ff. de orig. Iur. Ius in civitate eſſe, niſi ſint, qui jura regere poſſint.* At verò uti hæc exequendi ratio wieder alle thätliche Handlung der jenigen ſo ſich im Reich an Gleich und Recht nicht begnügen laſſen / circulis ſingulis prudenter relicta eſt; ita & proſpicere inſuper foret neceſſe, ut pecunia & bellicus apparatus ſingulis circulis in promptu ſtatim præſtòque eſſet, quo iniquis cujusvis legum tranſgreſſoris conatibus obviam iri temporius poſſet: *l. ult. C. in quib. ca. in int. reſt. nec. ne dum in integrum reſtitutionem exſpectat* nimis quàm diu læſus ſtatus, *aliquod emergat obſtaculum, per quod hujusmodi beneficio uti non poſſit: melius enim eſt intacta ejus jura ſervare, quàm poſt cauſam vulneratam remedium quærere.* Num quid etiam haud conducibilius ſit, loca munitiora Refractoriorum, aliaque eorundem bona violento Executionis modo occupata publico uſui totius circuli ſervare, quàm diruere aut alii alicui concedere, judicare in proclivi videtur. Tantum quidem dico ſumptus ſaltem exinde repetendos, queis executio fortè confieret. Enimvero cum hæc ita ſint cumque violatio Imperii legum in ruinam Germaniæ vergant evidentiſſimam enixa danda eſt opera, ut illæ à Capite ac membris illæſæ conſerventur; conſervari autem easdem ſartas & tectas continget, ſi eo quo par eſt, & condecet, modo Executionum ſanctionibus inhæreatur, per quas, *Saaved. Symb. Polit. 21. p. 152. tanquam per certas quaſdam lineas Reipubl. navis ſecura navigat.* Coronidis tandem loco aureum Forſtneri, *In Not. Polit ad Tacit. lib. 5. Annal. p. m. 413. Add. Nic. Machiav. de Republ. lib. 3. c. 1. p. 362.* ejusque Magiſtri Taciti non abſimile dictum huic ſectioni addo: *Neceſſarium illis præceptum eſt, qui Reipubl. leges, & inſtituta ſæpe ad ſuorum initiorum vigorem reduci juſſit. Seneſcunt omnia & ipſæ leges, quibus ſtat Reſpubl. dum novæ ſunt, ſervantur, dein fruſtra habentur; acribus initiis, incurioſo fine. Nulla ergo melior ratio eſt, nulla prudentior, quâ Reſpubl. ſerventur, nulla Medea hujus Æſonis ſenium felicius reiuveneſcere fecerit, quàm ſi, qui vitio temporum & hominum pravitate contracti ſunt nævi, tempeſtivè emendentur; & leges veteres, ne illarum contemptus aut oblivio obrepere poſſit, novis ſanctionibus muniantur. Veneta Reſpubl. mortalitatem effugiſſe videtur non alius magis inſtituti beneficio, quam hujus inſtaurandarum corrigendarumque legum; & reducendo revocandoque cuncta, quæ labare videntur, ad priſcum morem.*

SECTIO IV.

Quartum medium internum in Comitiis, iisque non tam diuturnis & prolixis, quam frequentibus, ac antiquo quidem more inſtituendis collocat.

I. Citra veritatis præjudicium Platonem: *In Alcibiade 1.* olim dixiſſe: *hominis artem & ſcientiam gubernandi nullam aliam eſſe, quàm* Εὐβουλίαν, haud proletarius Author Saluſtius *In Orat. ad Cæſar.* inſigniter comprobat, in teſtimonium ejus rei prudentiæ oculum experientiam ſuam convenienti opportunitate adducens: *Ego in vita multa audiendo & legendo ita comperi, omnia regna, civitates, Nationes, usque eo proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt. Vbicunque gratia, timor, voluptas ea corrupêre, pòſt paulò imminutæ opes, deinde ademptum imperium, poſtremum ſervitus impoſita.* Proinde ſummè neceſſe eſt, in quavis Republ. utroque & pacis & belli tempore vigeant conſilia; ſiquidem *plura*, teſte Tacitô; 13. *Annal. Add. Lipſ. in Polit. not. n. 1. p. 491. in ſumma fortuna auſpiciis & conſiliis quam telis & manibus*

geri, contrà verò vim conſilij expettem mole ſuâ ruere certum ſit. Hinc adeo videmus in pleriſque Rebuſpubl. antiquitus tralatitium fuiſſe, hodieque adhuc uſu venire, ut Eubuliæ inſtituendæ causâ conventus publici, qui Comitiorum nomine paſſim nunc veniunt, frequententur, inibique de legibus vel novis ferendis, vel veteribus abrogandis, de bello & pace, de fœderibus, de vectigalibus, imò univerſim de ſumma Reipubl. anxiè deliberetur. *Magnum quippe imperij corpus, magna, ut ſub initium Hiſt. Belg.* Strada loquitur, *animandum eſt mente, multiſque tuendum eſt manibus*. Certè verò, ubi multi coierint, ac ſui quiſque conſilij ſymbolum contulerint, feliciter poterunt illi in medium conſulere, id, quod utile, vel inutile futurum eſt, facilè deprehenſuri, non tamen ut ſinguli, ſed ut univerſi; *Non aliter atque cœna collata ſtudio plurium ſuaviores ſunt illis, quæ unius ſumptu ſtructa fuerunt; ſic poſtquàm multi in unum locum convenerunt, tanquam unus numero homo exiſtit, qui habeat multos pedes, & multas manus, multos iisdem ſenſus*; quo ſimili adeò ſibi placet Philoſophus, *Vid. Ariſt. lib. 3. cap. 7. & eiusd. lib. cap. 11.* ut eodem in Politicis plus ſimplici vice uſus ſit. Equidem latere nemini poteſt, quàm frequens, quàm inſignis ſit Comitiorum uſus. Quid quod jam tum in veteri teſtamento hujuſmodi conventuum uſum non omninò nullum extitiſſe ſacrarum monumentis literarum proditum eſt, dum legimus Moyſi *Numer. 10. Ieſua cap. 23. & 24.* imperium à Deo datum in populum, & duas argenteas tubas ad eundem convocandum & caſtra movenda. Romulum, formam Reipubl. & leges populo dando, cives omnes convocari, ac Comitia cogi juſſiſſe Livius, Halicarnaſſeus itemque alij Romanarum rerum ſcriptores quàm multi tradunt. Feliciſſimo ſanè illo auſpicio Imperium Romanum prodiit, miris increbuit auctibus, iiſdemque perdiu floruit & ſubſtitit. *Quando* enim, inquit Lipſius, *convenerunt Romani, ubi eventus conſilio non fauſtiter reſponderit.* Natum inde eſt proverbium, Romanos ſedendo vincere. *Circumſpice in in hac Orbe Chriſtiano*, ait Bernh. Bertram; *In diſcurſ. de Comit. th. 2. intuere Imperia, Regna, Politias, & quicquid eſt mediocris Reip. nullamque ſine hoc fulcro ſtetiſſe & adhuc ſtare invenies.* Ab eodem laudato Autore ſequentia de Imperij Germanici Comitiis verba mutuatus eſt Iuſtus Synolt Schutz: *Colleg. Publ. de ſtatu Rei Rom. vol. 1. diſputat. 10. th. 1. lit. E. Add. quoque diſſertat. de Comit. Imp. Rom. Germ. Magnifici ac Nobiliſſ. Dn. Ahaſveri Fritſchij, Conſiliarij Schwartzburgici, Viri quantivis, & de Muſarum ſtudiis, & ſiquidem id addere licet, etiam de meis qualibuscunque meritiſſimi. Status Imperij Germanici unice Conſilijs, quæ Cæſar cum Proceribus in Comitiis inire conſuevit, ceu columna innititur! Malum imminet Reipubl.? Ecce ſalutari hoc remedio maturè obviam itur: Conſultandum de magni momenti cauſis? Convocantur quique Sapientiſſimi. Labeſcenti Imperio ſuppetiæ ferenda? ſtatim ſuccurritur.*

II. Advertendum autem eſt, pro diverſitate Gentium alias atque alias quoque eſſe Comitiorum notiones. Sic ſua Comitia habuerunt olim Athenienſes, ſua Spartani, ſua itidem Romani. Nec non hodie Hiſpani, Luſitani, Galli, Angli, Poloni, Suecones: ac alij Populi diverſis ab invicem utuntur Comitiis ac publicis congreſſibus. E multis unum ſaltem adduco exemplum, unde diverſitatem Comitiorum, quæ pro formæ varietate variant, & pro menſura libertatis liberiora modò; modò reſtrictiora ſunt, diſpicere aliquatenus liceat. Scilicet in Regno Sueciæ, ubi Comitiorum uſum multum eſſe atteſtatur Michael Guldenſtolp, *In ſua Polit. Diſput.* 14. notari præcipuè meretur, quòd præter Majorum Gentium cives, ut Comites, Barones, Equites, Epiſcopos, Superintendentes, Tribunos Provinciarum, Legionis cujuſque Capitaneum, cujuſvis urbis Conſulem & Senatorem, unus etiam ex ſingulis provinciis Ruſticus ad illa congregetur, & ad ſuffragij jus admittatur. Mirum ſanè hoc eſt, & nuſpiam alibi præſertim in Monarchiis obvium, infimæ plebi ac paganæ genti tantum indulgeri juris, tantùm deferri honoris, ut in conſortium Senatus & Comitiorum adſciſcantur. At verò ſæpiùs hujuſmodi conventibus inane nomen contingit, nec tam decernendi quàm ſuadendi vim ineſſe. Löbl. *Autor* der Grundfeſte des Heiligen Röm. Reichs. *Part. 1. c. 1.* iſt es/auch alles dinges billich/daß die jenigen welche die höchſte Macht und Gewalt in einer Republic. haben/ ob ſie ſchon gäntzlich ihres Gefallens darin zu ſchalten und zu walten/ſich dennoch befleiſſigen/derer Unterthanen Gemüther auf gewiſſe Maaß gleichſam durch folgen und Nachgeben zugewinnen / und dahero einige gemeine Berathſchlagungen mit denenſelben anſtellen. *Acreſcit Hotoman. cap. 10. in Franco-Gall.* enim *erga Principes mirificus ex inde ſubditorum amor, dum ipſum negotia majora ad ordines referre, & nihil ex domeſtica & propria voluntatis arbitrio concludere videns.* Quæ autem Regna coguntur ſtrictè admittere comitia, eadem liquidò conſtat nec omninò abſoluta, ſed reſtricta eſſe: cujuſmodi in numero ac cenſu & illud habendum, quòd Ariſtoteli Laconici nomine indigitatum eſt. Quin imò controverti nequit, quin mixta planè illius Reipubl. forma emergat, in qua ordines eminentiores libertatem ſibi ſuam laxiori quodam Comitiorum jure vindicare ſatagunt. Sicubi namque Ordinibus in Comitiis non modò conſultandi jus competit, ſed & decernendi, ac ſtatuendi ſimul poteſtas communicata inſuper reperitur, quis ibit inficias, quin Reſpubl. illa Ariſtocratiam eatenus ſaltem ſapiat? Hinc utique ſponte apparet, quid de Republ. Germanica habendum, quid de ejus Comitiis ſentiendum. *E ſi negari nequeat:* (verba ſuo amplisſimi Dn. *Vid. Eius Dictat. ad Lampad. ubi contra Bodinum Diſputat.* Conringij) *comitia ſi videas, & rerum in iis agendarum vim atque authoritatem, Rempubl. eſſe more Ariſtocraticam: quoniam tamen Cæſar nonnulla adhuc agit per Imperium, quæ ad Comitiorum imperij definitionem non attinent, facilè liquet, Imperium noſtrum Germanicum Rempubl. eſſe mixtam ex Principatu, & ſtatu Ariſtocratico.* Gemina his, & digna; quæ hìc adſcribantur, inſinuat Autor *Part. 1. cap. 1.* der Grundfeſte / mentem ſubinde, nuſpiam nomen prodens: Des Heil. Römiſchen Reichs comitia ſind von allen andern auch ſonderlich darin unterſchieden / daß Chur-Fürſten und Stände

des

des Reichs nicht nur etwa als bloſſe Rähte von ihrem Oberhaupt dem Römiſchen Käyſer darzu erfodert / und umb ein unverbündlich Gutachten in dieſer oder jener Reichs angelegenheit befraget werden / ſondern als Partes principales und Mit-Intereſſenten an dem ſtatu & forma Regiminis ſich darbey befinden / und nach Inhalt der Ordnung des Regiments / *de anno* 1500. *tit.* von den zwantzigen etc. Reichs-Abſch. *de anno* 1570. §. weiters nachdem etc. R. A. *de anno* 1559. §. damit man hinführo etc. was die Chriſtenheit / des heiligen Reichs gemeinen Nutzen/ und änders betrifft / berathſchlagen / ſchlieſſen und verordnen helffen / alſo daß ohne ihrer allerſeits eingeholte Meinung und freywillige Beliebung dißfals nichts geſchehen noch zugelaſſen werden kan.

III. Quicquid igitur libertatis Reipubl. Germanicæ ſtatus præ ſe ferunt, quicquid Ariſtocratici regiminis oſtendunt; id omne à Comitiis ſuſpenſum eſſe extra omnem dubitationis aleam videtur ſtatuendum. Sunt quippe ea, in quibus de rebus graviſſimis inter Imperatorem & Vniverſos Imperij ordines mutuò conſulitur. *Sunt ea fundamentum Arniſ lib.* 2. *de iur. Maieſt. cap.* 4. *num.* 17. *Reipubl.* Sunt *baſis*, *Autor* der Grundfeſte *in praf. pag.* 4. *&* 7. quâ mixturâ & Harmoniâ Germanica Imperij nititur. Sunt denique, penes quæ *Paurmeiſt. lib.* 2. *de Iurisd. cap.* 2. *num.* 48. omnis propemodum Reipubl. adminiſtrationis vis ac nervus ſitus eſt. Hinc vel nemine monente in evidenti eſt, perquam intereſſe, ne in imperio Germanico perperam ſeſe habeant comitia, ſed quâ conducit dexteritate cum illis comparatum ſit. Quò ſanè illorum numerus minus eſt frequens, aut magis ab Imperatoris ſponte ac arbitrio ſuſpenſus, hoc minus Ordinum libertati cautum, illorumque autoritati proſpectum videtur. Equidem priorum Imperatorum tempora Caroli M. & Succeſſorum ſi attendas, videre erit, illos ullius abſque conſentiente voluntate pro lubentia coegiſſe comitia. At verò ſolutâ illa indicendi licentiâ abutentibus nonnullis, viſum fuit Electoribus hac quoque in parte eorum conſtringere poteſtatem additumque primitus Caroli V. Capitulationi, *Sleid. lib. de ſtat. Relig. add. inſt. Sinolt. Schütz. Colleg. publ. de Stat. Res Rom. volum.* 1. *diſp.* 10. *th.* 4. *Ipſi conventum nullum niſi de conſenſu Electorum indicere licere.* Hinc ita habent verba Autoris *Part.* 1. *cap.* 2. *p.* 15. der Grundfeſte. Nach Carolo V. welcher zu erſt in der Capitulation ſich dahin verbunden/ hat ſolches allezeit auf derer Churfürſten einhelligen Raht und Gutachten / darumb ſie entweder ſchriftl. oder durch Geſandte / und zwar weder abſonderlich erſuchet worden / geſchehen müſſen. Et certè adeò neceſſarius Electorum conſenſus perhibetur, ut eo neglectim habito Comitiorum indictio, quod aliàs inter Reſervata Imperatoris recenſetur, nulla cenſenda ſit. Immota enim regula veritatis eſt, *Conſ. Schrad. de feud. p.* 8. *cap.* 2. *num.* 28. rem ſine ejus conſenſu, cujus maximè intereſt, nec poſſe nec debere perfici. *Surd. deciſ.* 68. *num.* 8. *& ſeqq. Formâ utique, non attentâ, nihil agi dicitur.* Iſte autem Electorum conſenſus hìc non ſolennitatis modò, ſed & formæ vicem obtinet. In nuperrimo pacis inſtrumento notandum omninò eſt, diſertim ita cautum eſſe de tempore celebrandorum Comitiorum univerſalium. *Inſtrum. Pac. art.* 8. *Habeantur autem Comitia Imperij intra* 6. *menſes à dato ratificata pacis; poſtea verò quoties id publica utilitas aut neceſſitas poſtulaverit.* Sic verò eodem inſtrumento Pacis paulò antè conſtitutum jam erat, quæ negotia in ſolis Imperij comitiis agi & definiri debeant. Vnde non poteſt non liquere, quandonam publica utilitas aut neceſſitas conventum univerſalem habendum ſuadeat.

IV. Quod ſi penes ſolum Imperatorem omnis omninò poteſtas circa edictionem Comitiorum reſideret eventurum fortitan eſſet, aut nulla, aut nimis crebra & prolixa exiſterent. Quorum utrum majori cum detrimento ac incommodo conjunctum videri debeat, meritò quis addubitet. Certè illud libertatis jugulum peteret, hoc nimio ſumptuum onere Imperij ſtatus fatigaret, multiſque comitia impoſterum adire diſſuaderet. Et hanc quidem cauſam ſubeſſe apparet, quare nonnunquam ſollicitè admodum cavetur, ne comitia præterquam urgentiſſimâ neceſſitate indicantur. Quin juramento Ferdinandum II. *Vid. Eius Capitulat.* in hæc verba aſtrictum legimus, daß Er die Churfürſten und andere des heiligen Reichs Stände mit den Reichs-tägen ohne redliche tapfere Urſachen nicht wolle beladen noch beſchweren. Quam formulam ceu otioſam & ſupervacuam nonnihil exagitat Autor ſæpius prælibatus, dum ſuopte ſpontaneo motu Imperatores eò ut plurimùm inclinare apertè fateri nullus veretur, inquiens: Grundfeſte des H. Röm. Reichs *Part.* 1. *cap.* 3. *pag.* 28. Es hat faſt eine Beſchaffenheit / wie mit der Evangeliſchen Lehre von guten Wercken / wormit D. Luther zu ſeiner Zeit bey dem gemeinen Volck viel zu thun hatte / damit er ihnen den eingebildeten Verdienſt derſelben aus dem Sinn bringen möchte. Wenn er aber ietzo wider auferſtehen / und wie faſt niemand einiges guten Wercks / GOtt zu Lob/ ſich befleiſſe / ſehen ſolte / würde er ſonder zweifel ſeine Predigt dißfals anders anſtellen. Sanè quidem promiſſo ſuo ille felicis memoriæ Ferdinandus II. adeò ſtetit exactè, ut nulla prorſus ſub eo deprehenſa vel viſa ſint comitia. Poſſe tamen Imperatores vel reluctantes ac invitos cogi ad indicenda comitia, in quæ Electores utilitate publicâ moti conſenſerint, cum aliunde, tum ex Receſſu *Vid.* §. 67. und ſo abermahls etc. *ſub fin.* de anno 1555. itemque ex art. 8. Inſtrumenti Pacis oſtendi affatim ac probari poteſt.

V. Olim comitiis indicendis ſuperſederi ſatis potuit, cum illa ſtata & certa habuerint tempora, ac quotannis celebrari ſolita fuerint. Hinc dici conſueverunt, *Vid. Conſtit. pac. publ. de anno* 1495. die Jährliche Verſamlung. Ex qui-

Digitized by Google

dem menſtruum ſaltem iis præſtitutum fuiſſe ſpatium oſtendit allegatæ Pacis publ. confirmatio: *tit.* daß ein Reichstag ein Monat wehren ſol. Verùm deſierunt tandem cogi annui hi conventus, dum ſesqui ſeculo abhinc & quod excurrit, illorum in locum ſucceſſit Regimentum *Vid. ordinat. Regimenti de anno* 1500. imperii: id quod minimè à ſolius Imperatoris natu, ſed ab univerſo imperio dependit, utpote cum illi eadem, *Declaratio Pac. publ. de anno* 1500. *tit.* von des Regiments Macht wieder die Friedbrecher etc. quæ comitiis univerſalibus competierunt, jura ſint tributa. Habuit *d. Ordinatio Regim. tit.* von den zwantzigen / etc. *tit.* des Regiments Räthe Eyd. Item des Regiments Räthe ſollen aller Pflicht etc. verò illud XX. Aſſeſſores ex ordinibus univerſis juſto modo electos fidelitatis juramento Imperio juxta ac Imperatori devinctos; quibus imperator vel vicarius quiſpiam, quem Comitem aut certè Baronem eſſe oportuit, præſidebat. Huic *eadem ordinat. tit.* wie die Churfürſten auf jede Fronfaſten etc. inſimul adjunctus imperii nomine fuit Elector, ne ſolus Imperator præſidem ageret. Fuit autem hoc Regimentum in ſexennium ſolummodo inſtitutum; an diutius duràrit, obſcurum, dubiumque omnino eſt. Certè *Per Receſſ. de anno* 1512. *die* 16. *Auguſti tit.* 3. von den Gottslässterern §. 21. Item haben wir und die Stände des Reichs etc. duodecim à tempore inſtituti regimenti annis elapſis conſilia annuatim poſtliminio quaſi reviviſcere cœperunt. Acceſſit *Rec. de anno* 1512. *die* 26. *Aug.* §. 5. Item haben uns Churfürſten / Fürſten etc. inſuper, licèt ætatem non multùm ultra ſexennium protulerit, conſilium aliquod Imperii Aulicum, (des Reichs Hofraht) quod Regimento ſurrogatum, eiusque muniis defunctum eſſe veroſimile ſit. Ab iſto quidem quàm multis abhorreat modis hodiernum conſilium Aulicum. cum acerbè innuit, tum queritur Autor 1. *Part.* 1. *c.* 13. ſub Hippoliti à lapide nomine haud ſatis tutò latitans. Poſt hæc Ordnung des Regiments *de anno* 1521. *Add. Paurmeiſt. lib.* 2. *de juriſd. c.* 6. *n.* 195. imperii Regimentum à Carolo V. reduci quidem viſum fuit, verùm nimium quantum antiquæ eius libertati ac autoritati decoxerat. Quin imò idem Carolus illud priſtini Regimenti vel ſimulacrum relinquere nullus ſuſtinuit, ſed quicquid eius fuit reliquum, penitus tandem Cammergerichts *Reformation de anno* 1531. §. 50. Item dieweil das etc. *Paurm. de juriſd. c.* 2. *n.* 114. ſuſtulit. Et ſic Regimentis expirantibus ſuperſtes hodienum mos eſt, univerſalia nonnunquam celebrandi comitia. Attamen illorum uſum ſatis hodie infrequentem arguit haud obſcurè nuperum illud ſtatuum imperii monitum *ad capit. artic.* 14. *Add. Autor* der grundfeſte *P.* 1. *c.* 4. daß der zukünfftige Röm. Kayſer zum wenigſten alle 6. Jahr und ſonſten ſo oft es die Nothdurfft / Sicherheit und Ruheſtand des Reichs erfodert / mit Wiſſen und Willen derer Churfürſten einen allgemeinen Reichstag innerhalb des Röm. Reichs ohne Auffſchub und Verlängerung ausſchreiben und halten ſolte. Electores autem videntur illud monitum *Add. Magni Conringii diſſert. ad Lampad.* inſuper habuiſſe. Quodſi enim annuiſſent cæteris ordinibus forſitan facultatis nonnihil circa Capitulationis materiam & adhuc alia impertiiſſe, adeòque ſuæ ipſorum præeminentiæ detraxiſſe videri haud dubiè potuiſſent.

VI. Interim apprimè proficuum reſp. Germanicæ foret, annua quæ dudum in deſuetudinem abiere, in uſum revocari comitia, *quorum neglectu incredibile eſt quam*, ut cum Nicolao *lib.* 3. *cap.* 33. *de concord. Cathol.* Cuſano Cardinale loquar, *omnes penè deformitates in imperium invecta* Nec verò quæ frequentiori Comitiorum uſui à magnitudine impenſarum ac ſumptuum, à moleſtiis itineris, à temporis jactura opponuntur obſtacula, tanti ſunt, ut iſtud ſaluberrimum inſtitutum præpedire valeant. *Partim namque*, ut Arumæus *Diſſertat. de Com. c.* 5. *n.* 30. *p.* 254. *& ſeq* ſentit, *privata, partim culinaria ſunt, quæ facilè utilitate publicâ penſantur, poſſetque illis omnibus prolixiori tempore, ſi annuum in biennium vel triennium converteretur, mederi, nec dubito quin dies oſtenderet, quam multis exorbitantiis, & emergentibus controverſiis, quæ in judiciis immortalitatem induunt, certimdo temporis obviaret, illosque vel maximè in officio, qui in aula primas tenent, ſi elapſo temporis ſtatuti ſpatio acta, factaque ſua ordinum cenſuræ ſubjecta ſcirent, contineret.* Quin & ſumptibus facilè parci poſſe oſtendit Autor *Part.* 1. *cap.* 2. *p.* 30. der Grundfeſte. anreichend die vielen Speſen und Unkoſten / welche denen Ständen die Beſchickung derer Reichstäge verdrießlich machen / ſo möchten ſolche leichtlich zu vermeiden ſeyn / wenn man zu rechter und beſtimmter Zeit allerſeits ſich gebührend einſtellete / mit der propoſition nach inhalt des Käyſerl. Ausſchreibens ſo bald verfüher / allen Verzug und Hindernüs derer deliberationen aus dem Wege räumete / und die Stände nicht vergeblich und ohne Nutzen / unter allerhand vorwand / lange Zeit aufhielte / ſondern der Geſtalt die Sachen beſchleunigte / damit wo ja nit in einem Monat / wie vor Alters / doch in zweyen oder 3. zum längſten der gantze Reichstag zum Ende käme. Idem etiam non abs re monere videtur, luxui & ſumptuoſis concinnandis conviviis certum ſtatuendum eſſe modum, ac quantum fieri poteſt, penitus interdicendum: Hinc enim eſſe, quare ſtatus non ipſimet, quorum tamen præſentia maturandis ac facilitandis imperii negotiis nimiopere conferret; ſed per ablegatos in comitiis comparere maluerint. Nun ita pridem graviſſimâ hanc in rem admonitione defunctus eſt Ferdinandus III. qui & ipſe ſuo hac quidem in parte exemplo ſtatus præire ſategit. Quomodo autem illi ipſum imitati ſint Grundfeſte *part.* 1. *c.* 2. das hat die Erfahrung und einen ieden ſein Beutel nachmals mehr als zu viel gewieſen.

VII. Certè verò cavendum inprimis eſſet, ne nimiæ, & quaſi concatenatæ moræ in comitiis necterentur, ſed ut quantâ fieri poſſet celeritate: (ſecus ac in modernis evenit Ratisponenſibus, de quorum nimis ſumptuoſa prolixitate dudum multi *Vid. literas inter Dn.* Seſemeſen *& Dn.* Hagemeyer *in Comitiis p.* 1. *Legatos*

gatos alioſque plures hoc & ſuperioribus annis reciprocas, quas optima Viri cujusdam Clariſſimi, meique amantiſſimi pace deſcriptas ſervo: multùm queruntur) ad optatum finem omnia perducerentur: Summæ enim prudentiæ eſt, magnumque & temporis, & ſumptuum lucrum in eo conſiſtit, ut ſtatim in exordio ſollicitè expiſcemur, quid de ſummæ rei, ob quam conventus inſtitutus eſt, momento futurum ſit. Quod ſi teſtitudineo gradu Comitia progrediantur, temporis ac ſumptuum jacturam afferunt, ſtatuum querelas excitant, exteris ludibrium debent. Hinc vel in triviis nota ſunt & paſſim obvia multorum dicteria. Italus nonnemo ait: ſemper Germanos convenire, & nunquam convenire. Celebre eſt illud Æneæ Sylvii ſcomma: *Epiſt. 72. Ego, uti Tibi verum fatear, non puto, dietam hanc aliis ſteriliorem fore. Scis quid hoc verbo ſentiam; fecunda ſunt omnes dietæ, qualibet in ventre alteram habet.* Nec non alibi æquè ſalſè ac lepidè; *Epiſt. 92. Nulla*, inquit, *dieta ſit, quæ dietam non pariat, credo quia fœmineum eſt nomen, libenter impregnari dietas ac parturire.* Equidem certum ac juſtum in ordinem redactis comitiis apprimè inſuper è re foret, quale Maximiliani I. tempore obtinuit, Regimentum in Germanici orbem imperii revocari, & priſtinæ authoritati ac ſplendori veluti poſtliminio reſtitui: Cùm enim ſæpius & ex improviſo multa magni momenti negotia incidant, quæ moram nullam ferre, nedum Comitia præſtolari queant, ſummè proficuum ſanè eſt toti imperio, eſſe interea, qui reip. curam aſſiduò agant, & ſi quæ ex tranſverſo incurrant mala ac nocitura, illorum initia in ipſa quaſi herba ſupprimant. Secus verò poſt feſtum, quod dici amat, conſilia identidem afferuntur, intereaque Saguntum, Romæ dum anxiè quidem, ſed intempeſtivè deliberatur, peſſum it. Sapienter admodum hanc in rem loquitur Didacus Saavedra *Symb. Polit. 55. p. m. 439. Nulla reſp. tam firmis munita præſidiis, cujus fundamenta cum tempore non collabeſcant, aut quæ malitia pravique abuſus non exedant. Nec ſufficit partes illius ſingulas bene conſtitutas eſſe, niſi in unum coeant omnes*, aut aliqui nomine omnium delecti, *agantque inter ſe* aſſiduò *tam de illis ipſis partibus, quàm de univerſo corpore. Niſi enim reſp. innoventur ſubinde, inveteraſcunt, & pereunt.*

VIII. Facient utique omnia eò, ut Ordines Univerſi capulum Imperii unà cum Imperatore retineant ipſimet, & quæ Reipubl. ſtatum ſpectant, conjuncto omnium ſtudio, & operâ ſuſpiciantur & optimis omnium auſpiciis peragantur. Nec ſanè eſſet, quòd tum metuerent, ne lapſu fortè temporis jure ſuo exciderent, neve Imperii ſumma ad unum paulatim deveniret: Veriſſimum enim eſt, nunquam magis, quàm in hujuſmodi demum congreſſu, & Senatu publico Proceres Imperii in partem regiminis cum Imperatore venire. Uti proinde, teſte Ariſtotele, inſigne Imperii ac dominationis arcanum eſt, id operam dare, ut ne conventus populi habeantur, neve deliberationes in publico inſtituantur, aut ſi quas inſtitui oporteat, ab iis arte quadam cives ut paulatim arceantur omnes, quo, ſicuti Tiberius volebat, uni ſaltem ratio conſtet; ita libertatis munimentum ac propugnaculum in eo ſitum eſt, ut conventus in Republ. Germanica identidem frequententur, Comitia, quotieſcunque publica ſalus efflagitat, ritè ac antiquo more celebrentur, prætereaque Senatus perpetuus, qui vetuſti inſtar Regiminis obtineat, totius nomine Imperii conſtitutus ſit. Huc valde appoſita ſunt, quæ nonnemo florentiſſimorum Galliæ Scriptorum prudentiſſimè aſſerit: *Eſtienne Pâquier dans les recherches de la France liv. 1. chap. 2. let. d. p. 41. Tous ceux, qui ont voulu fonder la liberté d'une republique bien ordonnée, ont eſtimé, que c'etoit, lors que l'opinion du ſouverain Magiſtrat étoit attrempée par les remonſtrances de pluſieurs perſonnes d'honneur. Et vrayement il ſemble, que cet ordre ait été quelques fois tres-étroitement obſervé entre nous par le moyen du Parlement. Qui eſt la cauſe pour laquelle quelques étrangers diſcourans deſſus nôtre Republique, ont eſtimé, que de cête Police, qui étoit comme métoyenne entre le Roy & le Peuple, dépendoit toute la grandeur de la France.* Multum quidem & tantum non omne momentum Gallicanæ libertatis in Præſidio Parlamenti hic egregius Scriptor collocat, ſed quis non videt, multo potiori idem jure Imperii Germanici Senatui & Comitiis competere? Quibus etiam coronidis loco longè rectius adaptandum ſanè erit, quod idem Autor alibi ſuo Parlamento Magnificentius fortaſſis quàm verius (præcipuè ſi abſolutiſſimam Inclyti hodierni Regis Galliæ Ludovici XIV. poteſtatem intueamur) tribuendum ita duxit: *Vid. alleg. Autor lib. 3. c. 18. p. 227. Nous pouvons dire & juſtement le Parlement de Paris avoir été de toute ancienneté, & être la pierre fondamentale de la conſervation de nôtre Etat.*

PARS TERTIA.

Ad Externa Progreditur Media.

SECTIO I.

In anteceſſum indagat, quî ſeſe Reſpubl. Germ. in ordine ad alias exteras & vicinas habeat.

I. MEmini ſuprà *vid. Part. 1. Sect. 2. §. 5.* dictum, quæ unamquamque Rempubl. corrumpant, eſſe vel interna, vel externa, quorum illa ex ipſa naſcuntur civitate, *Conf. Henr. Iulii Scheurl. diſſertat. Polit. 9. p. 495. ac in viſceribus ejus ac membris hærent, non ſecus ac in hominibus ulcera, aqua intercus, peſtis, phtiſis, podagra, morbique alq*; hæc autem aliunde inferuntur, *& grandini, ſagittis, fulminibus comparari non inconcinnè poſſunt.* Quænam inteſtinis & domeſticis illis malis remedia in Imperio Germanico adhiberi oporteat, pro ratione utique inſtituti, ni fallor, jam expedi-

vi. Quadantenus itaque attingenda nunc illa veniunt, quæ Rempubl. Germanicam extrinſecus conſideratam concernunt, quæque ipſi Iliacos extra muros nocumento ſint, quæque emolumento eſſe poſſint. Ante autem quam diſpiciam, qui ſeſe Imperium Germanicum in ordine ad alias Reſpubl. hodie habeat, juvat primitus rem nonnihil altius repetere. Octo jam effluxerunt ſecula, quum felicibus Francorum Regis Caroli, (qui non ex more adulandi, ſed meritorum amplitudine cognomentum MAGNI indeptus eſt, Heros omnibus major futurus, ſi cultiora tempora invenire potius, quàm facere licuiſſet) auſpiciis, & victricibus armis omnis Germania unam in civitatem coaleſcere, ac unius Imperium venerari viſa eſt. Quantumvis autem vaſto hoc tot annorum decurſu Germaniæ ex transverſo multa ſæpe incurrerint Fatorum iniqua, non tamen usque adeò magna ipſi incubuerunt pericula: *Neque, Ampliſſ. D. Conr. præfat. in Polit. Ariſt. enim à vicinis quidem habuit olim quod ſibi valde metueret Germania: quoniam in parva atque invalida magnam partem regna tum illi dividerentur, ipſa contra viribus ac magnitudine omnibus longe præſtaret.* Contra *Vid. Georg. Horny Prof. Lugdun. Celeberrimi Colleg. Politico-Hiſt. pronuper typis exſcriptum. Add. Dn. Conr. tr. de fin. Imp. Germ. Nicolai Myleri Archontologia Ord. Imp. c. 6. p. 61. Lehm. Chron. lib. 5. cap. 1. p. 385.* antiquos Germaniæ hoſtes variæ quondam inſtitutæ fuerunt Marchiæ, Ducatus, ac Comitatus. Sic contra Hungarorum inſultum, quos tempore quoque Ludovici IV. ultimi Regis ex Carolina Stirpe in Germaniam ingenti agmine irruiſſe ſcribit Luitprandus *Lib. 2. c. 6.* oppoſitæ fuerunt Auſtria & Moravia. Ipſi autem Hungari Imperatore Henrico Aucupe apud Merſburgum & deinde apud Auguſtam Vindelicorum & Ratisponam ita fuerunt tandem debilitati, ut à Germania vexanda poſtmodum abſtinuerint. Sclavorum Germaniam tum temporis quoque affligentium impetum exceperunt Luſatiæ & Brandenburgiæ Marchionatus, itemque Saxoniæ *Vid. Rhenani locus huc faciens allegatus à Magnifico Dn. Struvio in ſyntagm. Iur. Feud. cap. 1. th. 4. p. 18.* Ducatus. Notiſſimam illam Normannorum (qui & Hungaros & Sclavos in devaſtatione Germaniæ ſuperârunt, ita *Vid. alleg. Hornius* quidem, ut contra illos preces in omnibus templis publicæ indictæ fuerint ad ſonum campanæ meridianæ cum hac formula: à furore Normannorum libera nos Domine) rabiem retuderunt Hollandiæ, Geldriæ, & Flandriæ comitatus. Quibus demum omnibus fuſis ac fugatis hoſtibus Germaniam ſub vexillo Pontificum Itali conati ſunt infeſtare. Verùm poſt multas editas ac ultro citroque acceptas clades Pontificiæ Tyrannidi ſe maſculè demum oppoſuit Ludovicus Bavarus, & nimiam Paparum ambitionem, faſtus ac arrogantiæ plenos ſpiritus, & Imperii affectationem adeò repreſſit cum calamo, tum gladio, ut vel muſſitare vix auſi poſtea fuerint.

II. Hodie Germania & plures & potentiores vicinos, ac æmulos inſuper habet, quos circumſpectè atque emiſſitiis oculis obſervet, & proinde caveat. Vicinus illi eſt Galliæ Rex, cujus moderna potentia tantum adeò incrementi cepit, tantas indies adhuc eundo acquirit vires, ut meritò formidabilis, ac ſuſpecta Europæ Univerſæ exiſtat? Licèt non ita multa exciderint ſecula, cum *Vid. D. Conr. Præfat. in Polit. Ariſt. p. 866. Add. Eſtienne Pasquier dans ſes recherches liv. 1. c. 6. & ſeqq.* Regum Auctoritas in Galliis penè precaria magis, quàm ſuæ cenſenda ſponſis fuerit. Contra modernus Rex adeò laxis Imperii habenis gaudet, ut pro lubentia, & nutu ſuo omnem verſet Rempubl. multa abroget, immutet, omnia ſuo Genio accommodet; Et eſt quod indubiè mireris, cuncta ſedato ſatis niſu peragi hactenus, nihil ibi inquietum exiſtere, cum tamen plebem, aſperioribus tributis & vectigalibus à Rege onerari, ac penè defatigari conſtet. Quid quod nullus veritus ſit veteres illas inſuper Magnatum ſpongias (unde nimium quantum in unum velut alveum confluxerit opum) exprimere? Cum itaque ærarium ipſius inſigniter jam tum inſtructum uberrimi ac propemodum immenſi reditus plus plusq; annuatim adaugeant, adeoque haud poſtremus rei gerendæ nervus pecunia ſuppetat largiſſimè, utique non difficile ipſi videbitur, bellum illud diu deſtinatum movere in quemcunque ſors tulerit, modone Germani Noſtrates implicentur. Certè Galliarum Regnum in Imperium Germanicum æmulationis ac invidiæ aculeos jam ab antiquo erexiſſe, prodidit exemplo ſuo Franciſcus I. Galliæ Rex, ille enim, ut Caroli V. Aquilas deplumaret, ac planè eriperet, nihil intentatum reliquit. Nonnullos quoque ex Electoribus ad ſua vota jam traduxerat, reliquorum animos ſedulò ambire pergens. Quin usque adeò in illud ſtudium avidè incubuit, ut, teſte etiam Guicciardino, ſaltem alternationem, illamque ſemeotiam Imperium, ut præpulchram ac nobilem Virginem, à pluribus poſſe ſucceſſivè amari, Carolo V. perſuadere anniteretur. Satis etiam vicinum habet Germania Regnum Sueciæ, non longo ſanè abhinc tempore multis adhuc fermè ignotum, certè formidatum nemini, nunc verò variis acceſſionibus & exuviis Teutonum auctum, viribus roboratum, omnibus propemodum augendæ potentiæ adminiculis inſtructum, quin & ambitione, ſpe, ac proſperitate ſuperiorum temporum elatum. Enimverò niſi Gallum inter & Suecum abdita quædam, ac artificiosè celata intercederet æmulatio, alterutrum illorum novi quid tentaturum pridem fuiſſe, non equidem temerè quiſpiam ſuſpicetur. Sed ne alter altero in Imperio Germanico evadat potentior, ſed ambo in æquilibrio ſint, operæ id dare uterque videtur. Quod & in nupero illo omnium, quotquot Germania geſſit, bellorum infeſtiſſimo & pertinaciſſimo videre fuit. Ita enim conjuncto uſi ſunt Marte Galli & Sueci, ut nulli quidem ſterilem, ſed tamen æquè pinguem, ex reſtituta, ut jactitant, Germanica libertate, gloriam utrique repoſtâtint. Regnum Poloniæ vicinitate quoque Germaniam attingit.

git. Fuit olim Imperio Germanico tributarium planè ac ſubditum, ab eo autem temporum malignitate & quidem Imperatore Friderico II. non divulſum penitus modò eſt, ſed & Jagellone Rege in eandem Rempubl. concedentibus Lithuania, eò virtum ac fidentiæ progreſſum eſt, ut *all. Praf. Dn. Conr. p. 864. & ſeq. præter Maſoviam, Æſtyorum gentes, Pruſſos inquam & Livones, nobiles profectò Imperij Germanici portiones ſui juris efficeret.* Hodie verò illud Regnum & aliquot inprimis retro annis in ſcopas tantum non diſſolutas inteſtinis bellis & cladibus abiit. Quibus vix dum leviter ſopitis extera Barbarorum hoſtium manus hodienum imminet, ut incertum adeò ſit, quænam Regnum iſtud impræſentiarum circumſtent fata, quæve Germaniæ exinde metuenda incumbant. Eſt utique Imperio Germanico vicinum Daniæ Regnum; quod nullo equidem ævo aſſerente ſummo *Conſ. diſſertata in Colleg. de Rebuſpubl. itemque Praf. in Polit. Ariſt.* Contingio, atteſtante experientiâ hodiernâ, adſtipulante rerum Danicarum retro geſtarum Hiſtoriâ, tam bene compoſitum, tam præclarè inſtitutum fuit, quam eſt hodie ſingularis Providentiæ Divinæ adminiculo, ac auſpicatiſſimus moderni Potentiſſimi, Sereniſſimi ac Auguſtiſſimi Regis FRIDERICI III. Principis in tantum laudandi, in quantum virtus & felicitas intelligi poſſunt Auſpiciis. Ab illo verò nunquam ſatis laudato, nunquam ſatis laudando Heroe metuendum ſibi non habet Germanica Respubl. cum tantum abſit ſimultatis quicquam cum illa ipſi intercedere, ut non uno vinculo aliquot Imperii Principibus arctè ac benivolè conjunctus, quin & toti adeò Imperio ſincero & pio affectu devinctus ſit.

III. Hiſpanicam quidem Rempubl. quod attinet, cum Domo Auſtriaca eandem multijugis longævo jam retro tempore matrimoniorum vinculis conjunctam fuiſſe conſtat. *Trajana Stat. Europ. diſcurſ. 1. ſub fin. Magna hæc machina ex diverſis partibus conflata, ac ſemet ipſam quaſi impediens occultis rotis agitatur, quæ tamen quo magis reteguntur, eo magis vires ſuas deperdunt.* Dudum quippe prolato foras arcano in vulgus abiit, Hiſpanorum faſtum univerſalem Monarchiam ſomniare, ac ſaltem non machinari. Certè quo faciliorem ad illam conſequendam ſibi viam ſternerent, conatibus ſuis religionis ardorem, indignum ac impium facinus! prætenderunt, imprimisque Papæ Romano impoſitum, Auctoritatis ſuæ ſacram anchoram ut in minuendis Proteſtantium viribus, ita in Hiſpanica potentia augenda unicè conſiſtere. Hinc tot exquiſitæ crudelitatis in Proteſtantium ordinem edita exempla. Hinc hodienum primùm Hiſpaniæ *Trus. alleg. l.* decorum eſt, Proteſtantes perſequi, præda illorum locupletari, ruinâ convaleſcere. Equidem extra humanæ potentiæ vires videri poſſet, magnitudini Hiſpaniæ reſiſtere, quominus imperio ſuo vel totum ſubjiceret terrarum orbem, ſi Belgicas provincias, ac alias ſibi ſubjectas terras eâ manſuetudine regere potuiſſet, ut ne jugum excuterent. *Quæ Vid. D. Hornii Coll. Polit. Hiſtoricum. Cap. 4. & ad eundem additamenta Domini Franckenſteinii Profeſſ. Lipſ. celeberrimi. ſanè vix reſiſtere, ac ſe opponere temerè potuiſſet, ſi Belgicæ claſſes pro Hiſpanis in Septentrione pugnâſſent.* Sed Deus periælus ſuperbiæ Hiſpanicæ Philippum II. imprudenter errare, imò contra omnes Politicorum Regulas impingere paſſus eſt, ut exiſtimârit, Belgarum libertatem terrore Edictorum ac ſupplicii ſævitiâ infringi, ac ſubjugari poſſe; tam infelici ſucceſſu, ut cum Belgæ adverterent, Hiſpanos ad abſolutam anhelare dominationem, præfracta audacia infirmioribus quidem ſuffulti viribus, ſed animo pro Libertate ad extrema & mortem ipſam obfirmato erecti ſeſe oppoſuerint, ac concatenato multorum annorum bello ſui tandem erroris confeſſionem Hiſpanicæ Genti extorſerint, hancque ipſi regulam oſtenderint: Liberis Gentibus, civiliter eſſe imperandum. Bonum factum! quod Hiſpanorum ſupercilio non unum hactenus viſum fuit obſtare, quodque ipſos clauſtra in aere ædificare juſſit. Mare quidem Germanicum invidendæ Hiſpanorum fortunæ infeſtum ſemper fuiſſe, omnes illorum claſſes magno apparatu, ſed Neptuno parùm ſecundo ac propitio inſtructæ teſtantur: ita ſanè iſtæ ab Anglis & Belgis fuerunt plus vice ſimplici exceptæ, ut vix paucæ naves in Hiſpaniam fractæ ac laceratæ remeârint. Vt nihil amplius de Belgarum defectione dicam, inſuper etiam habito plusquam novercali illo, quo Portugalli hodie in nimis quondam imperioſos Dominos ardent, odio, quis ignorat antipathiam illam, & internecinam propemodum ſimultatem, quam adverſus Hiſpanos fovet, & quaſi à lacte Nutricis imbibit Gallica indoles. Hinc illa univerſalis regula Rohanii *Diſcurſ. 2. de rat. Stat. Galliæ* nata eſt: *rationem ſtatus Galliæ in eo ſitam eſſe, ut in omnibus punctis Hiſpaniæ è diametro contrarietur & adverſetur.* Nullum autem Regnum Chriſtianum Monarchiæ Hiſpanicæ plus obſiſtere poſſe, quàm Galliæ ipſe diſertè aſtruit Campanella *lib. de Rep. Hiſp. c. 24.* Adſcribenda adhuc erit Magni olim Galliæ *Ducis de Rohan ſententia vid. diſc. 1.* ſtatuentis, *reperiri in orbe Chriſtiano duo potentiſſima Regna, quæ poli quaſi duo ſunt, unde pacis & belli influentia ad alios ſtatus delabuntur, regnum videlicet Galliæ & Hiſpaniæ. Hiſpaniæ Regnum, quia ſubitò in tantam potentiam accrevit, intentionem ſuam, quibusvis videlicet dominandi, & in Occidente Monarchiam novam ſtabiliendi celare non potuit. Gallia contra maturè hoc egit, illi ut ſe opponeret. Reliqui Principes huic vel illi, pro exigentia cujuſque ſtatus, ſe conſociârunt. Quidam autem eorum in quantum rationem ſtatus ſui bene vel malè trutinârunt, aut compendium aut diſpendium fecerunt.*

IV. Quorum præter hos modò enumeratos Germania vel viciniam obſervare, vel æmulationem metuere habet, paulò partim ab eâ diſſiti longius ſunt, partim bellicâ potentiâ non adeò pollent, ut negotii ipſi multùm faceſſere valeant. Sic Italia quà viris, quà opibus Germaniæ impar admodum eſt, ac in plures diſcerpta particulas ad vim aliis inferendam parùm inſtructa. Quin ſatis habent Itali, quod Germani Imperatores antiquum in Italiam jus haud recuperatum eant; præſertim cum reverentia fulminis Pontificii, quod ſæpe iſtos fabam aliquam

in Papam cudentes in terrorem dederat, nunc penitus videatur exoleviſſe. Anglia quouſque inſultet Oceano ſuo, Germanis utique parùm curæ habetur. Et uti continentem tentare fruſtra illa occeperit: ita his nullæ vires maritimæ, quæ cum Anglicis comparatæ momenti quid habere poſſint. Sanè neglectam Germania jacere omnem curam Imperij maritimi nupero bello Danico fuit perſpectum, ubi copiæ Imperiales ne exigua quidem freta potuerunt trajicere, niſi aliorum navibus adjutæ. Pari quoque modo Belgis fœderatis facultas non eſt, imò nec voluntas in Germaniam aliquid moliendi. Nam nec ipſi ad militiam terreſtrem idonei ſatis, aquatiles animantes; & ut pecuniâ haud quaquam deſtituti ſint, libertati tamen ipſorum haud conſultum eſt, numeroſum terra alere exercitum. Igitur & illi contenti erunt, Germanos non repetere Urbes, quas ipſi, muniendis contra Hiſpanos ſuis finibus, præſidiis inſederunt. Utinam ſaltem non propinqua nimis Germaniæ foret, ipſiuſque cervici non nimis vicina inhæreret vaſta illa & omnium, quantum eſt, Chriſtianorum, libertati quaſi è ſpecula, ſive mavis, ſpelunca imminens Cadmeo ſemine nata Turcica Natio. Genus dicam an monſtrum hominum effrene, ac pluſquam barbarum, certè alienis vitiis, quàm ſuâ virtute felicius. Ad Scythas, *Primùm Turcis à Scythia, quam Tartariam vocamus hodie, exordium.* unde & infauſtum pedem attulit, dudum redigendum, imò orbe exterminandum omninò fuiſſet, antequam eò potentiæ ac roboris progredi potuiſſet. Sed, ut fieri amat, naturâ infirmitatis humanæ tardiora eſſe remedia, quàm mala; ita à teneris ac exilibus initiis immaniſſimæ Gentis ferocia, ac potentia pedetentim ac inſtar alluvionis auctibus exerevit immenſis, ut Conſtantinopolin à bipedum nequiſſimo Mahumete pridem captam ceu præcipuam Imperij ſedem etiamnum poſſideat, raptaque à Solymanno Buda, quæ Hungariæ metropolis eſt. Viennam Auſtriæ obſidione auſa jam ſit cingere; atque adeo optimam ſibi Europæ partem, Aſiæ & Africæ pleraque ac potiſſima, quaſi ære olim ac librâ emiſſet, perdiu jam mancipârit. Certè quàm ſæpè, quàm protervè Imperio Germanico, ac tantùm non univerſo Chriſtiano Orbi minitatus ſit, quibuſve cladibus non minimam illius partem jam mulctârit effrenatus ille ac planè feralis Ottomannicus furor, ferrum flammamque atque omnibus propemodum ſupplicijs deteſtabiliorem & indigniorem ſervitutem undique verſum circumferens, produnt diſertim & paſſim Receſſus Imperij, plenæ omnes & refertæ hanc in rem documentis ſunt Hiſtoriæ. Et ut ne è longinquo triſtia arceſſamus, & ad ingratam revocemus recordationis obruſſam exempla, noſtra memoria ſatis recens ſuppeditat. Necdum ipſum triennium elapſum eſt, quod Germania etiam Turcico bello, eoque ſatis aſpero defuncta eſt. Enimverò notius eſt, quàm ut hìc memorare quicquam attineat, quinam armorum ſtrepitus in Imperio tum exauditi, quinam exercitus apparatus ad retundendam ac reprimendam Barbarorum inſolentiam inſtrui cœperint. Quin de ſubſidiis, unde illa etiam arceſſi potuerint, interpellari fuerunt exteri aliquam multi. Adeo jam metus Tyranni in ſollicitudinem verterat omnia, ut ipſa trepidare Germania, ſibi diffidere, Divum Hominumque faventiam implorare adacta ſit.

V. Verùm vixdum ſubleſtæ haud dubiè fidei pace per Tyranni malefidi indulgentiam frui iterum contigit, vixdum à ſæviſſimæ Turcicæ Bellonæ calamitate reſpirare Germaniæ datum fuit, nimis citò quaſi Lethes aquâ guſtatâ omnis videtur oblita eſſe mali, protinus exauctoratus & abdicatus eſt miles, modò ne mox ægrè requirendus, ac corrogandus. Quod equidem omen Deus avertere velit, extimeſcere id tamen eſſe, cùm minùs, quam Punica, tuta fides Turcica non uno perfidæ facinore teſtatum dudum fecit, tum ea, quam in Candiam nunc temporis Turca ſuſcepit, expeditio ſolito, ut rumor nuper percrebuit, & major & felicior ſuſpicandi inprimis anſam præbet: Quod ſi enim & ibi rerum potiatur, & Poloniam verſus arma infeſta, quod equidem literis meras & diras ſpirantibus minas ad Poloniæ Regem non ita pridem miſſis ſatis jactavit inſolenter, feliciori ſucceſſu moveat, jam tandem Germanos non amplius Panicus quidam terror obruet, ſed verò fortè incendio, niſi id divinâ extinguat clementiâ, proximus ardebit Ucalegon. *de re militari adverſ. Turc. inſtit. p. 495.* *Ea neſcimus adhuc*, exclamat Buſbequius, *quo verſemur in pericula! Quod mare, qui montes, quæ ſolitudines, aut qui populi in medio relicti, quorum præſidio nos ab horum injuria tutos fore ſperemus? Amiſſa, proſtrata omnia. Hærent in cervicibus noſtris, quos procul perhorreſcere debebamus.* Verum propemodum eſt, ut malè ſocias Germaniæ vires ludibrio habeat, ac Rhinocerotis naſo contemptim excipiat Turcarum Imperator, utpote qui omnia, quæ inibi fiunt, ac delinquuntur, hoc magìs cognita & comperta habet, quò propius illorum in notitiam per fœdera, pacta, legationes, aliaque ſecreta commercia à quàm multis aſſcitus eſt.

SECTIO II.

Primum ſuppeditat medium externum, quod in præſidio perpetui ac domeſtici militis ſtatuitur.

I. CUm duo præcipuè ſint tempora Reipubl. unum pacis, alterum belli, in civili autem vita vel ad minutiſſimos temporum articulos, ac tenuiſſima rerum momenta accuratè attendendum ſit, graviſſimè ſanè peccat is, qui ad palmaria iſta duo omne ſtudium, omnem curam, omneſque cogitationes haud convertit. Enimverò qui Reipubl. rectè ac graviter conſulere ſtudio ſibi habet, circa leges & arma ſe prudenter æquè gerat neceſſe eſt. Illis equidem domi in toga & pace utendum potiſſimum eſt, his verò in bello cum maximè opus eſt. Nec verò à legibus arma, nec ab armis leges ſecerni oportere, ipſe etiam Conſultiſſimus ac ſummè providus Imperator Juſtinianus toties inculcat, *leg. unic. in pr. C. de Juſt. Cod. Conf. Add. Nov. 24. itemque 26. cap. 1. nec non Princ. inſtit. Proœm. Summa Reipubl. tuitio de ſtirps duarum rerum*

armorum

armorum ſcil. atque legum veniens , vimque ſuam munens felix Romanorum genus omnibus antepont Nationibus , omnibusque gentibus dominari tam præteritis effecit temporibus , quàm Deo propitio in æternum efficiet. Iſtorum etenim alterum alterius auxilio ſemper eguit : & tam militaris res legibus in tuto collocata , quàm ipſa leges armorum præſidio ſervata ſunt. Certè uti parùm eſt teſte Cicerone, *arma foris eſſe , niſi ſit conſilium domi* , niſi & molliſſimo pacis tempore Reſpubl. legibus probè ſit inſtituta, & motata ; ita contrà nec ſolæ leges pacato quamvis ſtatui ſuffecturæ ſunt , niſi arma quoque præſtò ſemper ſint , ac urgentibus inprimis Reipubl. fatis in tempore ſuppetias ferant. Hinc eſt , quod Ariſtoteles *lib.* 2. *Polit. cap.* 7. *Picc. Comm. ibidem.* Lycurgum , alioſque Informatores Reipubl. Lacedæmoniæ exagitet , & inſectetur , cum iſti cives ſuos ad bellicam ſolùm virtutem aſſuefecerint , non etiam ad alias potiores , quæ pacis tempore vigerent , utileſque forent. Hoc ipſum de Lacedæmoniis queſtum quoque Platonem *lib.* 1. *de Legib.* eſſe apparet, dum *nihil* , inquit , *aliud Lacedæmoniis in tota vita cura eſt , quàm ita ſe exercitatione & disciplinâ comparare , ut bello mortales exſuperent omnes.* Sed quàm parùm hoc ipſis ceſſerit feliciter , Polybius *lib.* 1. *Hiſt.* comprobat aſſerens , Lacedæmoniis , cum diu multumque de Græciæ imperio pugnâſſent , poſtquam occupârunt , vix 12. annos firmum ſine tentaminibus tenere potuiſſe. Adeoque , quod de Annibale olim dictum erat , vincere quidem ſcivere illi , ſed uti victoria neſcivere. Idem de ipſiſmet confirmans Ariſtoteles *l. alleg.* inquit : *Neſcij erant otio uti , artium quippe pacis omnium rudes.* Nec planè abſimile fatum Spartanos expertos eſſe ita aſtruit Tullius *lib.* 1. *off. Spartani quamdiu bella geſſere , fuere felices & ſtatum ſuum retinuere. At poſtquam bella,quæ voluere , domuere , hoſteſque ipſis defuere,quæ occupârant , tueri non potuere , imo perierunt etiam ipſi.*

II. Verùm de legibus , ac iis pene omnibus artibus , quas quis interna Reipubl. & inprimis Germanicæ conſervandæ media , ac præcipua tempore pacis ornamenta , & ſtabilimenta vocaverit , cum ſupra *Sect.* 5. §. 4. & 5. jam explicatius actum , dictumque inſuper ſit , in iis, quæ in Germania latæ ſunt , legibus nil adeò præter arctiorem requiri obſervantiam , non eſt,cur de illis multa aut jam inſinuata repetam , aut nova operosè cumulem. Quin lubet potiùs , atque inſtituti rationem ſi conſulam , oportet alterum nunc Reipubl. momentum , belli inquam tempus ſubire , aſſiduumque armorum uſum , ac ineluctabilem eorum neceſſitatem ſeorſim jam attingere. Anteſignanum utique hìc ſequar Ariſtotelem, qui , ſexcentas poſtquam craſſi erroris dicas Phaleæ ſuam pacis duntaxat temporibus Rempubl. accommodanti , eamque bonis legibus jam in tuto ſatis collocatam exiſtimanti impegerat , ita tandem ſubjicit : *lib.* 2. *Polit. cap.* 5. *Omnino verò neceſſe eſt , Rempubl. inſtructam eſſe ad robur bellicum : de qua disciplina ille* (Phaleas) *verborum nil fecit.* Et alibi *lib.* 3. *cap.* 8. *opus eſt* , inquit, *bellicâ virtute : nec enim ſine hac civitas conſtare , vel habitari poteſt.* Equidem pacis ſolùm artium gnari , bellicarum rudes , ingruente aliquâ ancipitis Bellonæ neceſſitate miſerrimi ſunt , cujusvis inſultui inulti patent. Præclarè admodum ſentit Didacus Saavedras *Symb. Polit.* 59. *p.* 487. *Pax eſt, quæ regna acquiſita potiſſimum tuetur , dummodo pax iſta ſtudioſa ſit atque armata.* Hoc noſtro enim tempore , *ou onne ſe ſere point du drois canon , mais des canons* , ſeu , ut hoc Henrici IV. Galliæ Regis dicterium Latinis nunc Coſmi Medicæi *apud Machiav. lib. hiſt. Florent.* verbis commutem , *ubi ius plerumque in armis eſt , nec imperia Paternoſtris conſervari poſſunt* , inermium nulla habetur ratio. Romulus (ut narrant , aut fingunt) poſtquam è vivis exceſſerat , illud civibus ſuis legavit , ut *Liv. lib.* 1. *cap.* 16. rem militarem ante omnis colerent , unde in caput orbis terrarum urbs eorum inſurgeret. Hoc quidem certum eſt , illud Imperij arcanum Romanis traditum eſſe , magnitudinem *Vid. Franc. Bæchius & I. Lipſius,ille de Magnitud. hic de Mil. Romana itemque Franc Bacon. de Verulamio Serm. fidel.* 29. *de prof ſinib. Imp. Add.* Entdeckte Grufft Politiſcher Geheimniſſen *p.* 282. ſuper arma fundatam, armis pruvectam, ſtare aliter quàm per arma haud poſſe. Venetam Rempubl. rem militarem ſi ſpectes, non oppidò inſtructam ſatis eſſe Piccartus *in Comment. ad Ariſt. lib.* 2. *Polit. c.* 9. nullus aſſerere dubitat , & parùm inde felicibus ab illa bella geri auſpiciis , quòd tota ſpectat ad pacem. Cujus itidem erroris illam ſubinde redarguit Machiavellus. *de arte milit. lib.* 1. Quo abſque eſſet, ut pacatiorem adhuc & beatiorem illi promitteret ſtatum.Ipſe verò *ille ignei acuminis homo* , quo ipſum elogio Lipſius inſignit, Principi ſuo hocce præceptum toties & ad ravim uſque inculcat : *in lib. de Princ. cap.* 14. *ſub init. Nihil aliud ob oculos ſibi ſtatuere debet Princeps , nihil aliud curare , nullam aliam artem exercere , quàm bellum , quàm militaria inſtituta , quàm denique militarem diſciplinam.* Et paulò poſt : *Nunquam cogitationem à belli ſtudio avèrtere : imò pacis tempore acrius in eo , quam belli tempore ſeſe exercere Princeps debet.* At verò cui non videtur hìc nimius præ ſtudio eſſe Machiavellus ? quis non advertit , illum venenum propinare ? Arma virumque plenis buccinis canit , bellum unicè crepitat , in eo acquieſcendum , ad id aſpirandum Principi ſuadet. Perinde ac ſi bellum per ſe eſſet expetendum , ac pro fine , ad quem abſolutè collimandum foret , amplexandum. Quin potiùs pax ad bellum ſe habet , ut finis ad media : *Bellum* quippe adſtipulante Cicerone , *geritur , ut in pace vivamus.* Sicut proinde finis mediis nobilior cenſetur, ita pax quoque bellum multis à ſe relinquit paraſangis,tantoque præ hoc iſta expetenda magìs eſt.Peræquè hinc eluceſcit,pacis artes & ſtudia bellicis eſſe nobiliora , quanquam neutris reſp. ſi quidem in portu ſalutis navigare debeant , ullo

unquam tempore deſtituendas eſſe jam ſuprà aſſeveraverim.

§. III. At enim verò cum tanta ſit modò non in omnibus rebusp. utpote *H. Grot. de I. B. & P. lib. 2. c. 1. p. m.* 100. *quibus nunquam ferè plena ſecuritas conſtat*, armorum contra vim externam neceſſitas, ut quidam magnæ Vir prudentiæ civilis nihil veritus ſit aſtruere : *Bacon. de Verul. ſerm. fidel. 29. de prof. fin. Imp. Utcunque res ſe habeat, quatenus ad alicujus ſtatus felicitatem proculdubio intereſt, ut quaſi ſemper in armis ſit.* Ecquid putamus Germanorum remp. iis poſſe impunè carere? præſertim cum *Spreng. Lucer. c. 12. p.* 560. *ubivis pateat (niſi quod ex parte Alpium clauſa ſit ; hoc beneficio tamen non multis provinciis, ſed ſolùm competente Comitatui Tyrolenſi, Bavariæ, & ArchiEpiſcopatui Salisburgenſi)* ac præterea tanta ſit *Vid. Sect. anteced.* omnium circumcirca Rerumpublicarum potentia, quam vicinitas nimia ſuſpectam reddit & formidabilem. Proinde ſi qua reſp. arma in ſubſidium adhibere egeat, facere certè id neceſſe habet Germania. Hinc in comitiis *vid. all. Spreng. Luc. p.* 553. Anno 1653. inter alia præfervide conſultatum eſſe novimus, quomodo ſecuritas Imperii ſtabiliri rectiſſimè poſſit. Hæ autem duæ ſub conſultationem tum temporis venerunt quæſtiones. I. Grundfeſte des H. Röm. Reichs *part. 3. c. 6. p.* 277. Wie die im Reichsabſchied de anno 1555. und etlichen nachfolgenden enthaltene heilſame Verordnungen / ſo die allgemeine Sicherheit und Beruhigung des Reichs bevorab wieder auswertige Gewalt betreffen / zur obſervantz und würcklichen effect zu bringen. Deinde in disquiſitionem vocatum : Ob und wie weit dieſelbige nach itzigem Reichszuſtand zu verbeſſern / oder mehr zu perfectioniren. Quem autem ſucceſſum omnis tum res ſortita ſit, enucleato ita oſtendit idem Autor der Grundfeſte: *d. loc.* Dieweil man im Angriff geſehen / daß ſolche wegen ihrer ſonderbahren Wichtig- und Weitleufftigkeit in ſo kurtzer Zeit nicht zuerledigen / noch alles was zu beſtändiger Einrichtung dieſes verfaß- und verſicherungs Wercks gehörig / in vollſtändige Richtigkeit zu ſetzen / hingegen gleichwohl die Sache auch nicht zu præcipitiren / viel weniger alles miteinander dißfals gar in Ungewißheit und fernerer Gefahr zu laſſen ; Als iſt es damahls weiter nicht kommen/dan das ſolche Executions-Ordnung zur gewiſſen Richtſchnur und Regul / wo nach ein oder ander Stand ſich in gemeiner Landesrettung und Abwendung aller Anſtöſſen zu richten hette / im Reichsabſchied *de anno* 1654. §. 178. *& ſeqq.* nochmahls beſtetiget / das übrige aber ad prorogata Comitia zu endlichen Schluß ausgeſetzet worden. Eandem in modernæ, quæ adhuc dum habetur, diætæ initiis iteratam denuo, ac reſuſcitatam fuiſſe deliberationem Acta & Relationes publicæ affatim teſtantur. Quippe conſultationem illam de præſenti quidem ſubſidio extorſit præſens ac urgens nuper neceſſitas belli contra Turcam. Quâ *de præſenti*, ut vocant, deliberatione finitâ, ulterius inibi deventum eſt ad ſubſidium *de futuro* : quomodo nimirum Germanicum Imperium à Turcæ machinationibus, omnibusq; exterorum molitionibus ſartum impoſterum tectumque ſervandum eſſet. *Quod Conf. Spreng all. l. deinde magis magiſque creſcente belli Turcici flamma abiit in ſecuritatis publicæ tractatus.*

§. IV. Apprimè autem è re Germaniæ futurum eſſet, ſi Moguntini Electoris, & aliorum conſilia de perpetuo in imperio alendo milite tum optato non deſtituta fuiſſent eventu. Quam enim tardè à quibusdam ſtatibus circulorum copiæ auxiliares mittantur, & quàm ægrè vel exiguus quidam militum manipulus, ſi improviſi præſertim Martis alea ingruat, ut plurimum inde cogatur, in propatulo non minus eſt, quam multis exemplis Germaniæ opprobroſum. Certè contingit ſæpe coire tandem, unde arceſſi poſſit, non exercitatum ſed imperitum militem, non domeſticum ſed externum, ut *Chriſtoph. Forſtn. Hypomn. Polit. 1. de ſtud. arm. p. 7. qui non eſt ſuæ Nationis optimus, ſed fex & purgamentum urbis ſuæ, protervus, otioſus, legum impatiens, impius, parentibus immorigerus, blaſphemus, maximus mulierum mœchus, aleator, & per mille alias flagitiorum ſpecies nobilitatus: cui neque boni intellectus, neque mali cura.* Nihil ſanè ad externam quidem reip. Germanicæ incolumitatem, nihil æquè ad tuendam ejus ſecuritatem faceret, quàm ſi ſolers, peritus, domeſticus fortiſſimorum ſanguine Teutonum prognatus præſtò ſemper eſſet miles, ac promus promptusque ſuſcipiendi ingruentis belli muniis jugiter adſtaret. Lectus quippe ac domeſticus miles mira habet virtutis incantamenta, certè maxima fortitudinis incitamenta, chariſſima pignora, Uxores, Liberos, Parentes, & his chariorem Patriam. *Quæ etiam ratio eſt*, teſte Forſtnero *dict. l. Conf. Ampliſſ. D. Conring. animad. Polit. ad Machiav. lib. de Princ. c. 12. ubi domeſtica, & peregrina militiæ commoda & incommoda graphicè perſtringit. Add. Piccart. Comment. in Ariſt. Polit. lib. 3. c. 13. cur apud veteres Germanos non caſus, aut fortuita conglobatio turmam aut cuneum faceret, ſed familiæ, & propinquitates, & in proximo pignora: unde fœminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium. Hi cuique ſanctiſſimi teſtes, hi maximi laudatores.* Gorgiam Thebanum legimus *apud Plutarch. in Pelop.* cohortem ex trecentis delectis viris inter ſe amantibus inſtituiſſe, quam ſacram appellavit. Ridet falſè ac contemptim habet imbellem, inexercitatam, ſubitòque coactam Pompejani militis manum Cæſar, dum hiſce illam exagitat. *Lucan. de bell. civil. lib. 1. verſ.* 311.

Veniat longa Dux pace ſolutus
Milite cum ſubito, partesque in bella togata
Marcellusq; loquax, & nomina vana Catones.

Equidem prudenter loquitur ac ſcitè illuſtris ille Baconus de Verulamio : *Serm. fid. all. l. p. m.* 138. *urbes munitæ, plena armamentaria, equorum propagines generoſæ, currus armati, elephanti, machinæ, atque tormenta bellica omnigena, & ſimilia, ſunt certè iſta nihil aliud quàm* Ovis induta pelle Leoninâ ; *niſi Gens ipſa ſtirpe ſua &*

ingenio

ingenio ſit fortis & militaris. Imò nec numerus ipſe copiarum multùm juvat, ubi milites imbelles ſunt, & ignavi: Rectè enim Virgilius.: Lupus numerum pecorum non curat.

V. Patet utique hinc Germanorum Reip. valde conſultum iri, ſi è cujuslibet civitatis juventute pars quædam lacertoſis artubus robuſta, & ad bellicas expeditiones inprimis apta ſeligeretur, quæ ad arma tractanda & opera gerenda militaria aſſiduò aſſuefieret, & in perpetuo exercitio pacis etiam tempore retineretur. Egregiè hanc inſimul in rem monet Ariſtoteles: *lib. 6. Polit. c. 7. Cum civium multitudo partim in Seniores, partim in juniores ſit diſtributa: faciendum id erit, ut ipſorum liberi adhuc adoleſcentes diſcant hæc levia & expedita munera, & ut poſtquam ex ephebis exceſſerint, ea ipſa munera ſubeant.* Tribus, Coloniæ, Socii Romanis olim inexhauſta erant bello materia. Civibus ipſis ab ipſis ſtatim adoleſcentiæ initiis vita omnis in armis verſabatur, honos omnis ab armis expectabatur. Nemo quippe honeſtiorum ad remp. accedere, aut Magiſtratus prenſare poterat, niſi decennium militiæ nomen ſuum dediſſet. In ipſa pace nullam domi quietem exercitia vel in Campo Martio vel in ipſis alibi caſtris aſſidua indulgebant. Hoc ipſo ſanè prohibetur, ne civium animi emolliantur, ac otio ignavo (quo etiam maximè generoſa pectora, non ſecus ac ferrum rubigine exeditur, contrita ac fracta ſæpius eſſe conſtat) torpeſcant, neve dum hi reip. defendendæ impares evadant, peregrinorum vel fidei, vel infidelitati credendum ſit. Alexander Magnanimus ille ac prudens bellandi artifex, in Reginne Satra aliquantillum temporis commorans, *ne Curt. lib. 5. c. 2. deſides otio demitterent animos, judices dedit, præmiaque propoſuit de virtute militari certantibus.* Certè quidem *Veget. c. 26. paucos viros fortes natura fecit, bona inſtitutione plures reddit induſtria.* Illam verò hodie apud Germanos non languere modo ac neglectim haberi, ſed obiiſſe omnimodo queritur Lipſius *lib. 5. c. 13. p. 232.* in ſua civili prudentia, repetendamque ex priſcis Romanorum inſtitutis ſummopere ſuadet. Sanè ad reducendam & priſtinam, ad inſtar Romanæ conſuetudinis, reſtituendam nitori militarem inſtitutionem non parùm utique conferret, ſi ignobiliores illæ, & quæ ſuapte ſponte in Germania jamjam videntur exſpiraturæ, Academiæ in militarem verterentur uſum. Diu enim eſt, quod hujusmodi militares Palæſtræ, quarum inſtar in Batavis Hagæ Comitis obſervatum fuit, efflictim deſideratæ à multis ſunt. Dudum inſuper aliquam multis Viris prudentibus improbatum eſt, ſacras Minervæ ædes cuique patulas eſſe, omnesque promiſcuè ac nullo habito diſcrimine ad ingenuarum & liberalium artium ſtudia admitti. Enimvero emolliunt, enervant, ac effæminatoant plurimum hominum animos reddunt literæ, certè mitiores & molliores eos efficiunt, quàm aſperioris indoles Bellonæ permittit. Inde eſt, quod Deorum Dearumque Figuli Poetæ negant, pavidis Muſis cum animoſo ac feroci Marte Contubernium eſſe poſſe. Martis quippe pullis *Beſold. in Politicis, ex Epiſt. P. Aretin. Guicciard. 9. acies ſchola eſt, exercitus Diſcipuli arma penna, quæ tincta hoſtili ſanguine hiſtorias ſcribunt in carne. Unde neceſſe eſt revolvere & notare ſic geſta in bello, non in Muſeo.* Abhorrent verò ab armis, ſtrepitum omnem caſtrenſem reformidantes molles illi ac delicati Muſarum alumni, dum vix unquam militiam in pariete pictam oculis viderunt. Theoreticas artes, & ſedentaria literarum ſtudia frangere ac emaſculare hominum animos etiam Turcis notum nimis eſt. Hinc de Mahometis inſtituto, quod ab illuſtri, ac infinities celebrato Romanorum exemplo proximè abeſt, literarum monumentis ita conſignavit Pierre Matthieu: *lib. 4. narr. 3. §. 6. Comme les Macedoniens rapportoyent toutes leurs loix à l'art militaire, de mémes Mahomet n'a fondé ſon Empire, que ſur la force des armes, & la perfection de la ſcience de la guerre. C'eſt pourquoy il n'en veut point d'autre en ſes états, eſtimant que la doctrine des ſpeculations, & tout ce qui ne ſe rapporte aux Mechaniques, affoiblit le courage, & apprend plûtôt à reculer ſa vie des coups, & de dangers, que d'en approcher. Tous leurs exercices regardoyent la force, & la vigueur du corps. Les mémes inſtrumens qui les conduiſoyent aux batailles, les menent aux épouſailles & aux feſtins. C'eſt pour cela, que Sultan Solyman renvoya au Roy François I. les Muſiciens qu'il luy avoit envoyés, fit brûler leurs inſtrumens, afin que ſon peuple ne ſe laiſſât prendre le courage par l'oreille, & ne s'amuſât à des exercices éloignés de l'horreur, & de l'aſpreté des armes.*

VI. Reviviſcant igitur in Germania bellicæ artes, inſtituantur Academiæ militares, adornetus Armatura perpetua, atque adeo revocato priſco Romanorum more *Tacit. lib. 12. Annal. Forſtn. not. ad Tac. lib. 4. Annal. Eorund. exerceantur legiones etiam ſine bello cura ac proviſu agere, perinde ac ſi hoſtis ingruat*, & ſtabilis, ſecura, & tuta ab omni exterorum convulſione erit Reſpubl. Verum enim vero video mihi meticuloſos hîc complures audire, qui armorum tractationem civibus commiſſam minus tutam clamitent, militiam continuam ceu rem à periculo neutiquam vacuam neſcio quâ fervidâ animorum contentione improbatum, quin & manibus pedibusque rejectum eant. Aſſerunt hi ipſi populo potenti, & bellicoſo imperare difficillimum eſſe, ac maximè arduo eum diſcrimine conjunctum; Legibus Romanis privatis armorum uſum interdictum: & hoc non tuendæ civium modo ſaluti utiliſſimum, ſed & bellorum civilium, quæ aliàs res illa ſecum ferre, ac parturire ſolita ſit, curandorum medicinam cenſeri. Atat quicquid hi timiduſculi obſtrepant, tanti tamen non eſt, ut ipſorum formido nos eaſdem in partes trahere ſuſtineat, tantùm abeſt, ut ultro ac lubentes pavidam nimis illam in ſententiam conceſſuri ſimus. Etenim *non metuendum eſt*, inquit Mæcenas in conſultatione de Republ. ordinanda ad Auguſtum *apud Dionem Caſſium lib. 52. ne quis in militaribus exercitiis educatus, inſtitutuſque conſilium convellendi ſtatus publici ſit initurus, cum id à diſciplina nulla formatis, & flagitioſis timendum*

ſit, qui verò rectè educati ſunt, cùm alium nullum injuriâ afficere, tum minimè omnium eum volunt, qui ipſis educationis hujus & diſciplinæ auctor fuit. Quòd ſi autem malè feriati quidam, ac degeneres exiſtant, qui in Patriæ perniciem, Catilinario affectu abrepti res novas moliri geſtiant, cavendum erit, ne eò, quo anhelant, aſpirare poſſint. Faciet huc inter alia, ſi certo *Machiav. lib. 1. de arte milit.* ac ſtato tempore legiones prudenter mutentur, nec exſpectetur, donec convaleſcentibus viribus vitia ſuccreſcant. Haud etiam parùm militaribus copiis intra officii limites continendis expediet, ſi juſta locorum intercapedine diſcernantur, ne vitiis aut viribus miſceantur, neu in unum conſpirare valeant. Quare atrociſſimis illis æquè ac perturbatiſſimis poſt Neronis fata temporibus *non alias legiones innocentius egiſſe* atteſtatur Tacitus, *libr. 1. Hiſtor. quam Britannicas, quod procul, & Oceano ab aliis diviſa erant.* Legimus quoque *ap. Tac. in Germ. add. Forſtn. Hypomn. Polit. 1. apud Suiones, Germaniæ populum, ne otioſa armatorum manus facilè laſciviret, arma non fuiſſe in promiſcuo uſu, ſed clauſa ſub cuſtode.* A qua cautione ſeu inſtituto nec hodie abhorrebit, ſi illud tormenti genus, quo noſtri mores frequentiſſime utuntur, quodque bombarda vocari conſuevit, ſingulis quidem militaturis concedatur, nitrati tamen pulveris & plumbi, quorum duûm adminiculo machina illa feralis exploditur, certus modus certis temporibus diſtribuatur. Quoad Duces verò militares, quos pacis etiam tempore, quanquam domi minori cum poteſtate habere conſultum eſt, magna adhibenda inprimis cautio eſt, quò tales eligantur, qui non prudentiâ ſolùm, & bellicâ arte inſignes, ſed & præſentis Reipubl. ſtatus amantes ſint. Illos autem *Machiav. lib. 1. de arte milit. qui bellum pro ſcopo habent, qui pacem exauctoramentum rentur*, ſuſpectos omnino Principibus eſſe convenit. Si quid inſuper Reipubl. Germanicæ Statibus cavendum, certè illud vel in primis eſt, ne ſolius Imperatoris nutui, aut unius Principis arbitrio rei bellicæ cura & adminiſtratio, militiæque robur committatur, neve exercitus Imperii ab hoc vel iſto ceu unico Dictatore dependeat: Magna *Nov. 102. in princ.* enim in Republ. eſt poteſtas eorum, qui arma tractant: quippe Ariſtotelis judicio: *lib. 7. Polit. c. 9. Penes quos armorum eſt arbitrium, penes eos ſumma eſt Reipubl. eorundem arbitratu manet & non manet Reipubl. forma.* Hinc *Warem. ab Erenb. part. 1. de fœder. c. 2. n. 30. & ſeqq.* etiam eſt, quod jus creandi ſupremum belli Ducem, non ſecus ac ipſam belli gerendi poteſtatem, ſibi reſervârit Imperium. Sanè olim etiam, cum adhuc obtineret Regimentum, abſque eius expreſſa voluntate & mandato Dux Imperii Generalis nullam expeditionem ſuſcipere, neminem hoſtico more adoriri potis fuit. *Rec. Imp. de anno* 1500. *tit.* der Hauptman ſol ohn befechl ꝛc. Sol niemand überziehen / und keinen Krieg fürnehmen / es ſey denn zuvor durch Uns (Imperator namque Ordinarius Regimenti Præſes fuit) oder den / ſo an unſer Stadt ſitzen wird / und des Reichs Regenten zu thun befohlen. Præterea quo huiusmodi Dux Imperii mandata impenſius obſervet, ac ob oculos habeat religioſius, certi illi adjungendi ſunt Conſiliarii rerum bellicarum gnari, quorum communicato conſilio, & exploratis votis omnia ipſi incumbant peragenda. Hac etiam ratione non eſt adeo reformidanda officii Ducalis continuatio, quæ Reipubl. aliàs nociva ſæpe exiſtit, ac detrimentoſa. Id quod tum metuendum venit, cum nimis laxa nihilque reſtricta ſit commiſſa poteſtas, ſicuti fuit antiquitus apud Romanos Dictatura, ſed cum certis juſtisque cancellis illa circumſcribitur, nihil apparet periculi, Rempubl. hinc in diſcrimen adductum iri. Ne verò Adiuncti iſti cum ipſo Duce rem de compoſito gerant, indubiè quidem prodetit, ut hi certo tempore officio defuncti ſucceſſores rei militaris æquè peritos accipiant, poteſtatem Ducis ad ſalutem Reipubl. identidem contemperaturos. Hæ & id genus aliæ cautiones ſi obſerventur, aſſiduam militiam Germaniæ ſummè fore proficuam, ſatis videbor tutò aſſeruiſſe. Sed inſuper non erunt fortaſſe nulli, qui nimios cauſati ſumptus perpetuam militiam ejerent. Quibus, cum vel ſolùm ſecuritatis civilis (quam in parati ac exercitati militis præſidio ſitam potiſſimum eſſe nemo negabit, niſi qui hodierni genium ac mores ſeculi ignoret) ſchema ſatisfacere ac longè aliud ſuadere poſſit, oppono inſimul auctoritatem Baconi de Verulamio: *Serm. fidel. 29. de prof. fin. Imp. p. 150. Exercitus Veteranus perpetuo tanquam ſub vexillis habitus, etſi res ſit magni procul dubio ſumptus & impenſæ; attamen eiuſmodi eſt, ut ſtatui alicui quaſi arbitrium rerum inter vicinos, aut ſaltem plurimum exiſtimationis ad omnia conferat.*

SECTIO III.

Alterum indicat medium externum, quod eſt ærarii ad bellicos uſus adhibendi adornatio, commonſtratis utique remediis, quibus illud inſtitui, aut locupletari poſſit.

I. QVia *facile eſt*, teſte Machiavello, *lib. 2. diſput. de rep. ſub init. cap. 10. p. 256. cuique bellum movere: at non quisque conficere poteſt id, quod movit: idcirco decet, ut vires noſtras rectâ ratione metiamur, antequam expeditionem aliquam ſuſcipiamus.* Media ſunt in antecesſum paranda, & quid valeant humeri, quid ferre recuſent, prius pernoſcendum, quam lubricam dubii Martis aleam prenſemus. Secus ſi fiat, & neceſſario maximè apparatu inſuper habito cæco nos impetu præcipites agi patiamur, nihil quidem initiò licet videatur arduum, nihil non pervium, poſtmodum tamen incurrimus demum, quæ antè animadverſa non fuerunt, incommoda. Adeoque inſulſum illud & frigidum *non putâram* ingeminare neceſſe habemus. *Omnia fere bella* aſſerente Didaco Saavedra *Symb. Polit. 81. p. 644. evitari*, certè verò felicius expediri poſſent, *ſi mox ab initio fines eorundem & media expenderentur. Priusquam ſuſcipiantur, oportet ut princ*-

cept

ceps vires ſuas exploratas habeat, tum offenſivas tum defenſivas, in illis ſua conſtitutionem. duces quos illi poſſit præficere, ærariorum ſuorum facultates, quantum ſubſidii pecuniarii ſperare queat à ſubditis, utrum eorundem fidelitas in fortuna adverſa conſtans permanſura ſit nec ne. Plura ſunt, quæ ante diffi-illimum hoc & graviſſimi plenum periculi inſtitutum in conſultationem venire opus eſt. Quæ autem iſta ſint, ex aureo illo & nunquam ſatis commendando laudati Autoris ſymbolo latius *Conſ. Nobiliſſ. Dn. Conring. lib. de civil. prud. c. 12. p. 242.* videre eſt; cum hic in medium afferre omnia, ab inſtituto alienius nonnihil videri poſſit. Levi brachio nunc ſaltem hic deliberationem de ærario bellico ritè inſtituendo attingere lubet. Illius neceſſitatem rei nervosè innuit Cerialis Treviros ita alloquens: *apud Tacit. lib. 4. Hiſtor. Add. Nov. 149. c. 2. Nos quanquam toties laceſſiti, jure victoriæ id ſolum vobis addidimus: Nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.*

II. Verum autem in pecunia nervus belli rectè collocetur, multi diſputant, & in diverſas diverſi abeunt ſententias. *Illud magis tritum quàm verum eſſe* aſtruit *Serm. fidel. 29. p. 140.* Franciſcus Baconus *quod nervus belli ſint pecunia. Rectè enim Crœſo oſtentanti aurum reſpondit Solon. At ſi quis (ô Rex) venerit, qui melius quàm tu ferrum geſtat, illi profectò totum hoc cedet aurum.* Hanc itidem ſententiam, pecuniam eſſe nervum belli, ætatis ſuæ omnes Principes in ore habuiſſe fatetur Machiavelius, ſed non, uti ipſi quidem videtur, ſapienter: *Veneti,* inquit ille, *lib. 2. de rep. c. 10. p. 257. & ſeq. Add. Beſold. de I. B. c. 4. n. 2. ibique allegata, qui pecuniam belli nervum enervant; ante paucos annos cùm ingentes theſauros cumulâſſent, ſtatim univerſam ditionem perdiderunt, nil adjuvante vel ære vel argento. Contra communem ergo vulgi opinionem pronuncio: non pecuniam ſed militum virtutem eſſe nervum belli. Neque aurum ſufficere ad ſtrenuos milites comparandos: ſed per hos aurum & argentum conſervari & comparari poſſe.* Veruntamen hoc Machiavelli, ejuſque aſſeclarum dogma abſurditatis robuſtioris arguit non nemo, *Vid. Waremund. de Erenberg meditam. de fœder. c. 2.* negans ullam unquam fore remp. quæ, ſi pecuniâ deficiatur, nec habeat unde milites honeſtè ali poſſint, ſtrenuâ potitura ſit militantium manu. Iactantius ſanè quàm verius Carolus V. dixiſſe perhibetur, ope & auxilio robuſti & non inſtrenui militis ingentem opum ac pecuniæ vim facilè cogi poſſe: Quid enim? ſi hoſtis nullus ſit, aut etiamſi ſit, parùm tamen poſſideat ipſe, adeoque regionibus exteris jam tum devaſtatis nihil ſuperſit, quod ſubtrahi ac eripi poſſit. Toties igitur ad ærarium proprium ceu ad ſacram confugiendum eſt anchoram. *Conſ. Autor* der Grundfeſte des H. Röm. Reichs *part. 3. c. 4. p. 332. Ea* quippe *vires tutiſſimæ & certiſſimæ ſunt, quæ propriæ: Quod enim habes, tuum eſt,* inquit Satyricus; *quod aliunde exſpectas, non tuum, ſed in arbitrio alterius,* ſeu in manu eſt victoriæ, quæ anceps ut plurimum ac ambigua eſt, quo inclinatura ſit. Patet hinc & apparet, illud, quod olim à Dione in Veſpaſiano dictum, *Nervos belli pecuniam eſſe,* non adeo fruſtra in triviale hodie abiiſſe proverbium, ſeu quod eodem recidit, *ærarium reip. nervos* non incongruè à Floro *lib. 3. c. 13. add. Mucian. apud Dionem in Veſpaſ.* florido illo Livii Epitomatore appellari, non inconcinnè à Iuſto Lipſio *in Doctr. civil. lib. 5. c. 6. n. 6. ſpiritum ejus vitalem* vocari. Quicquam tamen ſit, diſtinctionis temperamento lis omnis videtur quàm optimè ſopiri poſſe. Si quando enim cum reip. moribus ac legibus ita ſit comparatum, ut copioſum ſatis militem è civibus, qui gratis & nullo merere ſtipendio teneantur, habere liceat (quod de primâ reip. Rom. ætate Livius *lib. 8.* teſtatur, aſſerens, civibus dedecori fuiſſe verſum, mercede militare) negantium opinioni hactenus adſtipulari tutò quis poteſt, ut tamen pecuniam ad alia coemenda in bello ejusmodi civitatis non minus ſtatuat neceſſariam, ac alimenta corpori viventi. Sin verò ad noſtri mores temporis rem hanc exigere lubeat (ubi nemo temerè ſuis impenſis militare velit, quos etiam mores in plerisque rebusp. antiquitus jam obtinuiſſe teſtis eſt exceptione omni major *lib. 1.* Paulus) affirmanti tenaciſſimè inhæreo ſententiæ, voce tamen *nervi* cum mica ſalis explicata, ne ſcil. ipſi milites pecuniæ poſtponantur. Enimvero quemadmodum ſine nervis homines ambulare haud poſſunt, ſic nec imperia ſtare, nec bella procedere ſine opibus poſſe exiſtimârim. *Abſque iis quæ ſunt neceſſaria nec vivi, ne dicam bene & quemadmodum oportet vivi poſſe* rectè judicat Ariſtoteles *1. ad Corinth. 9. verſ. 7. add. Iſocr. in Areopag. ſub fin. Demoſth. in Olynth. Philipp. 1. itemque Bornit. de ærar. redit. lib. 1. c. 1.* Turbulenta verò Reipubl. tempeſtate fortitudinem ac prudentiam juxta militarem nihil apparatu bellico magìs neceſſarium, nihil utilius; Requiruntur enim hic non tantùm conſilia, ſed etiam corpora virorum, armorum robora, valida locorum munimenta & pabuli frumentique commeatus. At hæc omnia & ſingula non niſi magnâ opum vi comparari, nedum conſervari & contineri poſſunt. Et næ cumprimis argenti poſſideas pondera, ſi non milite lecto & domeſtico, ſed conductitio & peregrino uti neceſſum habeas. Huius namque manus oculatæ ſunt, credunt quod vident. Adeoque ſi furtis, rapinis aut denique fuga ſit prohibendus, ſtipendia ei ſtato ſemper tempore oportet perſolvantur. *Moreſa Eryc. Putean. de ſtipend. milit. c. 25. in fin. itemque ſcip. Amirat. l. 1. diſcurſ. polit. in Tac. c. 11. ſanè merces ſeditionis mater eſt; ſeditio progreſſum omnem militia impedit, quia ante omnia diſciplinam ſolvit, ſubvertit victoriam, & è milite hoſtem facit.* Opes proinde ac divitiæ ſunt, quæ ſummum ad potentiam Reipubl. afferunt momentum; quæ illis vel ut ſubſidiis certè acquieſcit. Si fœdera & ſocietates foris quærendæ ſunt, pecunia conciliat. Si hoſtis invadendus, pecunia armis non decus modo ſed & robur comparat: ipſisque armis fortius ſæpe in animos pugnat. More ſuo eleganter æquè ac prudenter hanc in rem loquitur Saavedra *Symb. Polit. 49. p. 561. Brachia Rerumpubl. arma ſunt: ſanguis earundem & ſpiritus theſauri; quod ſi*

ſi armis robur tribuant, nec viciſſim theſauros tueantur, ac foveant, imbelles tacebunt Reſpubl. & rapina violentiaque omnium erunt expoſita.

III. Inde conſtat omnino ad militiam inſtituendam ac adornandam perpetuam neceſſarium utique eſſe ærarium bellicum, quod certis quibuſdam reditibus, qui in alios uſus non impendendi, dotari oporteat. Eaque propter & Germanica Reſpubl. utpote cui militem perpetuum alendum eſſe proximè ſuperiori ſectione ſatis jam, ni me omnia fallunt, probavi, valde ſibi conſuleret, ſi *Vid. Sueton. in Auguſto. Tacit. lib. 1. Annal.* Auguſti exemplum imitatura militare inſtitueret ærarium, quo perpetuo & ſine difficultate ſumptus ad bellicos uſus ſuppeterent, ac præſtò eſſent. Verum prope eſt, ut querelâ, quâ ſuæ olim Reipubl. mores perſtrinxit *De rep. lib. 2. c. 4. p. 420.* Machiavellus, liceat nunc Germanis uti. *Cum tam multa populus Rom. domi militiaque præclarè inſtituerit, & ad augendam & ad conſervandam Rempubl. ſalutaria, quæ à noſtris hominibus nec conſiderantur, nec ad imitandum proponuntur, mirum nemini videri debet, ſi eò res noſtra in Italia redierunt, ut præda ſimus cuicunque, qui nos invadit.* Certè una quaſi fidelia multi dealbari poſſent parietes, ſi ærarium perpetuum & par ſuſtentando ejusmodi exercitui, qualem alere neceſſarium ordinibus viſum fuerit, inſtitui ac adornari contingeret. Ceſſarent quippe tum intempeſtivæ ſtatuum querelæ de conferendis tempore bellicæ neceſſitatis tributis, nihil adeo opus amplius foret toties repetitis adverſus moroſos executionum legibus, quin ſexcentis aliis incommodis obviam itum foret. Cautum utique jam eſſet, ut rebus optimè ac tempeſtivè gerendis publica ne deeſſet pecunia. Contrà verò hodie, cum bellum aliquod ſuſcipiendum venit, permultum temporis effluit, donicum Caſſæ Circulares accipiant, unde militem alere, unde alia belli neceſſaria ſuppeditare poſſint. Interea hoſtis tempore uti, unum atque alterum ſortalitium ſubigere poterit. Quin verendum erit, ne quando hac fretus oportunitate, alienâque adjutus ſegnitie ipſa Imperii viſcera intret.. Enimvero affatim ſuppetit Germaniæ, quòd eroget, & ad militares uſus conferat, modò rectè imponatur, & diſtribuatur. *Num quid cenſes*, inquit nonnemo, *Ioh. Theod. Sprenger. in ſua lucerna c. 12. Germaniam triplici Galliâ majorem? Gallia à Sleidano ad 100000. parochias æſtimata, & tantùm ad minimum parochiarum Imperium habere. Æſtima ſolùm unam parochiam pro ſumendo & ſuſtentando uno milite, & habebis centum mille.* Imò convertamus oculos ad Suecorum Regnum, & cum eo Germaniæ vires contendamus, ecquis diffitebitur, illud multimodis impar eſſe, atque inferius? nihilo tamen impeditius Sueci non perpetuis modò militibus inſtructi, ſed & oneri iſti pares deprehenduntur. Quippe ni quoque in Germania publico illud nomine imitari integrum ſit? Ante tricennale illud bellum ſi vel modica collecta erat indicenda, quilibet cœlum terramque querelis miſcebat, quilibet ſe ad extremam egeſtatis lineam redactum iri clamitabat, quin & omnimodam crepitabat impoſſibilitatem. At iſto atro lapillo notando bello factum, ut vires, opesque quas flórente Imperio ignorabat fortean, jam perſpexerit Germania; & continuis maximiſque tributis non imparem ſe deprehenderet, quæ ad interrupta ac exigua frontem olim humerosque contrahebat. Sanè cum potentiæ tum opulentiæ Germanicæ documentum fuit magnum illud ac multiplex, & ſupra quam dici poteſt exitiabile bellum. Quod nec civile tantùm, aut ſociale dixeris, nec civile tantum, aut ſociale dixeris, nec externum modò, ſed quoddam commune ex omnibus, & plus quàm bellum. Quo Germania non tam in Europâ, quàm in Germaniâ Europa certâſſe cenſenda eſt, incertum pro ea, an contra eam. Enim vero ſi quidem in fatis fuit, ut potiſſima, fortiſſimaque terrarum pars in unum bellum, quò ſuas experiretur vires, concurreret, prope eſt, ut quis dicat, ferali huic ſcenæ, non debuiſſe aliud theatrum ſtatui, quam bellicoſiſſima omnium quod Natio daret.

Cæterùm eſto jam ſeorſim ſermo de remediis nonnullis, queis ærarium imperii ſtatibus ac ſubditis tolerabile inſtitui fortè poſſit, unde ſumptus in bellicos præſertim uſus capeſſendi forent. Superſedeo hic memorare illud, quod Goldaſto In den Politiſchen Reichshändeln/ *p. 561. & ſeqq.* in medium afferre lubuit, qui accuratum cenſus Imperii inſtituit calculum; ita tamen ut & monaſteria illi ſubjecerit. Peliam autem fortè lavet, qui à religioſis, avidiſſimis illis ac avariſſimis hominibus, illud impetrare contendat. Equidem ſi juxta conſuetum Imperii cenſum, qui vocatur Römerzug/ calculum ſubducere placeat, patet ex eodem Goldaſto *alleg. l. ut & p. 138. & ſeqq. Add. Spreng. Lucerna.12.p.561.* totum Imperium antehac 4000. equeſtris, 20000. pedeſtris armaturæ exhibuiſſe. Hic equitatus & peditatus quantum ad ſui ſuſtentationem per menſem requirant itidem recenſet Goldaſtus. Quamvis noſtrâ ætate, ut alia multa, multis auctibus adoleverint ſtipendia, ait ut calculus iſte Goldaſtanus parcæ ac reſtrictæ antiquitati magìs, quàm noſtris moribus conveniat. Ad hæc Menſem iſtum Romanum adeo numeroſæ militum manui comparandæ neutiquam ſufficientem amplius eſſe in proxime ſuperiori bello Hungarico compertum ſatis fuit; ut adeo ad alia adminicula, ac ſubſidia confugere neceſſe ſit. Primum proinde remedium ordinarii ac perpetui ærarii adornandi in moderata quadam contributione collocandum eſſe exiſtimem. Ne verò iſta contributio, ſit ut moderamine quodam temperata, toti imperio ſubleſta annuatim accideret, ecce aliud conſilium! Conſtat in denos imperium diſtinctum eſſe Circulos. Ex his ſingulis annis ſaltem unus, aut fortè ſi quando urgens neceſſitas peteret, duo, & ſic deinceps poſteris annis reliqui teſſeram illam tributariam in medium poſſent conferre. Hac ratione intra ſatis longum intervallum ſinguguli hac contribuendi moleſtiâ afficerentur. Neminem autem fore crediderim, qui adeo modicum onus evidentiſſimo reip. ac communis ſalutis commodo ſubire detrectaret. Pridem quippe eſt, ceu modò dixi, quod in

hac

hac bellorum intemperie Germani æquo ac defæcato animo didicerint contribuere. Certè verò qui per crudeles tribulationes medios inter armorum ſtrepitus, nulla ipſis ſecuritate præſtitâ, multa auri argentique pondo congerere coacti fuerunt, moderata tributa pro rata omnes & ſinguli lubentes perpetim conferent: modo alto ipſis otio ac ſecurâ pace potiri & ſui liceat. Ne quis autem putet, iſtud remedium parùm utique utile ærario extruendo futurum, duo velim perpendat, primò non illam alternantem ordinariam ac mediocrem contributionem attendendam tantummodo eſſe, ſed hanc cum reliquis, quæ mox adducam, mediis jungendam. Deinde ponderandum, non ſemper Imperium bello flagraturum eſſe. Pacis verò tempore perpetuitas illa ſumptuum adhibitâ moderatione ſtipendij militaris tolerabilior exiſtet: Quando enim milites non parem operam navant, pariaque pro rep. ſubeunt diſcrimina, æquitati inſimul inconſentaneum haud eſt, ut Duces, Præfecti, Officiales, & quicunque ex proletariis non ſimilem exſpectent remunerationem, ſed æſtuante quidem bello ampliori, inter togam verò reſtrictiori ſtipendio mactentur. Antè autem quam ab hoc remedio diſcedam, illud addendum venit, moderatam illam ſummam, quæ quotannis eſſet contribuenda, univerſo Comitiorum placito pro temporis ratione definiendam eſſe, niſi forſitan taxationi Receſſus Imperij de anno 1542. §. 51. und nemblich ſollen alle und jede &c. inſiſtere, ac de ſingulis centenis florenis dimidium florenum, de mille florenis quinos florenos regulariter conferendos eſſe è re viſum foret.

IV. Alterum ærarij inſtituendi remedium ſuppeditabit indictio vectigalis publici per univerſum imperium. Quo de agitatum quondam jam eſſe diſertim perhibet Receſſus Imperij de anno 1524. §. 1. und erſtlich &c. At verò pariter ex eodem, difficultates non unas tum temporis ſubortas eſſe, quo minus res proſpero expeditoque gaviſa ſit ſucceſſu. Quicquid tamen ſit, tanti neque tum fuiſſe, neque hodie eſſe videntur obſtacula, ut ſaluberrimum, ac reipubl. oppido neceſſarium inſtitutum remorari poſſint debeantve. Quæ enim illud tenus hac ſufflaminârunt, tria omninò ſtatuenda eſſe putem. 1. quod ejuſmodi publicè indictum telonium Statuum Imperij vectigalibus detrimentoſum evaderet. Fieri quippe poſſet, ut quo loco illud erigeretur, mercatores abſtinerent, nec amplius mercandi causâ commearent, indeque ad locorum dominos, qui ex his mercantilibus negotiis ac contractibus ſua ſentire conſueverunt commoda, damnum redundaret. Imò 2. metuendum videtur, negotiationes planè intermorituras eſſe, commercia penitus ſublatum, ſaltem vero mercium caritatem invectum iri. Propterea enim quod multis implicati eſſent teloniis mercatores, aut merces ſuas lucri conſueti ſectandi causâ carioris venderent, aut à mercatura omninò deſiſterent, quorum utrumque reip. commodo adverſum foret. 3. Difficultas inde petitur, quod tot conſtituendi eſſent vectigalium exactores, quot illa locis per univerſum Imperium imperata eſſent. Proinde moderatum aliquod, quod ſuprà ſtatui, telonium nequicquam videtur poſſe locum habere, ſed magnum & amplum admodum eſſe irrogandum. Secus enim deducta Exactorum, & Publicanorum mercede fruſtraneum illud exiturum, aut parùm certè hinc in ærarium deventurum eſſet. Ad ſingula ſeorſim erit reſpondendum. Primo loco adductam difficultatem elevat juſta publici telonij moderatio, quâ caveri poteſt, ne mercantilia negotia nimium graventur, neve adeo ſtatuum vectigalia imminuantur. Alterum illud dubium eſt bimembre. Vel enim metuendum ibi aſſeritur, ne exſpirent omnimodo commercia, vel, ne carioris vendantur merces. Prius illud neſcio an caſum dabilem contineat. Vix enim, imò dixerim, ne vix quidem continget, ut mercatores *genus hominum ſordidis etiam lucellis addictum, ac indocile pauperiem pati* mercaturam deſinant. Quin potiùs

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens per ſaxa, per ignes.

Quid ergo fugiet vectigal æquo moderamine indictum. Adde quod apud exteros nonnullos tot ac tam gravia reperiantur vectigalia, & tamen mercaturæ remoræ nihil adeo objici conſtet, quo minùs illa amplius exerceatur. Poſterius etiam caveri poſſet, ſiquidem mercatoribus, qui lucro ut plurimùm omnis inhiant, plus juſto non indulgeretur, ſed ipſorum inſatiabili cupiditati certi quidam ac legitimi modi ponerentur. Quòd ſi nihilo ſecius eventurum eſſet, tantillo precio commercia augeri, incommodo privato publica anteponenda erit utilitas. Locum hìc inſuper inveniat, quod ille apud Tacitum ait, *habere magna exempla aliquid ex iniquo*, reſpectu ſcil. habito ad ſingulos, *quod utilitate publicâ rependitur.* Ad ultimum regero, telonij illius exactionem, omnemque illam functionem publico nomine nonnullis injungendam, velut munus reip. gratuitum, quod nemini ſubterfugere fas ſit, ni perſonæ qualitas & conditio repugnet. Toti etiam imperio juramento arctiori obſtringendi eſſent, quibus id muneris demandari deberet. Quo autem omnes Spartam illam æquioribus humeris ſuſciperent, majori fide ac integritate obirent, eademque fidelitate tandem deponerent, Imperatoris, & imperij gratiâ expectanda ipſis eſſet. Contra ſi quos in delegato officio claudicare, adeoque ſuſpectæ fidei poſtulatos convinci contingeret, in eos, prout reatus commeruerit, animadvertendum, ac exemplum ſtatuendum foret.

V. Tertium ærarij locupletandi remedium deſumi poteſt ex bonis occaſione belli acquiſitis, quæ ut univerſali illi imperij Caſſæ addicantur, æquum ſanè videtur. Cum namque bellicos ſumptus illa ſufferre debeat, quippe ni ad illam viciſſim obventiones belli pertineant? Romani olim, ſi quando ex hoſte pinguem retulerint victoriam, ærarium ſuum ſemper nova quadam quaſi dotis acceſſione traduntur auxiſſe. Quin & proximè ſuperiori Turcico bello inter Imperatorem ac pleroſque Principes & Status Imperij Germanici conveniſſe dicitur, ut ſi quæ loca &

bona hoſti eriperentur, tanquam communibus viribus, ac impenſis parta partim univerſi eſſent imperij, partim Regni Hungarici. Quartum ærarij ditandi remedium exhibent feuda imperij vacantia, quorum annui reditus in ærarium eſſent inferendi; Quandoquidem & hodie nemini abſque conſentiente Electorum voluntate hujuſmodi feuda ad Imperium ſpectantia denuo concedenda, ſed publico Imperij bono integra relinquenda Leopoldina *art.* 30. wann auch *&c.* Capitulatio providè jam ſanxerit. Quintum remedium ſuggerent bona *vid. Capit. art.* 12. In deme *&c.* quæ imperio iniquo & illegitimo modo erepta, proindeque imperio iterum vindicanda. Hæc & id genus alia ærarij introducendi cauſâ pro re nata adhiberi poterunt remedia. Licèt autem nonnulla ex iis, quæ poſteriori allegavi loco, haud uſque adeo multum videantur conferre ad inſtaurandum ærarium, nihil tamen impedit de iis quoque incidenter diſſerere, quæ ea poſt facto proficua ſint, ac ærarium amplius efficiant, ac locupletius. Hujus commatis remedium & illud eſt, quod nonnemini *Excellentiſſ. D. Ioh. Uvolffgang. Textor. in re vera & varia rat. ſtat. Germ. Moder. tractatu acri judicio conſcripto.* ſtatuitur in reductione legis Vicеſimariæ Auguſti, ut videlicet ex hæreditariis obventionibus viceſimam partem univerſalis illa imperij Caſſa ſibi aſſereret. *Cum enim*, inquit ille, *tetiis ex contractibus aliisque cauſarum figuris Ordines Imperij ſua ſentiant ac ſibi vindicent commoda, quis invidebit juſtiſſima cauſa reip. ſi ad iſtos optimos fines particulam quandam minutiorem de privatorum hæreditatibus ſibi attribuat, ac ſingulorum defenſionis ſalutis & tranquillitatis ergo inferendam ſuo curet ærario.* Sanè tantùm quidem abeſt, ut dubitem, quin adeò modicam ex privatorum bonis ſummam in uſus reip. convertere liceat illis, qui imperij clavum tenent, ut etiam intrepidè ſtatuam, univerſa ſubditorum bona pro re nata ſupereminenti dominio ſubjacere. Equidem fruſtra hic ſunt, qui ſecius ſentientes hac ratione turbari contendunt quietas privatorum poſſeſſiones, dominia extingui, proprietates adimi, ac contra jus faſque in unum illum, ſeu uno plures iſtos, quibus reip. incumbit gubernaculum, abdicari. Etenim poſſeſſiones ac proprietates privatorum ſemper cum temperamento quodam, ſeu cum perpetua eaque tacita ſupereminentia dominij exceptione intelligendæ, ſiquidem non aliud ſalus atque Neceſſitas publica exigat; cum neceſſitas finis in civilibus jus conſtituat. Enim verò quemadmodum Phyſici duplicem naturæ intentionem univerſalem ſcil. & particularem ſtatuunt? quarum altera ad conſervationem individuitatum tendit, altera verò ad ſpecierum & imitandam æternitatem primæ cauſæ; ita quoque non ineptè gemina poteſtatis civilis ratio admittenda erit, ordinaria altera, altera extraordinaria, quarum illa tempore reip. libero, hæc verò neceſſitudine efflagitante contra jura ordinaria exercetur, perinde ut univerſalis naturæ intentio quandoque à communi ſerie deflectens ad corruptiones dilabitur, eâ fini, ut univerſum conſervetur. Sanè uti omnes res & actiones, quæ odium præ ſe ferunt, ac contra jus commune fiunt, quæque tertium aliquem lædunt, impediuntque res ſuas ad arbitrium ſuum adminiſtrare, temerè & ſine juſta cauſa faciendæ & concedendæ haud ſunt; ita contrà eæ ipſæ res tempore poſtulante, ac juſta cauſa utilitatis vel neceſſitatis exiſtente qualitates illas vitioſas exuunt, favorem induunt, nullamque reſipiſcunt iniquitatem adeoque omninò & neceſſariò admittendæ ac concedendæ ſunt. Id quod vel maximè in materia collectarum & contributionum obtinere dicendum eſt. Ecquid enim illis à parte ſolventium odioſius, quid ſubditorum animis ſæpè acerbius videtur, præcipuè ſi ad luxum vel res non neceſſarias, ſed ludicras, aleam puta, haſtiludia, Comœdias, Tragœdias, Ludos equeſtres, ignes lætificos, Convivia nimis ſplendido ac Perſico apparatu ſumptuoſa, ſaltus, quos Galli *les Balets* vocant, & hujuſmodi alia frivola crepundia, quæ nullum redolent uſum, impendi videant. Ecquid contrà iis ipſis favorabilius, ſi labaſcenti reipubl. iis ſubveniatur, qua alias pereunte omnes ſimul cum ipſa ſubditi perituri eſſent. Verùm de hac ærarij materia pro præſenti inſtituto ſatis mihi verborum videor feciſſe. Iam enim ad telam pertexendam ut tranſeam cum otium meum Academicum ad exiguos calculos nunc reducendum jubet, tum & aliorum ſtudiorum ratio ſuadet.

SECTIO IV.

Tertium medium indigitat externum, quod à fœderibus cum exteris Rebuſſ. circumſpectè ac cautè ineundis arceſſitur.

I. CONſideranti mihi, quæ ad Remp. Germanicam extrinſecus ſpectent, ultimo nunc loco occurrunt fœdera. Ut plurimum contingit, reſp. domi ſibi non ſufficere, ſive quod à neceſſariis, quæ peti aliunde debent, deſtitutæ ſint, ſive quod bello cum potentioribus nonnunquam implicitæ eſſe ament. Proinde foris etiam & alienis auxiliis ceu tibicinibus quibuſdam vel ſtabiliendæ vel ſublevandæ ſaltem ſunt: Id quod per fœdera obtineri potiſſimum poteſt. Tendit huc Richelius *Miniſt. l. 2. p. 285. & l. 1. p.* 39. fidus ille Galliæ quondam Miniſter, quemque nonnemo Galliæ Seianum vocat: *Il n'y a point de Prince, quelque puiſſant qu'il ſoit, à qui les Alliances defenſives ne ſoient tres utiles, & y en a peu, qui ſoient capables de ſubſiſter par eux-meſmes, & quand ils ſeroient aſſez forts pour ſe garentir ſeuls de leurs ennemis, ce ne pourroit toûjours étre, qu'avec danger & beaucoup de dommage dans leurs pays; au lieu que s'uniſſant par alliance avec d'autres, qui ſoient puiſſans, on ne penſe ſeulement pas à les attaquer. Et Dieu, qui a mis la couronne ſur la téte des plus puiſſans Monarques, les à établis dans une telle condition, qu'ils ont beſoin les uns des autres pour ſe maintenir.* Gemina his tradit Beſoldus *In ſynopſ. doctr. Pol. lib. 2. c. 11. Cum quælibet reſp. vel æmulos habeat vel inimicos, ac utcunque potens ſit, omnibus hiſce ſimul, temporeque omni*

reſiſtere

reſiſtere non queat, fœderatis adeoque cavere vix ullum imperium poteſt, pariter ut invenienda eſt vita privata, amicorum ſubſidio deſtituta. Hinc fœdera ſolent ad ſecuritatem in pace, ad auxilia in bello. Certè enim nemo provocare inſubide auſit eum, quem intelligit expeditum atque promptum ad reſiſtendum, nemo injuriam facere præſumat illi, quem non ſuis tantùm viribus, ſed & ſociorum auxiliis ad ſeſe defendendum & vindicandum paratum forè novit. Sanè quam prudenter VVaremundes ab Ehrenberg *Meditam. pro fœder. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 42. fœdera vocavit *arietes, quibus conſilia callida & conatus nefarii improborum adverſariorum deſtruuntur, evertuntur, & in nihilum rediguntur.* Cum namque multorum unita virtus validior ſit, ac imminenti hoſti non paulò formidoloſa magis, nullum teſte etiam Bodino *lib.* 5. *de rep. c.* 6. tuendæ ſalutis adverſus hoſtium impetus ferè majus eſt præceptum, quam aut potentiſſimum eſſe, aut cum potentiſſimis ſocietatem & amicitiam colere. Fœdera autem illo potiſſimum tempore oportet tempeſtivè ineantur, ſi quando à potentiori bellum aliquod, aut bellicæ tempeſtatis metus minus potenti vel eminus immineat. Id quod Ariſtoteles *in Rhet. ad Alexand. lib.* 2. *addit(am) c. ult.* Rectoribus rerumpubl. etiam atque etiam attendendum ſuadet.

11 Equidem Romanos olim ſummam, ſummèque providam fœderum conciliandorum rationem habuiſſe rerum Romanarum Secretarii literarum monumentis paſſim conſignant. Sic alios quoque populos, quantumcunque viribus & potentiâ valuerint, nihilo tamen ſecius arcto fœderum nexu multis ſe junxiſſe obvium oppidò eſt. Nec Turca hodie inſuper habet fœdera, quæ ipſi cum multis etiam iis, qui καθ' ἐξοχὴν Chriſtiani audire, & in Eccleſiæ gremio Primores ac coryphæi ſalutari geſtiunt, aut dudum interceſſerunt, aut etiamnum proh dolor! intercedunt, Gallos hactenus nihil penſi magis habuiſſe conſtat inter omnes (Idemque pandunt Rohanæus, ac aliquam multi alii) quam eorum omnium vel amicitiam reapſe prenſare, vel rationem ſtatus inſtruere, qui opulentam livoriſque plenam Hiſpanorum potentiam unâ cum ipſis reformidare, aut ſaltem ſuſpicari neceſſe habent. Contrà Hiſpani diverſis quaſi cuniculis actis, eorum ſibi animos ſociare, ac tenerrimè devincire æmula induſtria jugiter allaborant, qui Gallos ceu ſuſpectos habere ac inviſos viſi ſunt. Sic non Italiam modò, & quicquid finitimi ejus eſt tractus, ſed reliquarum etiam Nationum pleraſque per quam multa fœderum conſilia & vices bina iſta Regna per diu jam diſtraxerunt, ac quaſi à ſe invicem divulſerunt. Verùm lubet tranſire ad fœdera Imperii Germanici. Ut certè Germania perpetuò, quo de ſuprà ſermo fuit, milite ſtipata, ac ærario bellico inſtructa externæ opis non multùm indiga videtur, nec adeò de fœderibus cum exteris ineundis ſollicita admodum eſſe debet; ita contra ſuperſedere iis non ſatis tutò, nedum commodè poteſt, ſi præſens imperii ſtatus maneat, nec blandius ipſi ſidus affulgeat. Enim verò iſthæc Germanici Imperii moles illud hodie fatum experitur, ut ipſa ægrè ſibi adverſus quemcunque defendendæ par ſit. Cauſa primaria eſt ex inconcinna maleque digeſta reip. compage: *Conf. Acutiſſimus Italus, qui pronuper prodiit ſive vero ſive ficto nomine Severini de Monzambano p. m.* 176. Hominum enim quantumvis magna multitudo uno homine robuſtior non eſt, quamdiu quilibet ſibi ſoli tendit, ſibi fermè unicè velificat, omnemque aquam ad ſuum trahit molendinum. Sic in Imperio ſinguli ſuum ſectantur commodum, ſingulis peculiaris præfixa eſt ſtatus ratio, quam lynceis planè, ac teretortis intueantur oculis, in id incumbentes impenſè, ut provinciis ipſorum ac territoriis quam optimè ſit conſultum. Ea autem, quæ univerſi ſalutem imperii concernunt, vix paucorum intima tangunt præcordia, ſed de iis à pleriſque tepidiori contentione, ſeu gradu appetitus multo remiſſiori diſpicitur. Hinc eſt quod reſp. Germanica in ſe debilis ſit, adeoque ſuo ipſius præſidio diffidere, atque exterorum fœdera in ſubſidium adhibere neceſſe nonnunquam habeat. Nec ita pridem eſt, quod apud hodiernum Auguſtiſſimum Imperatorem Proceres Imperii de mittendis hoc nomine ad Exteros Reges Legatis urgentiſſimè inſtiterint. Nec inſtare deſitum eſt, antequam nonnullos Imperator de ſubſidiis mittendis interpellaverit. Quanti autem iſto proximè ſuperiori Turcico bello Imperii interfuerit, confœderatas exterorum copias præſtò fuiſſe, vel ille ad ſanctum Gotthardum conflictus, in quo magni momenti victoria Chriſtiano exercitui parta Gallicanis auxiliis accepta à pluriimis fertur, evidenter ſatis oſtendit. Equidem dubium non eſt, quin pro præſenti reip. facie fœdera cum exteris Imperio proficua, quin & neceſſaria propè ſint, modò juſta de cauſa, & quâ decet cautione ineantur. Verùm ut ſæpe fieri vulgò conſuevit, id ſolùm attendi quod ante pedes eſt, ita etiam Germania ſocia exterorum auxilia identidem non cogitat, antequam Hannibal portis approximet.

11. Cæterùm hujuſmodi fœdera quæ totam obligant remp. ab Imperatore aliter iniri nec poſſunt nec debent, quàm ſi accedat Electorum conſenſus & Statuum, quem quidem ad formam illius actus neceſſarium diſertim hodie requirit inſtrumentum Pacis Cæſareo-Suecicum art. 8. Sua itaque ſolius ſponte Imperator nullum Imperii fœdus ſancire potis erit; prout *Autor* der Grund-feſte des H. Röm. Reichs *p.* 3. *c.* 9. *pag.* 336. iſtam ſibi facultatem ingenti ſanè Evangelicorum Statuum damno partim vi, partim clam arrogâſſe, olim dicitur Carolus V. Quanquam & hodierni Imperatores reſpectu vel Regni Bohemiæ, vel Hungariæ, & hæreditariarum ditionum fœdus, *non ut Imperatores, ſed ut Reges vel Bohemiæ vel Hungariæ, & Archiduces Auſtriæ,* quod univerſale non ſit, nec totius Imperii ſalutem primariò ſpectet, contrahere poſſunt. Univerſalia autem iſta fœdera ad totius reip. commodum tendunt principaliter & ex deſtinatione quadam, *cou generatim de jure publ. aſtruit Schneidevvinus in comment. ad Inſt. de Iuſt. & Iur.* § *fin.* tametſi deinceps & cōſequenter ad ſingulorū quoq; ſtatuum incolumitatē ſpectent, utpote quæ cū univerſi imperii ſalute adeò arctè cohæret,

Addit.

Q

ut ſine hæc illa non retineri magis ſarta tectaque poſſit, quam toto corpore humano labe confecto, ac corrupto, ſingula ipſius membra bene ſe habere. Imò idem jus particularis fœderis cum extero quodam incundi licèt jam olim conſuetum, Ordinibus impertit inſtrumentum illud Pacis d. art. Equidem particulare in Imperio Germanico eſſe affirmat *Vol. 1. Coll. Publ. de Stat. Rei Rom. diſp. 12. th. 3.* Iuſtus Sinolt Schütz, quòd & ſtatibus fœderis pangendi jus competat. *In Gallia namque ac regnis aliis læſa Majeſtatis crimen habetur, ſi Duces aut Principes, imò & Regum filii inter ſe vel cum exteris fœdus ineant.* Et Bodinus *lib. 1. de rep. c. 7.* negat Ludovico Aureliorum Duci, qui à multis propudioſiſſimè affectus eſt calumniis, tandemque Lutetiæ interfectus, unquam acerbius quicquam exprobratum, quàm quòd fœdus cum Duce Lancaſtrio iniviſſet. Idem reſtatur Regem Hiſpaniæ omnibus in Imperio ſeverè interdixiſſe, ne inter ſe, nedum cum exteris fœdus percutiendum ſibi arrogent. Sed quid mirum eſt, in Imperio Germanorum aliud uſu venire, cum reip. forma, leges fundamentales, ſtatuum libertas, & jura ab aliis rebusp. toto differant cœlo. Ab omnibus, qui jure Majeſtatis vel ex conceſſione Principis, vel ex contractu vel ex privilegio gaudent, rectè fœdera poſſe iniri, communiter tradunt Dd. *ad. l. 7. ff. de captiv. & poſtlim. reverſ. Add. VVarem. ab Ehrenb. lib. 1. de fœder. c. x. n. 28.* Habere autem Principes & Status Germaniæ jura Majeſtatis certum omnino eſt. Et certè hoc ſibi jus ex antiquiſſimo libertatis ſtudio aſſeruerunt, & illibatum adhuc retinuerunt Imperii Status, ut non inter ſe tantùm, ſed cum exteris quoque fœdera icere integrum ipſis eſſet. Quod etiam absque facto ipſorum ac conſenſu nunquam illis eripi poteſt. Sanè legimus Imperii Status cum exteris fœdera multoties pepigiſſe. Quadraginta ſeptem vicibus Germaniæ Principes Galliæ Regibus nexu fœderum junctos fuiſſe teſtis eſt Bodinus *lib. 1. de rep. c. 9.* Similia adduci poſſint exempla repetita aliquot retro ſeculis memoria, ſi ſit opus, ſed ne opus ſit, efficit perpetuus noſtri etiam temporis uſus. Quin & liberis civitatibus Imperialibus vi jurisdictionis territorialis fœderis jus exercere licitum ſit, extra dubium ſtatuendum eſt. Imò *Vid. Nicol. Myler. de Iure Princ. & Stat. Imp. c. 17. n. 16, Dan. Otto de Iure Publ. c. 11. p. 277. Add. ad eund. Ottonis loc. Coll. MSm Dn. Taboris.* Nobilibus imperio immediatè obnoxiis idem conceſſum eſt. Verùm quoad nobilitatem immediatam diſtinctionem rectè adhibet Dn. Tabor *inter jus ortum & deductum ex ſpeciali quodam privilegio, & inter illud, quod oritur & dependet ex prærogativa ſtatuum.* Hoc longè ſublimiùs eſt, & latius patet; illud collegiis privilegiatis relinquitur, dum notitur, totum hoc ex arbitrio concedentis æſtimandum eſſe. Interim notandum, poſſe alicui collegio competere aliquid de jure territoriali, cui tamen ideo non ſtatim jus territoriale competit formaliter. Vnde in Inſtrumento Pacis tantùm Statibus conceditur fœdus libere inire. An autem civitatibus municipalibus fœderis pangendi poteſtas competat? & in hac quæſtione decidenda verba laudati Dn. Taboris *cit. l.* mea facio. *De illis res minus haberet dubii, cum omnino Regalibus & ſuperioritate territoriali careant, niſi Rahm Vid. Ichnographia municipalis de iure municipali contrarium aſſeruiſſet ex fœdere Hanſeatico deceptus, in quo plurima civitates municipales inveniuntur. Vt enim præteream diſtinctionem inter civitates ſimpliciter municipales, & mixtas, reſpondeo Hanſeaticas illas civitates non iure proprio fretas, ſed partim iure permiſſivo ac privilegiario, partim beneficio præſcriptionis munitas fuiſſe.* Adde fortaſſis easdem olim Principibus non eo modo ſubjectas, quo nunc ſunt, fuiſſe. Quam conjecturam in reſponſionis vicem ſuppeditat Limnæus. *Iur. Pub. lib. 7. c. 1. n. 79.* Nec eſt quod quis Knipſchildio *lib. 2. de iure civ. c. 23. n. 21. in f. Add. Carpzo de l. Reg. c. 6. ſect. 16. n. 20:* concedendum omnino putet, qui nimis generalem exceptionem proponit, licere civitatibus municipalibus fœdera & invitis dominis *ad ſui defenſionem* contrahere, pro fundanda iſta ſua opinione adducens Mynſingerum. *6. Obſerv. 2. n. 6.* & Magerum *de Advocatia c. 6. n. 292.* Etenim ut generalis iſta exceptio ſchema & prætextum præbere poteſt omnibus conſpirationibus, ita Mynſingerus non loquitur ſpecificè de civitatibus municipalibus, ſed de imperialibus, quæ Regalia habent. Conjungit enim ibi civitates & comparat cum Baronibus. Magerus autem hanc ſententiam inter rationes dubitandi *d. l.* contrariam verò opinionem ipſe defendit.

IV. Verùm quousque & cùm quibus Exteris fœdera in Imperio Germanico inſtituenda ſint, operoſius nonnihil erit diſpicere. Certè quia contingere de facili poſſet; ut in reip. detrimentum ſtatus nonnulli cum Exteris fœdus ſeu ligam, quæ vox ex Italica colonia in Latium tranſiit, fortè inirent, meritò ac ſumma providentia poteſtas illa fœderis contrahendi diſertis *art.* 8. inſtrumenti Pacis verbis ita temperata ac reſtricta legitur, ut ne eiusmodi fœdera ſint contra Imperatorem & Imperium, Pacemque eius publicam, vel tranſactionem inſtrumenti Pacis, fiant ſalvo per omnia juramento, quoquis Imperatori & Imperio obſtrictus eſt. Hinc quamvis expreſſis quandoque verbis Imperium & Imperator excepti non ſint, ipſo tamen jure excepti cenſentur. Satius tamen eſt, utrumque diſertim excipi, ad omnes, quas ſuboriri inter ipſos etiam fœderatos in proclivi foret, diſceptationes eluctandas. Imperium quidem perpetuò & indiſtinctè erit excipiendum, quandoquidem illi nullo non tempore obſtricti, almamque eius ſalutem nunquam non provehere tenentur: Nulla quippe juſta cauſa cuiquam eſſe unquam poteſt, arma adverſus Patriam capeſſendi, quia nulla cognatio propior eſſe poteſt, quàm Patriæ, in qua Parentes etiam continentur. Proinde nihil, quod ipſi vel exitium vel periculum afferre queat, aggredi debent, niſi in ſe ipſos injurii eſſe velint, corpus illud imperii, cuius ipſi membra ſunt, impio auſu labefactādo, ac

in ſua

in ſua ipſorummet viſcera hoſtili prorſus more ſæviendo. Nec ſanè juramentum fœderi appoſitum hujus iniquitatis poteſt eſſe vinculum. Imperatorem inſuper excipiendum eſſe dixi. Quod tamen cum civili temperamento accipiendum eſt; Si is nimirum poteſtate ſuâ haud ſecus, quàm Capitulares & fundamentales leges permittunt, utatur, ſi nihil contra religionem, nihil contra libertatem moliatur, ut dicebant Iohannes Fridericus Saxoniæ Elector & Philippus Haſſiæ Landgravius in ſcripto ſuo in Carolum V. edito *apud Thuan. lib. 7. Hiſtor. pag. 53.* Imò ipſum *Autor* der Grundfeſte des H. R. R. *Part. 3. cap. 9. p. 336.* Imperatorem nullum particulare fœdus, quod in nocumentum ſeu præjudicium vergeret Imperij, inire poſſe, videre cum primis eſt ex noviſſima Leopoldina Capitulatione, quâ Imperatori omne ſeu reip. Germanicæ noxium, ac Inſtrumento Pacis adverſum conceptis verbis ejerat, ac ſanctè promittit, illud à ſe nunquam tentatum iri. Quæſtio hic ſeſe offert, an ſtatus & Ordines Imperij in cauſa religionis fœdus cum exteris contra Imperatorem recte ineant defenſivè? Id quod primo intuitu negandum videtur, cum religionem armis defendi nolint plerique. Qua de re piè cecinit olim Hoſpitalius *Serm. lib. 6. ep. 12.*

——Quid multa piorum
Mors erit, aut impunè ferent tot denſa tyranni
Funera? quin imò gravior mox pœna ſequetur.
Aſpicit omnipotens cœlo Deus, & ſedet ultor
Tantorum ſcelerum. Noſtra eſt iniuria dixit.
Et dolor hic meus eſt, vindictam hanc ipſe recepi.

Equidem quoad meros ſubditos verum hoc eſt, quippe quibus id quidem licet, quod Aſinæ Bilaami, cui (ut Heros ille Haſſiacus elogio Magnanimi æquè ac nomine Philippi notus in oratione ad milites contra furioſos Anabaptiſtas dixiſſe *Vid. Sleid. lib. 5. de Stat. Rel.* fertur) licuit Domino ſuo dicere: *Num. 22. v. 28. Quid feci? Offendoris, ſi tuo meoque Domino de via diſcedo, & morem potius gero, quàm Tibi*; non autem violenter aliquid contra Bilaamum tentare: His enim armorum uſus eſt interdictus, ſique *Matth. 26. v. 52.* gladium ſumpſerint, gladio peribunt. Verùm quoad Status Imperij contraria ſententia multis cum exemplis receptior, tum & rationibus verior eſt. Sunt namque *Matth. Stephan. lib. 2. de juriſd. part. 1. cap. 7. num. 1.* illi non in partem modò curarum atque ſollicitudinis, ſed etiam poteſtatis aſſumpti, tum quoad totius imperij, tum quoad ditionum ſibi commiſſarum adminiſtrationem: Adeoque & ipſorum eſt, providere, ut Eccleſia defendatur. Idem utique ſatis ſuperque colligere datur ex arctiſſimo illo fœdere, Reichsabſch: zu Augſpurg *de anno* 1555. §. 31. Ferner verpflichten und verbinden ꝛc. quod conſtitutione pacis religioſæ inter ipſos ſtatus & Imperatorem ſanctum eſt; ubi Imperator & Ordines Imperij ſibi invicem adſtipulantur, ſe nulli contra pacis religioſæ conſtitutionem vim aut bellum illaturos, quocunque prætextu, nec à quoquam ſuorum apertè vel occultè fieri paſſuros. 2. Se iis, qui alius contra d. Pacis conſtitutionem læſerint vel offenderint, nec opera nec conſilio aſſuturos 3. Parti læſæ adverſus lædentem auxilium laturos. Cum itaque conſtet, in cauſa religionis licitum eſſe Statibus, ſe adverſus Imperatorem defendere, apparet *Add. omnino ad hanc quæſt. Dn. Daniel. Ottonis diſſertat. de I.P. cap. 11. p. 272. 273. & ſeqq. ibidemque Dn. Taboris Collegium MSm.* etiam hoc nomine fœdera cum exteris inita licita eſſe.

V. Num quid autem religionis diſſenſus in confœderatis, qui unum quidem eundemq; Deum, diverſo tamen, nec per omnia eodem cultu colunt, fœdera reddat illicita & injuſta, ad ſuperſtitionem religioſi dubij ſunt nonnulli? *Menoch. conſ. 99. n. 59. vol. 1. propterea quod confœderatorum unum cenſeatur corpus, & unus ſit cum eo ſpiritus, qui alteri adhæret.* Verum inſuper habitis ac ſequeſtratis rationibus, quibus inductus negativæ ſubſcribendum putem, ſaltem dico, fruſtra hodie omnimodum religionis conſenſum in Germania requiri, cum conſtitutio publica pacis religioſæ inter Pontificios & Auguſtanæ religioni addictos facta ſit, quæ alioquin everteretur, nec ſtare amplius poſſet. Huc pertinent ea, quæ Seldus Imperij Cancellarius graviter quondam ad Imperatorem Ferdinandum ſcripſit, quæ apud Dan. Ottonem *Diſſert. de I.P. cap. 11. p. 280. Add. Rumel. ad A.B. Diſſert. 4. c. 15. addit. an. 55.* legi poſſunt. Certè leves eos ac frivolos turbatores quis dicat, qui diverſa quædam dogmata profeſſos, in aliis verò articulis conſentientes fugiendos, damnandos, & anathemate feriendos eſſe principibus ſuis inſuſurrant. *Si iſtis Magiſtris ſumus creduli,* inquit *lib. 1. de fœder. c. 2. nu. 87.* Waremundus ab Ehrenberg, *quâ mente, quibus viribus, quo conſenſu contra Mahometam conjunctim pugnavimus?* Dubia magis magiſque intricata eſt quæſtio, utrum cum infidelibus, veluti Turcis, inita fœdera licita ſint & excuſari poſſint, nec ne? Ab utraque ſtant parte aliquam multi, utrinque valida, apparenter ſaltem, opponentes argumentorum robora, ut adeo anceps ſit, quò inclinatura ſit victoria. Nobiliſſimus Dn. Daniel Otto *alleg. l.* ſuſpensâ manu, quin & ſuſtento judicio quæſtionem hanc evolviſſe videtur, dum aliorum Autorum ſententias ſaltem adducit. Quibus *Add. Laudenſ. conſ. 71. Socinus conſ. 20. Bocer. in tractat. de Bell. & Duel. c. 6. num. 16. & ſeq.* affirmativa probatur, præcipuum ſententiæ ſuæ præſidium ac patrocinium collocant in jure naturæ, quod cognationem inter omnes homines conſtituiſſe, ac ita omnibus hominibus commune eſſe aſſerunt, ut religionis diſcrimen non admittat, neque differentiam agnoſcat fidelium & infidelium, adeoque perinde eſſe, per quos ſive Ethnicos, ſive Iudæos, ſive Chriſtianos vitam quis ſuam tueatur, cum defenſio ſit juris naturalis, omniſque expediendæ ſalutis honeſta ratio. Ius divinum inſuper tum vetus tum novum huic opinioni adſtipulari dicunt: illud enim multa nobis exhibet exempla. Cum impiis Sodomitis *Gen. 14. verſ. 13. & ſeq.* fœdus feriſſe, ac pro iis bellum inſimul geſſiſſe legitur Abrahamus. Nec non *lib. 1. Sam. cap. 27. verſ. 27. & ſeq.* David, qui

hoc acroama, vir ut diceretur ſecundum cor Dei, meritus eſt, cum Philiſtæorum Rege Achis adverſus Saulum fœdus pepigit. Inſequentium Regum nonnullis utut piiſſimis fœdera etiam vicinis cum gentibus ſuper commerciis, ſuper pace & bello, ſuper auxiliaribus armis interceſſiſſe ſanctæ paſſim loquuntur literæ. Nec Evangelii legem ejusmodi fœderibus obicem poſuiſſe contendūt: Exemplo enim ipſius Dei, qui ſolem *Matth. 5. v. 45.* oriri facit & bonis & malis, & pluvia utrosque humectat, patet, nullum hominum genus à beneficiis *add. l. 7. ff. de serv. exportand.* adeoque nec à fœderibus excludendum eſſe. Quod ſi namque iniquum non eſt prophanis benefacere, nihil equidem iniquitatis in ſe continet, opem illorum implorare. Hanc in rem adducunt exemplum Divi Apoſtoli, ac ipſius Chriſti: Quippe ille Centurionis auxilium invocâſſe, hic Samaritide fœminâ aquam accepiſſe legitur, cum tamen ad bonos mores omnibus præiviſſe & legis obſervantiſſimus fuiſſe cenſendus ſit. Præterea pro ſolidanda iſta ſententia ex jure civili, multas leges depromunt. Inprimis urgent l. 3. C. ad l. Corn. de Sicar. ubi dicitur, propriæ ſalutis defenſorem in nullo videri peccare. Hinc inferunt, neque Magiſtratum, ſi ſui & patriæ defendendæ cauſâ infidelis Turcæ ope utatur, in aliquo peccare, cùm magis patriæ quam propriæ ſalutis habenda ſit ratio. Deinde ex jure Canonico *remiſſionem, verſ. ſed notandum cauſ. 1. q. 1. c. ſicut, c. quando de conſecrat. diſt. 1. c. ad limina. cauſ. 30. q. 1. Add. Beat. Dn. Reinking. de Reg. ſecul. & Eccleſ. lib. 2. claſſ. 3. c. 3. n. 47.* textus aliquam multos à vi & efficacia neceſſitatis deſumptos cumulant, quibus ſuffulti aſtruunt, Neceſſitatis ſchemate fœdera infidelium licita fieri. Tandem ad mores, ac multa multorum exempla provocant. Venetos fœdus cum Turcicæ Imperatore Neapolitanum adverſus Regem pepigiſſe memorat Crantzius *in Vandal. lib. 13. c. 19.* & renovatum illud teſtatur. Waremundus ab Ehrenberg *lib. 1. de fœder. c. 2. n. 46.* Quid quod Pontifex ipſe (aliis ut recenſendis exemplis ſuperſedeam) ſanctus ille Dei Vicarius *Comin. lib. 7. c. 15. pag.* 686. Turcarum auxilium aſpernatus haudquaquam eſt? Certe ipſius *Guicciard. lib. 1. Hiſtor. p.* 46. quoque inſtinctu Alphonſum II. Neapoleos Regem contra Carolum VIII. Galliarum Regem ſuppetias ipſorum imploràſſe conſtat. Qui negativam amplectuntur, confugiunt ad teſtimonia *Exod. 33. in fin. Deut. 7. pr. 2. Paralip.* 16. 17. 18. 19. 20. *&* 25. *Eſai.* 31. *princ. Eſdra. 9. 1. Corinth.* 5. SS. codicis, quibus dilucidè apparet talia fœdera Deo maximopere diſplicuiſſe, ac illorum ſectatores à vindice ejus manu graviter correptos & punitos fuiſſe. Enimvero *ſi admittuntur*, inquit non nemo, *P. Mart. in loc. Comm. claſſ. 4. c. 16. fidelium, ac infidelium fœdera, tum conflatur exercitus ex piis & impiis, & ita religio ſincera cum idololatria, Deus cum Belial, & vera pietas cum ſuperſtitione commiſcetur, & facilè fideles propter infirmitatem humanæ naturæ infici poſſunt.* Hinc Carolus V. Imperator *Receſſ. Imp. de anno* 1544 §. 3. und demnach ꝛc. *itemque* §. 4. So achten wir ꝛc. Franciſci I. Galliæ Regis fœdus cum Turca percuſſum Chriſtiano omnino indignum facinus vocat, adeo iniquo illud animo ferens, ut illum non minus quàm Turcam ipſum pro communi Chriſtianorum hoſte cenſendum affirmet. Quin imò refert Beſoldus, *Differt. de fœder. c. 4. n. 1.* Cancellarium Gallicum, quantumvis ſerio juſſum, fœdus illud à Franciſco I. cum Turca initum noluiſſe ratum habere & conſignare, negantem apertè, ſigillum hunc in uſum ſibi concreditum eſſe. Quicquid tamen ſit, incomparabilis Grotii *de jure B. & P. lib. 2. c. 15. n. 11.* ſententia mihi videtur omnino arripienda, qui in fœderibus cum infidelibus contractis putat *nullam intrinſecam aut univerſalem eſſe pravitatem, ſed ex circumſtantiis æſtimandam.* Quod ſi ea quibusdam SS. Scripturæ locis, quæ modò allegavi, prohibita reperiuntur ac improbata, illud haud proficiſcitur ex natura ipſius fœderis, verùm ex aliqua circumſtantia, ac peculiari perſonæ qualitate. Ita Deut. 23. 7. minimè licitum erat Iſraelitis cum ſeptem illis populis ſententia Divina damnatis arma, aut amicitiæ jura ſociare, ut nec cum iis, quos præter iſtos, qui in lege expreſſi erant, exoſos ſibi, ac ultrici internecioni ſeu infortunio deſtinatos per Prophetas Deus oſtendiſſet. *Eſt etiam* teſte laudato Grotio *cit. l. n. 9. ubi culpantur fœdera ob animi vitium unde procedebant: ita à Propheta reprehenſus Aſa, quod ad ſocietatem Syri ſe contuliſſet, Deo diffiſus: quod oſtenderat, cum res Deo ſacratas ad Syrum mitteret. Sed nempe rex idem culpatus, quod in medicis ſpem poſuiſſet, Non in Deo. Non ergo ex hac hiſtoria magis ſequitur per ſe aut generaliter malum eſſe ſocietatem contrahere cum talibus quales erant Syri, quàm medicos conſulere: Multa enim non illicita vitiat animus. Quibus & hoc addendum eſt, Hebræos ſub ſtatu legis veteris diſertas habuiſſe promiſſiones victoriæ, ſi legem obſervarent; quominus recurrendum habebant ad humana auxilia. Exſtant quidem & apud Salomonem Prov. cap. 1. v. 15. c. 13. v. 20. c. 22. v. 24. ſententiæ non pauca de vitandis conſortiis impiorum. Sed hæc prudentiæ monita ſunt, non leges præcepta, & illa ipſa monita, ut moralia pleraque, plurimas habent exceptiones.*

VI. Proinde adſtipulante etiam Magnifico Dn. Conringio, *Diſp. de fœder. n.* 16. de defenſivo fœdere cum infidelibus ob mutua auxilia, aut de pace colenda, de finibus tuendis contracto pro affirmativa citra controverſiam reſponderi poteſt. Nulla quippe iniquitas ſubeſt, ſi Principi Chriſtiano illa vis inferatur, ut niſi externis iſtis accitis auxiliis infidelium adverſus vim injuſtam tueri ſeſe nequeat. Sanè verò ſedulâ cavendum eſt curâ, ne nimia accedat commixtio, quæ contagii periculum afferat infirmis, neve alii Chriſtiani in diſcrimen religionis inde adducantur; neu prophani opes ex tali fœderis ſocietate magnum ſint indepturæ incrementum: præcipuè verò ne absque urgentiſſimo duriſſimæ neceſſitatis telo fiat. *Non enim jus quodvis*, ut Grotii *all. l.* verba iterum mea faciam, *ſufficit ad id committendum, quod religioni, ſi non directè, indirectè tamen nociturum putetur. Quærendum enim eſt primo loco Regnum cœleſte, i. e. Evangelii propagatio.* Appoſitè hanc utique in rem ſcribit Didacus Saavedra *Symb. Polit. 93. p.* 714.

Nos

Nec ſufficit ſemper excuſatio defenſionis naturalis : per enim rarò omnes concurrunt conditiones & circumſtantia, quæ ejuſmodi fœdera faciant licita, & materiæ ſint ponderis, quam univerſale illud ſcandalum & periculum opinionibus falſis veram inficiendi religionem. Et paucis interjectis lineolis : *Poterit quidem*, inquit, *Politica divinis diffiſa præſidiis & in artibus humanis ſpem ſuam collocans ſe ipſam fallere, Deum non item, in cujus tribunali rationes merè apparentes locum non habent.* Illud itaque, quod alterius eſt quæſtionis, vel hinc facilè patet, an ſcilicet conſultum ſit fœdera cum infidelibus inire ? Certè illa per admodum infrequenter orbi Chriſtiano fructifera, ſed ut plurimum ſummè detrimentoſa extitiſſe nimis quam multa fidem faciunt exempla. Equidem Turcarum imperium non aliunde tantum cepit incrementum, quàm quod diſſidentibus de Orientis imperio Græcorum Principibus, Turcæ mercede accerſiti afflictas Chriſtianorum opes penitus attriverint. Eadem occaſione Gothos & Longobardos Italiam, Francos Galliam, Anglo-Saxones Britanniam, Scotos fuſis Pictis ac Britannis eam regionem, quæ nunc Scotia dicitur, occupâſſe teſtatur Bodinus. *lib. 5. de rep. cap. 5. Sleid. de ſtat. relig. lib. 20. p. 619.* Luculentè idem confirmans Saavedra *dict. l. p. 723. Imperium*, inquit, *Quod Conſtantinus Imperator in Orientem tranſtulit, paſſum ivit per fœdera Palæologorum cum Turcis. Quas calumnitates non perpeſſa eſt Francia, poſtquam Rex Franciſcus magis æmulatione gloriæ Caroli V. Imperatoris quam extremâ neceſſitate ductus fœdus cum Turca iniit, eumque in Europam evocavit* ? Et quæſo quid firmæ ſpei collocari poteſt in fœdere & auxilio Infidelium, qui impiam, imò nullam ſectantur religionem ? cum etiam illi, qui modicè religione inter ſe diſſident, ægrè deprehendantur, in fida conſpirare fœdera : Simultates enim & odia nulla ſunt acerbiora, quàm quæ ex diverſo religionum cultu naſcuntur ? Et contingit quidem nonnunquam, ut ea præſentis temporis ratio diſſimulet, vix tamen impediri poteſt, quominùs aliquando erumpant. Sanè verò firmiter cohærere minimè poſſunt, quibus & ſtudia & vota diverſa ſunt. *cap. in novu cauſ. cap. 16. quæſt. 7.* Vota autem infidelium non poſſunt eſſe eadem cum fidelibus. Infideles enim perpetui Chriſtiani nominis hoſtes, & Chriſtiani ſanguinis hirudines cenſendi : prout de Turca idem affatim perhibent Receſſus Imperij. *de anno 1532. §. 6.* derhalben Churfürſten *&c. itemque de anno 1541. in pr.* Et monet nonnemo *Autor ſecretiſſ. inſtruct. concluſ. 13.* admodum prudenter, *Turcarum proprium eſſe nulli Chriſtiano, niſi commodi ſui causâ, amicum eſſe, nullum hactenus, ſi omnes annales evolvas, bello juviſſe, quem non in miſerandam redegerit ſervitutem; quia fidem ſola utilitate & quæſtu metitur.*

VII. In univerſum autem omnibus in fœderibus cum exterioribus rebuſp. ineundis quàm exquiſitiſſimâ opus ſanè eſt cautione, cum noſtro præſertim Eheu ! depravato ſeculo fallere ac falli in proclivi ſit, ac ſæpius integritas fraude, fides ludibrio, pudor opprobrio, litigio contractus omnis contaminetur : Hodie enim eo res devenere Mortalium, ut etiam plurimi, qui ſancti videri, qui præ aliis Chriſtiani ſalutari nimiopere affectant, neque gloriam Dei, qui finis ſimpliciter ultimus, neque beatitudinem moralem, quæ in certò genere ultimus eſſe debebat, ſed rationem ſui ſtatus cerebrinam ſibi ſub oculos unicè, ceu cynoſuram, & Ariadnes filum ponant. Si nullo alio, certè hodierno tempore non deſiderati ſunt, qui cum Alexandro V. *Scipio Amirat. de Regni Regiisque inſtitut. Guicciard. lib. 1. & 6. Hiſt.* Pontifice omnia ex ſua libidine, ac propriis commodis metientes, omnia rata irrita habentes, id unum pro ſumma religione perſuaſum habuerunt, fidem omnibus dari oportere, ſervandam nemini. Iulium II. *VVaremund. ab Ehrenb. Part. 2. de fœd. cap. 1. num. 140.* Pontificem perhibent palam jactitâſſe quondam, ſe non aliâ, niſi fraudis cudendæ gratiâ fœdera cum aliis percuſſiſſe. Hodie Iulio iſtô multi tanto ſunt & pejores & impudentiores, quantò impenſius ac ſolertius conantur peractam jam, totique mundo notoriam improbitatem prætextu quodam neſcio unde quæſito occultare, ac neſcio quâ perfrictâ fronte excuſare. Certè quidam Wenceſlaus Meroſchvva; *In diſcurſu de ſtatu præſentis belli, & urbium imperialium, apud Lundorp. tomo. 1. actor. public. lib.. 10. cap. 15.* quiſquis tandem ille, Diabolicæ ſcholæ Diſcipulus, ac vervecum in patria craſſoque ſub aere natus, fuerit, ruptis Divini humanique juris repagulis in has impias, atque anathemate prorſus dignas voces erumpere nullus erubuit : *Totus mundus fuco utitur : cum vulpibus vulpinandum eſt. Pueri nucibus, Viri juramentis fallendi ſunt. Nec infame eſt, violâſſe jurisjurandi religionem. Fecerunt hoc noſtri Principes : Nos cariores habebunt, ſi non modò pro iis patiamur & belligeremus, ſed etiam peieremus. Dum crepundia vendunt inſtitores, ſimulant, mentiuntur, pro aſſe peierant. Et nos id non faciemus pro regnis & arcibus ? Faciemus, & quidem lubenter.* Proinde cum familiaris utique multorum cum aliis fœdera ſuſcipientium ars eſſe ſoleat, ſincerationes, ut vocant, multas interponere, ac allicere animos lenocinio mentitæ amicitiæ, poſtmodum autem fallere, cumque adeo in complures adhuc incidere ubivis contingat *Antonius Barcl. Arg. lib. 1. p. m. 60. Tacit. Ann. lib. 2. c. 3. qui Artavaſdem Armeniæ Regem ſpecie amicitiæ illectum mox catenis oneratum interficiunt* ; ſollicitâ curâ & intento ſtudio in id incumbendum ſibi eſſe ducant Principes, ut ingenia & intentionem eorum, quibus cum in fœdus conceſſuri ſint, penitius antea explorent, ne circumveniantur ab iis, *Vid. Autor* der Redlichen Urſachen / warumb die mit Franckreich *confœderirte* ſich zum Frieden *accommodiren* ſollen. *qui non propter Lazarum, ſed propter Martham Auſtraſiam ejuſque ſororem Alſatiam in fœdus coeunt.* Certè quidem negari nequit, quin à parte Imperij Germanici ſtatuum in contrahendis fœderibus laudabilis ſæpè ac egregio incenſa deſiderio voluntas appareat, quin bonum ſibi finem intentionemq; reip. inſuper utilem propoſitam identidem habeant. Exempli ergo eſto ſaltem Liga *Conf. Autor* der Grundfeſte *par. 3. c. 9. p. 331*;

illa Francofurti ad Mœnum inter aliquos multos non ita pridem exorta, quæ vulgò nomine der Rheiniſchen Alliance circumfertur. Sed numquid eodem animo ſe agglomerârint Sueci & Galli, an ſequiori, eorum erit adjudicare, ac ſolerti mentis indagine aſſequi, qui non modò id, quod antè pedes eſt, intuentur, ſed & in futurum reſpiciunt.

——Ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? Sic notus Vlyſſes?
Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros;
Aut aliquis latet error. Equo ne credite Teucri!

Vtut enim mihi religio ſit exteras haſce duas Nationes culpæ alicujus inſimulare, eo tamen collimo, motus præſertim iſtis Gallicæ Monarchiæ arcanis, quæ ipſemet Richelius paſſim pandit, Germaniæ ſonticas eſſe rationes, cur ſibi à Gallis potiſſimè caveat, ſive vetera intuearis exempla, ſive modernas inſpicias actiones. Quod ſi nihilo tamen minùs in contrariam quis abeat ſententiam, perſuaſum ſibi habens, quo illi majori in imperij pomeriis invaleſcant autoritate, ac potentiâ, hoc magis tutam fore libertatem, illum ablegandum putem ad Alſatiæ Nobiles ac decem illius Provinciæ civitates, ex illis ſciturum, ſub ultro liberiorem vivendi liceat aetem trahere, ſub Imperio ne ab Imperatore, an ſub Galliæ Monarcha?

VIII. Quamvis autem omnibus in fœderibus cautione, quantâ fieri poteſt, maximâ utendum ſit, major tamen in iis erit adhuc adhibenda, quæ minus potentibus cum potentioribus intercedunt. In fœdere quippe inæquali *verum Grot. de I. B. & P. lib. 1. cap. 3. num. 21. in fin. eſt accidere plerumque, ut, qui ſuperior eſt, ſi is potentiâ multum antecellat, paulatim imperium propriè dictum uſurpet. Sic Latini querebantur ſub umbra fœderis Romani ſervitutem ſe pati. Sic Ætoli vanam ſpem & inane nomen libertatis: Achai poſtea fœdus ſpecie iam eſſe precariam ſervitutem. Sic apud Tacitum Civilis Batavus de iiſdem Romanis conqueritur, neque enim ſocietatem, ut olim, ſed tanquam mancipia haberi: & alibi: miſeram ſervitutem falſo pacem vocari.* Tum autem hujuſmodi fœdus minori cum periculo conjunctum eſt, ſi is, quocum fœdere ſe junxit Princeps, ideò auxiliatrici ne validiori manu ſuâ præſtò ſit, ne hic impotentior ab alio viribus ac potentiâ prævalente opprimatur, adeoque novæ vires victori iſti in ſuperpondium cedant. Hujuſmodi enim auxilio veniens Princeps cenſendus eſt malle in alieno extinguere, quàm in ſuo experiri incendium, quod proximum jam corripuit parietem. Egregiè hanc in rem dixerunt olim Legati Campanorum hiſce verbis populum Romanum tum allocuti *Eberh. à Vveibe in meditam. de fœd. lib. 1. pag.* 188. *Hipp. à Lap. de Rat. Stat. part. 3. cap. 2. ſect. 3. Pugnabimus verbo pro Sidicinis, re pro nobis; cum, videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti, & ubi conflagraſſent Sidicini, ad nos trajectum iri.* Hinc etiam videmus ſæpe fieri, ut, quando vicinæ duæ reſp. Marte inter ſe contendunt, tertia interveniens reſp. non ſuperiori, ſed imbecilliori operam navari, ac ſubſidio venire è re ſua exiſtimet. Ita namque contingere amat, ut belli pertæſæ funeſti ad amicabilia inter ſe conveniendi remedia deſcendant tandem, ac omnes quodammodo in æquilibrio maneant. Idem Status arcanum bene perpendiſſe videntur Veneti aliique, dum ex diverſitate temporum ac fortunæ varietate pendentes modò Gallorum, modò Hiſpanorum inimicis magis favere ac adminiculari viſi ſunt. Quin imò & hodie luculentum ejuſdem rei exemplum ſuſtinebit Belgium Hiſpanicum, quod adverſus ingentes, & ad invidiam uſque felices Galliæ Regis progreſſus plures, quàm fortè cogitavit, defenſores ac aſſertores dubio procul inveniet. Nec Suecos retundendis Gallorum conatibus opellam denegaturos improviſus æquè ac conſtans rumor eſt.

IX. Vbi autem nimis potentis reip. fœdus meritò ſuſpectum eſſe debet, ita contra inſulſum, imò nec minori cum diſcriminis alea conjunctum eſt, cum iis ſe fœderis nexu conſociare, qui aut planè nullis, aut perquam exiguis inſtructi ſunt viribus. Inutilis ſanè eſt, ac otioſa ſocietas illorum, qui nobis in bello nec ut amici prodeſſe, nec ut inimici nocumento eſſe poſſunt. *Civis autem ſtudioſus eſt,* inquit prudentiſſimus Stagirita, *In Rhetor. ad Alexand. cap. 3. qui amicos civitati emolumento extituros conciliat.* Audiendus itaque eſt Lipſius qui eandem in rem graviter æquè ac ſapienter monet *lib. 4. Polit. c. 9. Infirmis aut miſeris quid te jungas? quærunt, cum qua gente cadant; Tu, ſi ſapis, ſatis accede, Deiſque, & coelo felices, tuamque fortunam prius in conſiliis habeto, antequam de aliena deliberes. In caducum parietem ne inclina.* Præterea cum *ex diſtantibus terrarum ſpatiis*, teſte Tacito *lib. 3. Hiſt. c. 9. conſilia poſt res afferantur, & ſejunctio locorum*, ſecundum Philoſophum *lib. 8. Ethic. Nicom. c. 5. n. 4. & 5.* paulò antè laudatum, *amicitiam ſi non perimat, officia tamen interrumpat*, cum iis, qui longâ locorum intercapedine diſſiti, adeoque tardius quàm expedit, præſtò eſſe ſolent, fœdera ineunda haud temerè ſunt. Pro remoto autem non ille modo habendus eſt, qui longo à nobis abeſt itinere, ſed & ille, qui difficili etiam negotio ſe nobis conjungere vix poteſt; proptereà quod aditus ab hoſte præcludi, aut aliæ difficultates remoram injicientes oboriri queant. Ita verò in univerſum adſcititiis exterorum viribus credendum, ut plus noſtri roboris domi habeamus. Neque temerè tradantur clauſtra imperij fœderatis, ne acrius beneficiis, quàm armis vincamur. Tandem delibanda etiam eſſet nobiliſſima illa & in utramque verſatiſſima partem quæſtio: Vtrum ſcil. expediat inter partes belligerantes ſemper medium ſeſe gerere, & neutri accedere, an non, aut ſi non ſemper, quando nam, & quando non? Verùm cùm, quæ ultro citroque afferri poſſint, prolixiora aliquanto ſint, chartæ, quæ in immenſum alioquin nimis excreſceret, compendium facturum me præſentiarum accedo Magnifici Conringij Præceptoris olim mei perpetim ſuſpiciendi ſententiæ, quàm in ſuis eruditiſſimis animadverſionibus *c. 21. pag.* 198. *Confer. Speid. in Notab. Iurid. Hiſt. Polit. Eberh. à Vveibe in meditam. de fœder. lib. 1. pag. 220. Vvarem. ab Ehrenb. de fœder. lib. 1. c. 2. Did. Saav. ſymb. Polit. 95. p. 735. Autor* der Grundfeſte *part. 2. c. 9. p. 335.* contra Machiavellum, ac hujatis Magiſtri aſſeclas, quo pollet acumine, ſolidiſſimè profert. Quatenus etiã in Imperio Germanico Neutralitas prohibita, permiſ-

permiſſave ſit, fuſius inſuper videri poteſt apud juſtum *Coll. publ. de Stat. Rei Rom. vol.* 2. *diſput.* 12. *th.* 24. Sin. Schütz. Cùm enim inſtituti ratio explicatius hæc perſequi omnia neque exigere, neque permittere videatur, filum hìc ſermonis abrumpo, quicquid argumenti de Neutralitate reliquum eſt, in peculiarem accuratius fortè ac concinnius elaboratum diſcurſum rejiciens.

SECTIO V.

Mantiſſæ loco de æquo ac iniquo Imperii Germanici fato tractat, ac colophonem diſſertationi imponit.

I. QVæ ad Statum Germaniæ intra & extra mœnia ſecurum, ſalvum, & incolumem ſervandum inprimis pertinere viſa mihi ſunt, pro modulo inſtituti, ſi quidem rectè exiſtimo, in medio ſunt hactenus allata. Cœtera, quæ fortè addi poſſint, aut leviora ſunt, aut ſponte hìc omittuntur: Nam ut poſt longam navigationem nauta terram anhelat, ſic ego ad hujus finem diſſertationis adſpiro, remos jam fermè inhibens, velaque contrahens, ne alio fortè iterum invectus inſtructiori opus habeam viatico. Cùm tamen de humanis ſaltem mediis ac cauſis ad reip. Germanicæ ſecuritatem ac integritatem tuendam conſpirantibus à me actum huc uſque ſit, religioni mihi duxerim, de propitio juxta ac iniquo Imperii Teutonici fato nihil omnino dixiſſe. Proinde ut ne ἀσύμβολος planè hìc fuiſſe exiſtimer, aut Pythagorici veluti ſilentii judicer, maluerim equidem modicâ, quàm nullâ meditatione religioſum hoc & fatale ſaxum volvendum ſuſcipere. In univerſum verò aliquod rebus humanis fatum ineſſe, licèt illud haudquaquam vagis cœli orbibus includendum, ſeu præpoſtero Stoicorum: *Quin ipſe ille, qui Philoſophiæ Stoicæ Reſtaurationem in ſe ſuſcepit, Juſtus Lipſius cum alibi paſſim, tum in Manuductione ad Stoicam Philoſophiam, cum fruſtra excuſare aliquâ ratione id tentâſſet* c. 18. *lib.* 1. de *conſtantia, tam verecundi oris fuit, ejusd. libri c.* 20. *ut id disertè gravibus verbis improbâris ac ſuum fatum, quod ipſe ibi ſubſtituit, ab illo Stoicorum diſtinxerit: Prout rectiſſimè in ſolidiſſimo juris publici ſpecimine ſect.* 3. *n.* 9. *p.* 82. *animadvertit accuratiſſimi judicii ICtus Dn. Ericus Mauritius in Tubingenſi quondam celeberrimus, nunc autem Sereniſſimi Ducis Sleſvicenſis Chriſtiani Alberti auſpiciis excitus in Chiloníenſi Academia Juridicæ Facultatis Profeſſor Primarius* ſenſu, ſed cum mica Chriſtiani ſalis accipiendum ſit, evidens adeò eſt, ac obvium, ut qui hoc neget, ſtupidus ſit ac Demea, imò tam malus, ut præ animi perverſitate ejus mentem ne leviter quidem imbuerit Deorum opinio. Et ſanè hujus ſpurii commatis hominem hominum omnino numero exturbandum putem. Sicubi autem abſtruſa illa providentiæ Divinæ ratio vim ſuam ac energiam alibi exſerit, certè potiſſimum illa in rerum viciſſitudine Civilium animadverti datur. Hinc rectè ait incomparabilis Grotius: *de Verit. Relig. Chriſt. lib.* 1. *p.* 13. *Providentiæ Divinæ circa res hominum non leve argumentum & Philoſophi & Hiſtorici agnoſcunt in conſervatione rerumpublicarum: primùm univerſim, quod ubicunque ordo ille regendi parendique receptus eſt, manet ſemper: deinde ſæpe etiam ſpecialiter in longa duratione hujus aut illius formæ imperii per multa ſecula, ut regii apud Aſſyrios, Ægyptios, Francos, optimatum apud Venetos. Quanquam enim humana ſapientia aliquid in hoc poteſt: tamen ſi rectè conſideretur multitudo malorum hominum, & quæ extrinſecus nocere poſſunt, & agnatæ quaſi rebus viciſſitudines, non videtur tam diu imperium aliquod poſſe ſubſiſtere, niſi peculiari quâdam Divini Numinis curâ, quæ evidentius etiam ſpectatur, ubi Deo viſum eſt mutare imperia.* Juvat etiam hìc adſcribere gemina Nobiliſſimi Dn. Rachelii *in elegantiſſ. introduct. in Ariſtot. Philoſoph. Moral.* c. 3. *p.* 24. Hoſpitis olim ac Doctoris mei in Academia Julia meritiſſimi, & etiamnum jugi quâ obſervantiæ quâ ſtudii cultu impenſè colendi verba: *Quod ſi res geſtas & Hiſtoricorum ſcripta expendamus, quomodo Imperia hæc quidem conſervata, alia mutata aut everſa fuerint, quis non ſupra humanam prudentiam Divinam protinus Providentiam agnoſcit? Bone Deus! quibus ſæpe artibus, quàm bene meditatis conſiliis, quam firmis copiis aliquis Princeps grandia incepta aggreſſus eſt: quæ ubi Deo probata non fuiſſent, admirabili ratione & re ſæpe parvâ, ab humana ratione vel non præviſa, vel planè neglecta, aut penitus corrupta fuerunt.*

II. Dudum aliquam multis, & quidem magni etiam nominis Viris, cum Theologis, tum Politicis perſuaſum penitus fuit, imperium Germanicum, quandoquidem idem & Romanum ſalutatur, perpetuum fore, nec niſi cum hac univerſi machina extinctum iri. Ejuſdem opinionis baſin ex Danielis *Cap. II.* prophetia petunt partim, partim aliunde arceſſunt. Verùmenim verò ſacra illa ac Myſtica Oracula ſi quis penitius nonnihil inſpexerit, & accuratius evolverit, ne Romano quidem Imperio tantam diuturnitatem, nedum immortalitatem à Provida iſta ac ter Divina Mente admenſam eſſe facillimo negotio deprehendet. Tum Remp. Germanorum modernam non niſi valde impropriè ac abuſivè Romani Imperii nomine venire, quin imò diverſam planè illam eſſe à Romano Imperio veteri affatim probatum ivit Magnificus Dn. Conringius. *Vid. in Diſſ. de Imp. Germ. itemque in Opere de finibus* c. 1. Quod ſi verum eſt (eſſe id autem veritati cum maximè conſentaneum hujus tanti, aliorumque quantivis pretii virorum inſignis auctoritas dubitationi nihil propemodum loci relinquit) liquidiſſimum inde eſt, ac manifeſtiſſimum, promiſſiones, quæ etiamcunque ſint Romano Imperio veteri factæ, nil quicquam ad præſentem Germaniæ ſtatum attinere. Accedit, quod ex Apocalypſi haud cæca conjectura aſſequi eſt, ipſam urbem Romam ſedem illam, ac indubitatam Metropolin Imperii Romani non paulò antè extremum mundi diem ruituram eſſe: Hæc enim utique eſt illa Babylon, Vrbe magna, ſedes ſcorti illius ſpiritualis. Quod itidem non vano certè eſt argumento, fruſtra eſſe ac vanos

illos, qui ſibi perſuadeant eventurum, ut Imperium iſtud Romanum Mundi fini exæquetur. Et verò *multa damna*, teſte eodem laudatiſſimo Conringio *Diſſert. ad Lampad. c. 21. de Vit. & contr. Imp. vel intra hos* 200. *annos, ne de aliis nunc dicam. paſſum eſt Imperium noſtrum Germanicum, ac non adeò pridem in illas quoque incidit ærumnas, ut æternum profectò ſtatum haud liceat imperio promittere, quippe quòd parùm abfuerit ab interitu, & extrema ruina.*

III. Certè quidem Deo ceu certiſſimo *Iovi Add. Vell. Patere. lib. 2. c. 1. n. 131. Capitolino, & Auctori, & Statori Romani Nominis, qui Imperium Romanum in ampliſſimum terrarum orbis faſtigium extulit*, acceptum ferendum eſt, Germanici Imperii ſtatum necdum convulſum eſſe. Quanquam non diffitendum ſanè eſt, quod Germaniæ peccata, utpote quorum meſſem metere licet uberrimam, ultricem Dei iram, quæ lento quidem gradu ad vindictam ſui procedit, ſed tarditatem gravitate compenſat, jam ſatis diu videantur meruiſſe. Ingruentibus autem vitiis *fortunam cum moribus mutari* ſcribit Saluſtius *C.* 2. Id quod Chriſtiano dilucidè magis, nec paulò dexterius ita licebit interpretari: Ex alto conſpicere Deum hæc ſcelera, & juſtiſſimo incenſum Zelo differre quidem vindictam in aliquantillum tempus, ut ne ſpatium denegatum emendationi ſit? Sed ubi laxatis quaſi habenis impietas magis magisque graſſari, & *quà data parta* licentius ruere occipiat; tandem aliquando illum ſupplicium ſumere ab impio ac profligato populo, ut ne ultra caput efferant vitia ac crimina, quorum ſumma procul dubio hodie præter alia corrupti ſtatus certiſſima indicia redit ad Atheismum, lernam ſanè ac ſentinam malorum omnium. Mirum eſt, nos clementem adeò Deum habere, qui iſtud ſcelerum monſtrum fulminibus ſuis illico non terreat, ac proſternat! Verùm attendat hìc aliquis quæſo, quid Ebræis olim factum, quænam illis morigeris divini favonii documenta exhibita ſint, quibusque duris fatis immorigeri iidem ac reluctantes expoſiti poſteà fuerint. Initiò quidem eorum temp. magis inſtitutorum ſanctitudo, visque præſentior Numinis, indeque injecta Gentium animis reverentia, quam robur ullum humanum, quam copiæ, opes, & artes bellicæ ſtabiliebant ac tuebantur. Adeò proſpero auſpicatoque rerum ſucceſſu gaudebant Ebræi, adeò ad votum, quin & ad nutum habebant omnia ut ipſa etiam elementa auxilio illis, hoſti verò detrimento cederent. Sic rubrum mare inſequentem hoſticam turmam abſorbebat, ſic nihil provinciam promiſſam Jordanes, nihil mœnia muniebant: illo virga miraculoſa pervio, ac mox ſolitos in alveos redeunte, his ſponte corruentibus. Imò ſol ipſe ſtando, præter nativum curſum, ſuum aliquando obſequium innuebat. Jam ſonticus ac ſubitus terror hoſtes invadebat, ac tantùm non fugabat; alibi in ſua ipſorummet viſcera verſi ſunt mucrones; nunc arcano denuo ac ſtupendo modo internecioni dati, ac omnes propemodum eo adacti ſuperſtites, ut Hebræos reformidarent, ipſi viciſſim haud reformidabiles. Verùm tranſiit demum in odium hæc Dei faventia, ubi ſequior poſteritas ac ter geminorum immemor beneficiorum exiſtebat: Hæc enim in impium ac protervum Idolorum cultum prolapſa, ut deſerebat Deum, ita deſerebatur. Et nunc Syris prædæ erat, nunc Cananæis proſtituebatur, nunc Midianitis, nunc Arabibus mancipi nexu devincta, donicum omni tandem divinâ gratiâ extorris fieret, & planè abdicaretur.

III. Vindex autem hæc Dei Manus excandeſcentiæ ſuæ ſigna hominibus variè oſtenxare, ac ultionis fulmina diverſimode vibrare conſuevit. Nonnunquam uno quaſi ictu, ac impetu temp. quandam convellit, ſæpius tamen ſenſu id fit, & ſine ſenſu. Et ſcimus nonnullorum imperiorum deſtructionem graviſſimas olim Vatum ſacrorum admonitiones præceſſiſſe. Quoties Iudæos Prophetæ increpuerunt ac corripuerunt? quoties eosdem ipſe Filius *Luca* 19. *v.* 43. præmonuit? Quod ubi fruſtra peractum eſt, illis Regem puerum *Eccleſ. c.* 10. *v.* 13. conſtituit, apud hos fatuum & exitioſum conſilium *lib.* 1. *Reg. c.* 12. *v.* 15. attenditur: Cenſoriâ enim Divinæ vindictæ virgulâ imminente, ſive mavis cum Ammiano Marcellino *lib.* 14. loqui, *manum injicientibus fatis, hebetari oportet ſenſus hominum, & obtundi.* Mentem ſcilicet tunc hominibus adimit ſupera illa Mens; *& cuiuscunque fortunam Lipſ. in civ. doctr. lib.* 1. *c.* 4. *mutare conſtituit, ejus conſilia corrumpit.* Hic bene moratæ leges inſuper habentur, illic forma regiminis ſatietatem ac faſtidium ſui parit. Mox ipſe Magiſtratus rejiculus fit, ac imperio pariter ac vitâ exuitur. Iſtic concordiæ coagula laxat ac modo non diſrumpit. Alibi hoſtem immittit externum ac animos effœminatè molles domi reddit, fulcra quibus reſp. innititur, ſubducit, præſidia eripit, opes adimit: quicquid denique ſaluti publicæ provehendæ deſtinatum erat, in exitium vertit. *Id Conf. Vir Excellentiſſimus D. Ioh. And. Boſius in ſua introduct. generali ad Reſp. ſive notitiam Orbis part.* 1. *c.* 8. §. 6. quoque à Prudentibus animadverſum eſt, magnis Imperiorum mutationibus appropinquantibus plerumque Deum excitare Heroas, quorum operâ in mutandis aut evertendis imperiis, novisque fundandis aut extollendis utatur. Sic cum Ægyptus punienda, Iſraelitæque liberandi eſſent, Moſes; cum Cananeæ Gentes exſtirpandæ, Ioſua; cum Philiſtæi coercendi David; cum Carthago exſcindenda, Scipio; cum Babyloniorum Monarchia evertenda, Cyrus; cum Perſarum, Alexander; cum terris omnibus paſſim inſaniretur, turbaretur, ſæviretur, laſciviretur, adeoque magna mutatio inſtaret, Iulius & Octavius Cæſares nati ſunt. Heroes omnes magnis eventibus ſicut à Deo deſtinati, ita pares. Secus tamen ſæpe fieri, ac *ubi Deus Vid. Clariſſ. Dn. Racholius ſuperius alleg. l. calamitatibus bellicis ſcelera alicuius Gentis vindicare inſtituit, ſua juſtitia executorem adhibere videmus, non ſemper ingentibus ſubnixum viribus regem aliquem Aſſyrium, aut Cæſarem* Romanum; *Sed homines etiam obſcuros ac plebejos exiguis opibus inſtructos: quorum cœpta etſi primum*

quidem

quidem exilia ſint, illam tamen rerum novitatem Deus inducit, ut progreſſus faciant maximos, quò tandem quilibet ſua campos mentis homo in harum moleſtiarum mutationumque exitu admirandam Dei Providentiam luce meridianâ clarius intueatur atque veneretur.

V. Equidem quid Turcicis initiis contemptius, quid abjectius fuit? Attamen quod de Ottone quondam atque Vitellio Tacitus *lib. 1. Hiſt. c. 2.* cenſuit, *duos omnium mortalium deterrimos velut ad perdendum imperium fataliter electos fuiſſe*, id ſanè verbis à Stoicæ neceſſitatis, aut numerorum Platonicorum reliquarumque vanitatum hypotheſi repurgatis, & ad Chriſtianam Philoſophiam prudentius exactis, Germanus, imò univerſus pene orbis Chriſtianus de Turca hodie fateri habet. Vt enim de aliis in præſenti nihil dicam pœnis, quibus offenſæ ſuæ primitias exorbitanti Chriſtianæ Genti ſiſtere pridem voluit Deus, Turcis etiam veluti Lictoribus ad expianda piacula utitur; dudum jam permittens, illos novis prope indies viribus convaleſcere, nobiliſſimas provincias ab iiſdem occupatas teneri, quin & novos ac fermè ſacros Germaniæ identidem terrores incuti. Vsq; adeo, ut ſi quod bellum cum illis ingraveſcat, publicas preces undique in Germaniæ Eccleſiis hoc nomine indici, ſolennesque Deo conciones decerni receptum ſit. Nec parùm metu Turcæ ingruente cultum Divinum reſuſcitari, eodem verò abſente tantundem iterum deferveſcere, ac extingui, Sacerdotibus noſtratibus perquam cognitum eſt. Sanè perdiu Turcicum Imperium ad faſtigium jam perveniſſe, adeoque à caſu ac ruina prope abeſſe nullus addubitavit aſſerere Lipſius *in not. ad 5. lib. Polit. c. 4.* Licèt autem ea, quæ hodie ab hac profana Gente ſuſcipi molimina certus percrebuit rumor, aliud videantur ominari, ex Divinis tamen vaticiniis; cumprimis ex Apocalypſeos capite 20. v. 9. (ubi ignis cœlo miſſus Gog & Magog devoravit) itemque ex aliis collatis Ezechielis prædictionibus haud obſcurè colligi datur, ante ruinam Mundi Turcis totalem interitum ac internecionem imminere. Placidè verò exſpectandum illud tempus, quod ſibi Deus reſervavit, ac ardentiſſimis interim votis ac precibus Numen ipſius iratum fatigandum erit, ac placandum, ut enſem illum, quem ex vagina indignationis ſuæ per Turcam ſuper Germaniam, ceu peccatricem Gentem diſtrinxit, recondat iterum ac frangat, omniaque, quæ præterea circumſtent, mala, potenti dextrâ avertat. Neutiquam verò, etſi providentiam Divinam arduis ac dubiis Germaniæ rebus intereſſe ac proporro urgentibus Imperii fatis ſive claudendo ſive aperiendo viam, interfuturam credendum omnino ſit, propterea rerum ſecuros eſſe ac in utramvis dormire aurem licet, nihil agendo, fatis omnia permittendo. *Stulte*, inquit Lipſius *de civ. prud. cit. l. omnia fatis permittis. Viam inibis, quæ ad fata ducat. Felicia illa vis? allabora.* Quin imò haud multùm abſurdè ille apud Salluſtium: *non votis neque ſuppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur; vigilando, agendo proſperè omnia cedunt.* Neque enim exſpectandum, *nihil Liv. lib. 7. agenti in ſinum devolaturam Victoriam, aut fortunam.* *Certe*, inquit Nobiliſſimus Dn. Conringius *Præfat. in Polit. Ariſt. p. 874.* poſtremò nunc etiam loco mihi reverenter allegandus, *placata Numinis indignatione, quam innumeris haſtenus peccatis irritavimus, reſtitueretur providendo ac laborando poſtliminio in integram etiam res (quantum ſpero) Germanorum, redibitque priſtinum Gentis decus, ita libertate Ordinum temperatâ Principatu, ut neque in hoc libidinem, neque in illis licentiam habeamus metuere, ſed ſacra legum auctoritate cuncta in officio contineantur. Abſit enim, ut vel in tenus hac Germaniæ fortuna deſperemus omnia meliora.* Quæ ut Germanis eveniant, fati velim Clementia annuat. Quod ſanè unà mecum ut tanto voveant ardentius omnes reip. Patriæ amantes, vel præſentium metus temporum ab iis impetrabit, ubi novis & fauſtis an infauſtis penes fata adhuc eſt? exteri cujuſdam Regis molitionibus prope abeſt, quin omnia ruere ac imis ſumma miſceri eheu! minentur.

VI. Et ſic quicquid hujus eſt diſſertationis concludo, præmiſsâ tamen proteſtatione, ne Dn. Spreng. in ſua Luc. c. 12. p. 155. *privatæ & innoxiæ cogitationes aliter, quàm pro privatis & innoxiis ſumantur*; Præcipuè cum more Academico, & exercitii cauſâ hæc omnis meditatio ſit inſtituta. Ingenioli quippe mei vires, quas omnem infra mediocritatis modum ſitas eſſe ultro agnoſco, periclitandi occaſionem unde arceſſerem in hoc de ſtatu Germaniæ argumentum incidere mihi contigit, quanquam non ſim neſcius, *diſcurſus de ratione ſtatus*, teſte inſuper Antonio Perezio, *eſſe cibum Stomachorum Magnorum* & in hac materia illud interdum verum eſſe, quod Plato de Diis olim fertur affirmâſſe, *vera dicere periculoſam admodum eſſe*: Proinde ut ne & mihi fraudi ſit, de iis, qui poſſunt proſcribere, ſcripſiſſe, Dominici Arumæi ſubmiſſâ excuſandi formulâ utar: *Nihil Diſcurſ. de Comit. Imp. Rom. Germ. n. final. ego in re tam ardua deſinio, nihil ego hac mea Diſſertatione ſupremæ Maieſtati, nihil Principum auctoritati, & libertati derogatum volo.* Denique ſi quid veritati, quam [illegible] libet ſcribenti Lydii inſtar lapidis eſſe decorum puto, à me dictum ſit diſſentaneum, id nec dictum eſto. Adhæc nemo me promptius monebit, ſicubi erravero, quam ego rectè monentem ſequar. Vt enim nullius in Magiſtri verba profani more vulgi juravi, ita nec ambitioſè ullam adeo ſector ſententiam, quin veritati propinquiorem videns ab illa illico deſiliam, hanc defecato ac gratanti animo ultro amplexurus. Interea Momo-Zoilum, cujus prurienti dicam an laſcivienti palato vel illud, quod exquiſitiſſimum ſanè, minimèque publici ſaporis, velut inſipidum, ac inconditum Stoico reſpuente ſtomacho faſtiditur, cuiuſque applauſum inventionis acumine ac genii lepore vel ipſa Minerva vix provocet; ne unius quidem aſſis æſtimârim. Certè apud Cordatos, ſi minus laudem, ſaltem, veniam impetrâſſe, ac ad majora invitari auſpicia la[illegible]

ed by Google

Ne reliquum quod eſt chartæ, otioſæ Vacunæ litet, paucula quædam πάρεργα loco ſubſtrata impedient.

I. **V**T verum ſit, Reipubl. Germanicæ formam ad civilis præcepta ſcientiæ ab Ariſtotele aliiſque Politicis tradita uſque quaque haud ita poſſe penſiculatè exigi, ab his tamen illam per omnia diſcrepare, adeo, ut irregulare & monſtroſum omnino corpus cenſendum ſit, illud demum eſt, quod etiam atque etiam & omnimodo inficior: niſi fortè quis evidentius, quàm adhuc præſtitum, evicerit Reſpubl. mixtas (quales dari hodie, ſaltem Europæo in Orbe, plurimas, & quarum utique in cenſum Germaniam venire ſuprà jam part.1.ſect.1. aſſerui) monſtris, quàm formis, Chymeris, quàm entibus poſitivis ſimiliores eſſe.

II. Utraque quidem in erronea æquè ac abſurda ſententia poſt alios miſerè æſtuat novus ille, ex Italia, incertum, an Germaniâ oriundus? Autor, quem (ob paulò uberantiorem, quàm ab Alienigena, expectes Iuriſpublici Germanici notitiam) Natione Germanum, eoque nomine nomen Severini de Monzambano mentitum eſſe, cum alio magnæ autoritatis Viro conjicerem, niſi, quod paſſim in noſtrates ſcriptores tantùm non omnes exſeruit ſat petulanter, calumniandi cacoethes abſterreret: non enim id aliunde proficiſci potuit, quàm ex elatiori paulò, quo Itali plerumque ſibi indulgere ac abblandiri amant, affectu, adeò ut reliquas Nationes propemodum omnes craſſiori ex luto ac Bœotico ferme ingenio fingant, eorumque imperitiori Genio arroganter ſive ingemiſcant, ſive inſultent, ſe unicos Albæ Gallinæ filios ſeu Minervæ natos exiſtimantes. Et neſcio an eodem livoris ac philautiæ pruritu correptus Severinus *ee ſibi curatum* (verbis utor ipſius.) *in genuinam imperij Germanici formam inquirendum* ſumpſerit, *quo craſſius plerique eius Nationis Scriptores ignorantia civilis ſcientiæ hac erraverunt.* Quanquam enim ipſemet ſua, acuti præprimis ingenij, haud defraudandus laude ſit, vereat tamen ipſi oportet, ne hac quidem in re illis, quibus hæc ſcripſit, ludibrium debeat, dum in locum meliorum deteriora vice plus ſimplici ſubſtituit. Attendamus tandem defæcato judicio, quid dignum tanto pollicitationis hiatu ferat. Cæterarum exploſis opinionum diverticulis eam ultimo impugnat & ſaltem non, ſi Diis placet, expugnat ſententiam, quæ mixtum admittit ſtatum. Quippe haud diu cum latentibus nodis inſtar Alexandri luctans, perinde ac ſi jam ſuper veritate triumphâſſet, ſuum inſubide ſatis expromit judicium, ita ſe expectorans: *Qui de mixtis rerump. formis garriunt, nulla modo expedire ſe poſſunt,* pag. 140. Scilicet hoc inde eſt, quod iſte illos aut non capiat, aut certè capere impatiens ſit ingenium ipſius præconceptâ jam ſuâ opinione ſuffarcinatum. Id enim hinc videre eſt, quod, cum nullam ſatis aptam rationem adinvenire ſciret, patrocinij causâ dignum patellâ operculum hoc addat ſubſequens, ita ratiocinando: *Præterquam enim quod qualiſcunque mixtura non niſi monſtrum aliquod civitatis producere apta ſit, nulla eiuſdem ſpecies ad remp. Germanicam accommodari poteſt.* Prius illud (mixturam omnem aliquod monſtri parturire) dum univerſim affirmat impingit apertâ fronte contra omnem ſaniorum Politicorum doctrinam, Cornicum oculos configens, ac Senes de ponte dejiciens. Poſterius dum negat (ullam ſuppoſitæ quidem, ſed necdum conceſſæ mixtionis ſpeciem in hypotheſi ad Remp. Germanorum adaptari poſſe) aliquam inſuper, prodit Germanicæ Reip. ignorantiam. Qui itaque mirum fuit, ſi pag. 151. præpropere magìs, quàm veram philoſophandi rationem ſectanti licuiſſet, eò demum extremitatis prolapſus fuerit, ut victricia quaſi ſigna jam erigens exclamârit: *Nihil ergo aliud reſtat, quàm ut dicamus Germaniam eſſe irregulare aliquod corpus & monſtro ſimile, quod lapſu temporum per ſocordem facilitatem Cæſarum, ambitionem Principum, turbulentiam Sacerdotum ex regno regulari in tam malè concinnatam formam eſt provolutum, ut neque regnum, etiam limitatum, amplius ſit, licet exteriora ſimulacra tale quid ſe præ ſe ferant, neque exactè corpus aliquod aut ſyſtema plurium civitatum fœdere nexarum, ſed potius aliquid inter hæc duo fluctuans.* At verò non uſque adeo fluctuat Reſp. Germanica, ſed fluctuat hæc ipſa illatio, tanquam elumbis ac enervis: Reſp. Germanica neque Regnum limitatum appellari, neque corpus aliquod civile fœderum ſocietate conſtans meretur cenſeri, ergo duo inter iſta vacillat. Ipſi equidem Severino, ut ut alioquin ingenij abundantiſſimo, miror quomodo hæc ulla ſequelæ conſtet ratio? Etenim mitto omiſſam eſſe ſufficientem partium enumerationem earundemque ſolidam remotionem, ſaltem dico ipſi ſolidiùs probandum in anteceſſum incubuiſſe, quare reſpubl. German. mixtas inter reſp. quas ipſe quidem, dogmate neſcio quo iufrunito, promiſcuè monſtroſas vocitat, recenſeri nequeat.

III. Enimverò ambigere, an ſint ac dentur reſp. mixtæ? dubitatio inde quin reſultet Domitiana, adeoque à ſtolida parùm abhorrens, nihil abeſt. Fingamus, illæſo tamen limpido veritatis fonte, cum Hænonio, Gregorio Tholoſano, Timplero, Bodino, ejuſque farinæ aliis, nullas reſp. præterquam ſimplices, Monarchiam ſcil. ſtatum paucorum, ac denique popularem, ad quas, quotquot ubique Gentium reperiuntur civiles ſocietates Rerump. nomine dignæ, redigendæ ſint, prono hinc alveo mox fluet, in omni omnino rep. jura illa, quæ Majeſtatis nomen impleant, aut penes unum duntaxat (qui vel Rex eſt, vel Tyrannus) aut penes uno plures (qui vel Ariſtocratici vel Oligarchici) aut univerſum penes populum (qui vel Politiam vel Democratiam conſtituit) ſimul ac indiviſim ſita eſſe: ita ut neque in paucorum, neque populari ſtatu alteri altero inconſulto ullum jus Majeſtatis exercere integrum ſit. Quemadmodum enim Majeſtas penes plures tum indiviſim reſidere cenſenda eſt, quando penes aliquos vel omnes conjunctim ita eſt, ut nullus aut nulla pars ſeorſim aliqua Majeſtatis particula defungi poſſit: ita

iſta

Digitized by Google

iſta penes plures diviſim eſt collocata, quando penes aliquos vel omnes conjunctim ita eſt, ut unus vel alter per ſe, & ſeorſim aliquâ ejus parte gaudeant, quam reliquis in deliberationem non adhibitis reapſe exſerere poſſint, & vice verſâ. Maneat interim neceſſe eſt ipſum ſummæ poteſtatis, quæ minutiores in partes diſtracta abiit, ſyſtema penes imperantes ſimul ſumptos. At enim vero Reſp. ſic inſtitui mixtim ac definiri poſſe, toties dixi, & etiamnum conſtanter dico, ut v. g. penes unum quidem relinquatur jus armorum, pacis & fœderum percutiendorum, uno plures habeant jus deliberandi de importandis & exportandis, de annona, vectigalibus, ærario, omnes verò leges ferendi ac Magiſtratum conſtituendi poteſtatem obtineant. Attamen hic reip. ſtatus neque Regnum eſt, neque Tyrannis, cum unus rerum non potiatur omnium; neque Ariſtocratia, neque Oligarchia, quippe penes paucos haud reſidet κῦρος; neque Politia, neque Democratia cenſeri meretur, eo, quòd omnes omnium, quæ Majeſtatem abſolvunt, jurium haud ſint capaces. Iam autem ejuſmodi civilis formula è claſſe Rerump. adeo eliminanda haud venit, ut nihil ad reip. ſtatum omnibus expletum numeris ipſi deeſſe deprehendatur, quominus illius nominis menſuram adimplere poſſit. Proinde ſi qui ultra repugnent præfractè, ac difficiles ſint contendendo, præter ſimplices Reſp. repertum iri nullas, illos craſſiori ſub aere natos per ſanè exiguâ intelligentiæ mixturâ frui, ſed meram ſapere ſimplicitatem, merum redolere rus, haud injuriâ dixerim. Eant illi, ac ex ſolidiorum Politicorum monumentis rectius ſapere diſcant. Inprimis illos ablegandos putem ad Ariſtotelem, qui præter lib. 2. Polit. c. 4. itemque lib. 4. c. 14. (ubi tria reip. palmaria munera hanc in rem appoſitè evolvit) librum 6. huic doctrinæ ſeorſim ſacrum eſſe voluit. Imò idem haud obſcurè paſſim cûm aliis ſubſellii non infimi Politicis videtur præ ſe ferre, ipſas formas mixtas ſimplicibus eſſe meliores: *Quidam* (ait lib. 2. c. 4. p. m. 83. add. lib. 4. Polit.) *dicunt oportere optimam remp. ex omnibus rebusp. temperatam eſſe*, & iterum eodem ferme loco: *melius dicunt, qui plures miſcent: reſp. enim, quæ conflata eſt è pluribus, melior eſt.* Equidem à monſtro Severini ſententiam, quâ mixtis Rebuspubl. monſtrum ac abortum affingit, parùm abeſſe primo hinc obtutu apparet.

IV. Quanquam ignarus eſſe haud debeam reperiri inter Neotericos etiam eos, quos cætera maximi faciendos putem, qui, utut aſtruant duas invicem miſceri poſſe reſp. triplicem tamen mixtionem omnino eiicerent, moti inprimis judicio Taciti, quod verè pragmaticum & omni temporum uſu approbatum arbitrantur. Legi illud poteſt Ann. 4. c. 33. ubi poſtquam ex inſtituto de republ. dignoſcenda, & cunctas nationes & urbes à populo aut primoribus aut ſingulis regi cum reliqua Politicorū Gente profeſſus eſſet, ſubjicit, delectam ex tribus his & conſtitutam reip. formam laudari facilius, quàm evenire, vel ſi eveniat, haud diuturnam eſſe poſſe. Adverſus quod ſanè ſi autoritate aliorum reciprocâ me tueri volupe eſſet, in promptu equidem forent complures probatiſſimæ etiam notæ tum veteris tum recentioris ævi Autores. Ex omnibus tamen unum ſaltem non poſſum non proferre Ariſtotelem; unde quamvis multa hanc in rem elegantia aſſerta petere poſſim, nihilominus nolim illorum prodigus heic eſſe parca manu unicum hunc ex lib. 4. Polit. c. 12. ſtaturus locum: *Quanto melius mixta & temperata eſt reſp. tanto erit ſtabilior.* Ratio evidens eſt, quamque alibi ipſe Sapientiſſimus Græcorum Stagirites allegat. Ita enim conſtitutâ civitate quælibet pars ſibi applaudet, ſe in conſortium ac gubernaculum reip. venire. Adeoque dum cuique ſuum tribui exiſtimeut, nemo temerè rebus novis ſtudebit, aut ſi ſtudeat, reliquorum retinaculo coërcebitur, & ita ſtatus ſic tripliciter mixtus facilè perennabit. Aſt ulteriori evictione præſtanda ſuperſedere impunè potero, ſi largiar hujuſmodi triplicem mixturam non tam ſæpe actu exiſtere, olimque extitiſſe, quam laudatam multis crebrò fuiſſe. Deprehendi tamen quandoque ejus veſtigia ut de aliis nihil dicam rebusp. vel ipſum illud Francorum Regnum quod hodie abſolutæ ubivis nomen Monarchiæ cuilibet ſatis oſtentat, non adeo ab exemplo hunc in uſum monſtrando olim abhorruiſſe ex abundanti evincunt, quæ huic rei prolixè teſtandæ præter alios reliquit cordatiſſimus æque ac peritiſſimus Galliæ Scriptor *Eſtienne Páquier aux recherches de la France liv. 1. chap.* 1. 2. 3. & haud unus alibi locis (Etenim fuit, ubi unus quidem nomen Regis arctas inter anguſtias redactum ægrè tuebatur, Senatus Pariſiorum amplam ſatis Ariſtocratiam præferebat, comitia verò haud obſcuro popularis ſtatus ſimulacro incumbebant. Ab omnimoda verò mixtura illum ſtatum in ſimplicem planè formam Monarchicam, quâ hodie Gallia caput effert, vindicârunt demum illi Cardinales Illuſtriſſimi, Richelius & Mazarinus, quorum ille huic faculam prætulit.) Si quis tamen etiamnum repugnet, vel cum hoc modeſto rarioris contingentiæ temperamento triplicem mihi mixturam probari, negans planè ob incommoda ac difficultates, quas inde emergere exiſtimet, hujuſcemodi commixtionem locum unquam habere, illi regero, nihil ferme in civilibus rebus inveniri poſſe, quòd incommodorum penitus expers ſit: Vt enim in ſimili loquitur Grotius lib. 1. de Ius. B. & P. c. 3. pag. m. 49. *fruſtra afferuntur incommoda, quæ hinc ſequantur, aut ſequi poſſunt: nam qualemcunque formam gubernationis animo finxeris nunquam incommodis aut periculis carebis.* Et §. 17. ibid. ex profeſſo hanc in rem denuo dicit per admodum eleganter: *Multi adverſus talem ſtatum quaſi bicipitem incommoda multa deferunt; Sed, ut ſuprà quoque diximus, in civilibus nihil eſt, quod omni ex parte incommodis careat, & jus non ex eo, quod optimum huic aut illi videtur, ſed ex voluntate eius, unde ius*, ſeu, ut alio loco pronunciat, unde ſummitatis diviſio *oritur, metiendum eſt.*

V. Quod ſi ita ſit, adeoque firmo ſtet talo, ex tribus illis rebusp. ſimplicibus iiſque omnibus ſpecie inter ſe diſtinctis ſic ſatis contingere quandoque veram mixtionem quandam, in aprico eſt, quoſd facillores illas miſcendi formulas rem ab omni controverſiæ alea tutam eſſe. Quos quidem omnes mixtionum modos longo hic oſtendere ordine nihil attinet, eo, quod jam alii (quos inter vel imprimis haberi meretur accuratiſſimus

Eichelius inde mixta Rep. diſput.) hanc opellam ita præripuerint, ut alienæ pauciora reliquerint induſtriæ. Illud tamen incidenter hic animadvertere operæ erit pretium hactenus quidem *ἀμφίβολον* eſſe *in actu ſignato*, ut in Scholis loqui couſuevimus, diſpicere, quot & quibus fortè modis civitatum mixtiones habere ſe poſſint. Aſt *in actu exercito*, ut iterum cum Schola loquar, non paulò res videtur altioris eſſe indaginis, dignoſcere, quonam modo jura Majeſtatis utiliter ac Reipubl. convenienter miſcere debeant. Certe enim cum diverſimode varient reſpubl. aliis atque aliis utpote conflatæ partibus, neceſſe utique eſt, toties mutare mixtionum faciem, earundemque tot diſtinctas ab invicem ſubnaſci ſpecies. Diverſitate itaque hac æquâ lance perpensâ videndum eſt, quantum cuique parti, quam Majeſtatis jurium participem fieri neceſſe eſt, debeatur: Quod ſi perſpectum erit, collatio pari pacto ineunda. Præterea mediocritatis ac æqualitatis obſervantiam ceu potiſſimam omnes mixtas reſpubl. ab interitu vindicandi indigitat rationem Ariſtoteles (Conf. tot. cap. 11. lib. 4. Polit.) Quod ſi enim unus aut quidam reliquos nimis exſuperent, facilis eſt mixtæ reip. in ſimplicem deſcenſus ac demigratio. Et ſic unius potentiæ generatio eſt alterius corruptio. Si itaque illi qui in mixta verſantur rep. illius ſtatus temperamentum ſalvum ac ab omni convulſione liberum eſſe velint, videant, ne quis in alienam poſſeſſionem irruat, ſed quælibet pars ſuo juri, nec addi quid poſtulet, nec detrahi patiatur. *Regnum Moloſſorum*, inquit Ariſt. lib. 5. Polit. c. 11.) *longiori tempore duravit ut & Lacedæmoniorum, tum quia ab initio imperium in duas partes diviſum fuit, tum quia Theopompus moderatè ſe geſſit cum aliis rebus tum Ephororum Magiſtratum conſtituendo, regnum quidem ſucceſſoribus minus tradens, ſed tamen diuturnius.*

VI. Adhæc perquam eſt bene animadverti, quòd ſtatus optimè mixti certiſſimum Ariſtoteles inde arceſſat indicium, ſi jura Majeſtatis ita ſint diviſa, ut v. g. Remp. ex ſtatu populari & Ariſtocratia mixtam, eadem ratione liceat appellare & ſtatum popularem & Ariſtocratiam. *Opus autem* (aſſerente eodem lib. 4. Polit. §. 9. pag. 255.) *in rep. quæ mixta eſt probè, utraque videri eſſe, & neutrum.* Gemina his valde ſunt & maximam addunt lucem, quæ proximè antecedunt verba. *Bene autem mixtum eſſe ſtatum populi & dominatum paucorum declaratur, quando licuerit dicere eandem remp. ſtatum populi & dominatum paucorum. Planum enim eſt hoc inde dici, quia pulchre mixta eſt. Quod uſu venit etiam in medio. Apparet enim in ipſo utrumque extremorum;* Imò majorem huic rei facem adhuc accendemus exemplo, quod idem παραπλάτος ſubjungit: *Contingit hoc quidem in rep. Lacedæmoniorum. Multi enim non dubitant loqui de ipſa, ut de populi ſtatu quia popularia multa locum illic habent. Hi verò dominatum paucorum ſtatuunt, quia multa inſignia habet propria huius ſtatus.* Hinc ſanè ſole meridiano clarius eluceſcit, optimè mixtam cenſendam eſſe illam remp. in qua jura Majeſtatis ita diviſa, & pro varia ratione ſic diſtributa ſint, ut quæque pars & videatur imperium habere & ab eodem deſtituta eſſe.

VII. Pronum utique atque proclive inde apparet, quid de novis Severini hypotheſibus, quid & de Germ. inferendum ſit republ. in qua Majeſtatis jura ita examuſſim ſecundum mentem hanc Ariſtotelis diſtincta, & aptata cognoſcas, ut ambigas cum aliis emunctioris naris Politicis, numquid ad Ariſtocratiæ an Monarchiæ pomœria propius accedat. Etſi tantum quidem abſit, ut hæc dubitatio veræ ac probæ mixturæ derogét, ut bene moratum illius temperamentum integriter exprimat ac nimium quantum ſtabiliat. Nihil huic rei appoſitius eſt verbis Stephani Paſquerij, (quanquam illis aliovorſum tendat,) *aux recherches de la France liv. 3. chap. II. p. 260. Tout ainſi*, dit il, *comme aux jeux, & comedies, qu'on repreſente ſur un theatre, chacun y entre pour ſon argent, & ſe donne loy de juger de bien ou malfaçon des comediens, ainſi en advient il aux Republiques.* Antequam hinc diſcedam, velim nunc perpendatur, quam à vero abludere videantur, quæ ita ſcripſit Severinus: *Quæ toti corpori Germaniæ forma Reip. ſit aſſignanda, inter ſcriptores ejus nationis non convenit; certiſſimo argumento Reip. valde irregularis.* (imo dixi modo, hanc nonnullorum ambiguitatem bene mixtam confirmare remp. dum diverſimode inibi Majeſtatis jura exerceri deprehendentes alternis dubij ſint judiciis, referant ne illam ad Ariſtocratiam magis, an Regnum) *nec minus inſcitia Scriptorum, qui ferè nullâ rerum civilium*, quam nimis jejunè ſentit hic iterum Severinus?) *aut valde tenui ſcientiâ inſtructi ad commentandum de iure Publico, ut ipſi vocant, provolârunt.* Enimvero veras iſtas ac ſupra oſtenſas bene mixti ſtatus notas ſi quis Reip. Germanicæ præter alias ejuſdem rei vivas imagines (quas genuinis adumbrare coloribus non tam ſubterfugio, nec adeo neceſſum inſuper duco, quam ad chartæ incitas mox redactus prohibeor) candidè accommodet, illas eidem juxta perpendiculum prope quadrare, nec ovum ovo, neque lac lacti ſimilius reperiet.

VIII. Proinde Germaniæ mixturam eluſit, diluere cùm indubiè nequiter Severinus ille de Monzambano. Illam verò ut nentiquam ſimplicis; ita certè mixti nomen ſtatus tueri, ut reliqua huc facientia nunc mittam, paucis rem utpote per ſe aut certè ex anterioribus manifeſtam expedire malo, ne videar ſereno cœlo lumen intuliſſe. Sanè in ea minimè unus Majeſtatis jura obtinet, adeoque nec Monarchiam repræſentat. Nec illi nodum ſolvunt, qui inter Regna abſoluta & reſtricta differentiam (qua de ea profeſſo libr. III. c. X. tractat Ariſtoteles) admittentes ad poſteriorum claſſem Remp. Germanicam ſaltem remittunt. Nulla enim non ſpecies omnem applicandi modum reſpuit. Id quod & multis hactenus ſatis rectè ipſe oſtendit Severinus p. m. 156. (Licèt poſtmodum inciderit in Scyllam, ubi imaginariis & malè fidis fluctibus Regni limitati, & Syſtematis fœderati remp. omnem brevi, ſua opinione, ruituram expoſuit.) Et minus quis videat, quam in exercitu Tireſias, qui vel unico ex inſtrumento Pac. art. 8.) addito inſimul receſſu imperij de ann. 1495.) haud manifeſta ſtatus Polyarchici indicia deſpiciat, quæque minimè Monarchico cum ſtatu, ut ut limitato ſubſiſtere valeant. Qualis enim ille eſt Monarcha? qui

nullam

Digitized by Google

nullam ſua ſponte potis ſit condere, imò ne explicare quidem vel abrogare legem, nullum ordiri bellum) fœdus ferre nullum. Sexcenta ſunt alia, quæ verò Regno maximè repugnant (Add. Conringius diſſert. ad Lampad. lib. 3. cap. 3.) Deinde nec omnia Majeſtatis momenta penes uno plures ſeu univerſos Imperii ſtatus ſunt relicta, adeoque nec Ariſtocratia obtinet. Penes omnes verò ſeu multitudinem eadem eſſe putidum foret quempiam aſtruxiſſe. Relinquitur ergo ſtatum eſſe mixtum; quippe cum nonnulla majeſtatis jura à ſola arbitraria Imperatoris diſpoſitione dependeant: potiſſima verò & pleraque ut Imperatoris ita & omnium quotquot ſunt ordinum voluntati ac nutui devincta ſint; ita tamen ut illa quidem, quæ penes Imperatorem ſunt, & reliqua, quorum in conſortium veniunt optimates, collectim conſiderata Majeſtatem demum conſtituant, neutra verò ſeorſim ſumpta eius vim ac energiam poſſint abſolvere; adeoque certiſſima ſtatus Germanici ex Regno & Ariſtocratia mixti veſtigia hinc prorumpant. Equidem cum Civilis majeſtatis diverſo invicem modo compotes evadant Status (Collegium Electorale v. g. habet quædam, ut ſibi præcipua, ita reliquis ordinibus denegata) haud adeo repugnantem me habebit, qui mixtionem ex Regno & pluribus uno plurium ſtatibus conflatam aſſeruerit, ſi quidem res omnis ἀκριβῶς debeat examinari. Quæ ipſa inæqualis Majeſtatis participatio, cum in ſimplici rep. nulla locum unquam inveniat, mixtum ubique ſtatum, velut pollex gigantem, prodit. Certè de mixto hujusmodi ſtatu haud dubitandum eſſe, ex A. B. Receſſibus Imper. Capitulationibus Imperatoriis, iisque, quæ toto die publicè geruntur, nec non conſentiente multorum Eruditiſſ. Virorum ſuffragio ulterius declarare in facillimis foret, modò impræſentiarum Vacuna mihi & huic rei charta vacua foret. *Etſi paucis apud Cordatos verbis liceret defungi*, ani Severini (vid. idem p. 141.) ineptior (ignoſcat verbis veritatem in pudium abſcondere neſciis) ſententia, jam quantum video, aliquam multis incautioribus *probata* vel hoc operoſius *videretur convellenda*, quo plures in ineluctabiles errores alioquin involutum iri certius reor. Leviora fuerunt, quæ hac vice adduxi. Latitant eadem in herba adhuc alia, quæ ſimulatq; huic negotio otium nactus fuero, una cum illis, quæ modò à me delibata fuerunt, bonâ Viri pace (quam veritatis ſtudium facili negotio impetrabit) plenius excutere atq; ſub obruſſam revocare animus eſt. Certè quod Imperii Germanici comitia cum Angliæ, Sueciæ, Scotiæ conventibus ſeu Parlamentis compâ: arit, nullus dubito, quin hoc ipſo iſtorum quidem vim ac nervum planè enervatum iverit, adeoque in Imperii ordines injurius extiterit. Inprimis non poſſum non mirari, Severinum hanc tanto acumine Virum eo abreptum, uti ſtatuerit, Remp. Germ. ad illa pertinere corpora civilia, quæ diverſorum nexu fœderum coaluerunt. Conſtat enim huiusmodi fœderum jure cohærentem ſocietatem civilem non niſi inter reſp. coordinatas intercedere poſſe. Secus verò ſit cum iis, quarum altera alteri ſubordinata. Haud obſcurè idem videre ſupra eſt ex ſect. 5. §. 6. Ilicet.

ADD. XII.

Poſt lib. 1. Limnæ. Enucl. c. 13. addendus ſequens Diſcurſus Hiſtorico-Politicus Nobiliſſ. Viri Dn. D. Herm. Conringy, cuius tenor ſequitur:

CUm aliis multis Magiſtratibus geritur Imperium Germanicum, tum unus ſummus illi præeſt, quem Cæſareum aut Regium appellare eſt moris. Poſſunt autem de illo multa dici ac varia: nos verò non niſi pauca nunc attingemus.

Atque initiò quidem videbimus, quo jure, quâve injuriâ, illi competat *nomen Caſareum*, & titulus *Romanorum Imperatoris*. Conſtat quippe, illis nominibus appellatos olim qui Imperio Romano regiâ autoritate præfuerunt. Cæterùm an idem nomen iis, qui Germaniæ ſociiſque regnis præſunt, regibus conveniat, id verò haud periode liquidum eſt.

Verùm hanc quæſtionem agitare fortaſſis haud licebit, niſi & illud agitetur, ſuperſitne hodieque Reſpublica aliqua Romana: aut ſi non ſuperſit, jura ne eius Imperii unà cum Republica exſpiraverint, an verò maneant: & ſi manent, penes quem ergo verè reſideant.

Et quidem ſupereſſe hodieque Romanum Imperium, eiusque nobiliſſimam portionem eſſe Germaniam & Italiæ pleraque, vulgata adeò eſt ſententia, ut eâ de ſe dubitare, videatur meritò abſurdum & abſonum: Quoniam tamen planè contrà ſenſerunt noſtro ſeculo nonnulli ex eruditiſſimis, res que difficultate non caret, & tamen operæ pretium eſt, in re tam magni momenti à veritate non aberrare, non abs re fuerit, totum hoc negotium accuratè agitare.

Principiò autem ſciendum eſt quid olim florentibus Romanorum rebus ad Romanum Imperium pertinuerit, ſive reapſe, ſive jure.

Totum enim terrarum orbem olim imperio ſuo Romanos continuiſſe, & antehac viri quidam magni aſſeruerunt, & nunc etiam nonnulli pertendunt. Et verò adeò id ipſis ſacrarum literarum dictis conſentaneum eſſe nonnullis creditum, ut hæreſeos infamiâ notare haud dubitaverint eos qui diverſum ſentiant. Neque negari poteſt diſerta eſſe ſanctiſſimi Evangeliſtæ verba: ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. Sed & Marcus Tullius ita olim ſcripſit: *Nulla gens eſt quæ non aut ita ſubacta ſit ut vix exſtet, aut ita domita ut quieſcat, aut ita pacata ut victoriâ noſtrâ imperioque lætetur*. Quin vulgati olim ſermones fuere: *Romam mundi caput, Romanos rerum dominos. Martialis.*

Terrarum Dea gentiumque Roma.

Petronius Satyrico:

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
—— Quà mare, quà terra, quà ſydus currit utrumque.

Nec aliter Græci loquuti ſunt. Dionyſii Halicarnaſſæi verba ſunt L. 1. cap. 111. *Romanorum urbs toti imperat terræ, quæ quidem non eſt inacceſſa, ſed ab hominibus habitatur. Imperat verò & toti mari, non illi tantùm quod intra Herculis eſt columnas, ſed & ipſi Oceano, quacunq; eſt navigabilis. Prima & ſo-*

la earum, quæ ab omni ævo memorantur, Orientem & occaſum domini ſui terminos effecit. Aliquot poſt Dionyſium ſeculis in Ægypto cecinit Claudianus de Roma:

> *Armorum legumq; parens, quæ fundit in omnes*
> *Imperium.* Item: *parvâque à ſede profecta*
> *Diſperſit cum ſole manus.*

Nec verò Cæſares jam tum Chriſtianiſmo imbuti, adeoque ad modeſtiam majorem compoſiti, dubitârunt *mundi ſeſe dominos* appellare: quin titulus hic reperitur hodieque in Actis Concilii Chalcedonenſis *act. XI. ac XII.*

Cæterùm vix ſextam partem mundi tunc cogniti intra Imperii Romani ambitum olim fuiſſe, certiſſimum eſt: tantum abeſt Americam, plurimaſque Oceani inſulas, aliaque nuper demum Europæ cognita, illi paruiſſe. Sanè Auguſto imperante ab oriente intra Euphratem: à meridie intra Nili cataractas, deſerta Africæ, & montem Atlantem: ab occidente Oceano: à ſeptentrione Danubio & Rheno amnibus, incluſum fuit. Adiectæ poſtea quidem nonnullæ provinciæ, ut Claudio Cæſare Britannia in ipſo Oceano, Trajano Arabia, Armenia, Meſopotamia, Dacia; verùm ne ſic quidem omnia occupata. Quodque cumprimis hic meretur expendi, Germania univerſa nunquam, vel ad breve tempus, Romanis paruit. Ciſrhenana ſola conſtanti imperio à Romanis detenta: Transrhenanæ quod ad Albim uſque porrigitur, Auguſti Tiberiique auſpiciis ſemel iterumq; invaſum, mox tamen iterum in libertatem vindicatum eſt, ſolis Rheno proximis populis, Friſiis, Vſipiis, Tencteris, Iuhonibus, Mattiacis, & his conterminis Alemannis, nonnihil diutiùs dominatui Romano ſubditis. Reliquum omne infeſtis armis ne quidem tactum fuit. Quæ multis probare in tantâ literarum luce fuerit Soli facem mutuari. Itaq; inutili labori ſuperſedebimus.

Nec verò quem moverit illud Lucæ Evangeliſtæ, qui eiusmodi *αὐξήσεις* novit per tum fuiſſe ſacro etiam populo familiares. Eadem ſcilicet loquendi libertate in ſacris codicibus *omnia bona Damaſci* dicuntur varii generis divitiæ eius urbis. Similia alibi plura reperias paſſim. Eſt verò & certiſſimum, optimam habitabilis orbis partem adeoque florem ipſum totius orbis, Auguſti ævo, Romani Imperii finibus incluſum fuiſſe: ut meritò jure potuerit pars illa eximia totius nomine venire, licèt verè pars tantùm fuerit univerſi. Quo liquet non multùm adeò olim à rigido & duro veritatis ſermone receptum paſſim loquendi morem receſſiſſe: ut verò ille non omnimodè congruerit. Neque enim, ſi accuratè loquendum, niſi pars orbis terrarum Romano Imperio unquam occupata eſt. Scilicet ut totius nomine pars potiſſima veniat, vulgaris eſt loquendi conſuetudo. Ac proinde non aliter quoque loquutus eſt ſanctiſſimus Lucas. Neque enim ſacrarum literarum ſermo abit ab eo quod tunc in vulgus ſuetum, habetque ergo & αὐξήσεις ſuas & μειώσεις.

Sed & familiare ipſis eſt *οἰκουμένης* voce nunc Iudæam, nunc aliam aliquam latè porrectam regionẽ appellare. Quod obſervans Hieronymus: *Nomen terræ*, inquit, *etiam cum additâ particulâ omnis reſtringi debet ad eam regionem, de qua ſermo eſt.*

Verùm hæc quum neminem temerè lateant hodiè paulò doctiorum, non eſt cur vel verbulo amplius oſtendamus, quàm ineptè quidam ex illis Evangelii, aliorumque Romanorum verbis, verè totum terrarum orbem dominio Romano paruiſſe aliquando, colligant.

Sed fortaſſis omnem mundum occupandi aliquod jus Romano populo fuit: adeoque per injuriam nonnulli populi imperium eius olim detrectârunt. Sicut Ariſtidi Rhetori *miſeratione digni viſi, qui imperio Romano non ſubiacebant, ut qui bonis maximis deſtituerentur.* At cùm omne jus vel æternum ſit vel poſitivum, atque vel ab ipſo Deo vel ab hominibus profluxerit, nihil tamẽ horum pro univerſali illo dominatu Romano valeat, quid de jure illo ſit ſentiendum manifeſtum eſt. Certè poſitivum eiusmodi aliquod jus ſive divinum, ſive gentium, ſive civile, nullum reperitur. Non divinum: id enim humano generi non potuit innoteſcere niſi unius Dei revelatione, hic autem nihil huius nos docuit per Prophetas, per Apoſtolos, per Apoſtolicos viros, quibus ſolis internunciis uſus eſt. Non gentium: nunquam enim omnes populi in id convenerunt, imò plerique acerrimè Romano Imperio reſtiterunt, nonniſi maximis cladibus domiti: pauci ultrò ſeſe & ſua Romanis dediderunt, aut in eorum ſocietatem cupidè liberèq; conceſſere. Ne Romanus quidem populus tale aliquod jus condidit: nec condere potuit quicquam quod liberos populos extra civitatem ſuam obligaret. Iam ſi quod eſt perpetuum Dei vel naturæ jus, id non niſi ratiocinatione ex firmis ac æternis naturâ notis principiis deductum à nobis intelligitur. Et tamen hoc modo tale Romani populi jus vel vero ſimile non poteſt reddi. Nec verò Dantis Aligerii aliorumque argumenta, quibus Imperatori tale jus adſcribere conatur, quia expediat humano generi ſub uno imperio eſſe, ullius ſunt momenti. Vt enim illud fuerit utile, non ſequitur tamen illud imperium ad Romanos pertinere. Quod enim hi potiùs imperent omnibus quàm alii? Nec ſola utilitas jus dat imperandi, niſi omnia imperia deteriorum in meliores injuſta ſint. Vt porrò etiam humanum genus in verè unam rempublicam coëat, *ἀδύνατον* eſt. Neque id expedierit illi, quales ſunt res humanæ, quum ab uno commodè tam vaſtum ſpaciũ regi nequeat. Certè Ariſtoteles, vir, ſi quis alius, *πολιτικώτατος*, intra anguſtos limites beatam rempublicam coercet: tantùm abeſt ut totum mundum crediderit feliciter ad unum ſceptrum adſtringi. Et verò ut navis cuiusque aliarumque rerum: ſic & civitatis certa eſt magnitudo, quam ſi excedat non ampliùs id eſſe poteſt quod debebat. Ipſe ſanctiſſimus vir Auguſtinus L. *IV. de civ. Dei. cap. XV.* affirmat *feliciores futuras res humanas, ſi omnia regna parva eſſent, concordi vicinitate lætantia.* Habent magna ſuos uſus, at quæ totidem, imò pluribus longè, damnis compenſentur. Ipſum illud Romanum Imperium *magnitudine ſua laboraſſe* cenſuit Titus Livius, prudentiſſimus vir. Nec aliò fortè ſpectavit Auguſti conſilium *coërcendi intra terminos imperii*: ut ut, Tacito *incertum* viſum *metu an per invidiam*, ita ſit judicatum. Non potuit verò natura imperium in omnes tribuiſſe Romanis, ſi & illa parvitas oneri fuit. Verùm hac de re operosè agere non eſt huius inſtituti, abundè enim etiam ſic liquet non æterna naturæ lege, non arbitrariâ, vel Numinis cœleſtis vel gentium

omnium

omnium conſtitutione, Romano populo in omnem mundum quicquam juris eſſe conceſſum.

Iisdem verò argumentis probare licèt haud difficulter nullâ tali lege Romanos præ aliis populis in occupanda, vel minima, terræ parte, ſingulare aliquod jus habuiſſe. Neque enim ex ſacris literis conſtat nobis quicquam de divino aliquo tali inſtituto: neque hiſtoriæ nobis produnt gentium omnium eiusmodi quem conſenſum, neque licèt infirmis rationibus ex naturæ principiis arceſſitis iſtiusmodi quid perſuadere.

Habemus verò hìc & confitentes ipſosmet Romanos: nullibi enim legas alios titulos aut alia jura Imperio ſuo unquam prætexuiſſe, quàm quibus aliàs vulgò acquiritur aliquid aut poſſidetur, jus ſcilicet belli, fœdus, donationem, derelicti occupationem, ac id genus alia. Certè ſibi divinitùs aliquid præ aliis datum nunquam præ ſe tulerunt: quale quid tamen à Muhammede falsò jactitatum, Hebræis verò olim in ea quæ ab Ægyptiis commodatò acceperant & Cananæorum terram, verè fuiſſe conceſſum notum eſt, de Tartaris narrat Haithonus *c. XVI. & XVII.* de Mexicanis Ioſephus Acoſta *hiſtor. Americanæ l. VII.* de aliis gentibus ab aliis memoratur. Apud Salluſtium Mithridates cauſas bellorum Romanorum his verbis perſtringit: *Romani arma in omnes habẽt, in eos acerrimè, quibus victis ſpolia maxima ſunt.* Item: *Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis una & vetus bellandi cauſa eſt, cupido profunda imperii & divitiarum.* Galgacus apud Tacitum: *Raptores orbis, poſtquam cuncta vaſtantibus defuere terra, & mare ſcrutantur. Si locuples eſt hoſtis, avari: ſi pauper, ambitioſi: quos non Oriens non Occidens ſatiaverit.* Verùm hæ voces, ut hoſtiles, minùs fortè merentur fidem: neque verò probaverunt illud Carneadis, quod ex Cicerone refert Lactantius *l. V. inſtitut. c. XVII.* ſi juſtitia ſit obſervanda, Romanis ad caſas redeundum fuiſſe: ne ipſi tamen Romani omnia ſua bella juſtis de cauſis ſuſcepta eſſe auſi olim ſunt prædicare. De Sardinia Carthaginenſibus erepta, contrà quàm convenerat, jam olim conqueſtus eſt Polybius, gravis Scriptor, & qui in Romanis caſtris vixit. Cypri occupatæ iniquitatem improbant ſummopere Cicero *pro domo ſuâ* & Ammianus Marcellinus *L. XIV.* De Corintho exciſâ idem Cicero *l. III. de offic. Vtilitatis ſpecie in republica ſæpiſſimè peccatur, ut in Corinthi deturbatione noſtri.* Alibi tamen eiusdem verba ſunt: *noſter populus ſociis defendendis terrarum omnium potitus eſt.* Et verò olim famam juſtitiæ præ aliis Romani obtinuerunt, certè affectarunt. Hinc Rhodii apud Livium *L. XLV. Certè quidem vos eſtis Romani, qui ideò felicia eſſe bella veſtra, quia juſta ſint, præ vobis fertis, nec tam exitu eorum, quòd vincatis, quàm principiis, quòd non ſine cauſa ſuſcipiatis, gloriamini.* Rutilii Tauri Æmiliani verſus eſt notiſſimus de Roma:

Iuſtis bellorum cauſis, nec pace ſuperbâ
Nobilis ad ſummas gloria venit opes.

Dionyſius Halicarnaſſæus religionem Romanorũ deprædicat, quâ Græci ſui, carverint. Nam *omniũ,* ait, *bellorum initia & cauſas apparebit juſtas fuiſſe: atque ideò Deos meritò propitios ſenſiſſe & faventes.* Neque negari poteſt jure id in Romanis laudandum, quod belli indictionem fecialibus, id eſt; ſacerdotibus, non ſoli populo profano, commiſerint. Vt autem hæc omnia ſint vera, juſtiſſimis ſcilicet cauſis bella omnia à Romanis ſuſcepta, [quod tamen in univerſum non eſſe verum ipſorum confeſſione antè docuimus] verum tamen eſt non aliud jus Romanos prætexuiſſe olli bellorum ſuorum, quàm quod omnibus populis eſt commune. De ipſo feciali jure Cicero *l. 1. de officiis* ſcribit; *belli quidem æquitas ſanctiſſimo feciali populi Romani jure perſcripta eſt, ex quo intelligi poteſt nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum antè ſit & indictum.* Sed hæc clara ſunt, niſi fallimur.

Id verò cumprimis notandum hoc loco ducimus quæ finibus Romani Imperii olim fuere incluſa diverſo admodum varioque titulo ad illud pertinuiſſe. Fuerunt ſcil. alii verè ſubditi atque in provinciam redacti, alii amici, alii ſocii, alii aliter fœderati, magnus quoque numerus extitit coloniarum & municipiorum. Ex unius Plinii *lib. III. IV. V. VI. naturalis hiſtoriæ* abundè id diſcere eſt: ut alios teſtes laudare non ſit neceſſum. Singularim quæ Italiæ populorum urbiumq; fuerit tum ratio, præclarè docuit Carolus Sigonius eximio opere *de antiquo iure Italiæ.* Ne Germani quidem omnes Ciſrhenani pari fuère conditione. Vbi enim *Romana colonia eſſe meruerunt:* Vt verbis utar Taciti, qui de Batavis ſcribit: *manet honos & antiqua ſocietatis inſigne.* Socii itaque Romanorum fuere Batavi, non ſubditi: quod egregiè, ut omnia, illuſtrat Hugo Grotius L. *de antiquit. reipubl. Batav. c. II. Non in alio obſequio,* eodem Tacito teſte, *trans Rhenum fuere Mattiaci, etſi & hi pars habiti imperii Romani.* Ammiani Marcellini *L. XV.* verba ſunt: *Prima Germania, ubi præter alia municipia Moguntiacus eſt, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus.* Quædã itaque & Ciſrhenanæ Germaniæ urbes municipiorum libertate ſunt uſæ, quæ qualis fuerit docet Gellius *l. XVI. noct. Atticar. c. XVI.* Non diffitemur Romanos, ſocietatis fœderumque juribus violatis, ſæpè ſocios ſuos pari cum ſubditis loco habuiſſe. Et verò hanc injuriam queſti olim Batavi apud Tacitum *l. 5. Hiſtoriæ: neque enim ſocietatem, ut olim, ſed velut mancipia haberi,* & Latini apud Halicarnaſſ. *l. 6. ſub umbrâ fœderis Romani ſervitutem ſe pati.* Rhodiorum, Ælorum, Achæorum, Theſſalorum, Magnetum ſimiles querelas alibi reperias. Ipſe Salluſtius bello Catilinario fatetur *civitatem immutatam: imperium ex juſtiſſimo atque optimo crudele intolerandumque factum.* Hi, addit, *ignaviſſimi homines per ſummum ſcelus omnia & ſociis ademère, quæ fortiſſimi viri victores hoſtibus reliquerunt: perinde quaſi injuriam facere id demum eſſet imperio uti.* Verùm non eſt huius loci hæc latè exponere: ſatis liquèt Romanos non aliis titulis, aut aliis juribus, in occupandis aut poſſidendis rebus uſos quàm vulgò receptis & uſitatis, adeoque nihil juris eos habuiſſe ad totius mundi imperium occupandum.

Videndum deinceps numquid eorum quæ poſſederunt Romani perdiderint. Et quidem quum in illorum poteſtate fuerint non ipſæ tantùm provinciæ variæ, ſed & ius eas poſſidendi, ſeorſim conſiderandum, an cum poſſeſſione & ipſo poſſidendi jure tandem hæc ſeſe habuerint. Apprimè verò videndum quemadmodum hæc ſeſe habuerint eo tempore quo ad Francos Cæſarea occidentalis Imperii dignitas pervenit.

Cæterùm occidentalis quidem Imperij [nam de uno illo nunc agere tempeſtivum eſt] plæraque jam Honorij & Valentiniani III. Cæſarum ætate à Germanicis gentibus, hactenus Danubio & Rheno ſeclusis, occupata eſſe notius eſt quàm ut longâ opus ſit probatione, ut neque patitur inſtitutum in cauſas illius excidij accuratiùs inquirere: utrum ſcilicet tanti mali cauſas illi per Conſtantinum M. inſtitutæ Imperij diviſioni, qua ille, teſte Zoſimo, Rheni & Danubij ripas quindecim legionum præſidio nudavit, & quod unitum firmum erat, diviſum in duo reddidit imbecille: an ſocordiæ ſucceſſorum Theodoſij: an denique potiùs fatali cuidam numinis indignationi ſit adſcribenda. Quicquid verò in cauſa fuerit, id certum eſt, illâ tempeſtate non totis quinquaginta annis periiſſe Romanis penè mille annorum labores, quos acquirendis iis inſumpſerunt. Ita ſanè Hiſpania Vandalis, Vviſigothis, ac Suevis: Gallia Fràcis ac Burgundis: Britannia Pictis, Scotis, Saxonibus, Anglis: Vindelicium ac Noricum, ut & Rhetiæ potiſſima Baioariis atque Alemannis: Pannonia poſt alios Hunnis ac demum Hungaris, ceſſerunt.

Ne ipſa quidem Italia in ditione Romani populi permanſit. Per Vviſigothorum enim Vandalorumque incurſiones ſummè debilitatam primùm Heruli, mox Oſtroguthi inſederunt. Atque horum quidem ea vis fuit ut, ipsâ Vrbe Româ cum omnibus Italiæ partibus occupatâ, novum quoddam Italiæ regnum quod appellabãt condiderint. Imperij Romani per ipſam Italiam nomine penitus abolito, & ſublatis inſignibus. Neque verò Reges illi Oſtrogothici alio titulo quàm Italiæ regum uſi ſunt, imò ab inſignibus etiam Romanis prorſus abſtinuerunt: ut ex ejus ævi ſcriptoribus notiſſimum eſt. Hinc Iornandes, Gothus *l. de regnor. ſucceſ.* ubi de Odoacro dixiſſet & Auguſtulo: *Sic Heſperium regnum, Romanique populi Principatum, quod DCCIX. V.C. anno primus Auguſtorum Octavianus Auguſtus tenere cœpit, cum hoc Auguſtulo periit: Gothorum de hinc regibus Romam tenentibus.* Iiſdem verbis utitur Marcellinus Comes *in chron. indict.* XIV. Baronius *ad annum* CCCCLXXVI. *num.* 1. *Imperium Occidentale collapſum eſt penitus & devolutum ad Barbaros.* Hic ſtatus Italiæ fuit ab anno Chriſtiano CCCCLXXVI. uſque ad CCCCCXL. circiter: quo tempore Iuſtinianus per Belliſarium cœpit Gothis Italiam èripere rurſum, & Romano Imperio, cujus vis & majeſtas in Oriente ſupererat, reſtituere. Inde nutavit Italiæ poſſeſſio per annos duodecim inter Gothos & Romanos: nec his quoque poſt Gothos exciſos integrè reddita eſt, niſi annis quindecim. Ex eo verò, ſi modò unquam, certè non antè indeptum à Francis Cæſareum titulum unquam, Italia omnis in Romani Imperij aut ditionem aut nomen pervenit. Longobardi enim, Germanica gens, ſed quæ aliquamdiu Pannoniam tenuerat, à Narſete invitati. Italiam penè omnem, pulſis Cæſarum præſidiis, ſui juris fecerunt. Nec enim Græcis Cæſaribus quicquam in Italia paruit ampliùs quàm Roma ipſa ejuſque pomeria, Pentapolis, Exarchatus Ravennatenſis propriè ſic dictus, urbſque Venetiarum. Etiam horum verò tandem pleraque ultimis Longobardorum Regibus ceſſerunt. Vt nihil ad extremum in Italiâ remanſerit præter duas urbes Romam & Venetias. Et verò Longobardici Regni temporibus tantùm exiguæ illæ Italiæ partes retinuerunt Romani Imperij nomen, reliqua omnia Longobardici regni titulo venerunt, quorum ſcilicet erant in poteſtate. Reſtituit populo Romano aut Pontifici, pulſis viciſſim Longobardis, Pipinus Francorum Rex Exarchatum Ravennatenſem cum Pentapoli. Ejus filius Carolus, cognomento Magnus, devicto Deſiderio Longobardorum Rege: anno DCCLXXIV. nihil quoque aliud [vel certè parùm, ſi credimus iis quæ habentur apud Anaſtaſium in vitâ Hadriani, & qui illa exſcripſit Baronio ad annum DCCLXXIV.] eorum, quæ Longobardi hactenus tenuerant, Romanis reddidit, omnibus aliis in ſuam ditionem tranſcriptis. Et verò ille ex eo tempore non minùs Longobardorum quàm Francorum rex dictus eſt. Ne Orientales quidem Cæſares quicquam Italiæ recuperârunt illâ tempeſtate, niſi quod Beneventanum Ducatum atque ultima Calabriæ in ſuum patrocinium ſuſceperint.

Hæc omnia uſque adeò certa atque ex hiſtoriis in vulgus ſunt cognita, ut adductis teſtimoniis illa probare fuerit hominis otio ſuo abutentis, & orbem omnem non tolerandæ inſcitiæ arguentis. Sole verò hinc clariùs eluceſcit, anno octingenteſimo, quo Cæſareus titulus ad Francos pervenit, nihil tranſalpinum, exiguam verò admodum Italiæ partem in Romanorum poteſtate, adeoque Romanum Imperium Occidentale limitibus perangustis tùm fuiſſe circumſcriptum.

Quin poſſeſſione itaque totius penè Occidentis Romani tandem exciderint, nullum eſt dubium: an verò ſimul & juribus exciderint, eum per occaſionem recuperandi, haud æquè fortè eſt manifeſtum.

Quin amittere & illa potuerint nemo dubitaverit qui norit jura illa, quibus ſua tenuere, non fuiſſe alterius ordinis quàm quibus alij populi ſua poſſident: quæ amiſſibilia eſſe certum eſt. Verè autem & amiſſa illa eſſe patebit, ſi quaſi certum poſitum ſit, regna quoque uſucapi & longo tempore præſcribi, haud aliter atque alias res viliores, nec minùs ex ſignis etiam poſſe præſumi factam dereſictionem. Enimverò non iis poſſumus accedere, quos inter eſt & Ferdinandus Vaſquez, vir profectò doctiſſimus & ingenij acutiſſimi, Hiſpanicæ Iuriſprudentiæ decus, qui omnem uſucapionis præſcriptioniſque vim & auctoritatem ex uno civili poſitivo jure manare autumant, eoque ad libera regna non pertinere acriter contendunt. Vt enim veriſſimum eſt, unius civitatis poſitivas leges non aſtringere reſpublicas liberas, adeoque ferendum minimè eſt, ut omnium populorum controverſiæ ad amuſſim legum Romanarum quarumlibet etiam poſitivarum examinentur: ita videntur uſucapionis atque præſcriptionis quædam jura ab ipſa naturâ conſtituta. Neque enim tantùm civitatis alicujus, ſed & humanæ omnis ſocietatis intereſt, *ne quarundam rerum diu & ferè ſemper incerta dominia ſint, & ut aliquis ſit finis*: quod præſtare uſucapio poteſt, ut rectè ſcribitur *l.* 1. *ff. de Vſurpationibus & Vſucapionibus.* Multò maximi verò refert, ut controverſiæ de regnis & provinciarum poſſeſſionibus, quoad fieri poteſt, ſopian-

ſopiantur: quibus nullæ aliæ potiores ſunt movendo orbi & publicæ tranquillitati perturbandæ. Atqui ſine quo ſalus ſua non conſtat mundo aut pax humano generi, illud indubiè ipſa natura diligentiſſimè vult obſervatum. Hinc ſanè apud omnes gentes confeſſum, poſſeſſiones publicas non minùs quàm privatas multo tempore ita firmari ut revelli nequeant: quod multis teſtimoniis, interque ea ipſius Iephthis, præclarè docet Hugo Grotius *l. 2. de iure belli ac pacis c. 4. n. 11. & in annotatis.*

Vt igitur fortè non juſto titulo primùm Galliam Burgundi & Franci: Hiſpaniam Gothi, Suevi, Vandali: Pannoniam Vindelicium & Noricum Hunni, Baioarij & Alemanni: Britanniam, Saxones & Angeli tenuerint: longâ tamen & quietâ poſſeſſione jam ſeculi noſtri initio, quo tempore ad Carolum Magnum Cæſareum nomen eſt delatum, omnes haſce gentes uſu cepiſſe provincias occupatas dicendum eſt. Scilicet jam per trecentos quinquaginta circiter annos duraverat tum poſſeſſio illa: cùm Iephtes ad Ammonitarum Regem iniquæ vindicationis olim ablata accuſandum trecentorum annorum poſſeſſionem ſufficere judicaverit. Neque verò ſimpliciter verum eſt illud quod dicitur: *quæ ab initio non valent ex poſt facto convaleſcere non poſſe*: ſed tùm demùm, ſi cauſa nova jus per ſe idonea gignere non acceſſerit. Tanti autem temporis præſcriptione acceſſit utique novum jus maximum & longè æquiſſimum. Nec tamen dixerim omnes illos Germanicos populos nihil habuiſſe juris ad occupandas provincias. Nam ſi quod jus eſt victorum in hoſtes & illorum bona utique & Germanicis hiſce populis non defuit jus ſibi vindicandi, Romanis, infenſiſſimis ſuis & perpetuis hoſtibus, per victoriam erepta. Certè minore juris ſpecie Romani plæraque ſua acquiſivere, ſi verum fatendum eſt. Porrò & id certum Britanniam ultrò à Romanis derelictam, Galliam verò Wiſigothis inhabitandam conceſſam eſſe. Omnes verò illas quas dixi provincias à Romanis pro derelicto habitas eſſe multis ſanè ſignis colligere eſt. Neque enim tanto temporis intervallo vel verbis vel factis illas ſibi repetierint: quin poſt illas provincias jam magnam partem occupatas cum Francis à Wiſigothis non unum fœdus inierunt: quale profectò fuit inſigne illud contra Attilam: quo in bello niſi Franci & Vviſigothi à Romanis partibus ſtetiſſent, nihil fortè illius imperij manſiſſet tum reliquum. De Clodoveo Magno, Francorum in Galliis rege potentiſſimo, ſcribit Gregorius Turonenſis *l. 11. c.* XXXIIX. illum ab Anaſtaſio Cæſare codicillos de conſulatu accepiſſe, *eumque ab ea die tanquam Conſulem & Auguſtum eſſe vocitatum.* de Longobardis Pannoniam incolentibus Paulus Diaconus Hiſt. miſc. lib. XVI. c. XIX. & Hiſt. Longobard. *l. 11. c. 1. omni tempore quo Longobardi poſſederunt Pannonias Romanæ Reipubl. adverſus æmulos adiutores fuerant.* Vnde colligitur jam tum provincias illas novis illis dominis atque occupatoribus Romanos quaſi ultrò conceſſiſſe. Nam qui contrahit cum poſſeſſore rei, ut ipſa illa re is utatur, is rei illius poſſeſſionem alterius eſſe tacitè confitetur: contrahit ſiquidem cum illo tanquam cum domino illius rei. Habet certè hoc locum etiam inter populos liberos, nec tam jure civili valet quàm naturali: ut rectè docet Grotius, vir ſummus, *l. 11. de Iur. bell. ac pac. cap. 4. §. 4*

De una Italia fortaſſis aliter ſeſe res habet: quoniam inter Longobardos & Cæſares Populumque Romanum perpetua penè fuerunt bella. Longobardi enim non videntur unquam inquieta Italiæ poſſeſſione fuiſſe. Longobardi inquam: Oſtrogothorum enim alia ratio fuit. De Theodorico ſanè, qui pulſo Odoacro princeps Oſtrogothorum Italiæ regnum inſtituit, in hæc verba *libello de regnor. ſucceſſ.* Iornandes: *Theodoricus Zenonis Auguſti pellectus humanitate Conſtantinopolin venit, ubi magiſter militum ſtatim effectus, Conſulis Ordinarij triumphum ex publico dono peregit. Sed quum tunc Odoacer regnum Italiæ occupâſſet, Zenon Imperator cernens iam gentes patriam illam poſſidere, maluit Theodorico, ac ſi proprio iam clienti, eam committi, quàm illi quem non noverat. Secumque ita deliberans ad partes eum Italiæ mittens, Romanum illi populum ſenatumque commendat: ovanſque rex gentium & Conſul Romanus Theodoricus in Italiam petit.* Idem *l. de rebus Gethicis* Theodoricum inducit à Zenone petentem donari ſibi Italiam: *expedit namque, ut ego: ſi vicero, vobis donantibus regnum illud poſſideam*: Item: *ego enim ſi vicero, veſtroque munere poſſidebo.* Paulus Diaconus *hiſtor. Miſcell. l. v. c. VII.* ſcribit Theodoricum Romæ *conſenſu Zenonis* Auguſti regnâſſe, Zenonemque poſtulatis ejus annuiſſe. Idem Iornandes nos docet Iuſtinianum bello ſuo Gothico non aliam cauſam prætexuiſſe, quàm Amalaſuenthæ, quæ fidei ejus ſe commiſerat, indignam necem. Vide ſi quis dubitas *l. de rebus Geth. cap. IX. & libro de regnorum ſucceſſione cap.* CXIII. Quibuſcum conſentit Procopius, Græcus ætatis illius ſcriptor, *in Gothicis.*

De Oſtrogothis igitur res certa eſt, haud invitis Romanis Italiæ illos imperâſſe. Cum Longobardis verò plurima quidem geſta bella, ſed & pax cum iis tanquam Italiæ poſſeſſoribus haud ſemel eſt inita, quaſi certamen fuerit tantùm de finibus, non autem de regno integro. Agilulphum regem cum Gregorio Magno & Romanis *pacem firmiſſimam* iniiſſe ſcribit Paulus Warnefridus: *l. IV. de geſtis Longobardorum c. IIX.* adductis in eam rem Gregorij literis. Vbi obiter notandum, hunc Gregorium adeò fuiſſe à cædibus & bellis alienum, ut non dubitaverit ſcribere ad Mauricij Cæſaris Apocriſiarium: *Vnum eſt quod breviter ſuggeras Sereniſſimis noſtris: quod ſi ego ſervus eorum in mortem Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec regem, nec duces, nec comites haberet, atque in ſumma confuſione diviſa eſſet. Sed quia DEVM timeo, in mortem cuiuſlibet hominis miſcere formido.* A qua morum innocentia quantùm diſceſſerint Papæ exundans ſanguine ſuo Italia hodiéque experitur. Verùm hoc obiter. Recitat autem Warnefridus idem, ſimiles pacis conventiones inter Exarchos & Longobardos initas plurimas, quarum conditiones etſi haud recitat, ſatis tamen ſignificat verum eſſe quod diximus, tandem de totius Italiæ poſſeſſione nullam controverſiam fuiſſe.

Idipſũ maximè liquet ex iis quæ Pipinus & Carolus Magnus in Italia geſſerũt. Neq; enim per il-

los quicquam Romani reddi ſibi petierunt, quaſi per vim à Longobardis ereptum, præter vicina quædam caſtra, Exarchatum Ravennæ & Æmiliæ nonnulla oppida. Narrat id diſertè Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Papæ Stephani. Ipſius illius Papæ ſub S. Petri nomine (maiore vanitate incertum an impietate) fictas & ad Pipinum miſtas literas ex latebris Vaticanæ Bibliothecæ deprompſit, ad annum DCCLV. Annalibus ſuis inſeruit Baronius: quæ itidem nihil aliud reſtitui poſtulant. Sed nec aliud per Pipinum Aiſtolpho Langobardorum regi eſt ereptum. Diſertè annales Francici *Pipinus redditam ſibi Ravennam & Pentapolin & omnem Exarchatum ad Ravennam pertinentem ad S. Petrum tradidit.* Nec Anaſtaſius enumerans urbes omnes à Pipino reſtitutas præter has ipſas habet ullam. Plura quidem donata narrat Leo *Hiſtor. Caſſinenſis l. II. cap. 7.* quem ſequi maluit Baronius: verùm huic recentiori ſcriptori maiorem fidem quàm ipſi Anaſtaſio Bibliothecario deberi, haud profectò temerè cui probabitur niſi quem curiæ Pontificiæ amor excæcavit: utque vera ſint quæ ille habet, patet tamen ſatis, nec Romanos reddi ſibi petiiſſe omnem Italiam, nec Pipinum niſi pauca eius iniuſtè a Longobardis eſſe occupata exiſtimâſſe. Ne Conſtantinopolitani quidem Cæſares niſi hanc exiguam Italiæ portionem à Pipino ſibi poſtularent: ceu patet ex iis, quæ poſt alios narrat Baronius ad annum DCCLIII. Porrò etiam hoc longè eſt veriſſimum, ipſum quoque Carolum Magnum deſtructo Longobardorum regno neutiquam illam potiorem Italiæ partem vel populo Romano vel ejus Pontifici vel Cæſari Conſtantinopolitano conceſſiſſe, neque vel populum illum, vel Pontificem, vel Cæſarem poſtulâſſe eam ſibi reſtitui, ſed in Francorum ditionem eam omnem terram perveniſſe. Certè eius poſtulati nulla reperitur memoria, multò minùs huiuſmodi alicuius conceſſionis. Contrà teſtantur hiſtoriæ, Carolum Magnum ſtatim à devicto Deſiderio regnum Longobardorum omne, quaſi iure belli occupatum, adminiſtrâſſe. Hinc Annales Francorum anno IↃ CCLXXIV: *Rex Carolus ſubactâ & pro tempore ordinatâ Italia in Franciam revertitur.* Poëtaſter anonymus antiquus *l. 1. Annal.*

Dedita tùm Francis hæc urbs clariſſima [Papia ſcil:] *cunctis*
Exemplo fuerat reliquis. Nam protinus omnes
Tradiderunt Carolo ſeſe concorditer urbes
Eiuſdem regni: quod iam ſibi iure ſubactum
Diſpoſuit, quantùm potuit pro tempore tali.

Iidem Annales ut & ille Poëtaſter memorant anno IↃ CCLXXVI. Rotgaudum Forojulienſibus Ducem à Carolo datum defeciſſe, ſed iſto devicto provinciam iſtam Francorum Comitibus traditam. Anno item IↃ CCLXXIX. Ducem Spoletanum in ducatu ſuo confirmatum. Iidem memorant anno LXXXI. Pipinum filium Caroli Regem Longobardiæ eſſe conſtitutum. Verba eorundem, memoratu digna ſunt anno IↃ CCLXXXVI: *Rex ſtatuit Romam proficiſci & partem Italiæ, in qua Beneventum ſitum eſt, aggredi: conveniens eſſe arbitratus ut illius regni reſiduam portionem, ſuæ poteſtati ſubiiceret, cuius caput capto Deſiderio rege, maioremque partem in Longobardia iam ſubacta, tenebat.* Teſtantur verò iidem etiam, Beneventanum ducatum Carolo tunc ceſſiſſe & quidem Adriani Pontificis conſilio. Mitto alia teſtimonia: ne videar ſoli lucem fœneraturus. Id non poſſum non adducere, Carolum ſtatim à capto Deſiderio ſe ipſum regem Francorum & Longobardorum appellâſſe. Recitat eius Epiſtolâ ad Albinum anno IↃ CCLXXIIX. item privilegium conceſſum monaſterio Pariſienſi S. Vincentii anno IↃ CCLXXIII. hoc titulo ornatum, Baronius. Ipſe Adrianus Papa hoc titulo Carolum laudat longâ illâ epiſtolâ ad Conſtantinum & Irenem perſcriptâ, quam ex actis Concilii Nicæni ſecundi recitat idem Baronius ad annū IↃ CCLXXXV. Ex quibus perſpicuum eſt, totum Longobardorum regnum tenuiſſe Carolum, & quidem nullius beneficio, ſed ſuo gladio acquiſitum, neque in illud vel Populum Romanum, vel Pontificem, vel denique Cæſarem Conſtantinopolitanum, quicquam ampliùs ſibi juris arrogâſſe. Et poſtremum quidem eo confirmatur, quod, ſi credimus Baronio, Irene Imperatrix ruperit anno IↃ CCLXXXIIX. ſponſalia inter Conſtantinum & filiam Caroli contracta, quoniam Carolus ducatum Beneventanum invaſiſſet, quem in ſuum patrocinium Orientales Imperatores ſuſceperant. De toto ſcilicet Longobardico regno mota lis nulla fuit.

Ad hunc modum quæ Longobardi occupârant poſſederat Carolus ab anno DCCLXXIV. hoc eſt, penè triginta iam annos, quando Cæſar dictus eſt. Vnde liquet, tunc temporis neque Romanos aut Pontificem quicquam juris ampliùs in illud Longobardicum regnum ſibi tribuiſſe, ſed pro derelicto habuiſſe, neque Carolum ipſum, religioſiſſimum Principem, Romani aut populi aut Cæſaris ius aliquod in provincias illas Italiæ agnoviſſe. Adeoque & id iam conſtat, eâ tempeſtate ad Romanum Imperium occidentale ne iure quidem pertinuiſſe quicquam, non tantùm Tranſalpinum, ſed ne Ceſalpinum quidem; ſi excipias pauca illa Italiæ ſæpiùs iam memorata.

Hæc verò cùm ita ſe habeant, manifeſtum eſt id quod etiam ſuprà diximus, eo tempore quo Carolus Imperatoris titulum accepit (contigit autem illud anno 800. ipſis feriis Natalitiis) plæraq; Occidentalis Imperii fuiſſe iamdudum à Carolo poſſeſſa, & quidem nullam ampliùs controverſiam de iure poſſeſſionis Romanis moventibus. Conſtat etiam tum temporis neque in Hiſpania, neque in Galliia, neque in Germania, neque in Pannonia, quicquam Romanæ ampliùs fuiſſe ditionis: imò ne in Italia quidem quid fuiſſe reliquum, quod ſibi arrogarent Romani, præter urbem ipſam Romam, Exarchatum Ravennatenſem, & ſi quæ alia oppida aut Pipinus, aut Carolus, Longobardis erepta Romano Pontifici donaverant.

Non tantùm verò nihil penè poſſeſſum tum fuit Romanis in toto Occidente, ſed, ut antè demonſtratum, & ius omne deperdita recuperandi longo tempore jam exſpiraverat. Bene ſcilicet apud Iſocratem Archidemus Meſſenam repetentibus Thebanis dixit: *Poſſeſſiones, ſive privatas ſive publicas, præſcriptione longi temporis firmatas, in patrimonio & dominio habendas, omnibus eſſe perſuaſum.*

Si autem neque provinciæ Occidentalis Imperii veteris ampliùs tum in ditione fuerunt Romani populi, imò ſi nec jus aliquod in illas provincias

populus

Digitized by Google

populus ampliùs habuit, manifeſtum eſt per Imperatorium titulum Carolo Magno, neque poſſeſſionem neque jus aliquod in provincias illas, aut eſſe conceſſum aut potuiſſe concedi. Igitur aut inani tum titulo eſt affectus Carolus, aut ſi quid accepit, accepit illa quæ in Italia extra Longobardicum regnum erant, cum juribus occupandi ea, quæ Conſtantinopolitanus Imperator poſſidebat. Cæterùm cùm quæ Conſtantinopolitani poſſederunt jure poſſederint, in illa certè nihil juris potuit Carolus nanciſci Sed nec in ea Carolus quicquam ſibi ſumpſit, eoque laboravit in fraternitaté & amicitiam aſſumi Cæſarum Conſtantinopolitanorum. Eam verò impetravit primùm quidē à Nicephoro anno 820. teſtibus *Annal. Francic. & Adone*, iterū ab eodem anno 810. redditis Venetiis, quod iidem teſtantur Annales, tertiùm à Michaële Nicephori ſucceſſore anno 812. & ultimò à Leone anno 813. iiſdem teſtibus. Non arbitror extare hodie fœderum & pactorum illorum litteras. Nam quod Sigonius *l.* 4. de regno Italiæ ſcribit in primo illo fœdere *nominatim expreſſum, ut Veneti inter utrumque Imperium poſiti, liberi atque immunes, & ab utroque ſecuri viverent*: id neſcio an fide nitatur antiquorum eius ſeculi monumentorum. Certè Annales illi memorant Venetias à Pipino captas, redditas Nicephoro. Id certius: ex eo fœdere Calabriam & maritimas Civitates Liburniæ, Iſtriæ & Dalmatiæ, manſiſſe orientali Imperio. Teſtatur enim Eginhardus Carolum totam Italiam tenuiſſe *ab auguſta prætoria uſque in Calabriam inferiorem, in qua Græcorum ac Beneventanorum conſtat eſſe confinia. Hiſtriam quoque, Liburniam ac Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, ob amicitiam & junctum cum eo fœdus, Conſtantinopolitanum Imperatorem habere permiſit.* Firmum autem amicitiæ fœdus inter utrumque Imperatorem tandem coiiſſe teſtatur idem Eginhardus. *Imperatores etiam Conſtantinopolitani*, inquiens, *Nicephorus, Michael & Leo ultrò amicitiam & ſocietatem eius expetentes complures ad eum miſêre Legates: cum quibus tamen propter ſuſceptum à ſe Imperatoris nomen, & ob hoc iis, quaſi qui Imperium iis eripere vellet, valde ſuſpectum, fœdus firmiſſimum ſtatuit, ut nulla inter partes cuiuslibet ſcandali remaneret occaſio. Erat enim ſemper Romanis & Græcis Francorum ſuſpecta potentia.* Quò facit illud quod in Annalibus habetur Legatos Michaelis Carolum dixiſſe *Imperatorem & Βασιλέα.* Ne in Italiam quidem omnem ergo ob titulum Imperatoris ius fuit Carolo, tantum abeſt inde illi collatum ius in reliqua etiam Orientalis Imperii.

Cæterùm ſi ne illa quidem Italiæ hactenus Imperatoribus poſſeſſa omnia accepit Carolus, aut titulum ſolum impetravit, aut verò poteſtatem aliquam in eas terras quæ extra Longobardorum regnum erant in Italia, hactenus verò fuerant quaſi in patrimonio Pontificis. Poſterius ſanè eſt verum. Erat enim jam antè quidem Carolus patricius Romanus, adeoque jam tum fortè eo nomine habebat aliquid in ipſam urbem Romam juris, aſt per Imperatoriam dignitatem longè plus conſecutus eſt. Namque fuit quidem Patricii nomen non niſi dignitatis titulus à Conſtantino Magno inſtitutus, teſte Zoſimo *l.* 2. qua de re plura *l.* 22. *Codic. Iuſtiniani tit.* 3. *l.* 3. In Carolo tamen videtur hoc nomine ipſa Exarchalis poteſtas ſignificata. Namque & vivo patre audiit quidem Patricius, ut videre eſt in literis Stephani Papæ apud Baronium *ad annum* 775. Ipſe tamen annos ſui Patriciatus ſolet numerare ab eo quo devicit Deſiderium, non autem 781. quod ſcribit Otto Friſingenſis *l.* 5. *c.* 28. & verò eo anno Romæ exceptus eſt ritibus Exarchorum aut Patriciorum Romanorum, ut diſertè ſcribit Anaſtaſius in vita Hadriani. Vt verò non Patricii jure, revera tamen non antè impetratam Imperatoriam dignitatem Carolo in ipſam urbem Romam multùm fuiſſe poteſtatis vel ex iis liquet quæ habentur in Annalibus Francicis *ad annum* 766. *Roma Adriano defuncto, Leo Pontificatum ſuſcepit: & mox per legatos claves confeſſionis ſancti Petri, ac vexillum Romanæ urbis cum aliis muneribus Regi miſit, rogavitque ut aliquem de ſuis optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad ſuam fidem atque ſubjectionem firmaret. Miſſus eſt ad hoc Engelbertus.* Recitat priora illa de miſſis clavibus & vexillo Baronius quoque, ſed ſtomachabundus in novatores, qui inde auſi ſint colligere aliquam Caroli in Vrbem poteſtatem. Ipſe autem veterator illa dein fidem & ſubjectionem ſuſcipiendis Romanis callidè omittit, nihil aliud addens, quàm miſſum Engelbertum ad donaria & Hunnici belli manubias offerendas. Conſtat verò & Carolum nondum Imperatorem cauſam Leonis Papæ & conjuratorum agitâſſe anno 800. teſte Anaſtaſio & auctore Annalium.

Quicquid verò ſit de poteſtate quam Patricius habuit Carolus, haud difficile eſt probatu per Imperatorium titulum illi collatum jus omne in Vrbem, Pontificem, Exarchatum Ravennæ, & alia oppida quædam extra Longobardici regni fines poſita, quæ fuerant Cæſarum uſque ad ſolennem illam rebellionem quâ Gregorio II. Papa ſuperſtites Imperii Romani reliquiæ à Leone Iſauro & ſequutis Conſtantinopolitanis Cæſaribus defecerunt. Teſtatur id de urbe Româ ipſe Bellarminus *l.* 1. *de tranſlat. Imp. Rom. c.* 4. Liquet id ex adoratione quâ, *more antiquorum Principum*, recens coronatus Auguſtus, à Leone Pontifice eſt adoratus. *Annal. Franc.* 801. Liquet ex ſententia lata in eos, qui in Leonem Papam malè mulctaverant. *Iidem l. c.* Liquet ex ſubſequente *ordinatione Romanæ urbis & Pontificis. Iidem l. c.* Referendum eódem quod apud Eginhardum in teſtamento Carolino, Metropolitanas inter urbes eius, primo loco numerentur *Roma, Ravenna.* Hæc poteſtas Cæſarum manſit per plurima ſecula, donec tandem poſt fatalem regiæ majeſtatis caſum in Henrico IV. per Gregorium VII. cœpit novus ille Papalis dominatus omnibus hactenus ſeculis inauditus. Ea eo verò tempore priſca illa & vera Cæſarea poteſtas in urbem, in Pontificem, & oppida, quæ ratione proventuum quorundam in patrimonio Petri, aut rectiùs, Papæ, eſſe dicitur, tantùm non eſt intermortua.

Quin itaque Carolus hanc ſolùm poteſtatem titulo Imperatorio ſit conſecutus, & quin hæc pauca tantùm magnifico illo Auguſti & Imperatoris Cæſariſque nomine tum quidem venerint, neque aliud tum pertinuerit ad Imperium Romanum occidentale, nihil eſt ſanè dubitandum. Videndum

an ſequentibus temporibus re verâ plus acceſſerit Imperio illi Romano præter iſta pauca Italiæ, & quidem an Populo Romano eiuſque Cæſaribus occidentalibus aliquid aut de novo fuerit partum quod olim non habuerunt, aut eorum quæ dudum deperdita diximus, recuperatum. Cæterùm ſi quid horum factum, aut vi occupatum opportuit, aut verò Provinciæ quædam ultrò ſeſe Romanam in ditionem dederunt. Sanè nec in Hiſpania, nec in Gallia, quæ ad Rhodanum uſque à Pyrenæis montibus tendit, nec in Pannonia, nec in Dacia, nec in Britannia tale quicquam contigit. Neque enim Hungaros, neque Francogallos, neque Hiſpanos & Gothos, neque Anglos ac Scotos, vel ultrò vel vi coactos, ſe & ſua Romanu Imperio poſt Caroli Magni ætatem dedidiſſe, ullibi legere eſt. Multò minùs verò idipſum eſt factum à Septentrionalibus populis Danis, Suecis, Moſchis, Polonis, Lithuanis aliiſque. Hinc verò Sole eſt clarius, omnes has terras non tantùm non pertinere hodie ad Imperium Romanum, ſed ne umbram quidem juris Romano Imperio in eas eſſe.

Fortaſſis tamen aliter ſe res habet de Italia Longobardica & Germania. Non ſunt quidem illæ terræ poſt Caroli ætatem à Romano populo victæ, adeoque jure belli nunc non poſſidentur: fortè tamen ſponte ſuâ ſeſe illis reliquiis antiquis ſive ſubiecerunt ſive ſociârunt in unum Reipublicæ corpus. Neque verò inanis fortè illa ſuſpicio eſt. Hodie enim receptum eſt, illas terras omnes unius Imperii Romani nomine nuncupare: quin obtinuit illud ipſum jam plùs quàm quingentos annos. Summus quoque Magiſtratus populorum illorum per multa ſecula non alio nomine quàm Imperatoris Romani audivit: quod enim nunc adjicitur GERMANIÆ REGIS titulus, id nuperum eſt inventum, & vix ducentis annis auditum.

Verùm enimverò, ſi quid tale unquam contigit, id aut eſt ab ipſo Carolo Magno factum aut ab eius ſucceſſoribus. Carolum autem Magnum id egiſſe falſiſſimum eſt. Certè non eo tempore ille fecit, cùm Imperatorium titulum accepit. Non enim tale quid memorant Annales & monumenta eius temporis, non tacitura certè rem tam magni momenti. Nec verò potuit id fieri. Neque enim licuit Carolo diſponere quicquam de rebus regni Francici, inconſultis Ordinibus, quod alibi oſtenditur. Tum autem temporis profectò non conſuluerat Carolus Ordines Francicos. Inopinatò enim ablatus illi titulus eſt Cæſareus. Teſtatur enim Eginhardus dicere ſolitum Carolum: *ſe eo die quamvis præcipuè ſolenniter eſſet, Eccleſiam non intraturum fuiſſe, ſi Pontificis conſilium præſcire potuiſſet.* Sed neque poſtea huiuſmodi quid ab eo factum memorant ullæ hiſtoriæ veteres. Contrà verò in diplomatibus eius & litteris cernere eſt diſtinctos titulos Imperatoris, & Regni Francici ac Longobardici. Privilegium Oſnabrugenſis Epiſcopatus apud Crantzium *l. 1. Metropol. c. 2.* ita incipit: *Carolus Imperator Auguſtus Romanum gubernans Imperium, Dominus & Rex Francorum & Longobardorum, Friſiorum dominator & Saxonum.* Datum autem illud eſt anno 805. Teſtamento quoque Carolino quod Pithœus edidit, & Annalibus ſuis ad annum 806. inſeruit Baronius, præfigitur: *Imperator Cæſar Carolus Rex Francorum &c. Romani tutor Imperii.* In alteris quoque eiuſdem Teſtamento quo de mobilibus bonis diſponitur apud Eginhardum, ſeorſim numerantur anni regni Franciæ, regni Italiæ & Imperii. Carolus itaque Italiam & Germaniam ab Imperio nunquam non diſtinxit.

Sed & Ludovicus Pius Germaniam non minùs atque Galliam, adeoque regiones omnes Tranſalpinas, ab Imperii Romani reverentia voluit eſſe liberam. Diviſo enim inter tres filios regno ſuo, omnes pari voluit autoritate eſſe: nequaquam aliqua in re Lothario, etſi illo Cæſareo honore eſſet inſigniendus, inferiores. De ea diviſione notatu digna ſunt verba Trithemii in Annalibus Francicis. *Partitio talis eſt: Regnum Francorum Germaniæ perpetuò per ſe habeat proprium Regem, nulli penitus mortalium, ne Romano quidem Imperio ſubjectum, ſed priſtina Francorum conſuetudine liberrimum. Regnum quoque Francorum Gallorum à noſtro diviſum, ſimili modo Regem, ut conſtitutio ſonat, proprium habet liberum, qui non minùs quàm Rex Germaniæ liber ſit & nulli omninò ſubjectus. Manifeſtum enim eſt quod Franci ab origine ſemper fuerint liberrimi, & neque Romanis, neque alteri alicui certe unquam ſervierint, aut extiterint ſubiecti. Quin potius ipſi deſtruxerunt Romanorum Imperium ſibique fecere ſubiectum. Et propterea Reges ambo in diviſione regni priſtinam libertatem Francorum ubique alter alteri ſuaſam ſervare ſtatuerunt.* Porrò nec Italiam Longobardicam alius ille conditionis fecit. Etſi enim illam unà cum Imperiali dignitate voluerit eſſe penes unum Lotharium, per accidens tamen ea tantùm coniunxit, non autem quaſi dederit Longobardicum regnum Romano Imperio. Certè id factum nullibi legere eſt. Bene proinde Hugo Grotius *l. 2. de iure belli ac pac. c. 9. num. 11. Carolus Magnus eiuſque ſucceſſores ius Imperii quod habebant in Francos ut & in Longobardos, à jure Imperii in Romanos, ut nova ex cauſa quæſito, ſollicitè diſtinxerunt.*

Et verò ſollicitè hæc obſervata fuerunt diu poſt Ludovicum. Quum enim Lotharius filius eius natu maximus propter primogenituræ & Cæſareæ dignitatis honorem ſibi, ius aliquod in fratres arrogaret, orte inde bello victoque Lothario, libertatem ſuam fratres egregiè tutati ſunt. Eâ de re in medio ſunt verba Hincmari Archiepiſcopi Rhemenſis, viri eâ ætate ſummæ auctoritatis *epiſt. 1. c. 4. ad Ludovicum Balbum. Qui cum Lothario erant: immiſerunt illum in hoc, ut fratres ſuos exhæredaret, & regni Primores qui cum illis erant annullaret, quoniam ipſe primogenitus & nomine Imperatoris erat. Illi autem qui erant cum Carolo & Ludovico, dicebant, quod Seniores illorum* (id eſt Domini ſui Carolus & Ludovicus) *Lotharii fratres erant, & ſacramento regnum inter illos diviſum fuerat, & illi nec genere nec poteſtate inferiores erant, & ideò non ſe contra illos concederent.* Latiùs omnia iſta recitat Nithardus *l. 4.* ubi inter alia poſt fatalem illam inter tres fratres pugnam, ſcribit miſſos à Lothario Legatos ad Carolum & Ludovicum, qui dicerent: *Si vellent illi, aliquid illi ſupra tertiam partem regni, propter nomen Imperatoris, quod illi pater illorum conceſſerat, & propter* digni-

Digitized by Google

dignitatem Imperii, quam avus regno Francorum adjecerat, facerent: ſin aliter, tertiam tantummodò partem totius ſibi concederent, regeretque quisque illorum portionem regni ſui prout meliùs poſſet, frueretur alter alterius ſubſidio & benevolentiâ. Et verò poſterius placuit. Itaque Ludovico ceſſit Germania pleno jure & nullâ re dependens ab Imperio Romano gubernanda, non minùs atque Gallia Carolo. Non latuerunt hæc Baronium: itaque ad annum 848. Trithemium his verbis accuſat: *errat dum ait, juſſu Lotharii conveniſſe (Germaniæ Epiſcopos,) cùm id factum per Ludovicum Regem eſſe in Regno ipſius non ſit dubium: nam nullam Lotharium facultatem habuiſſe diſponendi aliquid in regno Germaniæ, ſpectante ad Ludovicum certum eſt.*

Manſiſſe eandem libertatem Germanici Regni ſuperſtite Carolinâ Regum familiâ certum eſt. Plærique enim qui illi præfuerunt cum Italia aut cum Imperio nihil habuerunt commercii. Diviſo enim poſt obitum Ludovici German. regno, Carolus & Ludovicus & Carolomannus ſinguli ſuam Regni partem propriâ auctoritate tenuerunt, ut conſtat *ex hiſtoria Landgraviorum Thuring. c.* 6. Arnolphus quoque diu Germaniam texit, anteaquam Imperatoriam dignitatem conſequeretur. Poſt hunc verò neque Ludovicus, neque Conradus, vel Italiam vel Imperium habuit. Quo ſatis conſtat, eâ certè tempeſtate Germaniam non fuiſſe partem Imperii, nec adminiſtratam fuiſſe auctoritate Cæſareâ ſed proprios ſibi Reges habuiſſe, & liberam fuiſſe diſtinctamque & ſui juris Rempublicam.

Italiæ quidem Regnum qui tenuêre, iidem ferè & Imperatores fuerunt. Imò eâ occaſione poſt obitum Caroli Craſſi in Italia Pontifices deliberârunt de eligendo in poſterum aliquo Italiæ rege cum Imperatorio titulo, quod teſtatur Sigonius *l. 5. de regno Italiæ.* Fuere tamen & Reges Italiæ ſine titulo Imperatorio. Nec interea temporis conſtat factum aliquod decretum conſenſu Carolinæ familiæ (penes quam jus erat hæreditarium in regnum Longobardicum) de ſubjiciendo illo Regno Imperii Romani auctoritati & Legibus. Itaque & Longobardicum regnum eo tempore manſit liberum ab Imperii Romani poteſtate.

Extinctâ porrò Carolinâ familiâ Henricus Auceps ejusque filius Otto Magnus ab anno 919. ad 962. Germaniæ regnum cum regno Lotharii tenuerunt, nullâ Cæſareâ dignitate ornati, nullo etiam modo Imperium aliquod Romanum tenentes. Neque enim verùm eſt, quod nonnulli evincere pertendunt, Henricum Aucupem fuiſſe Cæſarem. Quin alibi oſtenditur, illum ne quidem jura habuiſſe ad occupandam Italiam aut Imperii dignitatem poſtulandam. Sanè nihil Italiæ illum poſſediſſe eſt certum. Etiam illâ ergo ætate Germania non fuit habita Imperii Romani portio. Eodem verò tempore nunc Berengarius Dux Forojulienſis, mox Lambertus, iterum Ludovicus Burgundus, modò Rudolphus Burgundus, modò Hugo Arelatenſis, ejusque filius Lotharius, nec non denique Berengarius Eporegiæ Marchio ab Italiæ Optimatibus, inconſulto vel Populo vel Pontifice Romano, imò his nihil contrà nitentibus, Italiæ Reges ſunt creati Papiæ, regni Longobardici Metropolitanâ urbe. Et verò horum vix unus alterque Cæſareum titulum accepit. Quo iterum conſtat, etiam tum temporis & Longobardicum regnum fuiſſe Rempublicam, reliquias verò illas Imperii Romani ab hoc regno ſejunctas fuiſſe & plærumque ſub nullo Imperatore.

Otto quoque Magnus, non Germaniam tantum, ſed & Italicum illud Longobardorum regnum diu habuit in poteſtate ſua, antè quàm Imperator Romanus audiret. Namque ann. 951. invitatus ab Adelheide vidua Lotharii regis quam & mox in matrimonium duxit, fudit omnique poteſtate exuit Berengarium Regem Italiæ, ejusque filium Adelbertum. VVitichindus Corbejenſis *l.* 3. ſcribit Ottonem *cum Adelheide Papiam quæ eſt ſedes regia obtinuiſſe. Sequenti anno* 952. Berengarius & Adelbertus in gratiam recepti feudi jure ab Ottone regnum Longobardicum recuperârunt. Illam rem ita narrat Continuator Reginonis: *Berengarius cum filio Adelberto ſeſe ſubjiciens Ottoni ab eo ut ſubditus recipit regendam Italiam.* Iisdem verbis utitur ipſe Baronius *tom.* 10. *ann. ad annum* 952. VVitichindus ita loquitur: *Cùm conventus fieret, Berengarius manus filii ſui Adelberti ſuis manibus implicans renovata fide, coram omni exercitu, famulatui Regis ſe cum filio ſuo ſubjugavit: & ita dimiſſus in Italiam remeavit cum gratiâ & pace.*

Itaque jam tum feudi jure ab Ottone Longobardicum regnum obtinuit Berengarius. Et tamen anno demum 961. Otto à multis Longobardici regni Proceribus & Iohanne Papa contra Berengarii tyrannidem invitatus, expulſo Berengario & liberato Papâ, primò quidem regnum Italiæ occupavit iterum, deinde anno ſequente Imperator eſt creatus. Narrat Baronius ad annum 961. ex Hiſtoria Ducum Beneventinorum antiqua, Proceres Italiæ, appropinquante jam Ottone, Adelberto filio Berengarii regis dixiſſe: *Vellemus Domino, ut Papiam cum paucis pergat, & tuo genitori dicas, quatenus Longobardorum regnum ſub veſtra ditione committas, quia nos minimè ſub illius poteſtate amplius jam durabimus. Si vobis committit regnum, nos totis viribus pugnabimus, ſin autem non, Italiæ regnum extero regi committemus.* Idipſum autem cùm Adelbertus non potuiſſet impetrare, Proceres omnes Berengarium pariter & Adelbertum reliquiſſe. Addit autem ille Scriptor: *Itaque Otto Rex ſine impedimento in Italiam introivit, atque Italiæ regnum obtinuit.* Luitprandus, qui itidem eo tempore vixit, in narratione legationis ſuæ Conſtantinopolitanæ, quam à Caniſio editam inſeruit Baronius decimo Annalium tomo *ad annum* 968. ita rem omnem narrat Nicephoro Imperatori: *Palam eſt quod Berengarius & Adelbertus ſui milites* [i. e. Ottonis Vaſalli] *effecti regnum Italicum ſceptro aureo ex ejus manu ſuſceperunt, & præſentibus ſervis tuis, qui nunc uſque ſuperſunt, jurejurando fidem promiſerunt. Et quia hanc perfidè violarunt, juſtè illos quaſi deſertores ſibique rebelles; regno privavit.* Tenuit ergo etiam Otto Longobardicum regnum antequam Cæſarea jura eſſet conſecutus, adeoque & regnum illud Italiæ cum Imperii juribus

nihil habuit commercii. Etſi verò ſequente anno Imperator fit creatus, etiam tum tamen ſatis curatè diſtinxit Italicum illud regnum à reliquis illis Imperii Romani, quas Papa poſſidebat. Recitat Gratianus *cap. 33. diſt. 63.* juramentum Ottonis Papæ Iohanni præſtitum, quod & Baronius habet *anno 960.* de cujus fide non eſt meum nunc diſputare, ibi diſertè verò legitur: *Cuicunque regnum Italicum commiſero: jurare faciam illum, ut adjutor tuus ſit.* Habet idem Baronius *anno 962.* diploma, quo Otto creditur confirmaſſe Romanæ Eccleſiæ bona, vbi inter alia legitur: *inſuper offeram tibi de proprio noſtro regno civitates & oppida cum piſcariis ſuis Reatem, Amiternum &c.* Vnde patet porrò, Ottonem Longobardicum regnum ſibi arrogâſſe jure proprietario.

Inſequutis temporibus æterno quidem fœdere juncta eſt Cæſarea dignitas non minùs atque Italici regni poſſeſſio cum Germania [quod quibus auctoribus, quâve ratione, aut qua de cauſa contigerit, non eſt inſtituti noſtri nunc exponere] cœpit etiam ex eo communis appellatio illa Imperii Romani, quæ res multos in errorem perduxit: nullum tamen monumentum poteſt produci, nullæ tabulæ extant, quibus poſſit probari, aut coiiſſe Germanicum & Italicum regnum cum illis Imperii Romani reliquiis in unam prorſus Rempublicam, aut illa in Imperii iſtius ditionem conceſſiſſe. Alterutrum autem affirmare ſine certis documentis non licet aut fas eſt.

Ac prius quidem vel vno illo poteſt abundè refelli, quod & Germania & Longobardicum regnum Comitia ſua de rebus maximis ad rempublicam pertinentibus omni tempore inſtituerint, egerint quoque res maximas non impetrato conſenſu vel Papæ vel aliorum iſtius Imperii Civium. Ingeſſit ſe quidem, fateor, Papa Romanus poſt tempora Henrici IV. plæriſque Imperii negotiis, quin & conatus eſt plæraque ad arbitrium ſuum trahere: nunquam tamen ipſe voluit videri deliberationibus intereſſe ut civis aliquis Reipublicæ, nunquam etiam hoc nomine vel vocatus fuit vel admiſſus, ſed quo modo in omnia alia regna & omnes orbis Chriſtiani reſpublicas dominatum ſibi arrogavit & ſumpſit, tanquam ſupremus Monarcha à Deo conſtitutus, ita & hoc nomine reipublicæ Germanicæ negotium voluit gubernare, ſæpe invitis, nonnunquam & conſentientibus regni Ordinibus fatali tum errore conſtrictis. Si Germanico verò regno & Italico manſit ſummum jus adminiſtrandi Rempub. ſuam ſine populi Romani conſenſu, non in unam profectò Remp. hæc coierunt. Quot enim ſunt ſummæ poteſtates, totidem ſunt Reſpublicæ, utut unum habeant Principem, aut arcto fœdere *συμμαχίας* civitates illæ ſint unitæ. Quale quid de civitatibus Helveticis Ioſias Simlerus & Bodinus, de fœderatis Belgicogermanicis Provinciis optimè Hugo Grotius *in apologetico ſuo cap.* 1. annotarunt. Cæterùm non conveniſſe omnia illa in unam Rempublicam, manifeſtum fit etiam diverſis illis coronationibus Regum noſtrorum. Corona enim indicium eſt & ſignum quodammodo Reipubl. Seorſim verò primò accipitur corona regni Germanici, ex antiqua quidem conſuetudine, ut & lege Carolinâ, Aquiſgrani. Perperam enim vulgò creditur & nuncupatur illa Corona Cæſarea. Veteres ſanè rectiùs, (inter quos eſt & Fridericus I. Cæſar *Epiſtolâ ad Ottonē Friſingenſem*) dixêre illam coronam *Regni Teutonici*. At Cæſaream coronam ſemper & quidem jam per annos octingentos ſolus Papa Romanus addidit. Quin & multi poſt Ottonem Papæ quoque coronati ſunt Reges Longobardorum, adeoque triplici coronâ, Germaniæ nempe, Longobardiæ & Imperii ſunt inſigniti. Accedit quod nunquam quiſquam poſt Carolum Magnum Cæſareum voluerit titulum uſurpare ante acceptam coronam illam Romanam, etſi jam eſſet coronâ Germanici regni honoratus: omnes enim antè ſunt tantùm Reges dicti, etiam nunc non niſi electi Cæſares audiunt, licèt coronati ſint Germaniæ aut Italiæ Reges. Adhoc ſatis hodieque diſtinguunt ipſi Cæſares Regnum Germanicū ab Imperio Romano, dum electos ſe dicunt Imperatores Romanos, ſed addito titulo Regum Germaniæ, quòd nempe aliud ſit eſſe Regem Germaniæ, aliud electum Cæſarem Romani Imperii.

Igitur unam profectò cum Imperio Romano Rempublicam neque Germania hodie neque Longobardicum Regnum conſtituit. Tantùm verò abeſt, Germaniam ſeſe & Longobardiam à ſeſe domitam, Germano Imperio ſubjeciſſe, ut contrà potiùs illud olim Germaniæ ſeſe dederit magnâ ex parte. Omnem enim Imperatores eligendi poteſtatem Romani eorumque Pontifices in Germanos æternâ lege contulerunt: quo ipſo jus Germanis dederunt ſummum magiſtratum Romano Imperio creandi: quod eſt magnam majeſtatis partem alteri tribuere. Id quando cœperit aliàs exponitur. Id certum verò eſt moderatis adhuc Paparum rebus, & ante Hildebrandum aut Gregorium vII. Papam, magnam ſatis fuiſſe Cæſarum à Germanis Electorum in Pontificem & Populum Romanum auctoritatem & potentiam: & nihilominus tamen in Germanorum fuiſſe poteſtate, eam omnem dignitatem ac vim electis ex ſuo arbitrio Regibus ſuis in alienam Rempublicam conferre. Quin manet hodieque, ut non niſi Germanorum Rex audiat Cæſar, priſcâ auctoritate licèt adempta. Quo patet, quaſi ſurrogâſſe ſibi potiùs Romanum Populum in ſua jura Germaniam, quàm ut Germania ſeſe illi Imperio ſubjecerit.

Hæc verò omnia cum longè ſint certiſſima, nihil eſt cur non apertè tandem pronunciemus: *neque Germaniam neque Longobardicum Italiæ regnum verè partes eſſe Romani Imperii, ſed Reſpublicas ab illo diſtinctas, adeoque nec Imperatorem, in quantum eſt Imperator, eſſe vel Germanici vel Longobardici regni caput aut magiſtratum, ſed quatenus idem ſimul Rex eſt.* Nec verò ex eo, quod iam multis ſeculis vulgò Germania quoque & Italia illa Longobardica Imperii Romani nomine audiat, ſequius quid eſt colligere. Familiare enim eſt & receptum, ſi multæ Reſpublicæ coeant in unum fœdus, ab una aliqua illarum omnibus nomen commune indere. Ita olim Achæorum Reſpublica omnibus fœderatis nomen dedit, & Vrbs Romana omnibus Sociis: hodie fœderati omnes Helvetici ab uno Pago *Suitcers*: fœderatæ item omnes Belgico Germanicæ Provinciæ vulgò *Hollandiæ* nomine uſurpantur. Eâdem verò ratione & Imperii Romani nomen ſociis Rebuſpublicis

eſſe

eſſe inditum, vel hæc verba iodicaverunt Gotfredi Viterbienſis. Hic cùm narraſſet, Lothariium Imperatorem regni ſui tres in partes diviſi partem unam, Italiam ſcilicet, cum Imperatorio nomine, majori natu filio tribuiſſe, addit: *vide ad quantum defectum Romanum Imperium devenerit, ut in tres partes diviſo regno Francorum, tertiæ partis tertia pars eſſet Imperium.* Apud alios ſcriptores tempore Caroli Calvi Gallia Imperii nomine intelligitur, excluſâ Germaniâ. Otto Friſingenſis, cùm egiſſet de diviſione regni Francici inter filios Ludovici Pii inſtituta, ita loquitur l. 5. c. 35. *Ex hinc diviſo regno regna modò duo Orientale & Occidentale, (quorum alterum* (Orientale) *partem Ludovici ac Lotharii, ſedemque regni Francorum palatium Aquisgrani ac Imperium urbis Romæ habet: aliud verò*, Occidentale, *quod adhuc Francorum, eò quòd iſtud Romanorum vocatur, appellatum, partem Caroli tenet) inveniuntur.* Vnde perſpiccre eſt, jam ætate Friderici Barbaroſſæ Germanicum & Longobardicum regnum vocatum vulgò regnum Romanorum, ita tamen, ut non lateret diſtinctio inter illa regna & Imperium Vrbis Romæ.

Igitur ex illo nomine Romani Imperii quidem haud licet colligere Longobardicum & Germanicum regnum pertinere reapſe ad Imperium Romanum. Neglexerunt autem diu & ipſi Reges Germanici Imperatorio titulo regnorum Germaniæ & Italiæ memoriam adjicere, fortè quòd mos ſeculi non ferret cumulum titulorum, numen autem Cæſareum eâ ætate adeò haberetur magnificum, vt adjicere quicquam videretur indecens. Conſtat ſanè, eos nec adjeciſſe titulos Ducatuum & Comitatuum, quos tamen unà cum Regiâ & Imperatoria dignitate poſſidebant. Primus, quantùm videtur, Fridericus II. præter Cæſareum nomen, Siciliæ & Hieroſolymæ titulum uſurpavit, Suevici tamen Ducatus titulo non adjecto. Eum imitatus centum & quinquaginta ferè annis pòſt Carolus IV. & Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Bohemiæ Rex voluit dici. Ejus filius Sigiſmundus & Imperator & Hungariæ & Bohemiæ Rex audivit. Fridericus III. non multò pòſt adjecit plurima propter Ducatus, Comitatus & alias provincias ſibi ſubditas, Germanici licèt Imperii feuda eſſent. Qui mos ab eo uſque tempore invaluit. Maximilianus porrò & Germaniæ rex voluit dici: non tantùm optimo jure ſed & utiliſſimo inſtituto. Secuti autem Maximilianum ea in re ſunt Carolus V. & omnes quotquot in hunc diem ab eâ ætate Germaniæ præfuerunt. Poſſet autem eodem jure & Italici [imò, ut alibi oſtenditur, & Burgundici aut Arelatenſis] regni, titulus uſurpari: quantùm ex ſuperioribus eſt manifeſtum. Nec verò idipſum non eſſet magno cum reipublicæ bono conjunctum, quo unicuivis poſſit eo rectiùs conſtare tota reipubl. natura. Certè intereſt rerumpublicarū ad tuenda jura ſingularum, ut etiamſi unum Principem acceperint, nomina priſca ne oblitterentur.

Quin igitur quaſi ratum eſto ac conſtitutum: *Germanicum & Italicum regnum diſtinctas eſſe reſpublicas ab eo, quod verè Imperium Romanum eſt dicendum, nec Imperatorem, in quantum eſt Imperator, vel Germaniam regere vel Longobardicum regnum.* Hinc verò ſequitur graviſſimè illos hallucinari, qui Germaniam cenſent teneri legibus Iuſtinianeis aut Imperatori in Germaniam arrogant poteſtatem priſcorum Cæſarum in Imperium Romanum, eo nomine, quòd Germania ſit verè Imperium Romanum, & Imperator, quatenus eſt Imperator, Germaniæ præſit. Vtrumque ſanè eſſe longè falſiſſimum jam oſtenſum eſt. Non attingam enim nunc quàm imbecillis ſit illa collectio, etiamſi utrumque verum eſſet quod ſumunt.

Non minùs verò hinc liquet, quàm iniquè Papæ Romani Imperii nomine abuſi rebus Germaniæ ſeſe immiſcuerint, eaſque perturbârint aliquot antè ſeculis, quamve iniquè non adeò pridem Paulus IV. voluerit ſuas in manus reſignari Romanum Imperium. Gregorius verò XV. electoralem dignitatem Bavaro collatam confirmare. Habuit enim olim quidem Papa Romanus vnà cum aliis civibus Romanis eligendi Cæſarem poteſtatem, & verò elegit ille & Carolum Magnum & pòſt Ottonem Magnum: ſed in electionem regis Germaniæ nihil unquam habuit juris, jam Ottonum verò tempore etiam Cæſarum electionem in liberum Germaniæ procerum arbitrium tranſtulit. Qua de re alibi. Certè ut hodie etiam aliquid juris ſit Papæ in electionem Cæſaris [quod tamen eſt falſum] eo tamen nomine non debuit ille ſui juris quoque facere electionem Regis Germaniæ & Italiæ.

Porrò & hoc conſectaneum eſt: ſi jure poteſtas Cæſarem creandi poſſit Germaniæ adimi, aut illa nollet aliquem creare, eo ipſo tamen non amittere illam facultatem creandi regis Germanici, & Italici regni. Ita ſi licuiſſet Alexandro III. Papæ Imperii occidentalis dignitatem in Conſtantinopolitanos iterum transferre, quod rogaſſe Emanuelem Cæſarem ſcribit Blondus *l. 5. decad. 2.* & Platina *in vita Alexandri III.* aut verò ſi Bonifacius VIII. jure potuiſſet promiſſis ſtare (pollicitus autem erat ſe Imperii dignitatem in Gallos tranſlaturum) non tamen ea propter jure potuiſſet Germaniæ & Italiæ reſpublica ab iis in alios transferri.

Denique & hoc ſequitur non eſſe, cur nonnulli adeò pertendant Imperii Romani dignitatem non eſſe à Romano Papa collatam vel Carolo Magno vel Ottoni, eò quòd uterque jam ante coronationem Germaniam ac Italiam poſſederit. Non enim eſt difficile probatu factum id omninò eſſe à Papa & populo Romano: ſed quod collatum fuit, id verò ſi cum Germania & Italia Longobardica contendas, penè eſt nihil. Certè non eſt cur hac de cauſa ſeſe jactitent Romani Pontifices, quod ſcilicet magno beneficio Germaniam affecerint, utpote quum, ſi rem videas, potiùs opinione collatio illa inſigne quid habet, quàm reapſe. Verùm de toto hoc negotio non eſt hujus loci latiùs agitare.

Cæterùm, quum nec Germania, nec Italia Longobardica ſubſit hodie Imperatori, ut ille eſt Romanus Cæſar, ergo aut reliquum omne Italiæ illi iſthoc nomine paret, aut aliquid ejus, aut verò nihil. Oſtenſum autem eſt ſuprà, quum Carolus Magnus imperii rerum eſt potitus, tum ex pacto Calabriam inferiorem manſiſſe in ditione

Imperii orientalis, Venetorum quoque urbem iiſdem redditam, reliquum autem omne, utut pareret Pontifici, in Caroli ut Imperatoris ſupremam poteſtatem perveniſſe. Fuit autem & Ottonis eadem propè conditio. Namque & tum nihil reliquum relictum eſt Orientali Imperio præter Calabriam. Venetorum verò urbs itidem manſit libera. Cætera verò omnia Imperii veteris in Italiâ, tametſi eſſent in Pontificia manu, unà tamen cum ipſo Pontifice in Ottonis, ut Cæſaris, imperium pervenerunt. Luitprandus ſive alius quis autor eorum, quæ à capite ſexto ſunt aſſuta. *l. 6. Luitprandi*, ſcribit, Ottonem ab Ioanne Papa unctionem ſuſcepiſſe Imperii addens: *Iusjurandum verò eodem Papâ Ioanne ſupra pretioſiſſimum corpus Petri, atque omnibus civitatis proceribus, ſe nunquam Berengario atque Alberto auxiliaturos, accepit.* Otto Imperator c. 10. conqueritur, Ioannem Papam eſſe *immemorem juramenti & fidelitatis, ſibi ſuprà corpus S. Petri promiſerit.* Vnde claret; Papam *fidelitatem* juràſſe Imperatori Ottoni, quæ vox quam habeat vim, ex more ejus ævi notum eſt. In diplomate Ottonis illius Ioanni Pontifici dato de bonis Epiſcopatus Romani apud Baronium ad annum 962. diſertè bona illa omnia donantur, ſed hac conditione *ſalvâ in omnibus poteſtate noſtrâ & filii noſtri, poſterorumque noſtrorum:* item ne quis Pontifex in poſterum conſecraretur [verba Cæſaris ſunt] *priusquam talem in præſentia Miſſorum noſtrorum, vel filii noſtri ſeu univerſa generalitatis faciat promiſſionem pro omnium ſatisfactione atque futura conſervatione, qualem Dominus & venerandus ſpiritualis pater noſter Leo ſponte feciſſe dignoſcitur.* Atqui Leo illi Carolo Magno ſubjecit ſeſe prout olim Cæſaribus fuere ſubjecti Papæ, eoque Carolum ſtatim adoravit: quod jam ſuprà eſt dictum. In eodem porrò diplomate notandum illud eſt, conventum tum eſſe, ut quotannis per Legatos Cæſari nuncietur, *qualem ſinguli Duces ac judices populo juſtitiam faciant.* Si enim ſecius quid fit quàm oportet, tum verò Imperatorem per Legatos ſuos id emendaturum.

Ex quibus profectò liquet, ſtatim illo anno 962. Ottonem unà cum Cæſareo titulo jura veterum Cæſarum in Papam ipſum accepiſſe. Et verò eo jure uſus eſt contra Ioannem illum Papam ſtatim ſequente anno. Quo tempore de novo cives Romani *fidelitatem* promiſerunt *hæc addentes* [verba ſunt Luitprandi l. cit.] *& firmiter jurantes, nunquam ſe Papam electuros & ordinaturos præter conſenſum atque electionem Domini Imperatoris Ottonis Cæſaris Auguſti filiique ipſius Regis Ottonis.* Rogavit autem tum Synodus Epiſcoporum ab Ottone congregata, ut & Ioannem Papam exuere honore, & alium in ejus locum eligi pateretur. Vtrumque autem effectum eſt. Eidem verò Ottoni Romani cives perjuri 964. & tertiâ vice *fidelitatem* juràrunt, ut poſt Reginonem narrat Baronius. Quò anno iterum Cæſareâ auctoritate uſus Otto in exilium relegavit Benedictum, quem Romani cives creàrant Pontificem. Eidem porrò Ottoni omnibuſque ejus ſucceſſoribus Leo Papa præter illa jam dicta conceſſit *in perpetuum, facultatem eligendi ſucceſſorem* (in Imperio ſcilicet) *atque ſummæ ſedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiſcopos ſeu Epiſcopos, ut ipſi ab eo inveſtituram accipiant.* Habentur omnia hæc verba ex bulla quadam Leonis depròmpta, apud ipſum Gratianum *diſt. 63. c. 23.* Exſtatque apud Cranzium *metropol. l. 4. c. 10.* ejuſdem Leonis alia bulla, quâ omnia quæ Pipinus aut Carolus Magnus donaverant Romanæ Eccleſiæ, Ottoni ejuſque ſucceſſoribus redduntur. Impugnat verò acriter utriuſque fidem Baronius ad annum 964. Quicquid verò ſit de illis bullis, id certum eſt, Leone mortuo, jus illud eligendi ex arbitrio Pontificem non tuliſſe Romanos. Continuator Reginonis ad ann. 965. ita notat: *Eodem anno domnus Papa Leo obiit. Tunc legati Romanorum Imperatorum pro inſtituendo quem vellent Romanæ Pontifice, in Saxonia adeuntes, honorificè ſuſcipiuntur & remittuntur. Et Otgarus Spirenſis Epiſcopus & Luitprandus Cremonenſis cum iiſdem Romam ab Imperatore diriguntur. Tunc ab omni plebe Romana Ioannes eligitur.* Imò ex eo uſque tempore omnes Pontifices Romani aliique Archiepiſcopi pariter & Epiſcopi pedum Epiſcopale ab Imperatoribus acceperunt, donec rem omnem turbaret Gregorius VII. Id quod alibi oſtenditur.

Quin itaque Otto Magnus verè Cæſaream obtinuerit in Pontificem populumque Romanum poteſtatem, non eſt dubitandum. Poteſt autem de ſucceſſoribus ejuſdem ad Henricum IV. uſque, idem haud difficulter oſtendi, ſi opus foret. Verùm id operosè agere fuerit fortè Soli facem fœnerari. De Ottone III. tamen quæ dicit Glaber Rudolphus non poſſumus prætermittere: *Contigit*, ait, *initio Imperii Ottonis, ut ſedes Apoſtolica urbis Romæ proprio viduaretur Pontifice:* (is erat Ioannes XV.) *ipſe verò illicò Imperiali uſus præcepto quendam ſuum conſanguineum* [Brunonem, pòſt dictum Gregorium V.] *elegit, atque ex more in ſede Apoſtolicà ſublimari mandavit.* Quum verò eodem tempore Creſcentius conſul tyrannidem Vrbis ſibi ſumpſiſſet, aliumque Pontificem inſtituiſſet, narrat idem, atque ex eo Baronius ad annum 996. Ottonem & Vrbem occupâſſe & Creſcentium curâſſe præcipitari: Papæ autem à Creſcentio electo & manus amputatas, & aures abſciſſas & oculos erutos. Idem ille Otto Sylveſtrum II. Papam inſtituit fatente Baronio anno 999. Idem Otto Sylveſtro Papæ octo urbes Marchiæ Anconitanæ donavit. Refert illud Theodoricus de Niem *l. de privileg. & jurib. Imper.* Ipſum verò donationis diploma edidit primus Marquardus Freherus & inſigni commentario illuſtravit, poſt illum à Baronio, id *tomo 12. Annal. ad ann.* 1191. eſt inſertum. Liquet verò inde, eo tempore magnum illud quod appellatur Petri patrimonium, non in Pontificia, ſed in Imperatoris fuiſſe manibus, fortè quòd Leo omne illud Ottoni magno iterum conceſſiſſet. In illis autem literis notatu etiam hoc occurrit dignum, quod Romam appellet Cæſar *ſuam urbem regiam.* Hujus porrò Ottonis adhuc pueri mater Theophane per triennium in ipſa Roma vixit & rempublicam filii ſui in uſum tenuit. Quomodo anno 1003. Conradus II. integrum annum Romæ commoratus rebelles compeſcuit.

Quanquam verò hæc vera Cæſarea poteſtas integra manſerit ad Henricum uſque Quartum,

(cujus

(cujus pater Henricus III. adeò jure ſuo eſt uſus, ut non dubitaverit Baronius anno 1046. illum hoc nomine neſcio cujus Hæreſeos Henricianæ auctorem proclamare) imò quanquam ſeſe Gregorius VII. Papa confirmari voluerit per Henricum IV. primus tamen ille inauditâ hactenus audaciâ, non tantùm exuere Cæſarem omni dignitate eſt auſus, ſed & ſumere ſibi poteſtatem in Imperatorem, reges, principes. Preſſerunt autem eiusdem veſtigia omnes ſecuri Pontifices. Quanquam verò ſtrenuè jura ſua antiqua tueri ac ſervare ſtuduerint cùm ipſe Henricus IV. tum ejus filius Henricus V. nec non Fridericus primus & ſecundus, tandem tamen, poſt obitum ſcilicet Friderici II. Papæ victoriam obtinuerunt. Igitur jam quidem annos prope quadringentos neque in Papam, neque in urbem Romam, neque in illas antiqui Imperii reliquas provincias Cæſarea vetus potentia fuit exercita. Superſtes tantùm manſit Imperatorium nomen, & quidem ſi verum eſt dicendum, inane atque procul re ipſa. Quod jam olim rectè intellexit fortiſſimus Germanicorum Cæſarum Fridericus primus, eoque cùm Adrianus IV. Papa anno 1159. inter alia à Friderico poſceret: *nuncios ad urbem ignorante Apoſtolico ab Imperatore non eſſe mittendos, cum omnis magiſtratus inibi S. Petri ſit cum univerſis Regalibus*: ſtatim reſpondit: *cùm divinâ ordinatione ego Romanus Imperator & dicar & ſim, ſpeciem tantum dominantis effingo, & in me ubique porto nomen ac ſine re, ſi Vrbis Romæ de manu noſtrâ poteſtas fuerit excuſſa.*

Non diſputabo nunc, an quadringentorum annorum poſſeſſione id quod initiò per vim pepererunt ſibi Pontifices nunc verè ſuum fecerint, præſertim quum tanto temporis ſpatio pauci Cæſares idipſum videantur in controverſiam vocaſſe, id certum videtur, ſi tot annorum præſcriptione perierint noſtris Regibus & Cæſaribus omnia vera illa & antiqua Cæſarum jura, non eſſe ampliùs cur vanè jactent nonnulli neſcio quod orbis aut Vrbis Romæ dominium, multò minùs nunc eſſe magnis ſumptibus & ingenti periculo in Italiam proficiſcendum Cæſaribus electis, quò à Romano Pontifice Cæſaream coronam conſequantur. Quinimò haud obſcurè hinc eſt diſpicere, cùm Orientale Imperium Romanorum per Turcam pridem ſit deſtructum, nec Occidentalis quicquam penè ſuperſit apud Cæſares præter nomen Imperatorium, haud injuriâ fortaſſis poſſe affirmari, vel Imperium Romanum funditus periiſſe, vel verò Papam Romanum reapſe frui nunc poteſtate Imperatoriâ, ſi demas licentiam titulum illum uſurpandi, aut in alium conferendi.

Cæterùm his quæ ultimò attulimus nonnulla poſſe objici videntur. Primò enim ſacris literis videtur prædictum, non interiturum Romanum Imperium ante ultimum diem. Ex legibus quoq; Iuſtinianeis conſtat Imperatorem dominum eſſe orbis: certum verò eſt noſtros Cæſares Iuſtiniani eſſe ſucceſſores, itaque & noſtris illis in orbem quoq; univerſum eadem hodie jura ſunt. Poſtremò, ſi Cæſares hodie reapſe non niſi Imperatorium habent titulum, haud videtur eorum eſſe aliqua præ aliis Regibus dignitas ac prærogativa.

Verum enimvero, quod primo quidem loco adducitur, promitti in ſacris literis Imperii Romani æternitatem. id temerè probari non poteſt. Quomodo totum illud de non niſi quatuor magnis futuris monarchiis ſeu Imperiis mundi, plus habet famæ quàm veri: quippe quum olim in Aſia iam ante Alexandrum tot numero floruerint ampliſſima imperia, Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum, Perſarum, non autem duo tantùm, quod vulgò creditur: Aſia eadem poſt Romani Imperii interitum itidem habuerit, hodieque ex parte habeat vaſtiſſima regna Sarracenorum, Turcarum, Tartarorum Perſarum, & Sinenſium: Europa verò viderit Francorum regnum maximum jam ante adeptum Cæſareum nomen: etiam nunc verò floreat vaſta Hiſpanorum potentia & Gallorum. Nec verò reperitur quid in ſacris literis, quod ad perpetuitatem Romani Imperii jure debeat trahi, ſive enim ſomnium Nabuchodonoſaris videas ſive ipſius Danielis quod eſt c. 7. omnia illa vix attingunt Cæſarea tempora, ut optimè obſervant eruditiores: quod tamen hic diſputare alienum eſt. Quid, quod Apoſtolicæ literæ excidium non Romani Imperii tantùm, ſed ipſius Vrbis, haud paulò ante finem mundi futurum videantur prædicere. Antichriſti certè tempora excepturа demum interitum Romani Imperii, communis omnium primæ ætatis Chriſtianorum fuit ſententia. De ipſius autem Vrbis Romæ extremo excidio accipienda videntur omnino illa quæ c. 18. Apocalypſ. leguntur.

Ad ſecundum reſpondemus. Eo argumenti genere uſos quidem perquam multos à Lotharii Cæſaris uſque temporibus ad noſtram hanc ætatem, eos qui Romani juris doctrinam profeſſi ſunt, quorum nonnullis penè perſuaſum eſt, omnia omninò illa competere hodieque Cæſaribus noſtris, quæ olim Iuſtiniano, imò Auguſto Imperatori convenerunt. Verùm hæc quidem doctrina apta eſt concitandis bellis, movendis tumultibus, evertendæ reipublicæ. Si enim omnia ad illam faciem Auguſtæi ævi ſunt componenda, non hæc tantùm noſtra Germania ſed penè totus orbis erit commovẽdus. Eſt autem tota illa colligendi ratio frivola, ne quid dicã gravius. Nulla certè illi vis ineſt, niſi pro confeſſo & certo ſumas, populum Cæſaremque Romanum nihil potuiſſe jure amittere, aut verò omne quod in corpore illo Legum Romanarum reperitur id ex jure naturæ venire, adeoq; æternæ eſſe veritatis. Quæ omnia longè ſunt falſiſſima. Sanè cùm jura illa pleraq; valeant ex conſtituto, ſintque poſitiva, uniuſcuiuſque eſt liberæ reipubl. ea hactenus vel rejicere vel admittere, eoque nec rerumpubl. controverſiæ rectè ex illis poſſunt decidi, ut optimè poſt Ferdinandum Vaſquium obſervavit ſummus vir Hugo Grotius *præf. ad libr. de jure belli ac pac.* Stultum verò eſt omnem qui in nomen aut aliquo modo ſuccedit in locum, eundem etiam in jura quæ ante aliquot centum aut mille annos obtinuerunt, ſuccedere. Non minùs ſanè hoc ineptum eſt quàm illud nonnullorum commentum Carolo V. jus fuiſſe ad occupandos Americanos, eò quòd eſſet Imperator adeoque dominus orbis: quos perdoctè confutavit Franciſcus Victoria *relect. de Indis* & Ferd. Vaſquius *in quæſtionib. Illuſtrib.* Bene verò eſt, quod qui ſeſe olim Cæſareanarũ partium propugnatoribus illis oppoſuerint, ac Pontificem ſumpſerint ſibi extollendum *ſuper omne quod dicitur Deus*, non minùs perperam ſeſe geſſerint,

Addit. Q

nihil aliud ſc. aſſerçntes quàm ipſorum Pontificum arrogantiſſima dicta, adeoque teſtimonium glorioſiſſimorum eiusmodi hominum in propria cauſâ

Tertii ultimique argumenti rejicienda eſt ſequela. Enimverò non eſt Cæſari noſtro quicquam poteſtatis in liberas reſpublicas, ſed ratione *αὐτονομίας* etiam parva reſpublica libera, qualis eſt Rheguſina ex. gr. non minùs ſua habet plena majeſtatis jura quàm aliqua magna: dignitas verò omnis non ex illis majeſtatis juribus tantùm eſt æſtimanda, ſed & alia multa ſunt quæ jubeant etiam inter pares ordinem aliquem ſervandum. Certum verò eſt Carolum Magnum cum Francis quoquoverſum Imperium ſuum extendiſſe, in Germaniam ſc. & Galliam & Italiam & magnam Hiſpaniæ partem, fuiſſe autem illos omnes natione & linguâ Germanos, adeoq; tum certè præcipuam Europæ vim penes Germanos fuiſſe. Certum verò & hoc eſt: tempore Ottonis Magni, non tantùm Cæſareo nomine, ſed & amplitudine imperii, Germanicum regnum per complura ſecula longè antecelluiſſe, Hiſpaniam, Galliam, Britanniam, Daniam, Sueciam, Poloniam, Vngariam: utpote quòd comprehenderet omnem Germaniam, Galliæ magnam partem uſq; ad Rhodanum, regnum Arelatenſe, & Italiam univerſam. Denique certum eſt, ab annis ſeptingentis nullam rempubl. non ultrò ſemper Germaniæ eiuſq; Regibus aut Cæſaribus primum locum conceſſiſſe. Itaque quum dignitas hæc & *πρωτεῖα* non tam à Cæſareo titulo quàm ab ipſa amplitudine Imperii veniat, & verò Germanicum regnum in quieta ejus honoris poſſeſſione hactenus fuerit, manifeſtum eſt, etiamſi tollas omne Cæſareum nomen, jus tamen ſuum Germanico regno permanſurum integrum.

ADD. XIII.

Poſt lib. 2. Limn. Enucleati c. 1. addendus ſequens Diſcurſus Dn. D. Conringÿ de Electoribus Imperÿ Germanici, quamquam in eo nonnulla ſint, à quibus hodie ipſe Dn. Autor diſſidet.

RESpublica Romana ab initio Reges, mox Conſules, Tribunos, Dictatores, alioſq; Magiſtratus habuit, donec variis agitatam ſeditionibus, poſt graviſſimas Marii & Syllæ digladiationes, Cajus Iulius Cæſar, devicto Pompejo, ſub nomine Dictatoris, unius iterum poteſtati ſubjecit. Eius ex forore nepos, filiusque adoptivus Octavianus, patris interfectoribus cœteriſque inimicis devictis, cœptum à patre opus fœliciùs pertexuit, feſſamque Rempublicam ſub nomine Principis omnem in ſuam poteſtatem redegit: Eſtque iis artibus ab eo ſtabilitus Principatus, ut immotus poſtea ſteterit. Ei poſt longam feliciſſimamq; dominationem defuncto ſucceſſit Tiberius, Tiberio Cajus, uterq; ex adoptione. Cæterùm interfecto ob horrenda ſcelera Caio, cùm, qui jure hæreditario ſuccederet, non eſſet, rerum omnium ad Senatum populumq; Romanum videbatur rediiſſe ſumma, uſque omni jure licere quem vellent ſibi præficere: Verùm ea fuit militum potentia, ut inconſulto Senatu hoc ſibi juris ſumerent. *Dio Caſſius lib. 60. Caio mortuo Conſules, dimiſſis in omnes partes urbis cuſtodibus, Senatum in Capitolium vocârunt. Ibi ſententiis diſcrepatum, cùm alii populo ſummam Reip. reſtituendam, alii unum Principem eligendum cenſerent, atque hi rurſus alius alii principatum deferret. Ita reinfectâ reliquum diei & nox tota abſumpta eſt. Interim milites quidam, rapinæ cauſa Palatium ingreſſi Claudium (qui propterea, quòd cum Caio agebat, tum ultima metuens ſe abdiderat) in obſcuro angulo occultatum invenientes, primùm protraxerunt, aliü quendam eſſe, ac ſecum habere aliquid abſconditum rati: mox cognitum Imperatorem ſalutaverunt, ac in caſtra deduxerunt. Ibi omnium conſenſu militum ei, orto nimirum Imperatorio genere, ac bono viro, Imperium eſt tributum. Conſules cùm aliquandiu miſſis Tribunis plebis ei edixiſſent, ne Principatum capeſſeret, ſed ſub populi Senatuſque & Legum poteſtate eſſet: poſtquam à ſuis etiam militibus deſeri ſe viderunt, ipſi quoque aſſenſi ſunt & imperium ei decreverunt.*

Aliquoties tamen Senatus, idque, quantùm ex Romana hiſtoria colligere licet, ter tantùm, auſus eſt ante militum ſuffragia creare Imperatores. Et hac ratione electi ſunt occiſo Domitiano, Nerva: contra Maximinum Thracem, Cælius Balbinus & Pupienus: interfecto Aureliano, Tacitus.

Sed & ex prædeceſſorum voluntate & jure quaſi hæreditario Imperium adepti ſunt plurimi, quos omnes hic recenſere nimis longum foret: pleroſque collegit Onuphrius Panvinius. *libr. de comitiis Imperial. lib. cap. 1.*

Ex his ergo conſtat variam fuiſſe Imperatorum Romanorum ſucceſſionem; cuius conſtituendæ poteſtatem cùm modò hi, modò illi ad ſe raperent: non potuit non ea res ſæpius ingentes dare motus; idq; factum eſſe docent hiſtoriæ. Sanè ſi etiam cœteris omnibus excluſis, penes ſolos milites (quemadmodum quoq; ut plurimùm fuit) fuiſſet electio, res turbis carere non potuiſſet. Quippe cùm exercitus eſſent plurimi, iique magnis à ſe invicem locorum intervallis disjuncti, omnes tamen idem in creando Imperatore jus ſibi vindicarent; non poterat non contingere ut plures ſimul eligerentur: quibus deinde tamdiu inter ſe digladiandum erat, donec unus eorum, cœteris non ſine ingenti Reip. clade everſis, ſolus rerum potiretur.

Conſtat quoque & illud peſſimam tum fuiſſe reip. Romanæ conditionem, in qua omnia ferè penes milites eoſq; mercenarios & maximam partem barbaros, quibus de jure nihil in Rep. debebatur, fuere: quorum tanta fuit protervia ut vel minima, vel nulla demum de cauſa, ſolâ vel voluptate vel avaritiâ ſtimulati, dominos mutarent. Qua de re egregiè diſſerit Eraſmus *præfatione ad Tranquillum ad Duces Saxoniæ.* Quin eò demũ proceſſere malitiæ, ut Imperium palam venale proponerent, pluraque polliccenti darent, ut auctor eſt Herodianus. Quare quoq; non eſt quod miremur adeò tum cecidiſſe remp. Romanam ut vix veteris gloriæ veſtigia reſtarent: cùm regnum in ſe diviſum ſtare non poſſe & Sacræ literæ, & ipſa recta ratio, loquantur.

Sed ad rem redeamus. Tranſlato Imperii robore Conſtantinopolim à Conſtantino, duo cœpere eſſe Imperia: Occidentis alterum, cuius metropolis Roma: Orientis alterum, cuius metropolis Conſtantino-

ſtantinopolis. Regebantur autem hæc Imperia modò à pluribus modò ab uno; quippe ea lege diviſa erant, ut ſibi mutuò ſuccederent. Circa ipſam autem ſuccedendi rationem nihil mutatum eſt, donec victo & tonſo ab Herulis & Gothis Auguſtulo, deſiit Imperium Occidentis. Tum enim, fortè quòd res vires ipſorum excederet, quievêre Imperatores, Gothique quietè Italiam poſſedêre, donec tandem, neſcio qua de cauſa, moto à Iuſtiniano bello, per Narſetem & Belliſarium omninò victi ſunt. Fuit tamen haud diuturnum hoc gaudium, nam offenſo Narſete, & ab eo vocatis ex Pannonia Longobardis, quæ acquiſiverat plæraq; iterum amiſit. Ea tamen quæ retinuit, in quibus & ipſa Vrbs Roma fuit, deinceps ab Exarcho, quem Ravēnam Imperatores mittebant, gubernata ſunt, cuius, creſcentibus quotidie Longobardorum rebus, vires adeò decrevêre ut vix quicquam in illo Romania auxilii reliquum eſſet.

Porrò imperante Conſtantinopoli Leone Iſauro exarſit graviſſima de Imaginibus controverſia, quæ adeò accendit animos, ut tandem à Pontifice Gregorio II. anathemate abſtringeretur Imperator, eique vectigalia quæ hactenus imperio pendebantur negarentur. Quin & Imperatorem creare voluerunt qui in Italia erant exercitus, omnisque Italia, niſi Pontifex id prohibuiſſet, uti conſtat ex Paulo Warnefrido. *Hiſt. Longobard. lib. 5. c. 44.* & Anaſtaſio in Vitâ *Gregorii* II. Manſit tamen aliqua Conſtantinopolitanis Imperatoribus auctoritas: nam & cunctam Provinciam Italiæ literas ſupplices pro erigendis imaginibus Conſtantinopolim miſiſſe, & Papam, miſſo Conſtantinopolim legato, rogâſſe Imperatorem, ut veniret in Italiā, & Romā & Italiam liberaret à Longobardis, auctor eſt idem Anaſtaſius *in Vitis Gregorii II. & Zachariæ.*

Premebant interea deſtitutos Græcorum auxiliis Romanos crebris irruptionibus Longobardi, confugêre igitur ad Francorum opes longè lateq; tum per Occidentem florentes; qui moti Pontificū, quorum ob religionem magna apud omnes erat auctoritas, precibus, ſæpiùs auxilio præſtò fuere, & Longobardis modò autoritate ſuâ modò vi in ordinem redactis, non modò Romam liberârunt, ſed & poſſeſſionibus non ſpernendis Romanam ornârunt Eccleſiam. Vnde factum, ut Pontifex Romanus, qui jam antè, tanquam Summus Eccleſiæ Chriſtianæ antiſtes, ſummo à Chriſtianis proſequebatur honore, his auctus præſidiis, paulatim majus ſumpſerit incrementum, donec ad id excrevit eius potentia faſtigium in quo adhuc hodie viſitur. Verùm hæc aliò pertinent.

Liberati crebris Francorum auxiliis Romani, Carolum, jam devicto Longobardorum regno victoriis clarum, Patricium ſibi adſcivêre. Fuit autem jam tempore ſuperiorum Imperatorum magna Patriciorum dignitas, utpote quos Patres Imperatoriæ Majeſtatis vocat Iuſtinianus §. 2. *I. quibus mod. ius patr. poteſt ſolu.* Horum jam ferè obſoleta auctoritas tum deficientibus Imperatorum rebus videtur revixiſſe, quodnam autem eorum fuerit officiū videre eſt ex gloſſa antiqua *in c. Adrianus. 63. diſtinct. Patricius*, ait illa, *Pater Papæ in temporibus fuit, ſicut Papa in ſpiritualibus eius pater, quia ipſi, ut Patres filiis, Reip. providebant.*

Poſtmodum verò Pontifex populusque Romanus, ſive ut majorem referrent pro collatis in ſe beneficiis gratiam, ſive ut tutiores ab hoſtium incurſibus eſſent, ſive etiam ut vetus ſibi iterum adſciſcerent Imperii decus, Carolum jam Francorum Longobardorumq; Regem, Patriciumq; & Principem Romanum, nihil tale cogitantem, ipſis feriis Natalitiis, Anno poſt natum Servatorem DCCCC. impoſito diademate, Imperatorem ſalutârunt.

Et hæc eſt celebris illa Romani Imperii à Græcis ad Francos tranſlatio, quæ cuius autoritate facta ſit multis hactenus ſcriptis acerrimè agitatum eſt, aliis omnia, aliis nihil in hac cauſa Papæ deferentibus. Id ſanè negandum non videtur haud exiguas fuiſſe Pontificis, utpote præcipui Reip. Romanæ membri, in hac tranſlatione partes: at qui omnia ei adſcribunt, magnam injuriam inferunt Romanis, quos nullo modo tunc fuiſſe Pontificis ſubditos, ſed libero uſos in declarando Imperatore Carolo ſuffragio, ſatis conſtat cùm ex veteribus monumentis, ac dilucidè demonſtratur in noſtro de Rom. Imp. Tractatu. Vnde ſimul quid eâ tranſlatione ad Carolum devolutum ſit abundè hauriri poteſt. Certè ipſe Anaſtaſius, maximus dignitatis Pontificiæ aſſertor, ab omnibus electum eſſe Carolum fatetur *in vita Leonis.* Et Pius II. antè Æneas Sylvius, priusquam ad culmen pontificale eveheretur quid ſenſerit, patet ex libro eius de ortu Romani Imperii, quando ita ait: *Populus ille Romanus, qui ſuo ſanguine paraverat Imperium, Carolum magnum primò Patricium, pòſt Auguſtum, concurrente Pontificis conſenſu, ſalutavit.*

Tranſlata eſt autem procul dubio Imperatoria dignitas ad Carolum eo modo quo illam tenuerunt Imperatores Conſtantinopolitani, quippe in eorum jura ſucceſſiſſe videtur Carolus. Fuit verò illorum dignitas hæreditaria, quare & talem tranſlatam eſſe in Carolum nulli dubitamus: quicquid dixerint Pontificum patroni, qui etiam impoſterū Imperialem dignitatem à Papa dependiſſe ſtatuunt. Vſus verò ſuo eſt jure Carolus, quando non conſulto Papâ Imperialis nominis conſortem ſibi fecit filium Ludovicum, teſtibus Annalibus Francicis: Vſus eo eſt & Ludovicus, dum primogenitum filiū ſine conſenſu Pontificis nominis atque Imperii conſortem fecit. Certè ita tranſlata tum fuit in Francos Imperii Romani dignitas, ut non niſi penes Francorum reges illa impoſterum foret. Vbi notandum accuratè, diverſam eſſe regni Francorū & Longobardorum ab Imperio Romano dignitatem: utpote quum verè tum temporis ſolâ Romanæ urbis & nonnullarū Italiæ regionum ſignificatione amplum illud nomen; Imperii Romani ſteterit. Hinc ex illo tempore penes Francos quidem ſolos fuit Imperatoris conſtitutio in Occidente, non minùs atque apud illos fuit Regem ſibi creare: interim non omnis Rex Francorum ſtatim & Imperatoriam nactus eſt dignitatem.

Gente Germanus fuit Carolus; adeoque modo gentibus Germanicis jam olim, teſte Tacito, uſitato, quo hodieque Poloni & Dani utuntur, ipſosque Francos uſos eſſe docet Hottoman. *Franco Gall. c.* 6. & Lehm. *Chron. Spirenſ. l. 2. c. 3.* ab omni populo, habitâ tamen nobilitatis & nativitatis ratione, Rex Francorum electus eſt. Eginhardus. *Obiit Pipinus ſuperſtitibus liberis Carolo & Carolomanno, ad quos ſucceſſio regni divino nutu pervenerat,*

Franci ſiquidem facto ſolenniter generali conventu ambos ſibi Reges conſtituunt. Idem Eginhardus. *Carolus autem, fratre defuncto, conſenſu omnium Rex Francorum conſtituitur.*

Sed hic iterum litem movent Pontificiæ auctoritatis aſſertores. Etſi enim hanc Caroli ſucceſſionem in dubium vocare nequeant, aſſerunt tamen Pipinum Caroli Patrem, adeoque & ipſum Carolum à Papa Regnum Francorum habere. Verùm ex ipſa tantùm rei narratione quantoperè fallantur apparebit. Torpebant nimio otio Francorum Reges gentis Meroveæ, omniaque Regni negotia Palatii Comites adminiſtrabant, ſolùm nomen & cultus regius Regibus ſupererat: quare Pipinus & ipſe Palatii Comes in id tandem cæpit incumbere, ut ſe regiis oppreſſum negotiis, Regiâ quoque dignitate ornarent Franci. Res hæc ardua meliorem habita eſt ſortitura exitum, ſi ob religionis opinionem res deferretur ad Pontificem. Miſſi Legati promptum invenêre Pontificem. Ex his quæ Pontificis fuerint partes quilibet ſanus facilè perſpicit. Aliud enim eſt Regem creare, aliud creandi conſilium dare, aut declarare ſuo teſtimonio quid populo liceat in rege creando. Aliud jus creandi habere, aliud jus conſilii dandi. Quanquam conſilii in huiusmodi rebus dandi jus nemo habet niſi à quo petitur. Sigon. Alb. Stadenſ. Hottoman. *Franco Gall. c.* 15. Et Lupoldus de Bapenberg. *in Tractat. de jur. Regn. & imper.* ait: *Zacharias depoſuit Regem Francorum, expone, id eſt, deponendum conſuluit & conſenſit.*

Videamus nunc de Succeſſoribus Caroli Magni. Et filium quidem Ludovicum à Patre etiam vivente in ſocietatem regni aſſomptum ſuprà jam diximus. Clara ſunt Eginhardi verba. *Cumque jam morbo & ſenectute premeretur Carolus, advocatum ad ſe Ludovicum Aquitaniæ Regem, qui ſolus filiorum Hildegardis ſupererat, congregatis ſolenniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorum conſilio, conſortem ſibi totius Regni, & Imperialis nominis hæredem conſtituit: impoſitoque capiti eius diademate Imperatorem & Auguſtum juſſit appellari.* In quibus duo hæc inprimis notanda. Primò quod Francorum conſenſu conſtituerit Regem, filium Ludovicum Carolus. Deinde quod interveniente eorundem conſenſu Imperatorem eum appellaverit, nulla Papæ nullà Populi Romani factâ mentione. Vnde colligere licet, fuiſſe hanc Caroli ſententiam, dignitatem Imperialem à ſe acquiſitam etiam eſſe in patrimonio Francorum; adeoque licere illis ut Regem Francorum, ita & Imperatorem ſecundum antiquam conſuetudinem creare.

Ludovicus itidem vivus conſortem Imperii aſſumpſit filium Lotharium. Annales Franc. ad annum 817. *Generalem populi ſui conventum Aquisgrani habuit more ſolito: in quo filium ſuum primogenitum Lotharium coronavit, & nominis atque imperij ſui ſocium conſtituit: cæteros Reges appellatos, unum Aquitaniæ, alterum Bajoariæ præfecit.* Fratres tamen hac non contenti diviſione, poſt obitum Patris grande ſibi invicem bellum moverunt, donec tandem de conditionibus his inter ipſos convenit, ut Lotharius nomen imperatorium, Italiam, Provinciam & Lotharingiam haberet, Carolus regna Occidentalia à Britannico Oceano usque ad Moſam, Ludovicus regna Orientalia, omnem ſc. Germaniã usque ad Rhenum, & aliquas trans Rhenum civitates. Regin. Sigebert. Eadem poſteà in familia Carolina obtinuit ſuccedendi ratio, ut interveniente Francorum conſenſo regna inter liberos dividerentur, ita tamen ut omnia manerent libera, & nullum in alterum aliquid ſibi juris vindicare poſſet: quæ ſingula hîc commemorare fortè non eſt opus, ſufficiat inſigniora attuliſſe exempla. Illud hîc omittendum non eſt, habitâ hujus diviſionis ratione, neminem poſteà Carolinorum Imperatorem ſe dixiſſe qui non & ipſe Italiæ & Romæ Dominus eſſet. Lehm. *lib.* 2. *c.* 46.

Vsque adeò autem defecit crebris his diviſionibus Regnum Carolinorum, ut tempore Arnolphi pars Italiæ Regem ſibi eligeret Berengarium, pars Widonem Ducem Spoletanum Imperatorem creare auſa ſit: Victus tamen ab Arnolpho eſt Wido, & Arnolphus Romæ à Formoſo Papa coronatus.

At extinctâ in Germania Carolinâ familiâ, liberrimâ Francorum Saxonumque electione Regnum Germaniæ, aut, ut tunc vocari ſolitum, Regnum Francorum Orientale delatum eſt Ottoni Saxoni. Recuſavit autem ille ob ſenium illud onus, eiusq; conſilio electus eſt Conradus Dux Francorum Orientalium; qui tamen ex ſtirpe Carolina deſcendiſſe a quibusdam perhibetur. Witikindus Corbejẽſis: *Regi Ludovico non erat filius, omnisq; populus Francorum atque Saxonum quærebat Ottoni diadema imponere regni: Ipſe verò, quia jam ætate gravior, recuſabat onus Imperij, eius tamen conſultu Conradus quondam dux Francorum, eligitur in Regem.* Poſt cujus obitum liberrimâ iterum electione, & Cõradi jam in agone agentis conſilio, ad idem regnum evectus eſt Henricus filius Ottonis, Auceps poſteà dictus. Luitprand. lib. 7. c. 7. teſtatur in hæc verba mori jam vicinum Conradum allocutum eſſe proceres: *Henricum Saxonum & Thuringorum Ducem prudentiſſimum Regem eligite, Dominum conſtituite. Is enim eſt & ſcientiâ pollens, & juſtâ ſeveritatis cenſura abundans. cui ut obediatis, non tantùm conſulo ſed & oro:* De Ottone primo clara ſunt verba Witekindi lib. 1. ſub finem. *Henricus Rex cùm ſe gravari iam morbo ſenſiſſet, convocato omni populo deſignavit filium ſuum Ottonem Regem.*

Neglexerat Henricus Rex Italiam ſolâ contentus Germaniâ, & ne quidem invitatus à Papa nomen Imperatorium voluerat recipere, Viterbienſi teſte. Verùm Otto, & Italiam & Vrbem Romam, quam nonnulli ex populo jam in ſuam poteſtatem redegerant, ſuæ ſubjecit rurſum poteſtati, Imperatorq; omnium conſenſu dictus, omnem dignitatem Imperatoriam ad Germanos tranſtulit: quemadmodũ id ex dicti noſtri de Imper. Rom. Tractatus c. 10. conſtat. Et exinde factum, ut qui deinceps Germaniæ Reges creati ſunt, ſimul & jura Imperatoria ſint adepti, utut Imperatorio nomine ante coronationem Pontificiam ſæpiùs abſtinuerint, adeoque una ex eo tempore fuit & Regis Germaniæ & Imperatoris Romani conſtitutio, utpore quum hæ dignitates ex eo indiſſolubili vinculo cohæſerint, adeò ut tandem ipſa quoque Germania & in Italia regnum Longobardicum vulgò appellatione Imperii Romani cæperint uſurpari.

Fuit autem is, quem hactenos explicavimus, in Germaniæ regno ſuccedendi modus in uſu, ad Henricũ usq; IV. Qui cùm eodẽ modo adhuc puer

adeptus eſſet Imperium, optimam hanc & hactenus maximo Germaniæ bono frequentatam ſuccedendi rationem turbavit Papa Gregorius VII. Spernebant pueri Imperium Proceres; & fortè ipſe jam adultior, non ita ut debebat adminiſtrabat Regnum. Viſus ergo oblatâ occaſione Gregorius rebellantes jam Principes confirmat, Imperatorem anathemate ferit, & quod antè auditum erat nunquam, regno dejici mandat. Parent rebelles Imperatori Principes, & Rudolphum eligunt; factaque tum Conſtitutio quam Auctor Belli Saxonici refert, his verbis. *Hoc ſibi communi conſenſu probatum, Romani Pontificis auctoritate eſt corroboratum, ut Regia poteſtas nulli per hæreditatem cederet, ſed filius Regis, etiamſi valde dignus eſſet, per electionem ſpontaneam, non per ſucceſſionis lineam proveniret. Si verò non eſſet dignus Regis filius, vel ſi eum nollet populus, quem Regem facere vellet, in poteſtate haberet populus.*

Licèt verò à rebellibus tantùm Imperii Principibus lata fuerit hæc conſtitutio, fractâ tamen majeſtate Imperiali, & degenerante Imperio deinceps per aliquod tempus in anarchiam ferè, hæreditaria deinde ſucceſſio planè ſublata eſt. Quæ res quàm ingentes dederit turbas loquuntur omnes illius ævi hiſtoriæ. Etenim cùm ſaluberrimo inſtituto non exigua haberetur ſanguinis ratio, hoc unico quaſi repagulo quo feroces Principum cohiberentur animi remoto, & effrænem nacti Proceres poteſtatem, non potuere non maximis omnia miſcere motibus. Dum enim quiſque ſibi ut digniori, potentiori aut opulentiori primas quoque in rep. arrogare contendit, electi ſunt eodem tempore plures, qui inter ſe commiſſi totam ferè Germaniam everterunt. Acceſſit ingens illa quorundam Pontificum improbitas, qui, quòd res Gregorio ſatis benè ſucceſſerat, ferociores redditi, omnia deinceps ſuſque deque habere, & modò in hunc modò in illum gladio ſuo ſpirituali furere, nunquam non deſiere, dummodò ſibi ſuæque conſulerent avaritiæ. Quâ in re quàm benè ſecuti ſint exempla Salvatoris & Petri, quorum Vicarii & Succeſſores haberi volunt, ipſi viderint.

Vidimus hactenus ſucceſſionem Imperii partim fuiſſe hæreditariam, partim electitiam. Videndum demum penes quos illa electio tum fuerit, & penes quos nunc ſit. Factam autem fuiſſe ab omnibus, vel ex iis quæ ſuprà attulimus, teſtimoniis ſatis conſtat, in quibus ſubinde, omnium, cunctorum, totius denique populi fit mentio: idque de Principibus, Epiſcopis & Nobilibus nemo fortè negaverit. De Civitatibus id negat Bellarminus *lib. 3. de Tranſlat. Imperii.* Refutatur verò & multis & præclaris teſtimoniis à Lehmanno Chron. Spirenſ. *libr. 5. capit.* 17. Certè vel electione Henrici II. conſtat rem aliter ſe habere. Etenim cùm is Sigfridum Archiepiſcopum Colonienſem rogâſſet, ut ſe in conſequendo imperio juvaret, reſpondit ille: *Quò melior & major pars populi ſe inclinaverit libenter ſe aſſenſurum.* Dithmarus *lib.* 4. Populum autem includere etiam Civitates, vel ipſa recta ratio docet: quin & Radevicus *de reb. geſt. Friderici. lib.* 2. ubi cæteri Scriptores voce populi utuntur, expreſſè dicit *Conſules, Civitatumque judices.* Hodiè cæteris omnibus excluſis ſoli Septem Principes, Tres Eccleſiaſtici, Archiepiſcopus Moguntinus, Archiepiſcopus Colonienſis, Archiepiſcopus Trevirenſis, Quatuor ſeculares Rex Bohemiæ, Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgenſis, Imperatorem eligunt, dicunturque à numero Septemviri ab officio, Germanicè Churfürſten / aut ſignificantiùs vetere Saxonico idiotiſmo Keurförſten. Id verò quando cœperit, nunc eſt inveſtigandum.

Communis & conſtans per duo ſecula, & quod excurrit, ab anno videlicet 1250. ad annum circiter 1500. fuit opinio, Ottonem III. Imperatorem & Gregorium V. Pontificem ſeptem Electores inſtituiſſe: in eo tantùm diſcrepant autores, quòd quidam, ut alia omnia, ita & hanc Electorum conſtitutionem adſcribant Pontifici: quidam verò id negent. Acriter inprimis cauſam Pontificis defendunt Hoſtienſ. *in cap. Venerabilem de elect.* Palatina *in Vita Gregorii* V. Molin. *Tr. 2 diſp.* 24. *de Inſt. & Iur.* & contra Illyricum acerrimè Bellarminus *lib.* 3. *de tranſlat. Imp. c.* 4. *& ſeqq.* Nec adeò pridem Electori Bavaro idem perſuadere eſt conatus Michaël Lonigus in Conſilio ad Gregorium XV. de adhortando Bavariæ Duce ad petendam dignitatis Electoralis confirmationem à Pontifice. Primus autem receptam hanc ſententiam publicè edito elegantiſſimo libello, quem inſcripſit de Comitiis Imperatoriis, oppugnavit Onophrius Panvinius Veronenſis, frater Eremita Auguſtinianus; cùm tamen ejus falſitatem, leviter tantùm, jam antè perſtrinxiſſet Ioannes Aventinus, in Annalibus Bajoaricis, ut teſtatur ipſe Onuphrius *d. l. c.* 6. Nos pro ratione inſtituti paucis rem explicare conabimur: plura peti poſſunt ex Onuphrio *d. lib. c.* 6. Lehm. *Chron. Spirenſ. lib.* 5. *c.* 17. Arniſæo *de Rep. c.* 6. Quorum duo hi poſteriores etiam Bellarmini argumenta ſingulatim refellunt.

Certum autem omninò eſt non exſtare ullam ſive Ottonis ſive Gregorii de Electorum inſtitutione conſtitutionem, neque enim hactenus à quoquam in lucem producta eſt, neque verò produci potuit. Illud quoque dubio caret, neminem Scriptorum ab Ottonis ætate ad Fridericum uſque II. per ducentos quadraginta, & quod excurrit, annos, hujus conſtitutionis aut ipſorum Electorum aliquam ſaltem facere mentionem. Certè Gratianus qui circa annum Chriſti MCLI. Decreta, conſtitutiones & ſtatua Pontificum deſcribit, ne verbo quidem hujus conſtitutionis meminit. Exſtatque tamen hodie in Baſilica D. Petri elogium ſepulchrale Gregorii V. in quo omnia præclarè ab ipſo geſta enumerantur, hujus tamen conſtitutionis nulla fit mentio. Probabile autem non eſt rem hanc tanti momenti in hoc monumento deſiderari, & ab omnibus ejus ævi Scriptoribus ſilentio eſſe præteritam.

Primum omnium qui Electorum faciat mentionem eſſe Martinum Polonum, ait ipſe Baronius *ad annum 996. num.* 70. Vixit autem Polonus circa tempora Friderici II. adeoque 250. circiter annis poſt Ottonem, quare vix ei fidem adhibere poterimus in iis rebus quæ ante ipſius tempora geſtæ ſunt præſertim deſtituto aliorum teſtimoniis. Quin nec ipſe Polonus conſtitutionis alicujus meminit, nec tempore Ottonis cœpiſſe Ele-

ctores dicit, hoc tantum affirmat, poſt Ottonis tempora cœpiſſe officiales Imperii eligere: quod & nos facilè largimur. Verba ejus ſunt. *Et licèt tres iſti Ottones per ſucceſſionem generis regnaverint, tamen poſteà fuit inſtitutum, ut per officiates Imperii Imperator eligeretur, qui ſunt ſeptem &c.*

Quin & evidenter probari poteſt, etiam poſt Ottonem tertium ad Fridericum II. uſque Imperatores, non tantùm ſeptem illorum, ſed aliorum etiam Principum ſuffragiis electos eſſe. De Henrico II. qui ſucceſſit Ottoni III. ita Otto Friſing. *l. 6. c. 27. Anno ab incarnatione Domini M. I. mortuo ſine herede Ottone III. Henricus, Patre Hezilone, natione Noricus, ejaſdemque gentis Dux, ab omnibus Regni proceribus electus LXXXVII. ab Auguſto creatur.* De Conrado ſucceſſore Henrici idem Friſing. *d. l. c. 28. Anno ab incarnatione MXXV. defuncto ſine filiis Henrico, Conradus natione Francus, conſilio anteceſſoris ſui, cujus tamen dum adhuc viveret gratiâ carebat, ab omnibus electus LXXXVIII. ab Auguſto regnum ſortitur.* Verùm omnia Scriptorum teſtimonia paucis his pagellis injicere non licet: videri ea poſſunt apud Onuphr. *dict. lib. de Comitiis Imp. c.* 6. Breviter tamen, quid de ſequentibus etiam Imperatoribus habeant Scriptores, enumerabimus, ſecuti in eo Bellarminum dum ſummam demonſtrationum Onuphrii recitat *lib. 3. de Tranſlat. Imp. c.* 2. De Henrico III. filio Conradi, qui patre vivente in Comitiis electus eſt, nemo Scriptorum affirmat eum ab Electoribus fuiſſe creatum: quin rebellis tum fuit Bohemiæ Dux: tantum abeſt ut hunc Imperatorem elegerit. Henricum IV. electum ab Epiſcopis & Principibus. Germaniæ ſcribit Abbas Vrſpergenſis in Chronico anni 1053. Henricum V. ab omnibus electum eſſe teſtatur idem Vrſpergenſis in Chronico 1106. Lotharium electum fuiſſe ab Archiepiſcopis duobus, Epiſcopis octo, Abbatibus multis, & eminentioribus aulæ Regalis primatibus, ſcribit Continuator Sigeberti in Chronico anni 1126. Conradum III. electum à multis Principibus, non vocato etiam Saxone, & vacante ſede Moguntinâ, ſcribit Otto Friſingenſ. *lib. 7. cap.* 22. Fridericum I. ab omnibus totius Germaniæ Principibus electum fuiſſe ſcribit idem Friſingenſ. *lib. 2. de reb. geſt. Frideric. cap.* 1. Philippum à Suevis, Bavaris, Saxonibus: Ottonem IV. à Colonienſibus, Argentinenſibus, aliiſque nonnullis electum teſtis eſt Abbas Vrſpergenſis in Chronico. De electione verò ipſius Friderici II. ita loquitur idem Vrſpergenſis. *Anno Domini* MCCXX. *Otto excommunicatus denunciatur. Tunc Principes Alemanniæ, Rex videlicet Bohemiæ (qui paulò antè ex Duce aſſumptus fuerat ab Henrico IV. ad regnum) Dux Auſtriæ, Dux Bavariæ, Landgravius Thuringiæ & alii complures convenientes, Fridericum Regem Siciliæ elegerunt, cui etiam olim, cùm adhuc in cunis eſſet, juraverant fidelitatem.*

Ex his ergo clarè patet ad Fridericum II. uſque plærosque Principes, non ſolos Septemviros, elegiſſe Imperatorem. Neque verò id negat, neque etiam negare poteſt Bellarminus. Quin gravia hæc eſſe argumenta, & à Viris prudentibus non contemnenda ſponte fatetur. Quare eò demum redit eius ſententia, ut latam quidem hanc conſtitutionem tempore Ottonis III. à Pontifice dicat, verum ante Friderici tempora in uſum, quibuſdam ex partibus, non fuiſſe deductam. Varias autem fingit huius conſtitutionis partes, quas non hìc, ut fictitias, non recenſebimus. Ipſa enim conſtitutio cùm in rerum natura non ſit, neque unquam fuerit, liberum illi viſum quidvis fingere.

In eo anxius laborat Bellarminus ut Electorum conſtitutionem ſoli Pontifici adſcribat, licèt quo tempore, aut à quo Pontifice, id factum ſit ipſe dubitare videatur. Non diſputabimus nunc an tale quid in Pontificem cadere poſſit jure divino, quippe id magìs ad Theologorum Scholas pertinet, & egregiè actum eſt à multis: neque id nunc attingemus nihil tale quid jure humano competere Pontifici, utpote qui Imperatoribus ſubiectus fuerit & jure eſſe debeat: quod ſolidè demonſtrabitur *in Tractatu de Imperatore Romano.* Argumenta Bellarmini quæ habet *lib. 3. cap.* 3. paucis videbimus. Et primò quidem nititur teſtimonio Pontificum ipſorum in *cap. Venerabilem. exer. de elect. & Decreti concilii Viennenſis quod extat in Clementina, Romani principes: de jurejur.* Verùm præterquàm quòd multa falſa hæc contineant, ſunt etiam domeſtica teſtimonia, quibus adhibere fidem, ſtolidum foret. Teſtimonia autem Scriptorum Germanorum quæ producit, juniora ſunt, quàm ut illis, in hac cauſa, credere tutò liceat, & jam antè diximus, communem hunc fuiſſe errorem, primumque ab Onuphrio refutatum. Sed nec omnes id quod vult Bellarminus loquuntur. Nam Iordanus ad Carolum M. principium electionis, non verò ad Pontificem refert. Et Nauclerus diverſas tantùm de hac re opiniones recenſet. Magnum ſententiæ ſuæ robur ponere videtur Bellarminus in Inſtrumento Electorum ad Nicolaum III. miſſo. At verò illud à tribus tantùm ſubſcriptum ex Goldaſto reſpondet Arniſæus *de Rep. c.* 6. Et quis miretur, vigente maximè Pontificis tyrannide, tale quid à Clericis inprimis & aliis qui Pontificias partes tuebantur profectum eſſe, accedente præſertim ſpecie ſuperſtitionis, & iuris Pontificii, quod tum maximè ubique vigebat, auctoritate? Et verò quum regni Germanici diſpoſitionem nullo prætextu Pontifices ad ſe poſſint trahere, quin multi eorum apertè ſint faſſi nihil illud ad ſe pertinere, quomodo Pontifex potuit præſcribere Germanis rationem eligendi Regis? Nec eſt quod dicas Imperii Romani, prout illud eſt, aliquid à regno Germanico diſtinctum, curam Pontificii eſſe juris. Fac enim ita eſſe, tamen poſtquàm ſemel convenerat ut is eſſet Imperator quem Germani conſtituerent Regem, circa modum eligendi Regem & per conſequens Imperatorem nihil ille decernere potuit. Bene verò eſt, licèt inter Principes pro ſuperiorum temporum conditione habuerint Papæ ſuos adulatores, non defuiſſe tamen Germaniæ ſuos etiam libertatis defenſores. Quantopere Fridericus I. & plærique Imperii Principes reſtiterint Pótifici videre eſt ex reſcripto publico quod factum eſt Biſuntii, & extat apud Lehm. Chron. Spirenſ. *lib. 5. cap.* 68. Ludovicus quoque Bavarus, maſculè conatibus Papæ ſe oppoſuit, quæ res haud parvas dedit in Germaniâ turbas: inter ipſos tamen Monachos defenſores invenit: Wilhelmum Occam, Ioh. de

Gandavo,

Gandavo, Marſilium Patavinum, & alios complures. Et ut vetera taceam, quàm egregiè glorioſiſſimus Imperator Ferdinandus I. contra Pontificem volentem irritam facere ipſius electionem, quòd reſignatio Imperii à Carolo V. non in ipſius ſed Electorum manus facta eſſet, Imperii decus defendit? Vide Seldium in ſeinem Bedencken.

Sed redeamus unde digreſſi ſumus. Ottoni IV. coætaneo Friderici II. nonnulli quoque Electorum conſtitutionem adſcribunt, factam ſc. in Comitiis Francofurtenſibus. Sed reſpondet illis Goldaſtus ipſe qui conſtitutionem hanc ediderat. *Pace illorum liceat fateri quod res eſt. Impoſuerat mihi Marquardus Freherus, qui illud decretum ſuâ manu exſcriptum ſub nomine Ottonis IV. ad me tranſmiſit, ego porrò aliis communicando, & in Conſtitutiones imperiales referendo, ſine dolo tamen & fraude: comperi illud decretum non eſſe Ottonis IV. ſed à Iohanne Baptiſta Ignatio in vita Ottonis IV. confictum, probabiliùs quidem juxta veterum opinionem quam veriùs.*

Friderico denique II. multi etiam magni nominis viri conſtitutionem Electorum adſcribunt. Et ſanè fatendum eſt poſt eius tempora magìs magìsque ad pauciores redactam eſſe eligendi poteſtatem. Sed nec huic opinioni accedere nobis licèt. Etenim hæc quoque conſtitutio à nemine unquam mortalium viſa eſt: neque credibile eſt tot Principes unâ aliquâ matos conſtitutione tanto ſuo juri ſtatim ceſſiſſe. Quod autem Abbas Trithemius Wilhelmum Hollandum Friderici coætaneum ab Electoribus electum ſcribit, veremur ſanè ne id veterum teſtimonio ſcriptorum deſtitutus faciat, & ſecundum mores ſui ævi loquatur. Quin fortaſſis non incommodè hic locus explicari poteſt, quod jam tum magnam in electione obtinuerint ii Principes qui hodiè Electores dicuntur, auctoritatem: quod certè negari non poteſt. Clara ſunt hac de re verba Epkonis à Repkau in Speculo Saxonico art. 57. *In Principis electione primus erit Epiſcopus Moguntinus, ſecundus Trevirenſis, tertius Colonienſis. Primus inter illuſtres regni Palatinus Rheni, qui eſt Dapifer, ſecundus Dux Saxoniæ, Mareſchallus, tertius Marchio Brandeburgenſis, Camerarius. Rex Bohemiæ Pincerna eſt, qui non eligit quia non eſt noſtræ nationis. Præter iſtos ſuccedit etiam electio omnium Principum Imperij tam clericorum quàm laicorum: non quòd ſecutis prædicti ſecundum eorum placitum eligere debeant, ſed quem omnes illuſtres eligunt, eundem præ cæteris in Regem nominabunt.* Eandemque ſententiam confirmat Abbas Stadenſis ad annum 1240. *Papa Gregorius,* inquit, *inſolentias metuens Imperatorias contra Eccleſiam, Principes Germaniæ ſuper electione alterius ſollicitavit, & nihil profecit, quia quidam Principes reſcripſerunt, non eſſe ſui juris Imperatorem conſtituere.* Addit deinde. *Ex prætaxatione Principum & conſenſu eligunt Imperatorem Trevirenſis, Moguntinus & Colonienſis: & de ſecularibus eligit Palatinus qui Dapifer eſt, Dux Saxoniæ quia Mareſchallus, & Margravius de Brandeburg quia Camerarius, Rex Bohemiæ Pincerna eſt: non tamen eligit quia non eſt Teutonicus.* Vbi nota quod dicat: quia officia illa habeant eligere Principes. Vnde colligimus non parvam quoque occaſionem adipiſcendæ tantæ poteſtatis præbuiſſe hæc officia, de quibus infrà plura.

Manifeſtum autem eſt ex his omnibus, jam horum Scriptorum tempore (vixerunt autem circa tempora Friderici II.) aliquam præ cæteris eorum Principum, qui hodiè Electores audiunt, in eligendo poteſtatem fuiſſe, attamen non tantam quæ reliquos omninò excluderet. Vnde concludimus: cùm Friderico II mortuo perturbatiſſimus eſſet Germaniæ ſtatus, & interregno multorum annorum Rempub. ferè nemo curaret, cæteris vel ob imbecillitatem vel ob negligentiam jura ſua non ſatis tuentibus, [ut ſanè ex illo tempore Ordinum pauci habuerunt curam totius Imperii, donec Maximilianus I. inſtituit illam in Circulos diviſionem, & Cameram Spirenſem,] hos ut potentiores ſibi ſolis hoc juris ſumpſiſſe. Confirmat hoc etiam Aurea Bulla quando ſtatim *tit.* 1. ad laudabilem conſuetudinem provocat. Et in eadem nobiſcum ſententia ſunt Onuphrius *de Conciliis imperat. cap.* 6. Arniſæus *de Rep. cap.* 6. Carpzov. *de Leg. Reg. Germ. cap.* 11. *ſect.* 1.

Confirmata autem eſt hæc jam moribus introducta conſuetudo ſolenni & firmâ lege [& quidem optimo conſilio, quod intereſt reip. quàm maximè ut ſummum ipſius regimen firmiter ſit conſtitutum,] à Carolo IV. quam legem Auream Bullam vocamus: eâque tota eligendi ratio & omnis Electorum poteſtas continetur. Et verò ex eo demum Septemviri illi Electorum titulum ſuo nomini adjecerunt, crevitque illorum dignitas maximè. Nos ex Aureâ illâ bullâ, quæ ad noſtrum inſtitutum facere videbuntur, paucis excerpemus.

Et primò quidem quomodo deferatur electoralis dignitas videbimus. Vbi obſervandum, Electores *vi & virtute Regni & Principatuum ſuorum* hoc juris adipiſci *A. B. tit.* 7. Quod ita intelligendum eſt, ut, ſi Archiepiſcopi Archiepiſcopatus ſuos, Rex Bohemiæ Bohemiam, Palatinus Palatinatum, Elector Saxoniæ Electoralem ducatum Saxoniæ, Brandeburgicus Electoralem ſuam terram, legitimè acquiſierint, eligendi quoque jus obtineant. Quare non ſimpliciter perſonæ, ſed quatenus ea terram poſſidet, hæc cohæret dignitas. Et Eccleſiaſtici quidem Electores, ut alii Germaniæ Epiſcopi, vel electione vel collatione inſtituuntur. Electio fit communi vel plurium Capitularium ſuffragio. In ſubſidium verò electionis introducta eſt poſtulatio, ut eum quem eligere non licet poſtulare liceat, petitque per eam Capitulum à ſuperiore, ut eum ſibi præficiat, quem eligere non licebat. Collatio fit ab Imperatore & Pontifice, ſi fortè emerſerit aliqua in eligendo difficultas. Et ita quidem hodie obtinet. Olim Apoſtoli & hinc populus cum aliis Epiſcopis Epiſcopos eligebant. Verùm pòſt Imperatores & Reges amplexi fidem Chriſtianam paulatim hoc ſibi ſumpſerunt, cumprimis poſtquàm Epiſcopi invidendis opibus cœperunt eminere, & ad Reip. conſilia admoveri, prudenter exiſtimantes ſua multùm intereſſe quibusnam tanta poteſtas tantæque facultates concrederentur, ſimul etiam ut eſſet unde bene meritis poſſent tribuere beneficium. Hinc valdè conqueritur Baronius ad ann. DLIX. à Regibus eſſe præſumptum jus præficien-

di Eccleſiis paſtoribus deſtitutis Epiſcopos hoc ſeculo tum in occidente, tum in oriente. Viguit ea conſuetudo in Germania quoque uſque ad Gregorium VII. qui hac etiam de cauſâ litem Henrico IV. movit. Rea variis agitata bellis eò tandem devenit, ut Henricus V. juri ſuo cedere coactus ſit. Vbi dimidium eum majeſtatis perdidiſſe rectè judicat Onuphrius ad Palatinam. Ex eâ tranſactione ad Pontificem devoluta eſt confirmatio Archiepiſcoporum per baculum: ad Imperatorem collatio bonorum temporalium per ſceptrum, reverâ in ſpeciem magìs, quàm ut arbitrio Cæſaris multùm hac in re manſerit reliquum. Poſtea tamen omnia ferè ad ſe traxere Pontifices, coactique Epiſcopi Germani multis aureorum millibus pallium, quod vocant, redimere, donec iterum eâ de re inter Nicolaum V. & Fridericum III. tranſactum eſt, quæ pacta hodieque in curia Romana vocantur Concordata nationis Germanicæ in curiâ Romanâ. Secundum ea ſola ferè electio obtinet, niſi quod emergentibus quibusdam difficultatibus aliquando licèt Imperatori & Pontifici Epiſcopum conſtituere.

Et hæc de Eccleſiaſticis. Seculares vel ſucceſſione, vel nudâ Imperatoria collatione hanc dignitatem conſequuntur. Succeſſione: quamdiu aliquis ex familia ſexus maſculini laicus legitimè natus ſupereſt. Succedit autem ſemper filius primogenitus laicus: quem quia lex ſimpliciter vocat, non tam beneficio patris, quàm auctoritate legis hanc dignitatem conſequitur. Vnde quoque ſpem certam & invariabilem habet, quæ ei neque teſtamento, neque pactis patris adimi poteſt. Privati enim diſpoſitioni non ampliùs ſubjacet, quod à lege determinatum eſt: cùm aliàs ſpes illa quam habent filii in hæreditate parentum variabilis ſit, & tota ex futuro eventu dependeat *arg. l. 1. §. 21. ff. de collat. bon.* Excipimus hìc Regem Bohemiæ, quem & ipſa Aurea Bulla excipit *d. tit.* 7. de cuius ſucceſſione acerrimè cùm armis his temporibus diſceptatum ſit, litem illam noſtram non facimus.

Iuri quidem naturali maximè conſentaneum videtur ut omnes liberi in æquales ſuccedant partes: quod etiam juri Romano civili convenit, ita tamen ut filii non excludant nepotes *§. cùm filius & §. ult. I. de hæreditat. quæ ab inteſtat. & l. 2. 3. 4. C. de ſuis & legitim.* Sed cùm fieri nequeat, ut regni dignitatem ac vim tueri exiguæ regni partes poſſint, omni ferè ævo à cultioribus gentibus receptum eſt, ut unus tantùm ſuccederet. Et ſanè licèt regnum fuerit pars vera hæreditatis (quod tamen non eſt ubivis, certè in Germaniâ nonniſi ex parte eſt,) tamen eâ eſt naturâ, ut diviſionem quamvis non patiatur ſine ſui deſtructione. Cæterùm unus ille ſucceſſor, quis eſſe debeat, non omnes conveniunt. Primogenitum tamen ſeu natu majorem plures & cultiores ſibi præficiendum putâſſe vel ex eo conſtat, quòd Herodot. *lib.* 7. hoc omnium populorum commune jus appellet. Hodie quoque in plerisque Regnis primogenitus ſuccedit: at modus ſuccedendi ſecundum leges cujusque Regni variat. Et verò ſi id naturale eſt quod plerumque eſt convenientius, indubiè primogenitorum hoc jus quàm maximè eſt naturæ conſentaneum. Noſtris Electoribus quem modum ſuccedendi lex præſcribat videbimus.

Nominat lex primo loco primogenitum eiusque filium: iis autem non exiſtentibus ſecundò genitum verbis expreſſis, & deinceps eius filium. Eſt autem certa Icti *deciſio in l. cùm ita §. in fideicommiſſo ff. de legat.* 2. quod primò nominati primò quoque ſint vocati. Primo a. loco hìc nominatur primogenitus, hinc eius filius: inde ſecundò genitus, ſub hac tamen conditione, ſi ſine liberis deceſſerit primogenitus, cuius conditionis ea vis eſt, ut exiſtentibus quibuscunque primogeniti legitimis maſculis hæredibus, excludatur ſecundò genitus. De tertiò genito non ita ſunt expreſſa verba A. B. omninò tamen exiſtimandum eſt, quod diſpoſuit lex in ordine ſuccedendi, qui eſt inter ſecundò genitum & primogenitum, idem eam velle in ordine ſuccedendi, qui eſt inter tertiò genitum & ſecundò genitum: eadem enim utrobique militat ratio, & ut ſe habet ad primogenitum ſecundogenitus, ita procul dubio ſe habere debet tertiogenitus ad ſecundogenitum. Et verò dum ſecundogeniti filium lex vocat, omninò excludit tertiogenitum, niſi & ille ſine liberis decedat, quæ conditio in prioribus adiecta erat. Vnde decidi poteſt quæſtio, an tertiò genitus excludat ſecundò geniti filium, & nepotes. Et vim inferunt textui qui tertiogenitum præferunt: pro nepotibus quoque ratio legis & circumſtantiæ præcedentes militant. Nec juvat quod primogenituram non tempore nativitatis ſed ſucceſſionis acquiri dicant: Etenim id contrariatur naturæ primogenituræ, quæ ipſo acquiritur momento quo quis in lucem editur, unde jus inſtantaneum & momentaneum ab Ictis dicitur. Molin. *de Hiſpan. primogen. lib. 3. cap. 6. n.* 30. Engelbrecht *Tract. de Succeſſione in Electorat.* qui totam hanc materiam fusè perſequitur. Magnific. Lom. Campadius *Tract. de Conſtitut. Imperii Romano Germanici cap.* 4. Idque apertè etiam lex noſtra probat, quando filium primogeniti, cuius Pater Elector nunquam fuerat, ad ſucceſſionem vocat, qui admitti non poſſet ſi tempus delatæ ſucceſſionis ſpectaretur.

Confirmant hanc noſtram de ſucceſſione Electorum ſententiam Capit. Metenſ. ibi: *Primogenitus filius ſuccedat in iis, ſibique ſoli jus & dominium competat:* Bulla Francofurtenſis domus Saxoniæ: ibi: *Sancimus quod poſt dicti Wenceſlai Saxoniæ moderni & Luneburgenſis Ducis obitum primogenitus filius ipſius, & poſt eius obitum ſenior filius, ex ordine genituræ ſemper ſenior ſuccedat. Si verò primogenitus Ducis Wenceſlai deceſſerit, maſculini ſexus laicis duntaxat legitimis hæredibus non relictis, & tunc ſecundò genitus &c.* Eiusdemque eſſe tenoris Bullam Palatinam à Sigismundo ſub anno 1414. datam teſtatur Engelbrecht *d. Tractat.*

Eadem erit agnatorum ſucceſſio. Nam reſpectu primi acquirentis deſcendentium numero cenſentur. Quare agnatos ex ſecundò genito agnatos ex tertiò genito ſecundum mentem A. B. excludere, non dubitamus aſſerere. Non enim ſimpliciter gradus aut ætatis prærogativa ponitur, ſed in ordine genituræ, & quatenus quis primò nominatus eſt. *Engelbrecht. de tract.*

Colla-

Collatione Imperatoris, & quidem ſolins, dignitas Electoralis acquiritur, ſi Principatus Electoralis quacunque de cauſa vacet. *A. B. tit. 7.*

Electoribus minorennibus tutores & adminiſtratores præficiendi ſunt donec legitimam attingant ætatem; quam in Electoribus decem & octo annos completos cenſeri vult *A. B. tit. 7.* Vti verò in ſucceſſionibus, ita & in tutela hac diſcedit lex hæc publica à Regulis juris civilis. Etenim oneri eſt vulgaris tutela, & publicâ auctoritate ſuſtinenda. Vnde etiam juſtæ cauſæ, quæ ab hoc onere excuſent, proponuntur *tit. ff. d. Excuſat. tut.* Hæc ingentia ſecum fert commoda poteſtatemque ſummam. Iure civili etiam teſtamento licet dare tutores, iique præponuntur agnatis *arg. p. l. de legitim. agnat. tutel.* Contrarium hic obtinet: Neque enim licet Electoribus teſtamento tutores dare, ſed expreſsè hac lege cautum, ut frater primogeniti ſenior tutor ſit, qui, dum legitimam minorennis attigerit ætatem, jus, vocem & poteſtatem, & omnia ab ipſis dependentia habet.

Porrò Electoribus quædam competunt univerſis, quædam ſingulis. Vniverſis competit jus & poteſtas eligendi Imperatorem, iisque ſolis: quia in eo maxima eorum poteſtas, & præ reliquis Principibus eminentia elucet. Modus iis in eligendo præſcriptus peti poteſt ex A. B. Neque enim noſtrum patitur inſtitutum ea omnia hìc perſequi. Illud quæritur. An ſicut eligendi, ita etiam deponendi Imperatoris jus habeant? Et quidem Aurea bulla nihil hac de re habet. Aſt hiſtoriæ tamen depoſitum ab Electoribus Wenceſlaum teſtantur. Præterea ſoli quoque jus habent coronâ regni Germanici electum Imperatorem ornandi: altera Cæſarea coronatione ad Papam pertinente. Illud quoque magnam arguit Electorum potentiam, quod *A. B. tit. 12.* ſancitum eſt: debere eos ſolos quotannis, cæteris excluſis, convenire, & de rep. conſilia conferre: aliquoties tamen ejusmodi comitia, Churfürſten tage / habita fuerunt.

Communia etiam ſunt Electoribus privilegia quæ iis tribuuntur paſſim in A. B. quorum tamen non pauca aliis quoque Principibus hodie competunt. Sunt autem ferè hæc. Quod auri & argenti fodinas, atque mineras ſtanni, cupri, plumbi, ferri, & alterius cujuscunque generis metalli ac ſalis, tam inventas quàm inveniendas in poſterum quibuscunque temporibus jure & legitimè poſſidere poſſint cum omnibus juribus, nullo prorſus excepto, prout poſſunt ſeu conſueverunt legitimè poſſideri *A. B. tit. 9.* II. Quod liceat illis Iudæos recipere. III. Telonia olim ſtatuta & indicta percipere *A. B. tit. 9.* IV. Cudere monetam auream & argenteam *A. B. tit. 10.* V. Quod poſſint à quibuscunque Principibus, Magnatibus, Comitibus ac aliis perſonis, quaſcunque terras, caſtra, poſſeſſiones ſive bona emere, aut in obligationem recipere, ſub talium rerum, caſtrorum, poſſeſſionum, prædiorum, ſeu bonorum conditione conſueta, ut videlicet propria recipiantur, vel comparentur ut propria, libera velut libera, & ea quæ dependent in feudum, ſimiliter emantur in feudum, ſeu comparata taliter teneantur. *A. B. tit. 10.* VI. Quod Electorum ſubditi ad cujuscunque actoris inſtantiam extra territorium, terminos ac limites eorum, ad quodcunque aliud tribunal trahi ſeu vocari non debeant. *A. B. tit. 11.* VII. Quod privilegia aliis ſtatibus aut perſonis ab Imperatore conceſſa & concedenda non debeant aut poſſint libertatibus, jurisdictionibus, juribus & honoribus Electorum derogare: *A. B. tit. 13.* IIV. Quod, dum feudalia ſua ſive Regalia ab Imperatore recipiunt, ad dandum vel ſolvendum aliquid nulli penitùs ſint adſtricti. *A. B. tit. 29.* Conſecuti ſunt & alia Electores privilegia, quæ omnia hìc recenſere non liber; neque verò facilè niſi ex Archivis cujusque Electoris haberi poſſunt.

Nunc ſingulos videamus. Eccleſiaſti Archi-Cancellarii vocantur. Quod quidem officium antiquum eſt, conſtat enim Carolum Magnum Cancellarios ſuos habuiſſe, qui Apocriſiarii dicti ſunt, eosque Epiſcopos Germanos Vid. Lehm. *Chron. Spirenſ. cap. 7. lib. 2.* Quando verò ad certos hos Archiepiſcopatus reſtricta ſit hæc dignitas non ita conſtat. Illud certum eſt, in Aurea Bulla eas eſſe confirmatas. Archiepiſcopus itaque Moguntinus, qui primus Electorum eſt, eſt Archi-Cancellarius per Germaniam. Ei præ cæteris hoc proprium eſt: quod vacante Imperio literis patentibus ſignificare tenetur Coelectoribus ſuis ut à die in literis expreſſa intra tres menſes continuos ad eligendum Imperatorem Francofurtum ad Mœnum conveniant, aut Legatos ſuos mittant, *A. B. tit. 2.* In ipſa etiam electione vota inquirit, ultimoque loco à Coëlectoribus rogatus mentem ſuam aperit. *A. B. tit. 4.* Trevirenſis Archicancellarius eſt per Galliam & Regnum Arelatenſe: quibus nominibus non integra Gallia, ſed quicquid ejus ad regnum Burgundicum pertinuit, quod ſeculo XI. Germaniæ jungi cœpit, intelligitur. Et in electione primum competit ſuffragium, *A. B. tit. 4.* Archiepiſcopus Colonienſis Archicancellarius audit per Italiam, hoc eſt per regnum Longobardorum, & reliquias veteris Imperii Romani. Ei votum ſecundum tribuitur, *A. B. tit. 4.* Præterea primum Regni ſcil. Germanorum imponit diadema *d. c. 4.*

Inter ſeculares Electores primus eſt Rex Bohemiæ, cùm ſit Princeps coronatus & unctus, *A. B. tit. 4. lib. 7.* cui licèt votum in electione deneget Speculum Saxonicum & Abbas Stadenſis, Aurea tamen Bulla ei expreſſis verbis tertium votum tribuit. *tit. 4.* Vnde liquet à more ſeculi decimi tertii diſceſſum eſſe. Eſt præterea Pincerna Imperialis, & tenetur Imperatori primum porrigere poculum in celebratione curiæ imperialis, non tamen ſub coronâ regali, niſi id liberâ voluntate facere velit: *A. B. tit. 4. & tit. 27.*

Secundum locum obtinet Palatinus Rheni; qui hac præ cæteris fruitur prærogativâ, quod vacante Imperio in partibus Rheni & Sueviæ proviſor ſit Imperii, cum poteſtate judicia exercendi, ad beneficia Eccleſiaſtica præſentandi, recolligendi reditus & proventus, & inveſtiendi de feudis, juramenta fidelitatis vice & nomine ſacri Imperii recipiendi, quæ tamen per Cæſarem Romanum poſtea electum, ſuo tempore omnia innovari, & de novo ſibi juramenta ipſa præſtari debebunt, feudis Principum duntaxat exceptis, & aliis quæ fahnlehn vulgò appellan-

tur, quorum inveſtitura & collatio ſoli Imperatori vel Regi Romanorum ſpecialiter reſervata eſt. Ipſi tamen Palatino omne genus alienationis ſeu obligationis interdictum eſt. Votum in electiooe habet quintum, & in celebratione curiæ imperialis Archidapiferi fungitur officio, *A. B. tit.* 27. Illud quoque ipſi ſoli competit, quod Imperator ſuper cauſis, quibus impeditus fuerit, coram eo, ſed in ipſa imperiali curia debeat reſpondere, *A. B. tit.* 5. Præterea in ſolenni proceſſione geſtat pomum imperiale, *A. B. tit.* 2.

Tertius inter ſeculares Electores Dux Saxoniæ eſt, cui vacante Imperio, idem jus quod Palatino in partibus Rheni & Sueviæ competere diximus, in locis ubi Saxonica jura ſervantur, eſt, *A. E. dict.* 5. Votum in electione habet quintum. In curiâ imperiali Archi-Mareſchalli fungitur officio *A.B.tit.* 5. præfertque Imperatori gladium evaginatum. *A. B. tit.* 26.

Comes Palatinus Rheni & Dux Saxoniæ, uti diximus, vacante Imperio, negotia Imperii per Germaniam adminiſtrant. Vbi iterum nobis obloquuatur Pontificiæ dignitatis aſſertores. Nam, ut alia omnia, ita vacante Imperio, quod totum ad Pontificem pertinere dicunt, ipſum quoque Vicariatus officio fungi volunt. Verùm hæc ſatis ex illis quæ ſuprà diximus refelli poſſunt. Nos expreſſam habemus legem: eaque aliquoties in uſum traducta eſt: quare equidem nihil illos moramur. Nec verò vel in ea quæ ſunt verè veteris Imperii Romani ad Germanos delapſa, vel in reliqua Italia ad regnum Longobardiæ pertinentia, in quæ maximè Vicariatus jura ſibi arrogat Papa, unquam legas à Germaniæ aut Italiæ Ordinibus ejuſmodi jus Papis eſſe conceſſum. Non potuit autem Papa niſi ex conceſſione accipere, utpote cùm Longobardicum certè regnum Papæ nulla ex parte fuerit ſubjectum. Ex adverſo per Italiam Wenceſlaus Vicarium conſtituit perpetuum Ducem Mediolanenſem, ſi credimus Cardinali Tuſcho: ſi aliis, Dux Sabaudiæ ex Cæſarum conſtitutione hoc jure gaudet.

Vltimus Electorum eſt Marchio Brandenburgenſis. Ei votum competit ſextum *A. B. tit.* 4. Fungitur in curiâ munere Archicamerarii, Imperatorique aquam porrigit: *A. B. tit.* 27. & in proceſſione ſceptrum præfert: *tit.* 2. 22. *&* 26.

Commune omnibus his Electoribus ſecularibus eſſe, quod quilibet eorum peculiare aliquod in curia imperiali obtineat officium, diximus. Ea officia quando hæreditaria eſſe cæperint iis familiis, penes quas nunc ſunt, non adeò manifeſtum eſt. Tempore Francorum talia officia fuiſſe demonſtrat Lehman. Chron. Spirenſ. *lib.* 2. *aliquot. capitib.* Sequentibus quoque temporibus ad ejuſmodi officia Imperatores Principibus Germaniæ uſos eſſe ex Witichindo patet in coronatione Ottonia Magni: *lib. 2. de reb. geſt. Saxon. ac Otton.* Ait enim. *Divinâ deinde laude dictâ, ſacrificioque ſolenniter celebrato, deſcendebat Rex ad palatium, & accedens ad menſam marmoream regio apparatu ornatam, reſedit cum pontificibus & omni populo: duces verò miniſtrabant. Lotharioꝛum Dux Giſelbertus, ad cujus poteſtatem locus ille pertinebat, omnia procurabat: Everhardus menſæ præerat: Herimannus Franco pincernis: Arnolphus equeſtri ordini, & eligendis locandiſque caſtris præerat.* Fuit autem Everhardus Sueviæ, Arnolphus Bavariæ Dux. Nulla verò fit mentio earum familiarum quæ hodie his præſunt officiis. Neceſſe itaque eſt poſt ea demum tempora ad has eſſe devoluta. Affirmat Freherus *cap.* 15. *de orig. Palatin.* Henricum II. Epiſcopo Bambergenſi dediſſe hoc privilegium, ut ab eo acciperentur hæc officia: quod ſi verum eſt, fortaſſis tum quoque temporis ad has familias delata fuit hæc dignitas. Quicquid ſit non eſt dubitandum, quum hujuſmodi aulica officia ſint præ aliis ſplendida, ex quo in certas familias illa collata ſunt, etiam illas familias præ aliis cœpiſſe dignitate eminere, adeoque has præcipuè curiæ imperialis curam ſibi arrogâſſe. Vnde non potuerunt non vacante Cæſareâ dignitate cùm reipubl. tum inprimis novæ electionis vim ad ſe potiſſimùm trahere. Habet porrò officialium illorum quilibet ſubſtitutum ſuum. Archipincerna, Vicepincernam de Limpurg, Archidapifer, Magiſtrum coquinæ de Nordenberg: Archimareſchallus, Vicemareſchallum de Pappenheim: Archicamerarius, Vicecamerarium de Falkenſtein: quibus etiam ea quibus miniſtrantur in curiâ Electores, inſtrumenta argentea, unà cum equis quibus inſederint, cedunt *A.B.tit.*28. Et cùm Princeps aliquis præter Electores, aut non munitus ſingulari privilegio recipit feudum ab Imperatore, de ſexaginta tribus, quas tenetur ſolvere, marchis quilibet officialium illorum ſubſtitutus accipit decem marchas, *A. B. tit.* 29.

Poſtremò dignitas Electoralis regulariter morte naturali finitur. Aliis de cauſis quomodo Elector excidere Electoratu poſſit expreſſum in A.B. non eſt. Eſt autem veriſimile iiſdem ex cauſis electoratu quem privari, ex quibus principatu privatur. Quippe dignitates & terras electorales indiviſibili cohærere nodo ſuprà demonſtravimus. Exemplum habemus in Iohanne Friderico Saxoniæ Electore, qui violatæ pacis & perduellionis à Carolo V. condemnatus, ditione & dignitate excidit. Idem accidit noſtrâ memoriâ Friderico Palatino, qui itidem ob violatam pacem &c. omni ditione & dignitate Electorali privatus eſt. Et hæc ſunt quæ hac vice de Electoribus eorumque origine ex hiſtoriis & Aurea Bulla excerpere viſum fuit.

Antequam hinc abeamus, obſervandum ducimus, moribus veteris Germaniæ valdè videri commodam fuiſſe illam ex hæreditaria ſucceſſione & liberâ electione mixtam conſtituendorum Regum rationem. Prorſus enim libera electio non conveniſſet populo feroci & bellicoſo, ſed turbas plurimas dediſſet. Merè autem hæreditariâ ſucceſſione facilè ad ignavos aut malos devolvi imperium potuiſſet, quod illa ætate in rudi populo & feroci ſummè fuiſſet noxium. Etiam hoc nomine ergo Gregorio VII. & aliis Papis eſt quòd meritò diras precetur Germania, qui populum & Principes à tam ſalutari inſtituto, cujuſque ab antiquiſſimis temporibus in Germanicis gentibus uſus fuerat, ad illam eligendi non libertatem, ſed licentiam vocarunt.

vocârunt. Certè inter cauſas deſtructi regni Germanici hæc licentia una eſt potiſſimarum: quod multis oſtendi poſſet ſi foret hujus inſtituti. Ex parte correctum hoc malum eſt eligendi poteſtate ad Septemviros paucos contractâ: minores enim diſſenſiones ex eo habuit electio. Regiæ tamen poteſtatis diſſolutioni & caſui, quod alterum eſt electionis malum, cautum non fuit. Benè ſc. ille apud Barclaium Argenid. *l.* 12. *Ipſi Aquilii diverſo è genere lectis quàm ſæpèmanifeſtatis ſuæ vires bis proditas curis fregerunt? Inter hos ille, cujus ſanctiones auream dicunt, ut filio regnum pararet, quo pretio ſuffragatores emit? Quo deinde ſceptri incommodo, cum ſolvendo non eſſet, publica sis vectigalia conceſſit? qua primum pignoris nomine occupata, mox iſts imbecillitate vel errore regnantium in hæreditarium verterunt.* Certè optimè contigit Germaniæ, quod ducentis jam annis amplius placuerit Electoribus ex parte illam cognaticam ſucceſſionem veterem rurſum obſervare: quod niſi fuiſſet factum ne umbra quidem reip. jam ſupereſſet, utut & ita penè tota ſit collapſa, aut in partes nunc abeat.

ADD. XIV.

*Ad Limnæi Enucleati lib. 4. c. 41. n. 5. addenda ſunt hæc: Quum Dn. Autor in nonnullis, quæ Imperialem Civitatem Nordhuſam concernunt, errârit, ſequentia, quæ magni nominis Viri, Ampliſſimus Dn. Erneſtus Conſul Nordhuſanus. Dn. D*r*. Titius Syndicus Nordhuſanus, communicârunt, hic annecto:*

1. REctiſſimè monuit Eruditiſſimus Dn. D. Cramerus Nordhuſanus, Scriptores Iuris Publici in exhibendis Iuribus Civitatis noſtræ Nordhuſanæ erraſſe, ſi videlicet Statum ſpectemus modernum. Quotquot huc uſque vidi & legi, quos interſt, Dn. Wehnerus in obſervat. pract. in verbo Vogtey / Dn. Limnæus Tom. 3. c. 37. Iuris Publici & noviſſimè Sprengerus de Iure Publico in verbo Nordhauſen / Nicolaus Mylerus ab Ehrenbach in Archologia cap. 21. d. Advocat. Vrb. ſecuti ſunt Ioach. Mynſingerum à Frundeck in Decad. 13. Reſp. 3. qui forraſſis vera ſcripſit, ſi Statum illius conſideremus temporis, aſt hodie alio utimus jure. Errores vel potius diſcrimina antiquioris & moderni deſideras temporis? candidè ea monſtrabo. Alle ſchreiben / der Graff von Hohnſtein / Clettenberg / ſey Vogt zu Nordhauſen / und wan ein Miſſethäter ſolte juſtificet werden / ſo würde der Vogt beſchrieben / der müſte das Halsgericht halten / und die Execution verrichten / olim ita fabula peracta eſt, und hat der Vogt zu ſeinem Salario bekommen 5. ſchillinge à 9. pf. wie ſie der Raht im Schos einnimbt / & diſtinctionem inter criminalem Iuriſdictionem & merum Imperium, contra pleroſque Ictos fuit ita monſtrata. In an. 1593. d. 8. Iulij autem ultimus Comes familiæ Hohnſteinienſis ERNESTVS in monaſterio Walckeredano diem clauſit & familiam. Penes illius Majores omnia fuerunt venalia adeòque Senatus Nordhuſanus Hohnſteinianum hoc Ius executionis certâ quadam exſolutâ pecuniæ ſummâ, cum approbatione Auguſtiſſimi Imperatoris expunxit, & ita ultra ſeculum Senatus facinoroſos prehendit, inquiſitione vel actione peractâ ſententiam fert, vel Actis in Collegium Prudentum tranſmiſſis concipi curat, judicium criminale, das Halsgericht / inſtituit, Reum condemnat & Executionem Carnifici committit, id quod aliquoties hiſce meis vidi oculis, nec quicquam Iuris eſt Clettenbergiacæ præfecturæ vel Comitibus modernis de Hohnſtein in hanc noſtram Civitatem. Dn. Sprengerus addit hoc Ius competere Succeſſoribus Comitum Hohnſteinienſium, Dn. Mylerus loco cit. ait, adhuc mittitur à Comitibus de Hohnſtein Præfectus, qui duobus è Senatu adjunctis Scabinis criminis cognitionem & definitionem Imperii nomine facit, unde, quæſo, hoc tam audacter aſſerere norunt Viri alioquin optimi? uterque in errore verſatus, & Mylerus à Mynſingeri relatione planè recedit & Hohnſtainiano Comiti plus tribuit, quàm unquam Anteceſſores habuerunt.

Mit der Graffſchafft Hohnſtein hat es dieſe bewandnis / als der letzte Graff Ernſt geſtorben / und die famili damit extinguiret, haben die Herrn Gräffen von Schwartzburg und Stolberg / vi ſimultaneæ Inveſtituræ & ex pacto confraternitatis die poſſeſs apprehendiret, das Dom-Capitul aber zu Halberſtad haben ſie / als Lehenhern / einer feloniæ beſchuldiget / das ſie die Lehen zu rechter zeit nicht renoviret hätten / haben mit der Graffſchafft in zweyen Ambtern / als Lahra und Clettenberg beſtehende (dan die übrigen feuda ſeind ihren Lehenhern aperi worden) ihres Biſchoffs Hertzog Henrich Julii zu Braunſchweig und Lüneburg Herrn Vatter / Hertzog Julium conditorem Academiæ Iuliæ belehnet, von deme iſt der Comitatus ad lineam Ducis Henrici Iulii kommen / und die Herrn Graffen zu Schwartzburg und Stolberg ſeind depoſſediret, und hiervon mus vielleicht Wehnerus was confusè gehöret haben / dahero ſchreibet er / der Vogt von Hohnſtein / Hertzog zu Braunſchweig müſte beſchrieben werden. Nachdem tode Hertzog Henrich Julii iſt die Graffſchafft auff ſeinen H. Sohn / Hertzog Friederich Ulrichen kommen / das Ambt Lahra bald wieder auff Schwartzburg und Stolberg / ſeind aber von dem Ertz-Hertzogen LEOPOLDO zu Oeſterreich / als Biſchoffen zu Halberſtadt wieder deſtituiret, und iſt die Graffſchafft im Inſtrumento Pacis Monaſterienus Tit. XI an ſeine Churfürſtliche Durchleucht zu Brandenburg unter andern übergeben und gedien / die damit ihren geheimbden Raht und Stadhalter auch Amballadeur zu Münſter und Oſnabrug H. Johan Graffen zu Sayn und Witgenſtein / gn. beliehen haben / und deſſen H. H. Söhne / H. Ludwig Chriſtian / H. Guſtav / H. Otto / H. Friderich Wilhelm / beſitzen die Graffſchafft

noch heutiges tages & gaudent titulo Graffen zu Sayn Witgen- und Hohnſtein / ratione meri Imperii autem juxta opinionem Sprengeri & Myleri, illis nihil competit juris in Imperiali Nordhuſa. Dni. Comites in Schwartzburg und Stolberg / utut Comitatu Hohnſteiniano ſint dejecti, titulum tamen retinuerunt & ſic ſe appellant; Graffen zu Schwartzburg und Hohnſtein / Hern zu Lahra und Clettenberg / Graffen zu Stolberg / Königſtein / Werningeroda und Hohnſtein / Hern zu Epſtein / Müntzenberg / Breuberg / Origmont / Lahra und Clettenberg / & hi poſtremi Stolbergiaci videlicet poſſident & hodie arcem & præfecturam, das Ambt und Schlos Hohnſtein am Hartz / Feudum Brunſvico-Calebergiacum, in confinio Præfecturæ Clettebergiacæ ſitum, à Comitatu Hohnſteiniano planè ſeparatum.

2. Quæ de Schulteti officio refert Mynſinger, & ex eo Limnæus, vera ſunt: Sereniſſimus Elector Saxoniæ tenet hoc munus ex feudali beneficio ab Imperio, & ſub pacto retrovenditionis certâ quadam æris ſummâ id ipſum vendidit Senatui Nordhuſano, qui præter exiguum vectigal parùm vel nihil exinde capit lucri. Schultetus hodie eſt Iohannes Stange vir octuagenarius & longo uſu in rebus forenſibus ſatis exercitatus, latarum in civilibus à Senatu ſententiarum executionem cum Scabinis perficit, cognitione caret. Wan einer Bürger wird / ſo bekombt das Schulteiſen ambt 28. pf. der Rhat aber 15. Rthlr. atque ita in hoc à Limnæi relatione receditur.

3. De Autore vel Fundatore Civitatis Nordhuſanæ nil certi affirmari poteſt, veriſimilius autem illius incunabula Francorum Regi, quàm Theodoſio Imperatori Orientali, utpote qui nunquam in haſce terras delapſus fertur, adſcribitur.

4. Illud ſilentio non erat prætereundum, quod Dn. Limnæus in Additionalibus ſub verbo Nordhuſa ratione matriculæ, inſignem commiſerit errorem, quem æquè fovet Reinking. d. Reg. ſecul. & Eccleſ. ajunt, der Stadt Nordhauſen anſchlag auff einen Römer Monat ſey 30. zu Fuß / oder 120. fl. falluntur, dan in der Matricul de anno 1567. quam Dn. Becker d. Iur. Publ. exhibet; iſt das quantum moderiret, auff 20. Man / oder 80. fl. und dieſer anſchlag iſt auch in der newlichſten Edition der Matricul / ſo nach denen Münſter- und Oſnabrüggiſchen Tractaten in den druck kommen / zu finden / es ſeind auch darnach in das Reich die ſatisfactions gelder bezahlet worden in anno 1612. iſt die Stad per incendium ad quartam uſque partem conſumiret, und dahero der anſchlag im löbl. Nieder-Sächſiſchen Crayſe auff 10. Mann zu Fuß / oder 40. fl. moderiret; in anno 1654. iſt auff dem Craystage zu Braunſchweig die Crays Matricul revidiret, und unter der hand beyder ausſchreibenden löbl. Fürſten / Hertzog Auguſti / Adminiſtratoren des Primats- und Ertzſtiffts Magdeburg / und Hertzog Auguſti zu Braunſchweig und Lüneburg allen Ständen extradiret worden / darinnen findet man die im Circulo würcklich ſitzende Städte als angeſchlagen.

	zu Roß	zu Fuß	Geſl.
Lubeck	10½	88½.	480. fl.
Goslar	0	15.	60. fl.
Mühlhauſen	0	20.	80. fl.
Nordhauſen	0	10.	40. fl.

Und nach dieſem Crays-anſchlag iſt die im newlichſten Türcken kriege in Ungarn von denen Städten Goslar / Mühl- und Nordhauſen geſambte Compagnie unterhalten worden. Signatum Nordhauſen am 20. Xbris anno 1669.

ADD. XV.

Digitized by Google

Addit. XV.

Ad Limnæi Enucleati l. 4. c. de Camera Imperiali illuſtrationem inprimis pertinet ſequens tractatus, cui titulus:

Proceſſus Auguſtiſsimi

Cameræ Imperialis Judicii in Tabulas redactus.

In quibus non ſolùm, quid in Proceſſu Camerali, ut rectè ſecundum Imperii Conſtitutiones,

generalia & ſpecialia Decreta inſtituatur, ſit obſervandum: Sed etiam quomodo lites tam in cauſis ſimplicis querelæ, quàm Appellationis per noviſſimum Imperii Receſſum *de Anno 1654.* & per Communia Decreta & SCta hactenus in Imperiali Camera publicata, ſint abbreviatæ; unà cum annotationibus & quæſtionibus nonnullis practicis, è regione poſitis & per Imperii Conſtitutiones deciſis, compendiosè oculis ſubjicitur,

operâ

JOHANNIS Belitz / Holſati.

Digitized by Google

TABULA GENERALIS.

Proceſſus Auguſtiſſimæ Cameræ Imperialis Judicii diſpeſcitur in partem

- *Communem*, quæ tractat de Judicio Camerali ad quod, ejusque Juriſdictionem lites devolvuntur, vel per viam
  - *Simplicis querelæ*, per eam enim ſive in prima Inſtantia Juriſdictio Cameræ fundatur, vel ratione
    - *Perſonarum*, quæ Imperio ſubſunt vel
      - *Immediatè*, & privilegium primæ Inſtantiæ vulgò Auſtregaa habent.
      - *Mediatè*, & privilegium primæ Inſtantiæ non habent, ſed ſemper, a quibuscunque conveniuntur, coram Ordinario ſuo Magiſtratu conveniendæ ſunt.
      - → TABULA I.
    - *Cauſarum* vel Factorum, nimirum in cauſis
      - 1. Fractæ pacis tum
        - Religioſæ.
        - Profanæ.
      - 2. Fiſcalibus.
      - 3. Litigioſæ poſſeſſionis.
      - 4. Pignorarionum.
      - → TABULA II.
      - 5. Arreſtorum.
      - 6. Mandatorum
        - Cum clauſulâ.
        - Sine clauſula.
      - 7. Relaxationis juramenti ad effectum agendi.
      - 8. Legis diffamari.
      - 9. Denegatæ vel Protractæ Juſtitiæ.
      - 10. Violati privilegii Cæſarei.
      - → TABULA III.
  - *Appellationum* TABULA IV.
- *Propriam*, quæ tractat de Proceſſu ipſo, qui vel
  - *Audientiarum*, qui in Audientiis Judicialibus obſervandus eſt TABULA V.
  - *Cauſarum*, qui in cauſis peragendis obſervandus eſt. Cujus partes ſunt
    - *Præparatio*, quæ conſtat
      - *Proceſſuum emanatione*, ubi in
        - *Genere* proponitur
          - 1. *Modus impetrandi proceſſus in Camera.*
          - 2. *Requiſita in proceſſibus decernendis obſervanda.*
        - *Specie* quomodo proceſſus decernuntur vel
          - *Inter partes litigantes*, ſeu parti contra partem.
          - → TAB. VI.
          - *Parti ad tertium* & Judici curſum vel
            - Inhibent.
            - Promovent.
            - → TABUL. VII.
      - *Terminorum procedendi præfixione.*
    - *Proſecutio*, quæ conſtat
      - *Diſceptatione partium*, quæ certis terminis diſtinguitur, qui obſervantur tum in *Proceſſu*
        - *Ordinario*, qui inſtituitur vel in
          - *Prima Inſtantia.*
          - *Secunda Inſtantia.*
        - *Speciali*, nimirum in cauſis, quæ ſuâ natura ad Cameram pertinent. Qualea ſunt
          - Cauſæ Mandatorum
            - Cum clauſula.
            - Sine clauſula.
          - → TABULA VIII.
          - Cauſæ fractæ pacis.
          - Cauſæ purgationis.
          - Cauſæ Fiſcales.
          - Cauſæ litigioſæ poſsionis.
          - Cauſæ relaxationis juramenti ad effectum agendi.
          - Cauſæ pignorationum.
          - Cauſæ Legis diffamari.
          - Proceſſus Nullitatis.
          - Proceſſus Reconventionis.
          - Proceſſus Contumaciæ.
          - → TAB. IX.
      - *Concluſione cauſæ.*
      - *Deciſione*, quâ finis liti imponitur per ſententiam definitivam, quæ impugnatur vel per
        - *Reſtitutionem in integrum*
        - *Reviſionem.*
        - *Syndicatum.*
      - *Executione.*
      - → TABULA X.

TABULÆ SPECIALES.

TABULA I.

Quomodo in cauſis ſimplicis querelæ Juriſdictio Cameræ fundatur ratione perſonarum, quæ privilegium primæ Inſtantiæ, vulgò Auſtregas habent.

In cauſis ſimplicis querelæ ſeu in prima Inſtantia, Juriſdictio Cameræ Imperialis fundatur, vel ratione

- *Perſonarum*, quæ Imperio ſubſunt vel
  - *Immediatè*, quæ primæ Inſtantiæ privilegium, vulgò *Auſtregas*
    - *Habent*, & coram iis conveniri debent, quæ interdum
      - *Locum habent*, & tunc Judices conſtituuntur, vel ratione
        - *Perſonarum* quæ ſunt vel
          - *Electores, Principes, vel iis dignitate pares*, & in jus vocant perſonas vel
            - *Sui Ordinis*, & tunc ratione
              - *Conſtituendi Judicis* certæ partes ſunt, tum
                1. *Actoris*, ut is Reo petitionem poſtulataque ſua in ſcriptis mittat, ſiſque & judicium flagitet *Ord. Cam. p. 2. tit. 2. pr.*
                2. *Rei*, ut intra quatuor hebdomadas à litis denunciatione factâ numerandas quatuor EE. Principes, vel iis dignitate pares, actuque regentes, partim Clericos, partim Laicos, diverſarum omnes familiarum nominet, ex quibus Actor Judicem unum ſibi deligat: Delectum Reo intra 4. ſeptimanas à nominatione computandas, domum per literas denunciet, *Ord. ibid* §. Woraufſ ſoll. 5.
                3. *Utriuſque*, uterque enim quatuordecim dierum ſpatio Judicem delectum, ut cognitionem cauſæ ſuſcipiat, & partes citet, literis compellare tenetur, *Ord. d. l.*
              - *Procedendi*, ut Judex tanquam Imperatoriæ Majeſtatis Commiſſarius
                1. Dijudicationem cauſæ ſuſcipiat.
                2. Diem locumque litigantibus in ſuarum civitatum quapiam dicat.
                3. Cauſam cum ſuis Conſiliariis ſuſpicionis labe carentibus cognoſcat, & ſecundum jura diſceptet.
                4. Si Judex electus ante de vita decedat, quàm cauſa decidatur, ex ſimul nominatis, quem Actor velit, ſuccedat; Coram eo cauſa pertractetur & ad finem ducatur; niſi obſtarent legitima ſuſpicionis gravamina. *Ord. d. l. abſque Magenb. pag. m. 116.*
            - *Inferioris Ordinis*, nimirum: Prælatos, Comites, Barones, Nobiles; & tunc duplex via præſcripta
              - *Prima* tum
                - *Conſtituendi Judicis*, ut Elector vel Princeps, vel qui Principi par eſt, Actor ab Imperatore Commiſſarium ſui ordinis, id eſt, ex Principum numero impetret, & qui Reo intra duodecim milliaria vicinus ſit. *Ord. p. 2. tit. 2. in pr.*
                - *Procedendi*, ut coram Commiſſario ſecundum Ordinationis formam procedat. *Ord. ibid.*
              - *Secunda* tum
                - *Conſtituendi Judicis*, ut Elector vel Princeps, vel qui Principi par eſt, à Prælato, Comite, Barone vel Nobile poſtulet, ut tres EE. vel Principes, vel ex illorum numero, qui Principibus pares cenſentur, non ſuſpectos, neque ultra 1· milliaria ab Actore remotos nominet, ex quibus Actor unum deligat *Ord. ibid.*
                - *Procedendi*, ut coram Judice ſic conſtituto ſecundum Ordinationis leges procedat. *d. Ord.*
          - *Prælatos, Comites, Barones, Nobiles, & in jus vocant vel*
            - *Electores, Principes, vel iis dignitate pares*, & tunc octo Judicis conſtituendi viæ reperiuntur, ex quibus Actor, quam mavult eligere poteſt,
              - *Prima* tum
                - *Conſtituendi Judicis*, ut
                  1. Actor agat coram novem Conſiliariis Principis in jus vocandi, & illos ſibi Judices conſtitui poſtulet & requirat. *Ord. p. 2. t. 4.*
                  2. Actor ex illis unum Judicem eligat.
                  3. Judex electus à reliquis octo, & ex his rurſus ſenior à Judice deſignato juramentum exigat *Ord. ibid.*
                  4. Reus novem Conſiliariis juramentum, quo ipſi obligati, ad finem uſque litis remittat. *d. Ord.*
                - *Procedendi*, ut
                  - Princeps Reus intra menſem ſuis expenſis, & dato ſalvo conductu coram Conſiliariis Actorem in jus vocet *Ord. ibid.*
                  - Conſiliarii intra ſemeſtre, vel ad ſummum intra annum cauſam abſolvant. *d. Ord. abſque Magenb. p. m. 117.*
              - *Reliquas vias* vide *in Ord. p. 2. t. 4.* Sed quia perrarò contingit, quòd cauſæ inter Imperii Status hiſce viis determinentur, propterea eas omiſi *add. Magenhorſt. ad Ord. d. tit. p. m. 118. & ſeq.*
            - *Quempiam ſui ordinis*, & tunc duo proponuntur modi, tum
              - *Conſtituendi Judicis*, ut
                1. Actor Reo cauſam litis indicet, & deſuper jus petat.
                2. Reus tres Electores vel Principes non ſuſpectos nominet, ex quibus Actor Judicem eligat. *Ord. parte 2. tit. 4.*
                3. Actor ab Imperatore Commiſſarium impetret, & hæc via mitior videtur primâ *Ord. d. t.*
              - *Procedendi*, ut juxta Ordinationis formam, cauſam ſuâ ſententiâ ad minus intra annum determinet *Ord. d. t.*
        - *Cauſarum*, nimirum in cauſa ſimplicis ſpolii, quando non quidem vi, nec adverſus pacem publicam, ſed nec jure tamen re ſuâ aliquis ſpoliatur, vel poſſeſſione ejus deſtituitur. ubi aut ſpoliavit
          - *Princeps quempiam* vel
            - *Sui Ordinis*
            - *Inferioris Ordinis*
          - *Prælatus, Comes* &c vel.
            - *Electorem aut Principem*
            - *Quempiam ſui Ordinis*
          - Et tunc iidem Judices conſtituendi, qui in aliis cauſis, de quibus modo egimus. *ord. p. 2. t. 8.*
      - *Locum non habent*
        1. Si conveniatur Prælatus, Comes, Baro, Nobilis immediatè Imperio ſubjectus à Nobili mediatè Imperio ſubjecto: Item civibus & aliis perſonis privatis, cujuſcunque conditionis fuerint. *Mynſ. cent. 1. obſ. 89.* Niſi Principem in jus vocare vellent; tali enim caſu locum habent Auſtregæ *Gail. 1 obſ. 1 n. 17.*
        2. Si Princeps vel alius Status ſit proſcriptus vel bannitus. *Mynſ. cent. obſ. 90.*
        3. Si inter Dominos immediatè Imperio ſubjectos Juriſdictio ſit litigioſa, & uterque jus Curatoris dandi competere prætendat. *Rec. 1600.* §. Wann zwiſchen zweyen. 29. *Concep. ord. Cam. p. 2. t. 1. §. 2.*
        4. Si continentia cauſæ prohibeat.
        5. Si cauſæ ab Auſtregis ad Cameram devolvantur, vel
           - Per appellationem, ſi cuipiam per ſententiam gravamen illatum fuerit. *Ord. p. 2. tit. 2.* §. Darauff ſoll. 1. & *tit. 6.*
           - Sine appellatione
             1. Si Princeps à Principe in jus vocatus intra conſtitutum tempus quatuor Principes non nominaverit, ne legibus Ordinationis paruerit. *d. Ord. p. 2. tit. 4.*
             2. Si Elector ſeu Princeps, à Prælato vel Comite, &c. aliove ſubdito in jus vocatus, coram Conſiliariis ſuis ſe ſiſtere nolit. *d. Ord. p. 2. tit. 4.*
    - *Non habent*, & tunc rectè in Camera conveniri poſſunt, cujus generis ſunt
      1. *Collegia Canonicorum libera*, Als freye Käyſerliche Stiffter ſeynd. *Gail. obſ. 30. n. 9. & de pignorat. obſ. 7. n. 6.*
      2. *Collegia & Capitula Canonicorum Eccleſiâ vacante*: quia eo caſu defunctum Prælatum repræſentat.
      3. *Imperiales Civitates*; Niſi habeant beſondere Auſträge. *Gail. 1. obſerv. 32. num. 20.*
      4. *Vagabundi. Gail d. obſ.*
      5. *Curtes diverſ. ſun. Rec. 1600.* §. Bey unſeren Käyſerlichen
  - *Mediatè*, quæ regulariter ad Cameram Imp. in prima Inſtantia non vocantur, ſed coram Ordinario ſuo Judice conveniendæ ſunt *Ord. p. 2. tit. 1. Gail. 1. obſ. 1. pr.* Niſi qualitas vel circumſtantia cauſæ faciat ſuperiorem Judicem. add *Ord. p. 2. t. 2. §. fin. & tit. 8. §.* Wann ſich aber. & *tit. 26.*
- *Cauſarum.* Tab. ſeq.

Σὺν Θεῷ!

An Juriſdictio Cameræ Imperialis ſit ordinaria, an verò delegata?

REſp. Ordinariam eſſe; Quia Camera illam habet ab Imperatore, & Imperii Statibus, & Ordinatione, quæ vim legis obtinet. *l.1. ff. de Conſt. Princ. Gail.1. Obſ.33.n.1. & Obſ.41.n.5. & ſeq.*

An Juriſdictio Cameræ obitu Imperatoris exſpiret?

Neg. Quia æquè Audientiæ celebrantur atque Statu integro, & Proceſſus tam in cauſis ſimplicis querelæ, quàm appellationum decernuntur, Decreti ſub nomine & ſigillo Electorum (Palatini & Saxonis) Imperii Vicariorum, juxta circulos emanant, perque Camerales nuncios inſinuantur. Ita Camera ad obitum Glorioſiſſimæ memoriæ Imp. Ferd. III. Audientias celebravit, Proceſſus decrevit, Aſſeſſores à Circulis præſentatos, ut & Advocatos recepit. *add. Schvvan. obſ. Cam.3. num.6. & ſeq.*

An Juriſdictio Cameræ per litigantes expreſſè vel tacitè prorogari poſſit?

Aff. Quoad primas inſtantias, Quia Camera in Principum Imperii cauſis, ſi expreſſè tacitevè Juriſdictionem Cameralem prorogaverint, nihilque exceperint, cognoſcere poteſt. Non autem quoad cauſas appellationum. *Schvvan. obſ. Cam.15.*

An ignorantia Ordinationis Cameræ excuſet?

Neg. *per l.11. §.3. ff. de Inſtit. act.* Non enim eſt tolerabilis ignorantia illius, quod publicè notum eſt; Jam verò Ordinatio undique publicata & Statibus Imperii prælecta eſt. *Magenhorſt. ad Ord. p.2. tit.30. §. fin.*

An Imperator cauſas in Camera pendentes ad ſe avocare, & inhibere Cameræ, ne porrò in cauſa procedat, poſſit?

Neg. Quia Imperator per modum contractus in Ordinationem Cameræ conſenſit, ideò ad ejus obſervantiam obligatur etiam de jure communi, *l. digna vox C. de LL. & ibid. Dd. communiter. Gail.1. obſ.4. num.3.* quod confirmatum *per noviſſ. Imp. Receſſ. de Anno 1654. §.* Ebenmäſſig ſollen. 160 *& per Capit. modernis Invictiſſimi Imp. Leopoldi. §.* Ob auch einiger. 26.

An privilegium Auſtregarum Perſonæ, an verò patrimonio inhæreat?

Reſp. Perſonæ inhærere, *juxta Autor. præjudic. verb. Status Imperii, in princ. ubi,* Status, *inquit,* Imperii in Conſtitutionibus conſiderantur maximè ratione originis, quamvis fortè bona nulla immediatè ſub Imperio habeant. *Schvvan. obſ. Cam.20. n.2.*

An Electores & cæteri Imperii Principes Privilegio primæ inſtantiæ renunciare poſſint?

Aff. Quia quilibet favori ſuo renunciare & Juriſdictionem prorogare poteſt *per l. pen. C. de pact.* Generalis tamen renunciatio non ſufficit, putà quòd poſſit quis alium coram quibuscunque Judiciis convenire; quia hæc clauſula de competentibus tantùm intelligi debet. Ita deciſum in cauſa Chriſtophori de Knorigen contra David Juden, *teſtatur Gail.1. obſ.1. n.29. & obſ.40. per tot. Et Mynſ. cent.1. obſ.88. Fachin.1. contr.62. Magenhorſt. p.2. t.4. pag.119.*

An Auſtregæ locum habeant, ſi plures immediati ſimul conveniantur?

Neg. Quia, *juxta Deput. Rec. 1600. §.* Bey unſeren. 26. Proceſſus in Camera ex cauſæ continentia decernuntur, ſi de certo tribunali inter partes conveniri non poſſit. *add. Den. in jur. Cam. tit.97. §.2. Schvvan. obſ.2. & 1. & 2. Prac. Cam.4. num.8.*

An Auſtregæ in cauſis feudalibus locum habeant?

Neg. Quia cauſæ feudales jure feudorum, totiusque Germaniæ conſuetudine certos, eosque ordinarios Judices ſemper habuerunt, Pares ſcil. curiæ. *Schvvan. obſ.14. n.6.*

An Auſtregæ in mandatis ſuper pace religionis locum habeant?

Neg. Quia ex Conſtitutione pacis religioſæ Camera Imperialis

Addit.

jus adminiſtrabit, & ſtatim Camerale judicium adiri poterit non obſtantibus Auſtregis. *Rec. 1555. §.* Wir beſchien. 23. *Denaiſ. in jur. Cam. tit.181. §.3. & tit.320. §.27.*

An is, qui privilegio primæ inſtantiæ gaudet, non obſtante tali privilegio, in Judicio Aulico conveniri poſſit?

Neg. Quia in Aulico non minùs, quàm in Imperialis Cameræ Judicio Privilegium primæ inſtantiæ. Auſtregarum Jura & Privilegia de non appellando Statibus Imperii illibata eſſe debent, *Inſtrum. Pac. Cæſ. Suec. art.5. §. Voſitatio conſilii. 55. circa fin.* Et ſunt ſtrictè obſervanda. *Rec. Imp. 1654. §.* Benebens ſollen/ 99. §. Schließlichen. 117. & §. Was dann. 162. & hoc confirmatum *Capitulat. Leopold. 1658. §.* Auch ſollen. 18. Sic vigore hujus diſpoſitionis, in cauſa Mecklenburg contra Braunſchweig & Conſort. mandati de ſolvendo vel dimittendo hypothecam cum clauſula, Item mandati de adimplendo tranſactionem cum clauſula mandata, per ſententiam *17. Februar.* 1660. publicatam, compenſatis expenſis caſſata, & impetrans ad Judicium Auſtregarum *juxta Ord. p.2. t.2. §. pen.* remiſſus fuit.

An Auſtrigæ ceſſent, ſi Imperii Princeps ejusve ſubditi ſimul conveniantur?

Reſp. Ceſſare, & ſubditos unà cum Principe in Camera conveniendos eſſe, tum propter defectum Juriſdictionis Judicum Ordinationis in Principum ſubditos, tum propter cauſæ continentiam, quæ Juriſdictionem Cameræ fundat. Quod tamen ita accipiendum, ſi ſubditi ex proprio facto, propter quod unà conveniuntur, condemnari queant; Secus ſi non ex proprio motu, verùm juſſu & inſtinctu, ſine conſideratione Domini, ut miniſtri vel officiales, aliquid perfecerint; hoc caſu Domini forum (Auſtregarum ſcil.) omnes ſortiri debent. Quod confirmatum *in Deput. Rec. Spira anno 1600. §.* Gleicher Maſſen. 27. *Schvvan. Obſ. Cam. 16. & 24. Denaiſ. in jur. Cam. verb. continentia cauſæ. §.3. Roding. in Pand. Cam. lib.1. tit.4. §.7. & 8.*

An ſubditus, aliusve privatus, non immediatè Imperio ſubjectus, Principem Imperii convenire volens, omnia habeat Ordinationis remedia, ſcil. der Außträge/ *de quibus in Ord. p.2. t.4. agitur? vel: An Princeps requiſitus poſſit cogere hoc caſu ſubditos vel alios, ut coram ſuis Conſiliariis deſuper deputatis* (als der neun Räthen) *agant?*

Poſt longam diſputationem deciſum tandem fuit, Principem ſubditos cogere ad hoc non poſſe, ſed contrà ſi quid attentet, eum probare oportere, ſe hoc jus ex conſuetudine, vel uſu habere, quòd tali caſu, talique modo coram ſuis Conſiliariis conveniri debeat, & quòd electio viæ unius ex octo penes Actores non ſit. Et ita pronunciatum fuiſſe *19. Decembr. Anno* 1564. in cauſa Wolffgangi Mülichs contra Johannem Fridericum Ducem Saxoniæ & Conſortes teſtatur, *Mynſ. cent.5. obſ.1. add. Schvvan. obſ. Cam.18. per tot.*

An Comites vel Nobiles immediati, ſi conveniantur à Nobile, vel cive aut ruſtico, qui non ſunt immediatè ſub Cæſare aut Camera, privilegium primæ inſtantiæ habeant?

Neg. Sed rectè in Camera in prima inſtantia conveniri poſſunt, *arg. rubr. Ord. p.2. t.5.* ubi licet hoc prætermiſſum videatur, tamen illud interpretandum ſecundum rubricam, ex qua declarationem recipit; ſecundum eam enim uterque & Actor & Reus debent immediatè ſubjecti eſſe Imperio, daß das Privilegium der Außträge ſtatt habe. Et ita Proceſſus ſunt Decreti in cauſa Hanß Wirth contra Tecklenburg/ 1551. *17. Martii. Mynſ. cent.1. obſ.89. Gail.1. obſ.1. n.17. & 49. Magenhorſt. ad Ord. p.2. t.5. p.m.124. & 126. & 18. p.140. & ſeq.*

An mediati regulariter in prima inſtantia in Camera conveniri non debeant?

Reſp. Hoc regaliter verum eſt; Fallit tn. quando unius cauſæ plures ſunt Rei, quorum eſt una ratio & defenſio, & qui unâ actione conveniuntur. Et tunc ne cauſæ continentia dividatur, Judex ſuperior omnium erit competens Judex *per l. omnes tutores. 5. C. de arbit. tut. l.1. & 2. ff. de quibus rebus ad eund. Jud. eatur.* Ita judicatum in cauſa Hanau contra Beyer/ Jacoben & Conſortes. *Anno 1548. in Novembr. teſte eſt Magenh. in Ord. p.2. t.1. §.1. p.m.112.*

TABULA II.

TABULA II.

Expoſitâ Jurisdictionis Cameralis fundandæ ratione quoad perſonas; ſequitur quomodo ratione Cauſarum vel Factorum fundetur. Etſi hic quoque de perſonarum litigantium conditione agatur, cauſarum tamen natura & qualitas potiùs, quàm perſonarum attenditur.

Cauſarum vel Factorum, in quibus Jurisdictio Cameralis fundatur, genera decem ſunt.

- **1. Eſt Pacis Imperii violatio. Pax autem Imperii Publica eſt vel**
  - **Religioſa, cujus**
    - *Definitio.* *Pax religioſa* eſt, quæ religionis ergò in Imperio inter Imperatorem, Principes & Status Imperij ſervanda eſt.
    - *Conſtitutio*, quæ duo habet capita,
      - *Primum* eſt, Imperator & Imperii Ordines, ne quem Statum Confeſſionis Auguſtanæ ob eam profeſſionem, vi vel armis invadant, à religione, fide, cæremoniisque in Eccleſiam introductis, porrovè introducendis, in propriis ditionibus dejiciant; Sed & religionem prædictam, ejusque exercitium liberum, & res atque jura omnia intacta relinquant. *Rec. Imp.* 1555. §. Und damit ſolcher Frid 15. *Denaiſ in jur. Cam tit.* 216 § 4.
      - *Secundum* eſt, ut eadem Ordines Auguſtanæ Confeſſionis erga Imperatorem, Ordinesque priſcæ religionis, eorumque Collegia, atque alios Eccleſiaſtici Ordinis bon[…] omnia obſervent *d. Rec.* §. Dargegen ſollen die Stände 16. *Denaiſ d tit* §. 7.
    - *Requiſita*, ut hæc actio locum habeat, requiritur
      - 1. Ut ambæ partes, tàm turbans, quàm turbatus ſint Status Imperii vel Nobiles immediati, *d. Rec.* §. Und damit. *Verſ.* So ſollen die Kayſerl. *&c. Schwan. Obſ* 145 *num* 11.
      - 2. Ut turbatio in perſonis vel rebus ſit facta intuitu religionis. *Gail. 1. Obſ. 1. num. 3. Schwan. d. Obſ.* 145. *num* 14.
  - **Profana, cujus**
    - *Deſcriptio*, *Pax publica profana* eſt quæ in rebus profanis in Imperio ſervanda eſt. *Rod in Pand. Cam lib.* 1. *tit* 7 *pr.*
    - *Conſtitutio*, quâ tenentur, qui contra eam peccant vel
      - **Committendo nimirum**
        - 1. Qui per ſe, vel per alium quacunque de cauſa aliquem armis oppugnant, ſpoliant, incendio aut quovis alio modo damnum alteri inferunt, *d. Rec.* §. Setzen demnach 14. *Ord. Cam p.* 2. *tit* 9. §. So jemand. 2.
        - 2. Qui pacis publicæ violatoribus auxilium ferunt, vel operam aut commeatum præſtant *Rec. eod d* §. *Ord. p.* 2. *t.* 9 § 2. *& tit.* 13.
        - 3. Receptatores violatorum pacis publicæ, *d. Rec* §. 14. *Gail lib.* 1 *de P P. c* 10.
        - 4. Qui bona & poſſeſſiones ſuas in fraudem Conſtitutionis de P. P. alienant, aut violatoribus cedentibus recipiunt *Ord p* 2 *tit.* 11.
        - 5. Qui ſubditos alterius rebelles receptant. *Ord p.* 2. *tit.* 14. *Gail de Arreſt. c.* 8. *num.* 15. *add. Roding lib.* 1. *tit.* 7. § 12 *& ſeqq*
      - **Omittendo**
        - 1. Qui jus pacis publicæ in uno vel pluribus articulis neglexerint, & illi non paruerint. *Ord p.* 2 *tit.* 9. § 2.
        - 2. Qui vicinis ſuis vim publicam atque auxilium inclamantibus non opem ferunt, neque violatoribus P. P. perſequuntur, *Rec* 1594 §. Alſo iſt auch 74.
        - 3. Qui milites in Imperio ſine Duce graſſantes non repellunt, ſed illis connivent. *Ord p.* 2. *tit.* 13.
    - *Requiſita*, ut hæc actio locum habeat, requiruntur tria,
      - 1. *Vis publica*, id eſt, atrox & major quàm cui reſiſti queat *Gail de P P. lib* 1. *c.* 7.
      - 2. *Vis armata* quæ fit armatâ manu & coadunatis hominibus. *Gail* 1. *Obſ* 3 *num.* 4.
      - 3. *Dolus malus*, ut nimirum vis fiat armatâ manu, & dolo malo, & ex propoſito & deſtinatâ voluntate. *Gail d. Obſ. num* 2 *Myns cent* 3 *Obſ* 98.
- **2. Cauſæ fiſcales**, cùm Fiſcalis Cæſareus fiſci nomine contra delinquentes in Camera experitur. Facta ex quibus cauſæ fiſcales oriuntur, ſunt
  - 1. Si quis contra Auream Bullam commiſerit. *Ord p* 2. *tit.* 20 § 1.
  - 2. Si quis contra Conſtitutionem de P P. commiſerit. *Ord. ibid.*
  - 3. Si quis mandatis Cæſareæ Majeſtatis vel Cameræ Imp. non paruerit. *d Ord.* §. 2.
  - 4. Si quis adverſus politicas ſanctiones & Ordinationes Imperii fecerit: Veluti ſi quis Monopolium exercuerit contra reformationem politiæ *Auguſtæ* 1548 publicatam, & *Francofurti* 1577. renovatam. *Ord d tit* § 3.
  - 5. Si quis ſubditos alienos propter Anabaptiſmum ab ordinario Magiſtratu pro fugos receperit. *Ord. d t* §. 5.
  - 6. Si quis Turcis, aliisve Imperii Romani hoſtibus auxilium præſtiterit, vel iſtis arma vendiderit, *Ord. d tit.* §. 4. *Gail lib* 1 *de P P c* 1 *num* 41.
  - 7. Si quis Contributionibus ſeu Collectis Imperii inferendis & præſtandis, moram fecerit *Ord. d. t.*
  - 8. Si quis Contributiones pro ſuſtentatione Cameræ Imperialis non ſolverit, *Rec. Deput & viſit.* 1557 §. Ferner nach dem *&c add Noviſſ Rec.* 1654. §. Und zwar 4 *& ſeqq.*
  - 9. Si quis alium ex Imperio ad Judicium externum pertrahat *Rec* 1512. §. Wo aber. 58. Et *in noviſſ Rec.* 1654. §. Als ſich dann. 1, 6. denuò cautum, ne in cauſis civilibus & temporalibus ſub ſpecie recurſus, aut Appellationis ab Offici[…] Epiſcoporum ad Nuncios ſeu Pontificem Proceſſus dirigantur, vel aliàs cauſæ extra Imperium trahantur: quod confirmatum *in Capit Leopold* 1658. *add Rod in Pand Cam lib.* 1. *tit.* 8. § 14.
  - 10. Præter enumeratos adhuc multò plures ſunt caſus, in quibus intereſſe Fiſci fundatum eſt, *de quibus Vid. Schwan. Obſ Cam* 25. *n* 6 *& ſeq & Rod. d l* §. 16.
- **3. Cauſa litigioſa poſſeſſionis**, cujus
  - *Deſcriptio*: *Cauſa litigioſa poſſeſſionis* eſt, ſi inter duos plures ve immediatè vel mediatè Imperio ſubjectos quis rem aliquam poſſidendi vel poſſeſſionem adipiſcendi, jure potior eſſe contendat, & ex contentione illa armorum periculum immineat. *Rod lib.* 1. *tit* 9 §. 2.
  - *Conſtitutio*, quæ in Comitiis *Wormat & Auguſt anno* 1521. 1548. *&* 1555. promulgata, reviſa & ampliata eſt, de qua etiam *in Ord. p* 2. *t* 21. diſponitur. Non autem omnes litigioſæ poſſeſſiones immediatè ad Cameram pertinent, ſed tantum in tribus caſibus in Conſtitutione nuncupatim expreſſis locum habent, de quibus *Vid. d. Ord. p.* 2 *t.* 21. *in pr.* §. 1 *&* § *fin Rod. d t.* § 5. 6. *&* 7. *Gail.* 1. *Obſ* 5 *num.* 1. 2. *&* 5. Itaque extra illos caſus ſpeciales, Judex Ordinarius Rei, qui controverſiam poſſeſſionis movet, adiri debet. *Gail de Obſ num* 9.
  - *Requiſita* ſunt
    - 1. Ut litigantes immediatè Imperio ſubjecti ſint; Niſi bona, de quibus lis eſt, ſub diverſis jurisdictionibus ſita fuerint, Tunc enim ob cauſæ continentiam Camera Judex competens eſt. *Ord. p.* 2. *t* 21. *Schwan. Obſ Cam.* 56. *num.* 6.
    - 2. Ut uterque contendat ſe poſſidere, & alter præ altero juſtiorem alleget poſſeſſionem. *Gail.* 1. *Obſ.* 5. *n* 5.
    - 3. Ut præſens armorum tumultus, aut vis alterius & timor juſtus adſit. *Ord ibid. Schwan Proc. lib.* 1 *c.* 16.
- **4. Pignoratio, cujus**
  - *Definitio*, *Pignoratio* eſt poſſeſſionis turbatio, quam alter alteri, poſſeſſionis invertendæ, & ſibi novi juris acquirendi cauſâ, capiis perſonis vel rebus infert. *Rod lib* 1. *tit.* 10. *p.* 2. *Gail. de pignorat Obſ* 1. *num.* 7 *&* 3. *n.* 1.
  - *Conſtitutio* in Comitiis *Auguſt anno* 1555 promulgata, cujus ſumma hæc eſt: Immediatus ſi immediatum, ejusve ſubditos, ulla ex cauſa, exceptâ cauſâ criminis, pignoraverit, vel ceperit, Camera Imp. pignorato officium Judicis implorantis mandata pœnalis S. C. de facienda in continenti reſtitutione, vel relaxatione, ſub ſolita cautione non ulciſcendi, ſeque rurſum, ſi judicatum ſic fuerit, ſiſtendi, decernat *Ord p.* 2. *t.* 24. *in pr. Gail. de pignor. Obſ.* 1 *num* 2.
  - *Requiſita* ſunt
    - 1. Ut uterque pignorator & pignoratus, immediatè ſubſint Imperio. *Gail. de pign Obſ.* 3. *num* 2.
    - 2. Ut pignoratus ſit in poſſeſſione ejus loci & juris, in quo & ubi facta eſt pignoratio *Gail ibid n.* 6 *&* 1. *Obſ* 8 *n* 5.
    - 3. Ut pignorator ex pignoratione facta, ſibi ibi loci aliquid novi juris uſurpare velit. *Gail. de Obſ. num.* 7.
    - 4. Ut res alia capiatur propter rem aliam; & ſic res tertia atque innocens ſit *Gail ibid num.* 8.
    - 5. Ut pignoratio facta ſit ob cauſam civilem, non criminalem. *Gail d l n* 11. *Schwan. Proc. Cam. lib.* 3. *cap.* 32. *n.* 5.
    - 6. Ut pignoratio per pignorantem ipſum, vel alium juſſu & rati habitione ejus, facta ſit *Ord. p.* 2. *tit.* 35. Ratihabitio autem probata cenſetur, ſi Dominus reſtitutionem, cum poſſit, non facit. *Rec.* 1594. §. Wann ſich. 81. *add. Schwan. Proc. Cam. lib.* 1. *c.* 12. *n.* 3. *Rod. lib* 1. *tit* 10. § 6. *uſque ad* §. 18.

De ſeu reliquis factorum generibus vid. Tab. ſeq.

An ii, qui neq; Catholicæ religioni, neque Auguſtanæ Confeſſioni ſunt addicti, beneficio hujus pacis religioſa ſcil. & profana frui quoque debeant?

Neg. *Per Rec. Imp.* 1555. §. Doch ſollen. 17. *qui iſtarum religionum neutram amplexi, beneficio hujus pacis frui non debent.* Quod tamen hodiè *per Inſtrum. Pac. art. 7. §. 1. & per Noviſſ. Imp. Rec. de Anno 1654. in pr. & §.* Doch ſoll darbey. 18. Correctum eſt, ita, ut quicquid juris ſui beneficii pax religioſa & profana Catholicis & Auguſtanæ confeſſioni addictis Statibus & ſubditis tribuat, id etiam ita dictis reformatis competere debeat.

An Exceptiones fori declinatoriæ admittantur in cauſis violatæ pacis publicæ?

Neg. Quia omnes cauſæ fractæ pacis principaliter & immediatè per viam ſimplicis querelæ ad Cæſarem vel Cameram ſpectant. Hinc licet Principes Electores non patiantur, etiam in cauſa appellationis, cauſas ad Cameram devolvi, tamen ob fractam pacem publicam non ſolùm eorum ſubditi, ſed & ipſi in Camera conveniri poſſunt. Ita etiam Domus Auſtriaca, etiamſi exemtionem habeat à tribunali Cameræ, tamen in hoc fractæ pacis publicæ caſu, Cameræ judicio ſubjecta eſt *Gail 2. Obſ. 2. & 3. & de Pac publ. lib. 1. cap. 11. n. 1. Myn. cent. 5. Obſ. 58. n. 2. Magenb. ad Ord. Cam. part. 2. tit. 9. p. m. 146.*

An Conſtitutio fractæ pacis ad caſus, qui in oppido, aut civitate fiunt, ſe extendat; veluti ſi quis coadunata multitudine monſtrorum violentiam exerceat?

Aff. Quia vis publica non minùs in oppido, quàm extra committi poteſt. (2.) Quia major hic ratio militat; ſi enim in via publica & aperta pax non eſt frangenda, multò minùs in oppido aut domo, utpote tutiſſimo civium refugio. *Schwan. Obſ. Cam. 36. Roding. in Pand. Cam. lib. 1. tit. 7. §. 5. in add. pag. m. 65.*

Quotnam homines coadunationem faciant?

Reſp. Hoc judicis arbitrio & diſcretioni committitur, quot homines coacti ſufficiant, ut pax fracta dicatur. *Rec. Imp* 1594. §. ebener maſſen iſt. 36. *Verſ.* Daß ſolches zu des Richters *diſcretion* geſtellt ſeyn ſoll. *Schwan. Obſ. 38. & lib. 1. Proc. Cam. cap. 14. n. 10. & ſeqq. Tempag. de decernend. Proc. claſſ. 1. cap. 3. n. 2. p. m. 43.*

An Conſtitutio fractæ pacis locum habeat, ſi pacifragus impeditus fuerit, quo minus pacis violationem in effectum producere potuerit?

Conſtitutionem quidem locum habere propter conatum & actum maleficio proximum, ſed mitiorem pœnam irrogandum eſſe, teſtatur *Gail. de P. P. lib. 1. c. 14. n. 8. Schw. Obſ. Cam. 30.*

An ſupplicationi in cauſa fractæ pacis publicæ ſit inſerenda utiliſſima conſtitutio l. ſi quis in tantam. 7. C. unde vi?

Aff. Quia ſic acerbitate pœnæ amiſſionis dominii violentia talis tò facilius poteſt tolli. *Nam vigore d. l. Si quis vi rei ſiſci, vel alterius alienjus poſſidentis, abſque juſſu Judicis ademerit, ſi quidem Dominus eſt, rem amittit, ſin aliena res erat, non ſolum eam reddit ei, qui tapinam paſſus eſt, verum etiam ipſius æſtimationem. Limitationes circa d. l. vide apud Gl. ibid. add. Magenb. ad Ord. Cam. p. 2. t. 9. §.* Wir wollen auch. *p. m. 169.*

An accuſatio fractæ pacis tranſeat ad hæredes?

Reſp. Accuſationem fractæ pacis tranſire ad hæredes, ſi ſolùm ſuper reſtitutione damnorum & intereſſe agatur, ſecus ſi actio fractæ pacis tantùm inſtitueretur ad bannum. Nam tunc pœnalis illa actio non tranſit ad hæredes, ſive ante ſive poſt litis conteſtationem, *per text. in § non autem omnes. 1. & ibi Gloſſ. Inſtit. de perpet. & temp. act. Depút Rec. 1557.* Betreffend die Anregung. 24. *Ord. p. 2. tit. 9. §.* und alſo/ ihr. nachgelaſſenen Erben. *Magenb. ad d. Ord. p. m. 171.*

Pœna pacifragorum eſt vel pecuniaria, nim. zwey Tauſend feines Goldes & perditio privilegiorum, *vel pœna banni.* Unde *Qu.*

An Imperator vel Camera bannitum ſine Conſenſu offenſi reſtituere poſſit?

Aff. *Bart. Socin. Iun. Conſil. 68. per tot. arg. l. ſciendum. Cum duab. ll. ſeqq. ff. de Vſur.* Verùm negativa verior, quòd ſcil. Camera vel Cæſar Cameræ relatione auditâ, non ſine voluntate adverſariorum bannitum reſtituere poſſit. *Ord. p. 2. tit. 18. in pr. Deman. in jur. Cam. Verb. Banni abſolutio. §. 1.* Sic in cauſa Siebers contra Wulffen. Rei banniti per Notarium judicialiter in publica audientia deprecantes genibus flexis remiſſionem & abſolutionem impetrârunt, prævia tamen tranſactione cum Fiſcali & parte adverſâ. *An. 1658. 20. Octobr. Vid. Roding. lib. 1. tit. 7. p. m. 69.*

An præda venationis, piſcationis vel aucupii, ſi ita in perſequentis poteſtatem venerit, ut jam evadere amplius nequeat, potiùs pro re ipſa, quàm re tertia habenda ſit?

Prædam venationis, piſcationis, aucupiorumve protinus pro re tertia & pignoratione habendam, & mandata ſine Clauſula decernenda eſſe Deputati Imperii Ordines Spiræ 1600 § Weiter iſt auch in unſerem 39. deciſione ſuâ confirmârunt. Ratio, Quia præda per capturam in capientis & pignorati dominium venerit. *add. Rodig. lib. 1. tit. 10. §. 35.*

An ex hac Conſtitutione pignoratitia mandata ſint decernenda, ſi de jure foreſtæ vel glandis legendæ lis ſit, & alicui pyra, aliive fructus ſylveſtres auferantur?

Diſt. Utrum fructus pignorati directò juris ipſius controverſi fructus, an verò alterius ſeparati ſint: Priori modo mandata non decernuntur, neque conſtitutio locum habet: Quia ejuſmodi fructus non extra fundum vel jus litigioſum, ſed fundi & juris, atque ſic rei ipſius controverſæ pars ſiot, quemadmodum etiam in fœno, ligno, frugibus, & aliis ſimilibus fructibus naturalibus, ex ipſo fundo prognatis obſervatur, qui pro re ipſa habentur. Poſteriori autem modo, ſi fructus ablati juris ſeparati ſiot, qui cum fundo litigioſo nihil commune habent, ut, ſi propter jus lignandi, glandes, aliiſve fructus ſylveſtres, vel propter jus decimandi fruges, ad ſolutionem decimarum nondum deſtinatæ, neque expoſitæ auferantur, tanquam pro re tertia & innocente ablata ex Conſtitutione hac pignoratitia mandata decernenda ſunt, quod etiam *per d. Rec.* 1600. §. Da aber die. 40. confirmatum eſt. *add. Rod. d. l. §. 36. & Schwan. P. C. lib. 1. cap. 12. n. 11. & 12.*

An ſi propter jus aliquod controverſum ſigna, puta Caſtro litigioſo inſignia affixa, vel vino vendibili hedera ſuſpenſa & id genus alia dejiciantur, Conſtitutio hac locum habeat & mandata decerni queant?

Reſp. Si hedera ſuſpenſa inſigniave deſtructa conciſave dejiciantur ex odio in pignorantem Conſtitutionem locum habere, quantumvis exiguum ſit, quod præter ſignatum & rem litigioſam alteri abſit, dum tamen aliqualem recipiat æſtimationem, quia potiùs rei ſignatæ & controverſi juris, quàm ſigni ratio habenda eſt. *Rec. Imp.* 1600. §. Auff den Fall 48. *Rod. d. l. §. 44. Schwan. Pr. C. lib. 1. c. 12. n. 25. & Obſ. 89. n. 3.*

An ſi ob jus aliquod litigioſum ſuperficies aliqua, vel res ſoli quæpiam, puta; patibulum, ſepes, caſula aliave ſtrues, & id genus alia deſtruantur, dejiciunturve, nihil tamen auferatur, Conſtitutio pignoratitia locum habeat?

Aff. Quia hæc in fraudem Conſtitutionis fieri videntur, ita in hujuſmodi non minùs, quàm in aliis caſibus, quatenus res æſtimationem aliquam admittat, mandata S. C. decernantur: quod *per d. Rec.* 1600 §. Wann ſich dann. 49. confirmatum eſt.

TABULA III.

Hæc Tabula aptè deſcribit reliquis factorum generibus, Nimirum de

5. *Arreſto cujus*

- *Definitio, Arreſtum* ſeu *Arreſtatio* eſt impedimentum ſive interdictum Judicis, quo contra jus & de facto perſona aut res ex loco, ubi inventa eſt, excedere vel moveri prohibetur: donec v. g. debitum, penſio, reditus annui, decimæ, collectæ, cenſus, vectigal & id genus alia præſtentur & ſolvantur, aut controverſia jure judicioque, vel tranſactione diſceptetur & cauſa arreſti tollatur. *Rod lib. 1. tit XI. §. 2. Gail de Arreſt cap. 3. in pr & de pignor Obſ 1 num. 6.*
- *Conſtitutio* promulgata eſt in Comitiis *Spir anno* 1570. Summa illius hæc eſt; Si quis immediatus, alterius immediati res ſubditosve, eorumve bona arreſtaverit, nec arreſtum, oblatâ idoneâ cautione judicio ſiſti, & judicatum ſolvi, relaxaverit: Arreſtato in Camera mandatum S. C. cum annexa citatione ad docendum vel videndum, decernatur. *d. Rec §.* Wann auch die Arreſte. 85. *Gail. Obſ 19. n 4. Deinaiſ in jur Cam tit* 184 §. 3.
- *Differentia* inter *pignorationem* & *arreſtum* videatur apud Gail. *de Pignor. Obſ. 1. n. 4. 5. & 6.* Et quæ ſint communia utriuſque Conſtitutionis apud eundem, *de Arreſt cap. 2. n 1. & ſeqq & num. fin*
- *Requiſita ſunt*
  1. Ut utraque pars, tam Arreſtata, quàm Arreſtator immediatè Imperio ſubjecta ſit. Niſi plures fuerint diverſi generis Actores, Immediati & mediati: Tunc enim ex cauſæ continentia mandatum ſuper arreſtis impetrari poteſt. *Gail. de Arreſt. c. 4. in pr. Schwan lib 1. Proc. Cam. c. 13. num. 2.*
  2. Ut Arreſtatori offeratur idonea cautio de judicio ſiſti & judicatum ſolvi. *d. l. num. 9. 11. & 12.*
  3. Ut Arreſtum factum ſit ob cauſam civilem, & non criminalem. *Gail. d. l. num. 16. Ord. p. 1. tit. 28.*
  4. Ut Arreſtator ipſe, aliusvé ipſius mandato vel juſſu, arreſtum fecerit. *Gail d. l num. 8. & Schwan. d. l.*

6. *Cauſis mandatorum C vel S.C.* & proponitur hic

- 1. *Cauſarum mandatorum C. vel S.C. deſcriptio*, quæ ſunt, in quibus Actor mandatum C. vel S. C. pro qualitate facti & circumſtantiarum ratione habitâ, ſibi decerni, & quaſi ab executione Proceſſum inchoari poſtulat. *Rod. libr. 1. tit. 12.*
- 2. *Factorum genera*, in quibus Juriſdictio Cameræ fundata eſt, quoad decernenda *mandata* vel
  - *Cum clauſula*, (quæ tamen nunquam decerni poſſunt, niſi Juriſdictio Cameræ quoad Reum immediatè fundata ſit. *Gail. 1. Obſ 19.*) ſunt.
    1. Si quis pacem publicam vel religioſam violaverit. *Memor Viſit. 1597. §.* Ferner iſt dey. 7.
    2. Si quis contra pacem publicam profanam alterum vi armatâ ceperit, vel ex poſſeſſione ſua dejecerit. *Gail. de P.P lib. 1. Obſ. 5. n. 16, 17 18. & 19. Rod. lib. 1. tit. 11. § 5.*
    3. Si Judex in Juſtitia adminiſtranda negligentem ſe præbuerit. *Mynſ c. 5. Obſ 82. n. 6.*
    4. Si quis de fuga non ſuſpectus ex cauſa civili vinculis teneatur, nec relaxetur, etiamſi pignoribus vel fidejuſſoribus cavere paratus ſit. *Rec. 1600. §* Auch haben. 61. *Gail. 1. Obſ 26. num. 2.*
    5. Si tertius aliquis tempore executionis bona proſcripti vel banniti poſſideat, quæ jure obligationis, aliove quolibet titulo juſto vel injuſto occupavit. *Gail. de P. P. lib. 2. c. 17. num* 13.
    6. Si Judex ſententiâ anteferre nolit, quàm partes appellationi renunciaverint. *Rod. d. l.*
  - *Sine clauſula*, quæ tamen non aliter, quàm in materia quatuor caſuum, vulgò der vier Fälle/ decernuntur, unde mandata ſuper quatuor caſibus appellantur. *Rec. Imp. 1654. §* Alle Supplicanten. 73. Ejuſmodi autem ſunt
    1. Si tale factum ſit, quod omni jure vel de conſuetudine prohibitum ſit, & tale, quod nullo jure juſtificari queat. *Ord p. 2. t. 23. Gail. 1. Obſ. 1. n. 5. & Obſ. 13. num* 3.
    2. Si factum tale ſit, quod irrecuperabile damnum inferat. *d. Ord. ibid. Magenb.*
    3. Si factum ſit contra Rempublicam, & ad publicam perniciem tendat. *Ord. ibid.* Oder daß die Sache wider den gemeinen Nutz wäre *&c.*
    4. Si factum moram ferre nequeat, & periculum adſit. *d Ord. §* Es wäre. *ibi.* Oder keinen Verzug leyden möchte. Periculum autem in mora variis modis eſſe poteſt: puta, ſi metus ſit invaſionis, vel irruptionis hoſtilis: Si in carcere quis cum fame, ſqualore & inediâ, cum ſalutis & vitæ diſcrimine detineatur; Si armorum adſit metus præſentiſſimus: Si alimenta denegentur Ea enim ne momento quidem retardari debent, ne quis fame pereat. *Schwan. Obſ. Cam. 13. n 9 add. Gail 1. Obſ 13 n 4.*

7. *Relaxatione juramenti ad effectum agendi.* Cujus

- *Cauſæ* ſunt, quando actor queritur, ſe ob cauſam civilem à Magiſtratu in carcerem conjectum ante liberari non potuiſſe, quàm ſolenne juramentum (*quod vulgò* geſchworne Uhrfehdt *appellatur, alii literas exultionis ſive ſecuritatis vocant. Gail. 1. Obſ. 2. in pr*) præſtitiſſet, de carcere, neque de facto, neque de jure judiciové vindicando, & propterea relaxationem ſive abſolutionem à juramento poſtulat. *Ord. p. 2. t. 34. Mynſ cent. 3. Obſ. 99. Gail. 1. obſ. 3. n 13. & Obſ. 22. n 1.*
- *Requiſita ſunt*
  1. Ut is, qui juramentum exegit, & ſic Reus, immediatè ſubſit Imperio. *Schwanman. 1. Proc. Cam. cap. 17. num. 1.*
  2. Ut Carceratus in obligatione jurata, in der Urphedt (cujus copia, ſi haberi poterit, unà producenda eſt) non tantùm juràrit, ſe carcerem non vindicaturum, ſed nec jure contra formam juramenti experturum. *Schwanman d. l.*
  3. Ut cauſa ſit civilis, ob quam Actor carcere detentus fuit *Gail 1. Obſ 2. n. 4. Schwan d. l.*

8. *Cauſis L. diffamari*, ubi proponitur

- 1. *Cauſa hujus legis*, quæ eſt, cùm Actor queritur, ſe à Reo diffamari de ſuo ſtatu, vel de crimine aliquo, vel debito, vel alio modo, videlicet ratione ejus quod ſua intereſt, veluti ratione bonorum ſeu poſſeſſionis, in qua diffamatus jus ſibi aſſerat, & plus juris prætendat, quàm Actor habeat. *Ord p. 2. t 25 Mynſ cent 5 Obſ 81. Gail 1. Obſ 9. n. 1. & 2.*
- 2. *Differentia L. diffamari*, inter *Ius*
  - *Civile*, ex cujus diſpoſitione Conſtitutio *L. diff.* locum habet in omni cauſarum genere civilium & criminalium. *Gail d Obſ n 3.*
  - *Camerale*, ubi Conſtitutio *L. D.* ſolùm obtinet in cauſis fractæ pacis, injuriarum, aliiſque ſimilibus. *Gail. d. Obſ n 1. Ord p. 2. t 25.*
- 3. *Requiſita*
  1. Ut diffamatus ſeu ſupplicans immediatè Imperio ſubjectus ſit: vel ut cauſa ſua natura ad Cameram pertineat. *Mynſ cent. 5. Obſ 81. Gail 1. Obſ. 10. num. 1.*
  2. Ut diffamationis qualitas gravis ſit, quæ pacem publicam turbare & ſcandalo eſſe queat, & quæ verſutè dolo malo, aliové modo, in alterius præjudicium & gravamen ſit atque tendit *d. Ord.*
  3. Ut documentum diffamationis & probabilis quædam notitia ſimul exhibeatur: Debet enim Judici & Aſſeſſoribus Cameræ prius conſtare probabiliter de diffamatione, quàm Proceſſus decernant. *Ord ibid. cui add. Magenb. pag m. 243.*

9. *Cauſis denegatæ vel protractæ juſtitiæ*, quæ ſunt, cùm Actor ab inferiore & competente Judice ſibi Juſtitiam denegari, aut protrahi queritur. Ut hæc Actio locum habeat. Requiruntur

1. Ut Juſtitiam denegans vel protrahens immediatè Cameræ ſubjectus ſit; Ita ut Actor inter Judicem Juſtitiam denegantem vel protrahentem, & Cameram Imperialis alium Judicem non habeat. *Ord. p. 2. tit. 26. §.* Es ſoll auch. *Mynſ cent. 5. Obſ. 82. Gail. 1. Obſ 1. n 26.*
2. Ut expreſsè & manifeſtò Juſtitia denegata vel protracta ſit, & hoc requiſitum notorium ſit, vel documento ſeu inſtrumento requiſitionis publico probetur oportet. *Ord. ibid. in pr. Mynſ. cent. 2. obſ. 24. Gail. 1. obſ. 28. num. 3.*
3. Ut Judicium coram inferiore Judice nondum ſit cœptum; & ſic jurare teneatur, quòd non ſperet, ſe apud Judicem inferiorem Juſtitiam conſecuturum. *Mynſing cent. 3. obſ 58.* Quod ex jure Canonico *c. ſtatutum. 11. §. cum verò. de Reſcript in 6.* Juramentum per horreſcentiæ vocatur, *quod nuper in Cam. præſtitit Iaques Boudier contra* Dietrich Dobben 7 *Iulii* 1657. *Vid. Roding lib 1. tit.* 15. §. 12.

10. *Cauſis violati privilegii Cæſarei*, cùm Actor queritur, ſe contra privilegium Cæſaris violatum eſſe, & violatorem in pœnam privilegio conſtitutam condemnari petit. *Gail. 1. obſ. 1. num. 7. Requiſita hujus actionis* ſunt

1. Ut privilegium ante citationem ſit inſinuatum ei, qui illud temerare fuit auſus.
2. Ut & idem, de pœna privilegio inſerta, ſit certior factus & admonitus. *Roding. l. 1. tit. 16. §. 4.*
3. Ut doloſè ex propoſito, certaque ſcientia quid contra factum ſit. *Rod. d. l.*
4. Quòd poſt omnes admonitiones unrechtlicher Weiſe/ infregerit tale privilegium. *Roding. d. l.*

An arreſta regulariter ſint prohibita?

Quamvis regulariter omni jure tam civili quàm canonico arreſta prohibita ſint; illud tamen intelligendum de arreſtis, quæ facti ſunt, hoc eſt, quæ ſiunt propria autoritate, ſine cauſæ cognitione; illa de jure omninò interdicta ſont, quia judicium ab executione non eſt inchoandum, nemoque ſibi in propria cauſa jus dicere debet, maximè ſi poſt factam arreſtationem arreſtatori idonea cautio judicio ſiſti & judicatum ſolvi offeratur, quo caſu unusquisque cujuscunque ſit Status vel dignitatis, jure & non de facto, quod ſibi debetur exigere debet. & ejusmodi arreſta propriè ad Conſtitutionem Arreſtorum pertinent. Non autem de Arreſtis, quæ juris ſunt, illa enim cum cauſæ cognitione fiunt & licitè interponuntur, præſertim contra forenſes ſive extraneos & advenas. Quia arreſta in Germania paſſim contra debitores extraneos, & advenas, ad ſimplicem creditoris petitionem permittuntur, ad eum potiſſimum effectum, ut creditorem ſecurum reddant debitores, datis pignoribus vel fidejuſſoribus. *Gail de Arreſt cap. 3. n 2. & 14. & cap 11. n 5. & 21 & 2. obſ 44. n. 10. Tennag. de decernend. Proceſſ claſſ. 1. cap. 28. n. 6. p. m. 56.*

An Conſtitutio Arreſtorum locum habeat, ſi quis tranſiens ſolùm per alienum territorium, à Magiſtratu vel judice ad inſtantiam tertii tanquam partis intereſſe, arreſtetur?

Reſp. Conſtitutionem hanc locum habere; & oblatâ cautione mandatum, dum cætera aptè quadrent, ad Arreſti relaxationem contra arreſtatorem in Camera decernendum eſſe *Deput. Receſſ. 1600. §.* Wann ſich begebe. 91. *Denais. in jur. Cam. tit 184. §. 11 Schwan obſ. 152. num. 13. & Proc. Cam. lib. 2. c. 13. num. 6. & ſeq. Roding. lib. 1. cap. 21. §. 30.*

An Conſtitutio Arreſtorum locum habeat, ſi ſubditi in alienam territorium migrando domicilia mutantes ob non ſoluta jura emigrationis, der Nachſteuer halber *arreſtati fuerint?*

Reſp. Conſtitutionem Arreſtorum locum non habere, nec mandata in ejusmodi caſu decernenda eſſe. *Et ita conſtitutum in Conſtit. Imp. An 1594. §.* Und ſo viel die ungleiche Meinung. *fol. 30. Den in jur. Cam. cap. 184. § 5. & 6. Schwan, Proc. Cam. lib. 1. c. 83. n. 12. & ſeqq. Rod. d. l. §. 20. & ſeqq.*

An is, qui Status Imperii quidem eſt, ſed ratione quorundam bonorum mediatus, ratione illorum bonorum mandata ſuper conſtitutione de pignoribus vel Arreſtis impetrare poſſit?

Negat *Gail de Arreſt. cap. 6. n. 10. & 11.* Affirmat *Mynſ. de Proceſſ. lib 1. c. 34. n. 21.* Opinionem Negativam Deputati Imperii Ordines VVormatiæ *Anno* 1589. deciſione ſuâ confirmârunt. *§.* In Fallen aber da etc. Sed poſteà hæc quæſtio plenâ Statuum Imperii deciſione nondum expeditâ, ad omnium Statuum Imperii Conventum rejecta eſt *Vid. Deput Rec. 1600. §* Es haben uns auch. 145. *Roding. Pand. Cam. lib. 1. tit. 10. §. 9. Reinking. de Regim. Secul. & Eccleſ. lib. 1. claſſ. 5. c. 10. n. 27.*

An Cautio ſub hypotheca omnium bonorum in cauſis Arreſtorum ſufficiens ſit?

Reſp. Hoc Judicis arbitrio committendum eſſe; quia ejusmodi caſus, eorumque circumſtantiæ multiplices & variæ ſunt, ut hac de re certi aliquid ſtatui non poſſit. Proinde Judex habitâ ratione circumſtantiarum, rerum, cauſarum & perſonarum, hac in re ſententiam ferat. *Quod approbatum in Deput. Rec. 1600 §.* So iſt auch aus, 63. *Denais. in jur. Cam. Verb. Cautio. Schw. Proc. Cam. lib. 2. cap. 13. num. 9.*

An cautio Iudicio ſiſti & Iudicatum ſolvi in cauſis Arreſtorum etiam ab illuſtribus perſonis & Statibus Imperii præſtanda ſit?

Aff. *Gail de Arreſt. cap. 4. n 15.* Quia ſic Conſtitutio expreſſè voluit; Interim tamen quæ fit ſub hypotheca omnium bonorum pro ſufficienti habetur. De jure verò communi ipſis talis cautio ob dignitatis ſplendorem & præeminentiam remittitur, etiamſi bona immobilia non poſſideant *per text. in l. quoties. 17. Cod. de Dignitat. lib. 12. Gloſſ. ibi in Verbo fidejuſſionem.*

An Domini ſævitia in ſubditos mandatis pœnalibus coërceri poſſit?

Aff. Et ſic hoc in caſu mandata S. C. in Camera non ſolùm decernuntur, ſed etiam ob nimiam Dominorum aſperitatem & ſævitiam ſubditi ab ipſorum juriſdictione eximi poſſunt. Unde ſi Dominus aliquis inſolitas à ſuis ſubditis operas, aut ſervitia indebita & injuſta exigere conetur, ultra modum debitum collectare vel cenſus & reditus augmentare conetur; poſſunt ipſi implorare officium ſuperioris, ut is Domini oppreſſionem reprimat. *Gail de P. P. obſ. 2. n. 21. & 1 obſ 17. n. 1. & ſeqq. Mynſing. Cent 5. obſ 8. n 4. & 12.*

An prius opus ſit admonitione ſuperioris, ut deſiſtat à ſævitia & ſubditos benè tractet?

Negat *Grammat Deciſ 104. per tot* Sed aliter in praxi obſervari, quia admonitio ſuperioris præcedere debet, *teſtatur Gail. d. 1. obſ. 17. num. 4.*

An tutum ſit mandare S C, ſi ſubditi præ metu ſupplicare non audeant, aut vi prohibeantur?

Quamvis Camera mandata ſine clauſula decernat, ſi narrata ſupplicationis tantam referant ſævitiam, atrocitatem, iniquitatem, ut factum omni jure prohibitum, nec ullo modo juſtificari poſſe judicetur. Tamen, ſi ſingulariter contributiones aut angarias novas ac indebitas Dominus exigat, ſive quid aliud inuſiti ſive inſoliti oneris ſuis ſubditis imponat, tutum non erit mandare ſine clauſula, ne videlicet ſubditi adverſus Dominos armentur, & ad majorem inobedientiam fiduciâ mandatorum incitentur; ſed interdum cum clauſula, in defectu tam atrocium circumſtantiarum, Camera mandare poteſt, & quidem in caſu, quo Dominus eſt Prælatus, Comes, Baro, vel Nobilis Imperii. *Gail. d. 1 obſ. 17. n. 1. & 6. Tennag. de decernend. Proceſſ. cl. 2. cap 9. num. 1. & 3. p. m. 97.*

An is, qui in poſſeſſione ſua diffamando turbatur, ex L. diffamari. agere poſſit?

Aff. *Magenb. ad Ord. Cam. p. 2. tit. 25. p. m. 242.* Et ita citatio decreta in cauſa Mainz contra Sachſen.

Sed quænam ſint iſtæ ſimiles cauſæ, in quibus tantummodò Proceſſus ex L. diffamari. decerni debeant?

Reſp. Iſtas omnes eſſe, quæ famam exiſtimationem hominis quoquo modo lædunt. Non tamen hic ita ſollicitè inveſtigandum, quæ nuncupatim ſint iſtæ ſimiles cauſæ, cùm ſufficiat ſcire hanc Conſtitutionem generaliter pertinere ad publicas diffamationes & atrociſſimas injurias, ex quibus pax publica turbari poſſit. *Gail. 1. obſ. 10. n. 5 & 6. Magenb. d. l. p. m. 242.*

An Captivus ante, quàm dimiſſus fuerit è carcere, pro relaxatione juramenti ad effectum agendi agere poſſit?

Reſp. Ante liberationem non rectè agere pro relaxatione juramenti ad effectum agendi, quia committeret perjurium, & exceptio perjurii, eſt exceptio litis finitæ; ſed poſtquam dimiſſus eſt, & ſe gravatum ſentiat, probè agere poſſe. *c. ſi verò. 1. X. de jurejur. Gail. 1. Obſ. 22. n. 4.*

TABU-

Digitized by Google

TAB. IV. *Hactenus de prima inſtantia, quomodo ſcil. cauſa per viam ſimplicis querelæ ad Cameram devolvantur; Jam verò de ſecunda Inſtantia, quomodo ſcil. per viam Appellationis.*

Appellatio eſt provocatio ſolennis ad majorem Judicem, ratione gravaminis illati vel inferendi. Cujus

- *Requiſita ſunt*
  - 1. *Vt fiat gradatim. Gail. 1. obſ. 119. n. 2.*
    - 1. Niſi proximus & intermedius Judex Juſtitiam notoriè denegaverit, *Ord. p. 2. tit. 29. in pr.* quo caſu lis non per viam appellationis, ſed per viam ſimplicis querelæ ad Cameram devolvitur. *Mynſ. cent. 3. obſ. 35. & 57.*
    - 2. Niſi Judex intermedius ſeu proximior cauſæ conjunctus & affinis fuerit. *Ord. ibid.*
    - 3. Niſi intermedius Judex eſſe non poſſit, quia forſan ſuſpicionis vitio laboret, aliamve ob cauſam in habilis eſſet. *Ord. ibid. Gail. 1. obſ. 119. n. 2. Mynſ. cent. 1. obſ. 67. Vid. Roding lib. 1. tit. 2. §. 9. & ſeqq.*
  - 2. *Vt ſit certa pecuniæ ſumma*, ſeu æſtimatio rei, de qua litigatur; quæ olim fuit Florenorum quinquaginta, *Ord. p. 2. tit. 28. § 4.* Poſteà conſtitutum *in Comm. Anno* 1570. ut ſumma appellabilis eſſet centum & quinquaginta Florenorum. Tandem *An.* 1600. Conſtitutio promulgata, quâ ſancitum ut ſumma appellabilis in poſterum florenorum trecentenorum ſit. Hodiè *Rec. Imp. 1654. §.* Vierten ſoll. 106. Summa appellationis iterum adaucta, ita ut 400. thaleri hodiè faciant ſummam appellabilem, & 16 in reditibus annuis. Excipiuntur *Statuum privilegia de non appellando*, quæ ſtrictè ſervanda. *d. R. §.* Dritiens ſoll. 105.
- *Diviſio, in*
  - *Solennem*, quando certis quibuſdam ſolennibus adhibitis cauſa ad ſuperiorem defertur. Et hoc fit vel per modum *Appellationis*
    - *Inſinuandæ*, in qua conſideranda ſunt tum *Appellationis*
      - *Fundamenta*, quæ potiſſimum poſita eſſe videntur in Actorum editione, quæ hodiè Apoſtolorum vicem ſupplent. Ubi enim
        - 1. Appellans intra triginta dies ab interpoſita appellatione Acta prioris Inſtantiæ, inſtanter & oblatâ cautione ſolvendæ mercedis, à Judice inferiore requirere tenetur, aliàs cauſæ in Camera pronunciantur deſertæ vel ad poſtulatum partis appellatæ, vel etiam ex officio Judicis parte licet tacente. *Ord. p. 2. t. 31. in pr. & p. 3. t. 31. § 3. Rec. Imp. 1654. §.* Ob er auch. 54.
        - 2. Appellans ſimul cum citatione ſub præjudicio deſertionis Compulſoriales petere debet, *Rec. de Anno* 1654. §. Desgleichen ſollen. 54.
        - 3. Appellans Acta, ſi ad eorum requiſitionem Judex inferior terminum redimendi præfixerit, nec tamen intra eum ediderit, ulterius requirere, ulterioremque requiſitionem ulteriori documento intra hunc terminum probare tenetur, ſub præjudicio abſolutionis. *Rec. 1654. §.* Darbey gleichwohl. 57.
        - 4. Acta integra Judici Cameræ edenda, illiſque mandata Procuratorum inſerenda. *Ord. p. 2. & t. 31. § 2. & 3.*
        - 5. Acta ſi ſint manca nec integra, Judex ejuſque Notarii ſeu Scribæ ſumtibus propriis ſupplere debent. *Ord. ibid.*
        - 6. Si Acta integra haberi nequeant, quia ſunt amiſſa, cauſa pro concluſa ex officio acceptatur, & Interlocutoriâ Actori originario in Camera de novo agere injungitur; Judex autem inferior in unam aut duas marcas auri, ob id quod Acta decenter conſcribi non curaverit, pro arbitrio judicantis condemnatur. *Mynſ. cent. 1. obſ. 11. Gail. 1. obſ. 134. n. 14. & 21.*
        - 7. Acta partibus utrinque aut eorum procuratoribus præſentibus inrotulanda, & clauſa in Camera exhibenda ſub pœna arbitraria. *Rec. 1654. §.* So dann 56. Iiſque rationes decidendi: tàm ipſius judicis à quo, quàm Univerſitatis ſeu Collegii juridici clauſæ adjungendæ ſub pœna duarum marcarum auri *Rec. 1654. §.* Desgleichen ſollen. 54. *cum § ſeqq.*
        - 8. Actorum perluſtratio, an integra edita ſint, clientibus aut eorum Advocatis indulta. *d. Rec. §.* Weilt er aber 59. Arceantur tamen per commune decretum *de Anno* 1657. 28. *Januar.* ſolicitantes & Advocati non jurati, idque ut omni fraudi via præcludatur.
        - 9. Acta ne ſupra quàm par eſt æſtimentur, aliàs eorum taxatio non ſolùm à Camera moderetur, ſed etiam contra immoderatè taxantem monitoria decernantur. *Denaiſ. in jur. Cam. tit. 3. § 1. & 4.*
      - *Formalia*, ſunt quædam ſolennitates, quæ obſervantur vel in
        - *Solenni modo à ſententia appellandi.* Ut ſcil.
          - 1. Appelletur
            - Si Appellatio interpoſita fuerit
              - Incontinenti, vivâ voce, & ſufficit, quòd gravatus dicat, appello & requiro Acta, quod tamen poſtmodùm per extractum protocolli docere debet. *Roding lib. 1. c. 26. § 6.*
              - Ex intervallo, in ſcriptis coram Notario & teſtibus, quod fit, quando appellans coràm Judice inferiore appellationem interponere nequit, quia abeſt, vel ſibi ab illo metuit. *Rod. d. l. § 20.*
            - à Sententia
              - Definitiva, quoties eâ gravamen illatum cenſetur.
              - Interlocutoria non aliter, niſi ea vim definitivæ habeat, vel gravamen contineat, quod per appellationem à definitiva recuperari nequeat. *Ord. p. 2. tit. 28. § fin. & tit. 29. § 2. Gail. 1. obſ. 130. num. 6.*
          - 2. Inſtrumentum appellationis non in papyro, ſed in membrana ſcriptum ſit, eique inſertus 1. Annus à die appellationis. 3. dies latæ ſententiæ ejuſque obtentæ notitiæ. 4. Judex ſeu judicium à quo. 5. Judex ſeu judicium ad quod. 6. nomen appellantis 7. nomen appellati 8. tenor ſententiæ à qua 9. Schedula appellationis, cum die & conſule nemque ſubſcriptione appellantis. 10. gravamina ad marginem indicis ſaſta ſint notata, & 11. teſtes itidem ad marginem ſint expreſſi. *Rod. lib. 1. tit. 23. § 23. & ſeqq. & lib. 3. t. 2. p. 475. & t. 25. § 16.*
          - 3. Appellans juxta privilegium loci à quo certam pecuniæ ſummam deponat, vel juramentum calumniæ de non frivolè appellando præſt. *t. Ord. p. 2. t. 29. § . Rec. 1654. §* Zumahlen. 112. Hoc juramentum
            - Præſtent
              - 1. Principales appellantes, quotquot horum ſint.
              - 2. Advocati, ſcil. Die zur Appellation gerahten und darin patrociniret haben.
              - 3. Advocati in defenſione cauſæ ſubſtituti. *Rod. lib. 1. tit. 26. p. 319.*
            - Præſtetur vel in
              - Judicio à quo, ſi appellantes
                - Admittuntur, id præſtent vel
                  - In perſona. *Rec. 1654. §.* Auch ſunſt. 111.
                  - Per Procuratores; ſi Comites vel Barones ſint. *d. §.* Auch ſunſt. 111.
                - Non admittuntur, tum documentum factæ oblationis petant, & hoc recuſatur, inſtrumentum factæ oblationis per Notarium & teſtes in Camera producant, cum petitione ut ibi admittantur. *Rod. d. l.*
              - Camera per Procuratores (raiò in perſona) in primo termino in producentes adjurandum ſpeciale mandatum, idque ſub pœna, ſi negligens ſit principalis, deſertionis. *d. Rec. §.* Zumahlen. 112. Si verò Advocatus, unius marcæ auri. *Com. Decret. 1657. 28. Januar. §* Damit auch. 7.
        - *Appellationum fatalibus*, quæ ſunt certa temporum ſpatia appellationibus conſtituta; ſuntque vel *appellationis*
          - 1. *Interponenda*, quod fatale eſt decendium præciſè obſervandum, *Ord. tit. 19. p. 2. § 1.*
          - 2. *Introducenda*, quod eſt ſpatium aliquot menſium, quorum ſinguli 30. diebus conſtant. *Ord. p. 2. t. 30.* Et hoc fatale eſt vel
            - *Hominis*, cùm Judex à quo, appellanti certum terminum ad introducendam appellationem præſcribit, is enim ſi negligitur, pro deſerta habetur. *Ord. p. 2. t. 30. in pr. Mynſ. cent. 3. obſ. 15. n. 13. & obſ. 1. n. 2. & cent. 6. obſ. 12.*
            - *Legis*, quod eſt ſex menſium, *in Ord. p. 2. t. 28. §.* Wurde aber conſtitutum, & *per noviſſ. Rec. 1654. §* So dann. 61. confirmatum, ita tamen ut intra quatuor priores menſes parti adverſæ Proceſſus inſinuentur, duo verò reliqui comparationi & productioni obſerventur ſub pœna deſertionis. *d. §.*
          - 3. *Proſequenda ſeu finienda*, quod fatale de jure communi annus eſt, & ex legitima cauſa biennium; quod tamen ob multitudinem cauſarum in Camera non obſervatur.
    - *Tollenda*, quatenus ſcil. appellatio vel
      - *Non admittitur* vel ratione
        - *Perſonarum*, quibus
          - 1. Si appellandi beneficio voluntariè renunciaverint, *Ord. p. 2. t. 28. §.* Und die weil. 1.
          - 2. Si Judicis inferioris privilegio prohibeantur. *d. Ord.*
          - 3. Si ad Cameram appellare prohibeantur non habentes legitimam appellandi cauſam: Quando ſc. appellatio eſt frivola & fruſtratoria, cujus pœna hodiè eſt viginti marcarum auri, aut corporis afflictiva pro arbitrio Judicis, *Rec. 1654. §* Und nach dem 114.
        - *Cauſarum*, quales ſunt cauſæ
          - 1. Criminales, *Ord. p. 2. t. 78. § 4. Mynſ. cent. 4. Obſ. 41. Gail. 2. obſ. 1. n. 27. & 28.*
          - 2. Poſſeſſorii momentanei. *Mynſ. cent. 6. obſ. 13. Gail. 1. obſ. 7. n. fin. & obſ. 147.*
          - 3. Matrimoniales, *Memor. Imp. Spiræ.* 1570. § Wann auch. *Gail. 1. obſ. 112. n. fin.*
      - *Deſerta redditur* quando nimirum fatalia appellationis tàm interponendæ, quàm introducendæ non obſervantur. *Vid. Rod. Lib. 1. tit. 32. per tot.* (Obſ. 15.
  - *Simplicem*, quando cauſa ab inferiore Judice omiſſis appellationis ſolennibus ad Cameram defertur: Hæc eſt
    - 1. *Querela nullitatis* principaliter intentata, *Gail. 1. obſ. 127. Wurmbſ. tit. 24. de appellat.*
    - 2. *Petitio reſtitutionis in integrum. Vid. Tab. ult.*
    - 3. *Reductio ad arbitrium boni viri, de qua Vid. Schöpf. obſ. 25. n. 58. & 59. Gail. 1. obſ. 149. n. 4.*

An Conſuetudo vel Statuta de non appellando valeant?

Reſp. Statuta de non appellendo ad ſuperiorem, non valere, quia defenſionem auferunt; Et Camera non obſtantibus hujusmodi ſtatutis, appellationem recipit; ut multis rationibus deciſum in cauſa Klautz contra Hagedorn · & in cauſa Annæ Siglers / contra Glaubigers & Würtzburg pro intereſſe. *Magenb. ad Ord. Cam. p. 2. tit. 28. p. m. 268. Gail. 1. Obſ. 135. n. 12. Mynſ. cent. 1. obſ. 14.*

An pactum de non appellando valeat?

Reſp. Valere, diverſitatis ratio eſt, quia ſtatutum directò diſponit adverſus jus ſuperioris: pactum verò directò non tangit jus ſuperioris, ſed paciſcentes abdicant à ſe, quod eſt in eorum facultate. *Mynſ. d. Obſ. in fin.*

An is, qui voluntariè tantummodò renunciat ſuæ appellationi, ea renunciatione non obſtante, poſſit deinde ad Cameram ſupplicare, & ſic per modum ſupplicationis cauſam in Iudicium Cameræ introducere?

Reſp. Hoc utique jure fieri poſſe, ſi modò intra decem dies ſupplicetur ad Cameram debito tempore. Ita factum in cauſa Janus Franckſchen contra Erneſtum Marchionem Badenſem teſtatur, *Magenb. ad Ord. Cam. part. 2. tit. 28 p. 267.*

An is, qui juri ſupplicandi fortè in compromiſſo renunciavit, ratione nullitatis Citationem in Camera impetrare poſſit?

Reſp. Poſſe; Ita factum in cauſa Münſter contra Lorrinck. Imò ſi pœna exſolvatur, & in Camera deponatur, tamen appellari poteſt. *Magenb. d. l. p. 268.*

An verò contumax appellare poſſit?

Diſt. Aut quis contumax eſt in non veniendo; aut in non agendo. Si in non veniendo appellare non poteſt, quia Juriſdictionem Judicis omninò contemnit. Si in non agendo appellare poteſt: quia diffidere quidem videtur juri ſuo, non tamen renunciare. *Gail. 1. Obſ. 132. n. 7. Schwan. Obſ. 175. n. 4. & ſeqq. Hartm. tit. 19. Obſ. 26.*

Quid juris, ſi ſumma non ſit appellabilis, & tamen altera pars gravamen ſibi illatum queratur?

Reſp. Hoc caſu parti ſuccumbenti ad Principem ſupplicare & Reviſionem Actorum tentare licere, vel transmiſſionem Actorum ad Univerſitatem aliquam, aut ad aliud Collegium Juridicum rogare poſſe; Niſi Statuum Privilegia, Statuta & Ordinationes judiciales aliud inferant. *Quod approbatur in Deput. Rec. 1600.* §. Es ſoll · bey den Underthanen. 17. & *Noviſſ. Rec.* 1654. §. Doch mit dieſem Zuſatz. 107. *confirmatum eſt add. Denaiſ. in jur. Cam. tit. 171. §. 14.*

Quid Iuris, ſi Elector vel Princeps Imperii privilegio de planè non appellando gaudeat, leuterationem tamen vel Oberleuterationem ſuis ſubditis concedere nolit?

Reſp. Hoc caſu mandata de concedenda Leuteratione ſine clauſula in Camera impetrari poſſe, *uti factum in cauſa H. N. contr. S. W. teſtatur Roding. augment. lib. 1. tit. 20. pag. m. 269.*

An intereſſe & penſiones pro facienda ſumma appellabili, cum ſorte computari poſſint?

Reſp. Intereſſe & penſiones juxta Conſtitutiones Imperii certas, jam dum ceſſas & per ſententiam expreſsè adjudicatas, cum ſorte pro facienda ſumma appellabili cumulari poſſe. *Sic in cauſa* Mengers *contra* Vogtiſche Erben *appellationis, in qua capitale erat 300. imperialium, cum penſionibus verò ſumma ſexcentorum Imperialium, ſumma appellabilis in Camera judicata & acceptata eſt, 1657. 8. Maij & 6. July. Vid. Gail. 1. Obſ. 129. n. 3. & Mynſ. cent. 5. Obſ. 83. n. 4. & ſeq.*

An is, qui à ſententia appellat, deindeque in Camera Appellatio pronunciatur deſerta vel non acceptatur, etiam hoc caſu citationem ſuper nullitate impetrare poſſit?

Reſp. Non ſolùm citationem impetrare, ſed etiam illud efficere poſſe, ut executio eousque impediatur, donec ſuper nullitate pronunciatum ſit. Quia Appellatio & nullitas diverſa ſunt juris remedia: Ideoque uno ſublato, aliud adhuc ſupereſt. *C. inter cæteras. X. d. re judic. Gail. 1. Obſ. 135. n. 4. & ſeqq. Schwan. Obſ. 177.* Ita deciſum in cauſa Fucker contra Fabri. *Magenb. ad Ord. p. 3. tit. 34. p. m. 453.*

An à ſententia perpetui ſilentii appellari poſſit?

Aff. Quia aliàs, ſi non appelletur, ſententia tranſit in rem judicatam, *per l. cum Titia. 18. ff. de Accuſat. Gail. 1. Obſer. 132. n. 1. & 7. Schwan. Obſ. 175. n. 25.*

An Appellatio in Camera recipiatur, ſi ex Inſtrumento Appellationis deprehendatur, non appellatum eſſe in ſpecie ad Cameram, ſed ad Cæſarem?

Aff. Quia Camera nihil aliud eſt, quàm tribunal ipſius Cæſaris, & quod Camera cognoſcit, ipſe Cæſar cognoſcit; Cùm ipſius nomine omnes Proceſſus tam ſimplicis querelæ, quàm Appellationis exeant. *Roding. augment. lib. 1. tit. 20. §. 3. in add.*

An fatale interponendæ Appellationis incipiat à die latæ ſententiæ, an verò à die ſcientiæ?

Diſt. Aut Dominus litis in priori inſtantia Procuratorem apud Acta habuit, aut non. Priori caſu fatale incipit à die latæ ſententiæ, poſteriori verò à die ſcientiæ; ut ſcil. appellans ſciat, ſententiam contra ſe eſſe latam.

An Procuratoris negligentia, ſi is fortè appellationem omiſerit, Domino nocere debeat?

Aff. Quia tunc ſententia lata vim rei judicatæ ſortitur; Niſi Procurator dolo quid prætermiſerit. Tunc enim ipſo jure Domino jus ſuum ſalvum eſt. *l. 7 ff. de dolo. Hartm. tit. 19. Obſ. 3. n. 3. & 4.*

Sed quomodo Domino ſuccurrendum?

Reſp. Aut Procurator ſolvendo eſt, aut non: Priori caſu datur Domino contra negligentem Procuratorem Actio mandati ad damnum & intereſſe. *Gail. 1 Obſ. 45. n. 4. & 5.* Poſteriori verò Reſtitutio in integrum. *Schwan. Obſ. 177. Hartm. d. t. n. 4.*

Si iſti ſex menſes appellationis introducendæ ſint elapſi, ita ut ampliùs prorogari nequeant, quia non entis nullæ ſunt qualitates: Quid faciendum?

Reſp. Hoc caſu appellantem, ſi modò in Conſilio per ſupplicationem juſtas cauſas adduxerit, quòd adhuc longiori tempore opus habeat, petere poſſe citationem contra adverſarium ad videndum ex dictis cauſis ſe reſtitui, *C. ex ratione. X. de Appell.* Ita factum in cauſa Türck contra Moniales in Lometen. *Magenb. ad Ord. p. 2. tit. 30. p. m. 307.*

An Appellatio, ſi intra præſcriptum tempus introducenda Citatio non reproducatur, ſed Acta tantùm exhibeantur, deſerta cenſeatur?

Appellationem non deſertam cenſeri, ſed acceptatam eſſe in Judicio Cameræ in cauſa Halle contra Glinden teſtatur. *Magenb. d. l. p. 305.*

An Appellatio, unâ vel alterâ tantùm die circumactâ, poſt terminum introducta, pro deſerta ſit habenda?

Reſp. Summo jure pro deſerta habetur; ſed ex æquitate ejusmodi cauſæ in Camera acceptantur, modò appellans aliquam cauſam prætendere vel in principali cauſa bono jure uti poſſit. *Vid. Magenhorſt. d. l.*

An tempus appellationis introducendæ pauperibus currat?

Neg. Quia pauperum Acta priùs in Camera perleguntur, quàm Citatio decernitur, igitur impoſſibile plerumque quod juxta ordinationem reproduci poſſunt proceſſus. *Ita in cauſa* Preuſſen *contra* Capitel Arſbeck *factum. Magenb. d. l. p. 310.*

An tempus introducendæ App. durante compromiſſo vel amicabili concordia, appellanti ſit deducendum vel numerandum.

Neg. *Magenb. d. l. p. 305.* & ita factum in cauſa Wiſſteinen contra Engelbrechten. Et tunc injungitur appellanti probatio, ſic in cauſa Güntterberg contra Hans von Sandel factum.

TABU-

TABULA V.

Abſolutâ parte Proceſſus Cameralis communi; ſequitur pars propria, quæ circa ipſum Proceſſum ſive formam & ordinem procedendi verſatur.

Proceſſus Cameralis eſt vel

- **Auditoriarum, qui in Audientiis Judicialibus obſervandus eſt. & proponitur hic Audientia**
  - *Deſcriptio. Audientia* eſt actus publicus, quo Procuratores jurati litigantium deſideria proponentes & producta exhibentes, audiuntur. Vocatur locus Judicii die Audienz-Stuben; ad differentiam loci Conſilii die Rahtſtube / in quo Judex, Præſides & Aſſeſſores horis matutinis congregati ad preces ſeu ſupplicas, diviſis inter ſe Senatibus, Decreta concipiunt, relationes cauſarum auſcultant & examinant, ſententias formant, & de cauſis Collegii quandoque in pleno, hoc eſt, in conceſſu omnium, quandoque per Deputatos deliberant: Omni acceſſu Advocatis & Procuratoribus vel qui cauſis litigantium inſerviunt, denegatio. *Schwan. Proc. Cam. lib. 2. cap. 24. 2.*
  - **Diviſio in**
    - **Solennem ſeu ordinariam, quæ ritu ſolenni celebratur**
      - *Tam à parte Judicii.* Nam
        1. Judex & Aſſeſſores è Senatu ſecundùm ordinem & Statuum, quos ſinguli repræſentant dignitatem, Judice præcedente ad locum Judiciarium ſe conferunt, ſuumque ſinguli locum occupant.
        2. Judex ejuſvè vicarius primo & ſummo loco in tribunali Imperiali, quod loco nonnihil editiore ſub ſerico rubro poſitum eſt, conſidet, dextrâ ſceptrum judiciale (quod ipſi Pedellus prævia reverentiâ tradit) juriſdictionis & juſtitiæ adminiſtrandæ ſymbolum tenens *Rod. lib. 1. tit. 2. p. 2. Schw. 1. Proc. Cam. 24. n. 3.*
        3. Judici Aſſeſſores aliquot ab utroque latere aſſident. Sed hodiè Audientiæ, ne per eas Aſſeſſores numero perquàm pauci abſtrahantur ab expeditionibus cauſarum, vel Præſide & uno Aſſeſſorum præſentibus, vel uno Aſſeſſore tantùm, qui Præſidis loco eſt, præſente celebrantur *Rec. Imp. 1654. §.* Die Underſcheidung. *82 Verſ.* Nach dem es aber. *add. Com. Decret. 1660. 19. Januar.*
        4. Judex, Præſides, Aſſeſſores omnes, item Advocati & Procuratores, publicationi ſententiarum, quas Protonotarius ex libro altâ voce prælegit, præſtò eſſe debent. *Rod. d. l. §. 4.*
        5. Protonotarii & Notarii cum Lectore ad menſam in medio ferè Judicii collocatam conſident, ut ea, quæ Judici & Aſſeſſori litigatorum nomine vivâ voce proponuntur, quos vulgò Receſſus appellant, tum Scriptis conſignata in Judicio producuntur, annotent atque excipiant. *Rod. d. l. §. 5.*
        6. Pedellus ſcripta excipit, lectorique ut diem, menſem & annum exhibitionis aſſignet, tradit. Scripta in duplo producuntur, unum ad acta regiſtratur, alterum parti adverſæ exhibetur. *Schwan. d. l. num. 16. & 17.*
      - *Quàm à parte litigatorum*, ubi Ordo obſervatur tum
        - *Inter perſonas litigantes.* Uti ſunt
          1. *Advocati* ſolùm, qui domi res ſuas agunt, & rarò Audientias frequentant; niſi publicationi ſententiarum præſto eſſe velint.
          2. *Advocati & Procuratores* ſimùl, hi enim dum Audientiæ celebrantur, tribunal Imperii, eo ordine, quo in Cameram recepti ſunt, circumſtare vel circumſedere, & principalium litigatorum nomine agere debent; Ita tamen ut in Audientiis procedendo alii aliis non præcurrant, ſed ordinem accuratè obſervent; Niſi quis adverſario ordine & ſuo loco agenti reſpondere cogatur *Ord. p. 2. tit. 4. §.* Und ſoll ſonſt. *Receſſ. 1654. §.* Alſo auch. *85. add. Com. Decret 30. Octobr. 1655.*
        - *In rebus pro tribunali agendis.* Non enim Procuratoribus in quovis rerum & cauſarum genere agere ſemper & pro lubitu conceſſum eſt, ſed iis certi Ordines & quidem primitus ſex ordinatione *part. 3. c. 9. §. 11.* præſcripti erant: Poſteà *per Com. Decr. 1655. 30. Octob.* quinque conſtituti. Sed hodiè *per Com. Decr. 1659. 13. Decemb.* noviſſima mutatio facta, & quatuor tantùm in uſu ſunt
          1. *Ordo ſententiarum*, in quo ſuper ſententiis publicatis agitur *Ord. p. 2. t. 6. pr.* qui ſtatim primâ Audientiâ poſt publicationem ſententiarum à ſeniore Procuratorum inchoatur, & in eo continuant reliqui omnes, quamdiu ad latas ſententias quid agendum ipſis reſtat. *Schwan. 1. Proc. Cam. cap. 34.*
          2. *Ordo Reproductionis*, in quo omnes proceſſus noviter è Camera extra vel judicialiter extracti & Reo inſinuati in primo termino reproducuntur, parti etiam adverſæ comparendi & reſpondendi facultate conceſsâ. *Rec. 1654. §.* So dann. *36. & ſeq. Com. Decret. 1655. 30. Octobr. §. 1.* Quamvis in dicto primo termino mandata procuratoria, Acta priora, Inſtrumenta aliavè documenta, anteà in Cancellaria non exhibita, judicialiter exhibenda ſint; tamen illa propriè produci, non reproduci dicuntur.
          3. *Ordo Novarum*, in quo cauſæ novæ, & quæ ad eas pertinent, tractantur, & producuntur
             1. Supplicationes in cauſis pendentibus pro citationibus, inhibitionibus, mandato attentatorum, revocatorio, aliiſque proceſſibus. *Ord. p. 3. tit. 35. in pr.*
             2. Acta prioris inſtantiæ, ſi in primo termino produci non potuerunt.
             3. Deſignationes expenſarum & exceptiones contra eaſdem *Deput. Rec. 1600. §.* Dieweil *in puncto. 136.*
             4. Supplicationes extrajudicialiter exhibitæ ad judicium remiſſæ.
             5. Supplicationes pro confirmandis contractibus tranſactionibusve.
             6. Supplicationes, quibus indicatur in cauſa pendente periculum in mora, aut armorum metum ſubeſſe. *Viſit. Rec. 1561. §.* Item auf den fürbrachten.
             7. Omnes exceptiones dilatoriæ, declinatoriæ, non devolutionis, deſertionis & ſimiles *Decret Cam. 1593. 15. Decembr.* *Quid prætereà in hoc Ord. Nov. obſervandum. Vid. Schwan. 1. Proc. Cam. cap. 35. per tot. Rod. lib. 2. tit. 6. per tot. & Com. Decret. de Anno 1659. 13. Decembr. §. 6.*
          4. *Ordo terminorum*, in quo toties agendum, quoties certus terminus præfixus eſt, vel per ipſos litigatores (*& collect.*) vel per ordinationis legem (*& legalis*) vel per ſententiam judicis (*& præfixus dicitur.*) In hoc ordine inſuper producenda ſunt procuratoria poſt præſtitam cautionem. *Com. Decret. de Anno 1659. §. 7. lit. B. in pr. nota*, quia cautionem præſtans ſemper ſimul terminum colligit, *add. d. Com. Decret. §. 4. lit. L. & Rec. Imp. 1654. §.* Wären dann. *12.*
    - *Minus ſolennem ſeu extraordinariam*, quæ judiciali audientiâ finitâ hodiè coram uno Aſſeſſore, qui Judici in eadem Audientia aſſedit, abſque ſceptro ad menſam Notariorum ſtante peragitur. Vocatur vulgò Audientia coram Deputatis vel Deputato: Quia olim Judex duos deputabat, qui Procuratores in certis quibuſdam punctis procedentes audiebant. *Vid. Rod. lib. 2. tit. 10. p. m. 441. & ſeqq.*
  - *Circumſtantiæ*, quæ conſiderantur vel ratione
    - *Loci*, qui auditorium Cameræ judiciale appellatur. *Mem. Viſit. 1559.* in quo foribus undiquaque apertis ſedente Judice ejuſvè Vicario vel Aſſeſſore Audientiæ celebrantur. *Schwan. 1. Pr. Cam. 24. n. 5.*
    - *Temporis, Audientiæ* ſunt vel
      - *Antemeridiana*, quæ *per Com. Decr. de anno 1659. 13. Decemb. §. 7. lit. 2.* ſublatæ ſunt.
      - *Pomeridiana*, quæ
        - *Celebrantur* hodiè diebus Lunæ, Mercurii & Veneris *d. Com. Decr.* à prima uſque ad horam tertiam.
        - *Intermittuntur*
          1. Si funus Domini Judicis, Præſidis, Aſſeſſoris, aut Senioris Cameræ Advocati aut Procuratoris ſit deducendum.
          2. Si nuptiæ membri cujuſdam Cameræ illuſtrioris celebrentur.
          3. Propter Ferias, quæ juxta utrumque Calendarium Julianum & Gregorianum celebrantur. *add. d. Com. Decret. lit. 2.*
- **Cauſarum**, qui in cauſis peragendis obſervandus eſt. Tabb. ſeqq.

Quando Audientia ſive ſupremum hoc Iudicium inſtitutum?

Judicium hoc Cameræ Imperialis à Divo Maximiliano I. tunc temporis Rege Romanorum communi Statuum conſenſu *Anno ſalutis* 1495. 7. *Aug. VVangionibus in Suevia* inſtitutum, ubi tamen non diu conſtitit, ſed *eodem Anno* Francofurtum, abinde *Anno* 1497. VVormaciam. *Anno* 1501 Noriobergam. *Anno* 1503. Ratisbonam. *Anno* 1509. VVormaciam ſecundùm. *Anno* 1513 Spiram. *Anno* 1514. VVormaciam tertiùm. *Anno* 1521. Norinbergam ſecundum. *Anno* 1524. Eslingam. Et denique *Anno* 1527. Spiram ſecundùm translatum fuit, ubi ſedes hodie quaſi propria illi deſtinata eſſe cenſetur. Sæpè quidem in publicis conventibus noviſſimè in Diæta Monaſterienſi de ejus translatione fortè in ſecuriorem & univerſi imperii Statibus commodiorem locum deliberatum fuit, *Inſtr. Pac. Cæſar Suec. tit.* 5 §. *Præterea cum* 52. Hactenus tamen Conſultatio hæc utpote difficultatibus involuta ultimam manum adhuc deſiderat, *de quo Rec. Imp.* 1654. §. Als auch bey den allgemeinen 161. Ibi. Und haben Ihr Kayſerl. Maj. ſampt Churfürſten und Ständen/ nach reiffer wolbedachter überleg und Verabſchlagung der Sachen/ berührte translation noch zur Zeit nicht thunlich befunden etc. *Gail. de Pac. Publ lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 28. *Roding. lib.* 1. *tit.* 2. § 2. & 3.

Quando prima Audientia habita.

Prima Audientia Judicialis celebrata eſt Francofurti ad Mœnum in Urbe Imperiali libera *Anno* 1495. 3. *Novembr.* Et *Anno* 1496. 16. *Febr.* omnium prima, & *Anno* 1641. 6 *Iul.* ultima ſententia Banni Imperialis *in cauſa* Siver contra Wulffin *Appellationis nunc executorialium in puncto arctiorum executorialium* fuit pronunciata, *Gail. d. l. Roding lib.* 2. *tit.* 2 § 3 *in addit* Banni declaratio fit primò in publica Audientia, poſtmodum Judex omnium Aſſeſſorum numero, totaque multitudine ſtipatus in locum ſub dio digreditur, ibique fit denunciatio, Protonotario ſchedulam denunciationis fruſtillatim rumpente & in terram abjiciente. Hodiè tamen pœna Banni *per noviſſ. Receſſ.* 1654. propter contumaciam ſublata eſt. §. Würde hierauſſ. 30. *verſ.* Jedoch mit hinfüriger etc. Quatenus autem hodiè in cauſis fractæ Pacis publicæ & profanæ & aliis Banni declaratio quoad Status Imperii Cameræ conceſſa videri poteſt *ex d. Rec. §.* In Fällen und Sachen aber. 156 ubi modus quo hoc fieri debeat, à veteri novus in proximè prorogatis Comitiis promittitur, *add. Capitulat. moderni invictiſſ. Imp. Leopoldi.* §. Wir ſollen und wollen auch. 28.

An Iudici Cameræ ejusve vicario, an verò Imperatori ſupplicationes inſcribi debeant?

Quamvis proceſſus decreti Cæſareæ Majeſtatis nomine, titulo atque ſigillo Cæſareo emittantur. *Ord. Cam. p.* 3. *t.* 12. §. und ſo ſolche. 4. tamen id in ſupplicationibus pro proceſſibus impetrandis non obſervatur, ſed Judex Cameræ ejusvé vicarius tantummodò in ſupplicationibus exprimi debet.

An legitimatus ad Aſſeſſoratus dignitatem evehi poſſit?

Neg. *Magenb. ad Ord Cam. p.* 1. *tit.* 3. *p. m.* 6. Quia legitimatio, *juxta doctrinam Bald. in cap.* 1. *colum* 5 *de Conſtit* & *in c. fin de translat Epiſcop.* eſt ſimilis Alchimiæ, quæ facit apparere quod non eſt, & aſſimulatur homini medicato à morbo, in quo ſemper remanent cicatrices; Ex quo ſequitur, utrumque ſpurii legitimentur, remanent tamen infames de facto inter bonos viros. Et ſic *Anno* 1536. *menſe Iulio* non fuit admiſſus N. ab E. præſentatus ab Archiepiſcopo T. Quia dicebatur patrem ipſius fuiſſe illegitimè natum.

An Aſſeſſor ab officio Aſſeſſoratus ex cauſis legitimis removeri poſſit?

Aff. Ita decretum contra D. Heintzel *Anno* 1585. 2. *Iun.* & Hartlieb per Dnn. Commiſſarios & Viſitatores, Quod ita ſe habet. Demnach die Röm. Kayſerl. Maj. unſer Allergnädigſter Herr/ auß Kayſerl. tragendem Ampt/ durch Ihre Kayſerl Commiſſarien zu Augſpurg gegen alle und jede Anſtiffter deren daſelbſt geweſenen Aufruhr/ wie ſich es gebührt/ Inquiriren laſſen/ warumb dann ſo viel befunden/ daß Hans Heinrich Heintzel einer von den fürnembſten Anſtiffter geweſt/ daß auch Ihr D. H. mit demſelben gute Correſpondentz gehalten/ darein Ihm allerley fürgeſchriben/ und bey Raht geweſen/ darneben hohe Perſonen gantz ſchmählig angetaſtet/ welches alles Euch keines Weges gebühret. Wiewohl nun die Kayſerl. Commiſſarii und Viſitatores ſich deßwegen des Heil. Reichs Ordnung und Abſchied in Rahe der Gebühr erinnert/ auch wohl Urſach hätten/ gebührlichen Ernſt gegen Euch vorzunehmen/ ſo haben ſie doch auß ſonderlichem Bedencken ſich verglichen/ gegen Eure Perſon den milteren Weg zu gebrauchen/ und wollen Euch hiemit aufferlegt und befohlen haben/ daß Ihr ſelbſt innerhalb 8. Tagen von heut dato Euren Beyſitzer-Stand dem Collegio im Raht/ wie herkommen/ aufſagen/ Darnach Euch des Rahtganges und Dienſtes alsbald gäntzlich enthalten/ alle Acten, ſo Ihr beyhanden/ den Leſeren wiederumb zuſtellen/ und in ſolchen allen euren ſchuldigen Gehorſam leyſten ſollet/ damit nicht nöhtig ſey andere gebührliche Mittel zu gebrauchen.

Quomodo Salarium Cameralium hodiè adauctum ſit. Vid. Rec. Imp. de Anno 1654. *§.* Dieweil auch. Juxta illum enim Receſſum penduntur.

Dno Judici	4400	
Dno. Præſidi	1372	
Aſſeſſori	1000	
Fiſcali	1000	
Advocato Fiſci	571½	
Medico Cameræ	285	Imperiales.
Cancellariæ Præfecto ut nuncium Deputato	152½	
Quæſtori	344	
Lectori	45	
Pedello	90	
Nuncio Equeſtri	32½	

Quænam ſint Cauſæ, quæ coram Deputato ſint tractandæ?

Cauſæ, quæ coram Deputato tractantur hæ potiſſimùm ſunt, (1) Petuntur Prorogationes, *Rec. Imp.* 1645. §. Wäre es dann. 32. (2) Nominantur Commiſſarii, contra illos excipitur ac replicatur. *Rec. Imp.* 1570. §. Die *Commiſſarii.* 97. *Ord. Cam. p.* 3. *t.* 11. §. Erſtlich als. 1. & *ſeqq* & usque ad Rotuli productionem incluſivè ibidem proceditur *d. Rec* § Wie oben. 99. (3) Petuntur Commiſſiones *d. Rec.* (4) Dilationes probandi. *Ord. p.* 3. *t.* 12. *§ fin.* (5) Exhibentur Articuli probatoriales. (6) Allegatur obitus Principalis, idque documento ſtatim verificatur. *d. Ord. §. item.* Wann die Procuratores. (7) Petuntur admiſſiones & confirmationes tutorum & curatorum, ibidemque ut in puncto Commiſſariorum proceditur *d. Rec.* 70. §. Wie oben. 99. *add. Rod. lib.* 2. *tit.* 20. *per tot.*

An feriarum impedimentum, ſi terminus fatalis in ferias incidat, & poſt eas fatale lapſum fuerit, reproductioni Proceſſuum obſtet?

Reſp. Non obſtare nec deſertionem operari, modò citatio finitis feriis ab Appellante reproducatur & procedatur. *Rec.* 1570. §. Ob wohl auch. 82. *Gail.* 1 *O.* 140 *n.* 4. 5. & 6. *Denaiſ. in jur. Cam. verb. Appellationis introductio.* §. 8.

Addit.

TABULA VI.

Proceſſus cauſarum, qui in cauſis peragendis obſervandus eſt, partes ſunt præparatio & proſecutio.

- *Præparatio eſt, quâ Proceſſui cauſarum, ut effectui expediatur, via ſternitur, & conſtat*
  - *Proceſſuum emanatione*, qui Imperatoris nomine, titulo atque ſigillo emittuntur. Et hic in
    - *Genere proponitur*
      - *Modus impetrandi Proceſſus* qui
        - 1. *Eſt vel*
          - *Extrajudicialis*, quando Procurator, vel ipſe Principalis ſi præſens eſt, ad ſupplicam quam Notarius in Cancellaria reſtringendam, & poſtmodùm ad Senatum deferendam exhibet, per decretum extrajudiciale Proceſſus decerni rogat, & finito Senatu ad horam decimam in Cancellaria reſponſum expectat. Hic modus in Camera omnium frequentiſſimus eſt, nec Procurator ad judicialem facilè deflectit, niſi per decretum eo remiſſus fuerit; Et in hoc narratis ſupplicationum *juxta noviſſ. Receſſ.* 1654. §. Alß Supplicanten. 73. per adjuncta veriſimiliter probatis creditur. *Rod. lib. 3. tit. 1 §. 2. in add.*
          - *Judicialis*, quando Procurator ſupplicam in publica Audientia exhibet, & ſententiam Judicis ſuper Proceſſibus decernendis requirit. Hic locum habet, quoties ſupplicatur in cauſa cum alia in Judicio jam pendente connexa, & Referens videri ſine contradictione partis adverſæ, & præviâ aliquali cognitione Proceſſus decerni non poſſe.
        - 2. *Fit per ſupplicationes*, in quib. conſiderandi, tum quomodo
          - *Formandæ*, & operâ dandâ eſt, ut
            - 1. Juri communi & Conſtitutionibus Imperii conformentur. *Memor. Viſit. Anno* 1550. §. Fürter nach dem. 12.
            - 2. Ordinè & concinnè concipiantur. *Memor. Viſit. eod.*
            - 3. *Communes Orationum partes* obſerventur
              - *Exordium*, quod honorificam Judicis compellationem, officium atque titulum, partium litigantium nomina continet. *Rod. lib. 3 tit. 20. §. 8.*
              - *Propoſitio*, quæ controverſiæ ſummariam deciſionem ex jure communi vel aliquâ Imperii Conſtitutione ſpeciali, & interdum ex utroque, paucis definit, & Actionis, quam Actor intendit, ſummam & quaſi fundamentum ponit.
              - *Narratio*, quæ commemorat in cauſis
                - *Simplicis querelæ* circumſtantias & qualitates facti, ex quo controverſia nata eſt.
                - *Appellationis*, querelam de gravamine quopiam, vel de legitima Proceſſus ratione non obſervata, vel de utroque conjunctim.
              - *Concluſio*, quæ complectitur petitionem Proceſſuum, qui clauſulam ſalutarem annexam habent.
          - *Judici offerendæ*, *Supplicationes* initio ſtatim in duplo Judici offerendæ ſub pœna arbitraria, adjunctâ, vulgò Beylagen, in ſimplo, *Rod. lib. 3. tit. 21 §. 1.* & à Procuratore cavente de rato & mandato, nec non Advocato ſubſcribi debent. *Rod. lib. 3. tit. 2. §. 10. Com. Decret. de Anno* 1659. 13. *Decembr.* §. Wie dann ſolle. 4. Documenta Supplicationum ſeu Adjuncta ſunt, quibus ſupplicationum narrata in continenti probantur, & ſine quibus, ſi ſupplicationes offerantur, Proceſſus denegantur aut difficulter impetrantur, *Roding. libr. 3 tit. 21. §. 4.* In Appellationis aut Protocolli extractus, & documentum requiſitionis Actorum neceſſaria adjuncta ſunt.
      - *Requiſita in Proceſſibus decernendis* obſervanda. Ubi
        1. Judex narratis ſupplicationem nititur & partis periculo Proceſſus decernit, quoticunque Juriſdictio Cameræ in dubium vocari poteſt. *Gail. 1. Obſ. 31. num. 1. & obſ. 129. n. 6 & 7* Sed hodiè hoc mutatum, quia ſupplicantes narratorum aliqualem probationem afferre debent. *Receſſ. Imp.* 1570. §. Alß Supplicanten. 73.
        2. Judex atque Aſſeſſores narrata libellorum diligenter ponderare debent, ne contra Imperii Conſtitutiones vel jus commune Proceſſus decernant. *Rec. Imp.* 1570 §. Damit aber alle. 78 *& ſeq.*
        3. Judex, ſi propter defectum libelli Proceſſum decernere non poſſit, & ſupplicanti facilè ſit defectum illum reſarcire, per decretum libello ſupplici inſcriptum ſignificet, Proceſſum poſtulatum ſecundùm narrata ſive petita denegatum eſſe. *Rec. Imp.* 1570 §. Und auff ſondern. 81.
        4. Judex ſubditis aut civibus contra proprium Magiſtratum Proceſſum, niſi præmiſſis literis informatoriis, vulgò Bericht ſchreiben, decernere non debet. *Rec. Imp.* 1654. §. Beneben ſollen. 99. *Rod. lib. 3. t. 19.*
        5. Proceſſibus inſerenda eſt cauſa vel factum ſive negotium ſuper quo Proceſſus ſunt poſtulati, ut is, contra quem emanant, inſtructus veniat. *Ord. p. 3. tit. 12.* §. Und ſollen. 2. *Mynſ. cent. 5. Obſ. 85 Gail. 1. Obſ. 51.*
        6. In Proceſſibus nomina & cognomina eorum ad eos quos decernuntur, aſſignentur, Quod tamen in Proceſſibus ad Civitates, Collegia & Univerſitates &c. neceſſe non eſt; Sed ſufficit Conſulem Civitatis vel Collegium in genere nominare. *Rec.* 1566. §. Da dann ein Procurator. 102. *Mynſ. cent. 2 obſ. 66 Gail. 1. Obſ. 50.*
    - *Specie Proceſſus decernuntur vel*
      - *Inter partes litigantes*, ſeu partis contra partem. Et ſunt vel
        - *Multarum cauſarum communes.* Ut ſunt
          - *Citationes*, quarum requiſita ſunt vel
            - *Intrinſeca*, ubi requiritur
              1. Nomen Judicis citantis. Ut citatus
                 - Poſſit videre, an Judex competens ſit, nec ne. *Gail. 1. Obſerv. 48.*
                 - Cognoſcat citationem ex juſſu Judicis procedere.
              2. Nomen & cognomen citati.
              3. Nomen & cognomen citantis. *Gail. ibid.*
              4. Citationis cauſæ, *Gail. ibid.* quæ deſumuntur ex libello ſupplice citantis.
              5. Locus judicii. Et 6. dies atque terminus citationis. *Gail. ibid. & Obſ. 53. n. 5 & ſeqq.*
            - *Extrinſeca*, hoc requiſitú conſiſtit in officio nunciorum circa inſinuationem Proceſſuum.
          - *Edicta*, quibus Judex aliquid edicit. Hæc ſunt vel
            - *Mandata*, quæ decernuntur vel
              - *Cum clauſula*, quæ annexam habent clauſulam, *ut vulgò appellant*, Juſtificatoriam; Cujus formula hæc eſt, ut Reus mandato pareat, rem ablatam reſtituendo, captivum relaxando, Actorem non turbando, vel in termino conſtituto compareat ad allegandam cauſas, quamobrem mandato parere non teneatur, *Ord. part. 2 tit. 23. in princ. Gail. 2 Obſ. 19. num. 2.*
              - *Sine clauſula*, quibus Judex Reo paritionem è veſtigio præſtandam præcisè imperat, & quibus ſine exceptione parendum eſt, *Rod. lib. 3. tit. 6 pr.*
            - *Monitoria ſeu Monitorialia*, quibus Judex non tam mandat ſive imperat, quàm monet, ut Reus, quod debet, ſolvat aut præſtet. *Rod. lib. tit. 7. in princ.*
        - *Paucis cauſis propria.* Suntq; vel
          - *Criminales*, qui in cauſa criminali fractæ ſc. pacis publicæ, decernuntur, quales ſunt
            1. *Mandata de non offendendo*, quibus Camera Imp. Reo, qui vim publicam alteri minatur & inferre in animo habet, ſub pœna banni vel privationis S. C. mandat, ut à propoſito violento deſiſtat, & jure potius, quàm violentia jus ſuum perſequatur; *Ord. p. 2. tit. 9 §. 2. Gail. de P. P. 1. 5. 3.*
            2. *Mandata avocatoria*, quibus Camera S. C. ſub pœna banni & amiſſionis omnium privilegiorum mandat arma & ſeditionem in Imperio moventibus, ut militem collectum dimittant. *Ord. ibid.*
            3. *Mandata auxiliatoria*, quibus Camera Statui imperat, ut alteri Statui vicino, vim publicam metuenti & ſuſtinenti auxilium ferat, *Ord. ibid.* §. Wo aber. *Verſ.* Desgleichen.
          - *Civiles*, qui in cauſis civilib. decernuntur. videl. in cauſis
            - *Litigioſæ poſſeſſionis*, & hi Proceſſus inhibitiones appellantur, quibus Camera alterutri vel utrivis parti immediatè Imperio ſubjectæ imperat, ut à poſſeſſione abſtineant tantiſper, donec Judex de poſſeſſionis controverſia & jure cognoſcat. *Ord. p. 2. tit. 21 in pr.*
            - *Operis novi nunciationis*, cujusmodi mandata ſunt vel
              - *Prohibitoria ſeu inhibitoria*, & decernuntur vel contra
                - *Ædificatorem*, quibus in ædificatione novi operis cœpti, ſed nondum perfecti pergere ædificans prohibetur. *Gail. 1. Obſ. 16. num. 1.*
                - *Nunciatorem*, quibus ædificantem in novi operis ædificatione impedire nunciator prohibetur. *Gail. ibid.*
              - *Demolitoria*, quibus novi operis abſque remiſſione nunciationis ædificanti demolitio imperatur, *Gail. 1. Obſ. n. 13.* quæ etiam vulgò *reſtitutoria* appellantur.
      - *Parti ad tertium* } Tab. ſeq.
  - *Terminorum procedendi præfixione* } Tab. ſeq.

An ad fundandam juriſdictionem Cameræ & obtinendos Proceſſus narratis ſupplicantis ſit ſtandum; vel an ſufficiat qualitatem juriſdictionem fundantem allegare?

Myns. cent. 2. Obſ. 9. in utramque partem diſputat, & tandem *n. 8.* concludit, ſufficere ad obtinendos Proceſſus & fundandam Juriſdictionem, quòd quis narret qualitatem, quæ juriſdictionem Cameræ tribuat, licet illa ab adverſario negetur, dummodò de falſitate non evidenter conſtet: *Et ita judicatum in cauſa Senatus Oppidi Esbracenſ. contra D. Joan.* Schad *7. Maij. Anno 1543. add. Gail. 1. O. 2. n. 1. & O. 31. n. 1. & ſeqq. Schwan. 1. Proceſſ. Cam. 1. n. 22.* Sed hoc hodie *per noviſſ. Imperii Receſſum. 1654. §.* Alle *Supplicanten. & §* und nach dem allen. *114.* mutatum deprehenditur; quia Proceſſus non decernuntur, niſi narratorum aliqualis probatio afferatur. *add. Fabric. Repetit. Gail. Obſ. 3. ſelect. 3.*

An Cumulatio ſortis & cenſuum ad fundandam Iuriſdictionem Cameræ admittatur?

Aff. Magenh. ad Ord. p. 2. t. 28. § und ſonderlich ſehen. *p. m. 288. per l. ſi idem cum eodem. 11. ff. de Iuriſdict.* Et ita judicatum in Camera ſæpius. *add. Gail. Gail. 1. obſ. 123. n. 3. & Myns. cent. 5. obſ. 83. n. 4. & ſeq.*

Quid faciendum ſi Proceſſus ſecundum narrata vel petita denegentur?

Reſp. Denuò ſupplicandum *juxta Rec. Imp. 1563. art. 24. ubi hæc habentur:* Als auch auff die Supplication / darinnen umb citation und mandata angelanget / vielmal kein Proceſs von wegen Unförmlichkeit oder Ungeſchicklichkeit erkandt / und doch geſchicklicher ſupplicirt, dieſelbe erkandt werden möchten / und alſo die Partheyen ob imperitiam vel negligentiam Advocatorum Rechtloß ſtehen müſſen / ſo ſollen Cammerrichter jedesmahls / wann ſie auff ſolche Supplicationen Proceſs noch erkennen mögen / dennoch die abſchlägige decreta dermaſſen begriffen / damit der Supplicant woran der Mangel etwas abnehme und verſtehen möge. etc. juxta ſtylum hodiernum; wie gebeten / abgeſchlagen / quod innuit defectum in concluſione & petito; item, auff vorbrachte narrata abgeſchlagen / quod innuit vitium eſſe in narratis, vel quod requiſitum quoddam Conſtitutionis, ex qua ſupplicatur omiſſum fuerit; item, Auff vorbrachtes inſtrumentum, auff vorbrachtes vidimus, auff vorbrachte caution, & quæ ſunt ſimilia, abgeſchlagen. *Rod. lib. 3. tit. 2. §. 7. in addit.*

Quid in decernendis Proceſſibus cauſarum Appellationis obſervandum?

In decernenda citatione in cauſis Appellationis diligenter examinanda ſunt & materialia & formalia Appellationum, *de quibus Rodin. augment. lib. 3. tit. 2. §. 9. in addit. p. m. 471. & ſeqq. Gail. 1. obſ. 119. n. 1. & 2. Tennagel. de decer. Proceſſ. claſſ. 4. cap. 1. per tot. p. m. 181.*

An literæ, quæ Magiſtratibus ſcribuntur, umb Bericht / *expenſis fieri debeant partis, quæ non requirit; an verò Magiſtratus?*

Reſp. *Magenh. ad Ord. p. 2. tit. 24. p. m. 238.* Supplicantes expenſas tranſmittendi, & Magiſtratum Bericht ſcribere ſuis expenſis facere.

An citatio invalida per comparitionem convalidetur?

Aff. per l. 1. §. ſed ſi. 1. ff. de feriis & dilat. Quia citationis effectus eſt comparitio: & ideò ſufficit eum comparuiſſe, nec ei prodeſt, ſi allegat ſe illegitimè citatum. *Ita concluſum in pleno conſilio 17. April 1550. & poſtea ſic judicatum in cauſa* Roſen *contra* Bringshofen *21. Octob. 1554. teſtatur Myns. cent. 2. obſ. 18. & Gail. 1. obſ. 48. n. 4. & obſ. 58. n. 2.*

An falſa demonſtratio vitiet citationem?

Reſp. Vitiative *per l. Duo ſunt. Titii. 30. ff. de teſtament. tut.* Si autem compareat is, qui non erat citandus; tunc taliter citato ſumtus litis & damna citans refundere tenetur, *per l. eum quem temerè. 79. ff. de judic. & §. 1. verſ. Hæc autem omnia. Inſt. de pœn. tem. litig. Gail. 1. obſ. 49. n. 2. & obſ. ſeq. n. 2. Myns. cent. 5. obſ. 5.*

An hodiè, ut Rec. Imp. 1654. §. dieſem nechſt. *28. cautum, adhuc requiratur, ut copiæ citatis inſinuandæ à Protonotariis aut lectoribus vidimatæ ſint?*

Neg. Sed Camera propter multitudinem cauſarum, *16. Februarij Anno 1655.* rem ita temperavit, ut adjuncta eo modo ut exhibita ſunt, nuncio Cameræ una cum copiis committantur, facultate partibus manente liberâ copias cum originalibus in ipſo inſinuationis actu conferendi. *Rod. augment. lib. 3. t. 11. p. m. 637.*

An Citatione ad reaſſumendum hodiè in Camera opus ſit?

Reſp. In cauſis antiquis citatione ad reaſſumendum adhuc opus eſſe, in novis verò poſt Receſſum *de Anno 1654. §.* Damit auch. *93.* in Camera introductis ejuſmodi citationes ceſſare: Quia *Vigore d. Rec.* mandata procuratoria non tantùm in perſonam clientis, ſed & hæredum, item non tantùm in Procuratorem ipſum, ſed etiam caſu quo decederet, in ſubſtitutum concipienda, & ad cauſas exhibenda ſunt. Procurator cliente mortuo intra tres menſes ſub pœna arbitraria hæredes nominare tenetur; Si verò Procurator hæredum nominationem nondum fecerit in perſonam Procuratoris ſententiam publicare Judici liberum erit. At ſi accidat, ut vel pars ipſa vel Procurator moriatur, pars adverſa adverſus hæredes vel ſubſtitutum Procuratoris demortui Proceſſum continuare debet. *d. Rec.*

An mandata ſine clauſula valeant?

Reſp. Mandata ſine clauſula regulariter ipſo jure non valere; quia ab executione non eſt inchoandum. *l. ſi tam nulla 58. ff. de re jud. l. 3. Cod. de execut. rei jud. l. nec quicquam 9. § ubi decretum. 1. ff. de Off. Proconſ.* Quod tamen fallit in quibuſdam caſibus, *à quibus vid. Gail. 1. Obſ. 13. n. 2. & ſeq. & ſupr. tab. 3.* ubi quatuor cauſæ ratione fundandæ juriſdictionis Cameræ quoad decernenda mandata ſine clauſula recenſentur.

Quando mandata de non offendendo in Camera decernantur?

Reſp. Mandata de non offendendo tum demùm in Camera decernenda eſſe, quando juſtus armorum aut violentiæ metus ſubeſt. Juſtus autem metus dicitur, qui ſuper Conſtitutione pacis publicæ fundatur. *Gail. 1. de P. P. c. 2. n. 30. & cap. 5. n. 10.*

An mandata de non offendendo ſubditis contra dominum ſint concedenda?

Reſp. Regulariter non decernenda eſſe; quia præſumtio pro Magiſtratu eſt, & pacem publicam non turbat, qui dominicæ poteſtatis jure utitur: Niſi graviſſima ſubfuerit ſævitia, quæ nullâ probabili cauſa excuſari poſſit, aut minæ atrociſſimæ, quæ tranſgreſſionem pacis publicæ adæquarent; tunc non ſolùm decernuntur ejuſmodi mandata, ſed & Dominus ob nimiam crudelitatem contra ſubditos juriſdictione privari poteſt. *Gail. 1. de P. P. num. 18. & num. 22.*

Quando ad pœnam banni, mandato de non offendendo inſertam agi poſſit?

Reſp. Si poſt inſinuatum mandatum vis publica inferatur; quia hic violentia, quæ ſequitur mandatum, non quæ præceſſit, conſideratur. *Gail. 1. de P. P. cap. 3. n. 2.* & tunc rurſus citatio ſuper illo novo facto contra offendentem ad videndum ſe incidiſſe in pœnas mandati de non offendendo priùs emanati, decerni debet. *Gail. 1. Obſ. 4. n. 3.*

An hic certa pœna pecuniaria loco pœnæ banni pro ſupplicantis arbitrio ſubſtitui poſſit?

Aff. Sic Fiſcali & Rabenhaupt contra Heſſen Darmſtatt & Conſortes 10 *Decembris Anno 1653.* mandatum pœnale de abducendo milite & non ampliùs offendendo contra pacem publicam & ejuſdem inſtrumentum in Dieta Monaſterienſi & Oſnabrugenſi erectum ſub pœna 300. Marcarum auri puri fuit decretum.

Quando mandata prohibitoria ſeu inhibitoria decernantur?

Reſp. In Camera Imp. mandata inhibitoria pœnalia, ſine clauſula in edicto novi operis nunciationis decernuntur vel (1) contra ædificatorem, ſi ædificator poſt denunciationem, legitimo modo vel verbis vel per Prætorem, vel jactum lapilli factam, ædificare obſtinatè pergat. *Gail. 1. Obſ. 16. n. 11. & 12.* vel (2) contra nunciatorem, ſi nunciator intra conſtitutum tempus de ſuo jure non docuerit, & oblatam cautionem idoneam de opere demoliendo accipere recuſet. *Rod. 3. t. 10. § 6.*

An mandata demolitoria etiam ſine clauſula ſint decernenda?

Reſp. Hujuſmodi mandata quoque S. C. decernenda eſſe, ſi aliâs ratione perſonæ contra quas petuntur, fundata ſit juriſdictio Cameræ. *Ita ſiſtatur in cauſa* Rennet *contra* Freiburg *14. Septemb. 1595.* Adſunt etiam præjudicia, ubi mandata de demoliendo decreta ſunt cum clauſula. *Vid. Gail. 1. Obſ. 16. n. 15. & ſeq.*

Addit.

TABU-

Digitized by Google

TAB. VII. *Actum eſt tabulâ præcedente de prima præparationis Proceſſus parte, nimirum de Proceſſuum emanatione in genere, & in ſpecie de Proceſſibus, qui inter partes litigantes, ſive partis contra partem decernuntur: audiamus nunc de illis Proceſſibus: qui parte ad tertium decernuntur, & de altera præparationis Proceſſus parte, quæ eſt de terminorum procedendi præfixione.*

Tabula hæc tractat de

- *Proceſſibus qui parte ad tertium decernuntur, & judicis curſum vel*
  - *Inhibent: & inhibitoriales ſeu inhibitiones appellantur. Quæ*
    - *Deſcribuntur*, quod ſint, quibus Judex ſuperior inferiorem inhibet, ne in lite diſceptanda ulterius procedat, vel inhibitio eſt mandatum pœnale S. C per quod Judici & parti ſub certa pœna præcipitur, ne quid in cauſa: per Appellationem in Cameram aſſumta præjudicium lite pendente attentent. *Rod. lib. 3. tit. 11. §. 4. Schwan. 2. Proc Cam. 3. n. 2.*
    - *Dividuntur in Duas*
      - 1. in
        - *Judicialem*, quæ cum cauſæ cognitione in judicio decernitur, & juxta ſtylum Cameræ ſententiam requirit.
        - *Extrajudicialem*, quæ extrajudicialiter decernitur, & decretum requirit. Hic modus expeditior eſt, & ſemper extrajudicialiter, an impetrari queat, fit experimentum, nec ſupplicans ad judicium deflectit, niſi ea retinuatur.
      - 2. in
        - *Simpliciorem*, quæ vel Proceſſibus annectitur, vel eos, ſi obtineri poſſit, ſubſequitur, & certam pœnam 10. ſcil. marcarum auri comminatur transgreſſoribus, nullam tamen annexam habet citationem ad docendum vel videndum.
        - *Arctiorem*, quæ non niſi impetratâ & inſinuatâ ſimplici locum habet, & pœnam banni comminatur; huic accedit citatio ad videndum ſe incidiſſe in pœnam ſimplicis. *Roding. lib 3. tit. 14. in add. pag. 544. & ſeq. & titulo pag. 36. in add.*
    - *Decernuntur indiſtinctè*, ſive à ſententia definitiva ſive interlocutoria vim tamen definitivæ habente appellatum fuerit. *Rec. Imp. 1594. § Die inhibitiones. 100. fol. 32. Gail 1. Obſ 144. in pr. & n. 3. Schwan. 2. Proc. Cam. 3. n. 5.*
    - *Non decernuntur*
      1. In poſſeſſorio retinendæ, ſi appellatus ſe poſſidere contendat. *d. Rec. Denaiſ. in jur. Cam. 2.146. § 2. Gail. 1. Obſ. 145. n. 2.*
      2. Si Juriſdictio in dubium vocetur. *d. Rec. Mynſ. cent. 3. Obſ. 8. Gail. d. Obſ. 144. num. 2.*
      3. Si Appellatio ipſa jure communi prohibeatur. *Mynſ. & Gail. ibid.*
      4. In Appellationibus extrajudicialibus. Niſi Juriſdictio ſatis fundata, & Appellatio ritè interpoſita atque introducta, & lis conteſtata ſit aut ſaltem adverſarius auditus fuerit. *d. Rec. §* Wann aber. 101 *Schwan Obſ. am 1 5 n. 50.*
      5. In cauſis nullitatum, quando ratione nullitatis principaliter appellatum eſt. *Mynſ. cent. 4. Obſ. 64. Gail. d. Obſ. 144. n. 6.*
      6. Adverſus tertium pro ſuo intereſſe appellantem & pendente appellatione aliquid innovantem. *Gail. 1. Obſ. 72. n. 6.*
      7. Si pateat ſententiam realiter & plenè jam dum eſſe executam, reſpicit enim futura non præterita.
  - *Promovent & vel*
    - *Officium tertii excitant* Ut ſunt
      - *Promotoriales*, quibus Judex Cameræ inferiori Judici juſtitiam protrahenti aut denegante imperat, ut ſupplicanti jus atque Juſtitiam adminiſtret, & certum temporis ſpatium adminiſtrandæ præfigit. *Mynſ. c. 3. Obſ. 17. Gail. 1. Obſ. 28 n 7.*
      - *Compulſoriales*, quibus Judex Cam. inferiorem Judicem ad officium præſtandum comminatione pœna compellit, ad editionem ſcil. Actorum, aliarumque rerum. Si verò Judex mandato non obtemperet, decernuntur vel
        - *Arctiores*, quibus citatio inſeritur ad videndum ſe incidiſſe in pœnam compulſorialium ſimplicium, vel allegandum cauſas juſtas, quamobrem hoc fieri non debeat, & Judici iterum mandatur, ut legitimè requiſitus acta pro debita mercede edat, ſi pœnam banni evitare velit. *Gail. 1. Obſ 134 n 3. & 4.*
        - *Vlteriores*, quando acta quidem edita, ſed non integra ſunt. *Roding. lib. 3. t. 13. §. 7.*
  - *Negotium judiciale tertio committunt.* Ut ſunt
    - *Commiſſionales*, quibus Judex Commiſſarius partis litigantis probationē recipiendā committit. Ubi in
      - *Genere proponuntur Commiſſionum*
        - *Species*, quod ſcil. ſunt vel
          - *Ordinaria*, quæ juris ordine obſervato poſtulantur & decernuntur. *Rod. lib. 3 tit. 14. §. 4.*
          - *Extraordinaria*, quæ extra ordinem decernuntur, & vulgò commiſſiones ad perpetuam rei memoriam appellantur. *Rod. d. l. §. 5.*
        - *Forma*, decernuntur vel in forma
          - *Communi*, quibus Judex Commiſſario mandat teſtium receptionem, examinationem & ocularem inſpectionem. *Gail. 1. obſ. 94. n 2.*
          - *Meliori & optima*, quibus Commiſſario conceditur plenior poteſtas, intelligo non ſolum teſtes recipiendi & examinandi, & in rem præſentem eundi, verùm etiam inſtrumenta tranſſumendi. *Gail. d. l.*
      - *Specie* agitur de *Commiſſariis*, ut de eorum
        - *Petitione.* Commiſſarii petuntur vel à
          - Partibus regulariter.
          - Judice, ſi videlicet teſtes in loco ſint, aut non longè à Camera abſint. *Ruland. de Commiſſ lib. 2. cap. 6. n. 11*
        - *Qualitate* Commiſſarii idonei rerum judicialium periti deputandi ſunt. *Ord. p. 3. tit. 16. §.* Deßgleich. 3.
        - *Officio*, ut ſcil.
          1. Commiſſionis literas partibus inſinuent *e cum in jure de offic & per Jud. Releg.*
          2. Ad receptionem probationum partes citent, & ad probandum nihil admittant, quod impertinens, irrelevans, & ſuper quo in facto partes non diſcrepant. *Rec. Imp. Anno 16 4 §* Die puncta *probationum* betreffend 44.
          3. Rotulum ſub hac forma conficiant, ut cuivis articulo probatorio omnium & ſingulorum teſtium dicta iiſdem, quibus uſi ſunt in deponendo teſtes verbis ſtatim ſubnectant, ita ut Judici in promptu ſit, quid teſtis ſuper quovis articulo depoſuerit. *d. Receſſ 1654. §.* Im übrigen betreffend. 46.
        - *Salario*, *de quo Vid. Tox. in Viſit. 1585. tit. 4. Denaiſ. in jur. Cam. tit. 84. Roding. Pand. Cam. lib. 1. tit. 4. 5. 38. & ſeqq.*
    - *Literæ mutui compaſſus*, ſeu *ſubſidiales*, *requiſitionales*, *imploratoriæ & remiſſoriæ*, quibus Judex de cauſa cognoſcens ad alium Judicem ſcribit, cujus Juriſdictioni teſtes ſubſunt, ut illis mandet, ut coram Commiſſario ad dicendum teſtimonium compareant. *Rod lib. 3. tit. 18. per tot.*
    - *Sequeſtrationes*, quibus cuſtodia perſonæ vel rei, de qua lis eſt, tertio alicui, quem ſequeſtrum appellant, ad tempus uſque ad finem litis committitur.
    - *Arreſta*, Proceſſus arreſtorum ſunt, quibus arreſtatio perſonarum vel rerum Magiſtratui, in cujus territorio ſunt, committitur.
- *Terminorum procedendi præfixione.* Hodie quilibet terminus in Camera præjudicialis eſt. *Rec. 1600. §.* Demnach auch. 88. & utiliter cadit ſcilicet ad agendum, non verò ad prorogandum, quia tunc continuum eſt. *Rhet. relat. 96. n. 6.* Eſt vel
  - *Legis*, qui per Ordinationis vel Conſtitutionis Imperii legē præfigitur. *Rod. lib. 3. tit. 23. §. 2.*
  - *Arbitrarius* qui pro arbitrio, habitâ nimirum ratione cauſæ vel ſucceſſive conſtituitur, velà
    - *Partibus*. ſi Procuratores ipſi alio citroque cum præjudicio terminum procedendi capiunt concedantque. Nam ſi Procurator unius partis pro tribunali certum aliquod temporis ſpacium pro primo termino ſibi aſſignari poſtulet. Procurator partis adverſæ tempus conceſſum acceptare cogitur: *Mem. 1575. §.* Auff ſonderen *&c Receſſ imp. 1594. §.* Wann dann jetzt gedachte. 58.
    - *Judice*, qui terminum conſtituit quotieſcunque inſtrumenta, literas, mandata atque alia proferre jubet. *Ordn. 3. t. 6. §.* So bald ſich. Huc pertinent *dilationes*, in quibus conſideranda ſunt quædam vel
      - *Generaliter*, quæ omnibus dilationibus communia ſunt. Scilicet quod
        1. Omnis dilatio regulariter ſit peremtoria, & non detur niſi ſemel in cauſa civili. *Mynſ cent. 1. obſ 71.*
        2. Non concedantur niſi cauſa cognita. *Mynſ. cent. 2. obſ. 58. Gail. 1. Obſ. 91. n. 4.*
        3. Judex, ſi calumnioſè petantur, pœnam imponere poſſit. *Memor. 1577. §. 22.*
        4. Reſtringantur vel prorogentur pro cauſarum qualitate, & locorum temporumque circumſtantia. *Gail. d. 14 Ord. de dilationibus.*
      - *Specialiter*, quæ quibusdā dilationibus propria ſunt, videl. aut
        - *Primæ tantum* Quod
          1. Cum ipſa commiſſione petatur decernaturque. *Ruland. de Commiſſ. cap. 8. num. 1.*
          2. Aliquando ita conſtituatur, ut nullam ulterioris dilationis ſecuturæ ſpem relinquat, veluti ſi terminus unicus, vel unica dilatio pro omni conſtituatur. *Rul. ibid.*
          3. Sine mora ex Cancellaria ſit redimenda. *Memor. Viſ. 1557. §.* Zu dem etc.
          4. Hujus dilationis initium incipiat currere ab eo tempore, quo è Cancellaria redemta eſt. *Memor. Viſit. 1564. §.* Wir ſetzen/ ordnen/ und wollen. 30.
        - *Tertiæ tantum*, quod Dilationem tertiam poſtulans ſpeciale mandatum intra ſecundum proferat & juramentum ſolenne præſtet ſe non malitioſè aut calumnioſè dilationem eam petere. *Mynſ cent. 1. Obſ. 70. Gail. 1. Obſ. 91. n. 3. & 6. Decret. Cam. 1580. 10. Jun.*

Digitized by Google

An opus ſit inhibitione ſi à definitiva appelletur?

Neg. Quia ſola appellatio executionem in his ſuſpendit. *Sicut cauſa N contra N.* zu Bamberg *inhibitionem ut ſuperfluam denegatam fuiſſe reſtatur Gylman in lib 2. rer jud. Cam deciſ. 41. in dub. de appellat. num. 62. add. Rod lib. 3. tit. 31. §. 9. in add.*

In quibus cauſis promotoriales decernantur?

Reſp. In iis, quæ ad contentioſam, non quæ ad voluntariam Juriſdictionem pertinent. Sic cùm alicui denegatur teſtimonium ſeines Wolverhaltens promotoriales in Camera non decernuntur, ſed denegantur, *Gylm. Symphor. tom 5. ſupplic. 15.* Item in cauſa feudali, ſi pares curiæ ſint negligentes in adminiſtranda juſtitia, *Klock tom 2. conſ. 28. num. 11.* Etiam in commiſſionibus, ſi Commiſſarius ſemel ſuſceptam commiſſionem perficere nolit, *Ruland. de Com. p. 1. lib. 2. cap. 17. num. 6.*

An promotoriales effectum devolutivum habeant?

Reſp. Termino in promotorialibus inſinuatis conſtituto ſine adminiſtratione Juſtitiæ ipſo, cauſam quocunque ſtato ſita ad Cameram ipſo jure devolvi, ita tamen ut litigatores ſine calumnia & ſecundum Ordinationis præſcriptum procedant, *Rec. Imp.* 1600. Ob auch *promotoriales.* 30.

An novæ compulſoriales, ſi acta ſine culpa producentis deperdita vel in lectoria Camerali omiſſa ſint, ad denuò edendum adverſus judicem à quo in Camera rogari poſſint?

Aff. *Ita Compulſoriales decreta in cauſa Helena* Ohmgerin *contra* Franckfurt 10 *Iunii Anno* 1626. *Vel ſi omnino reperiri vel haberi nequeunt, cauſa ex integro agenda eſt.*

An lite jam inſtitutâ & pendente commiſſio ad perpetuam rei memoriam peti & decerni poſſit?

Aff. Quia non minus periculi ſit in mora, quàm lite nondum cœptâ; Deinde Judicis arbitrio permittitur, an commiſſio decernenda ſit, nec ne, *Rec.* 1600 *§.* Es ſollen auch. 130

An commiſſiones ad perpetuam rei memoriam ſint perpetuæ, i. e. ſi intra annum ex Cancellaria ab impetrante non extrahantur, an nihilominus valeant: an verò annales?

Aff. Prius, quia reſcripta ſint perpetua. *Bart in l beneficium ff de conſtit. Princip.* proinde & Commiſſiones & impetrate reſcripta, perpetuæ ſunt. *Quod approbat aut pr jud Cam Imp Verb Commiſſio ad perpetuam rei memoriam, in pr. S. Gylman 1. P. C 46 num. 18. & ſeq.*

Si, datâ commiſſione in optima forma, teſtes citati Commiſſarii Imperium contemnant, quid faciendum?

Reſp. Commiſſarium, ſi fortè teſtem ſub certa pœna pecuniaria citaverit, jure optimo in illam pœnam condemnare poſſe, *Magenb. ad Ord. p. 3. tit. 16. pag m. 395.*

Sed quid, ſi teſtis pœnam ſpernat?

Reſp. Hoc Cameræ per ſupplicationem indicare debere petendo executoriales ratione contemptus ratis fractæ pœnæ, nec non ulteriores proceſſus Auf die Acht contra teſtes contumaces, ut ſic compellantur, quo obedienter coram Commiſſario compareant & teſtificentur, *Magenb. d. l. pag. 399.*

Partes in Commiſſarios non ſuſpectos conſentire debent, ſed quid faciendum, ſi adverſarius tam delicatus ſit, ut in nullum conſentire velit?

Reſp. Plerumque parti, quæ hoc petit, injungitur, ut adhuc alios non ſuſpectos nominet; ubi hoc factum & nihil relevanter excipiatur, jam Camera illos vel alios, quos noverit idoneos, ex officio dare ſolet vel poteſt, reſervatâ adverſario eâ poteſtate, ut Notarium adjungere poſſit. Nonnunquam totus Senatus pro Commiſſario datur eâ adjectâ poteſtate, ut illi magis ad hanc rem idoneos ex ipſis eligere & deputare poſſint, *Ita factum in cauſa* Johann Aberſchin *contra Lampertum* Dacl/ *Magenb. ad Ord. Cam. p. 3. tit. 16 p 396.*

Addit.

An Rotulus ad Cameram tranſmiſſus, ſi ex Archivo repoſcatur, ad nuda narrata ſine ulteriori indagine, an & ad quid repoſcens opus habeat, reſtituendus?

Reſp. Repoſcentem Rotulum documentum afferre debere à Judice coram quo lis pendet, cauſam eſſe cœptam, & atteſtationibus opus eſſe, vel partem adverſam in editionem conſentire; *quod Deput Rec eſſ.* 1600. §. Alsdann ſollen die *commiſſiones.* 31. *confirmatum*; tum quia atteſtationes, i.e. teſtium dicta utriusque partis communia ſunt.

Quænam ſint partes Commiſſariorum in expedienda commiſſione?

Commiſſariorum partes ſeu officia in expedienda commiſſione obſervanda recenſet *Roding. augment. lib 3. tit. 14 p m 184 & ſeqq.* (1) Commiſſionem à Pedello ſeu nuncio Cameræ eam inſinuante reverenter recipit. (2) Teſtes citat per nuncium ad hanc commiſſionem ſpeciali juramento obſtrictum citatione in ſcriptis ſub manu & ſigillo ſuo. (3) Citationi adjungit memoriale ein Gedenck Zettul ad quemlibet teſtium. (4) Parti producenti diem, in quo examen inchoabitur per literas certificatorias ſignificat, eumque ut adſit monet. (5.) Parti adverſæ ad videndum produci & jurare teſte adenunciat, copiam commiſſionis & articulos ad formandum interrogatoria tranſmittit. (6) Si teſtis unus aut alter in comparendo contumax fuerit, ad implorationem producentis pœnale monitorium ſeu ſecundam citationem pœnalem, procedendo ad mulctam emittit. (7) In actu examinis Commiſſarius nudato capite in honorem Cæſareæ Majeſtatis ſtando commiſſionem publicat. (8) Ipſemet vel per Notarium commiſſionis partibus jam prælegit. (9) Si prima dilatio jam dum exſpiraverit, & ſecunda conceſſa ſibique inſinuata ſit, ut examen ſubſiſtat & illam partibus ex ſcripto recitat (10) Notarium commiſſioni adjunctum juramento obſtringit. (11) Mandatum à producentis Procuratore productum parti adverſæ ad recognoſcendum exhibet; ſi nihil opponatur, quod relevat (12) Catalogum productorum teſtium ex ſcripto recitat, ſciſcitaturus an omnes comparuerint. (13) A partis adverſæ Procuratore mandatum (quod parti producenti ad recognoſcendum ſimul exhibet) & interrogatoria recipit; Si pars adverſa non examinando procedit (14) Teſtes in præſentia utriusque partis juramento obſtringit vel actu uno vel diſtinctis, ſc. ſi teſtes alicujus dignitatis cum ruſticis ſint producti, hoc enim caſu digniores actu ſeparato, & poſtmodùm ruſticos jurare facit. (15) Si exceſſivus teſtium numerus ſit ſuperfluos rejicit. (16) Loca oculari inſpectioni commiſſa inſpicit, & teſtes atque artifices, quibus indiget, ſibi adjungit. (17) Documenta, Regiſtra & ſcripturas, ſi hoc commiſſioni inſertum ſit, tranſumit. Et (18) ex his actibus omnibus & ſingulis in codicem eo ordine, uti numerantur, collectis rotulum conficit, confectum claudit, & ſigillo munitum producenti impertitur in Camera exhibendum.

An examen teſtium poſt elapſas dilationes expeditum, maximè verò ubi nulla alia dilatio ulterior, aut prorogatio locum habere poteſt, ſed terminus ad producendum rotulum præfixus ſuit, ſit ſuſtinendum?

Diſt. Aut teſtes durante adhuc aliquâ dilatione juraverunt, aut non. Priori caſu, licet poſteà examinari vel examen perfectum fuerit, examen & dicta teſtium ſubſiſtunt, quod approbatum *in Deput Rec Anno* 1600. Auch ſoll *fol. 436. in fin* Poſteriori non æquè; quia poteſtas Commiſſarii circa hæc jam expiravit, & ſic teſtes ſine ulla Juriſdictione examinati fuerunt, *Schwan. 1. P. C. cap. 46. n. 47. & ſeq. Concept. Ord. Cam. p. 3. tit. 21. §. 5.*

An nova dilatio dari poſſit, ſi incuriâ Iudicis vel Commiſſarii examinatio teſtium intra præſcriptum tempus non ſit abſoluta?

Neg. *Magenb ad Ord. p 3. tit. 16.* Sed hoc caſu debet reſtitui tantummodò ad tempus amiſſum, *l ſed etſi per Prætorem. 26. § ſi feriæ 7. ff. ex quib. cauſ maj.*

An quarta dilatio per noviſſ. Imp. Receſſum ſit ſublata?

Aff. Qui ſolennitates in quarta obſervari ſolitæ, *per d Receſſ §.* Den *punctum probationum* 44. in tertiam rejectæ ſunt, (2) Quia nulla alia dilatio poſt quartam anteà dabatur, ſed ſolùm ejus prorogatio. *Deput. Rec* 1600. *§* Ob wohl in unſerer. 137. *Com Decret.* 1593. 13. *Decembr.* Ergò nec poſt tertiam quarta dilatio locum habebit, quia ut dictum omnes ſolennitates ad tertiam ſunt reductæ, *d. Rec.*

TAB. VIII tractat de Proceſſus proſecutione. *Proſecutio*, quâ Proceſſus cauſæ præparatoriis inchoatus perficitur, *conſtat*

- 1. *Diſceptatione partium*, quæ cum uno atque continuo termino expediri nequeat, certis terminis diſtinguitur, qui obſervantur in *Proceſſu*
  - *Ordinario*, qui eſt vel in *inſtantia*
    - *Primâ*, ſeu *ſimplicis querelæ*, ubi in
      - *Primo termino*, quem citationis vocant, conſideratur *officium*
        - 1. *Actoris*, qui
          1. Citationem cum relatione tabellarii de inſinuatione facta reproducat, *Ord. p. 3. tit. 12. in pr. & tit. 61. §.* Und was erſtlichen.
          2. Procuratorem ſuum legitimet, quod fit per mandatum Procuratorium, quod Procurator in hoc primo termino præciſè producere, vel de eo impetrando cavere debet ſub præjudicio circumductionis termini. *Deput. Rec.* 1600. *§.* Weniger nicht. 69 *& Rec.* 1654. §. So dann. 36. Hodiè tamen *juxta Com. Decret.* 1659. 13. *Decembr.* § 5. citato tantum de procuratorio intra duos vel tres menſes impetrando cavere, non autem citanti permittitur.
          3. *Juxta Rec.* 1654. §. Dieſem nächſt. 29. Libellum ſummarium, in quo factum breviter, nervoſè & diſtinctè, ſive narratione continua, ſive punctuatim proponitur, producat annexâ citatione partis citandæ aut condemnandæ. Hodiè pro præfixione termini legalis utrique parti communis ſemper ſupplicandum *ſecundum Com. Decret.* 1659. 13. *Decembr.* §. 4.
          4. Impetratam citationem æquè ac libellum parti adverſæ inſinuet, *Rec.* 1654. §. Benebens bleibt. 29.
          5. Probatoria pro maturanda cauſa ſtatim in extrahendis proceſſibus ſupplicationi adjungere, vel etiam in hoc primo termino producere poteſt, eorum cognitionem petendo, *d.* §. 29.
          6. Juramentum calumniæ, ſi ad petitionem partis vel alias injunctum fuerit, præſtet. *d. Rec.* §. Über dieſes. 37.
        - 2. *Rei*, qui vel
          - *Non comparet*, & tunc contra eum *Proclama* petitur, & in cauſa principali proceditur, alteris duabus viis, ad pœnam banni & immiſſionem ex primo & ſecundo Decreto, rejectis. *d. Receſſ.* §. Würde hierauff. 30 *junct. prime.* § *ſeq.*
          - *Comparet.* Tunc ſi
            - *Paratus eſt* per Procuratorem legitimarũ & de rato caventem
              1. Specici facti breviter, nervoſè & diſtinctè contradicat, in qua parte factum aliter, quàm ab Actore prolatum ſpecificè allegat, & omnis hoc primo termino ſub pœna præcluſionis producat, *d. Receſſ.* §. Es ſolle. 31. *Verſ.* Wann.
              2. Exceptiones in hoc primo termino nã vice ſummariè, oretenus vel in ſcriptis producat, ſi enim quædam omiſſæ fuerint, via eas poſtmodùm proferendi præcluditur, *d. Receſſ.* §. Es ſolle auch. 31. *cum duob. ſeqq.*
              3. Exceptionibus dilatoriis eventualem litis conteſtationem ſub præjudicio confeſſatorum adjungat, ſolo puncto competentiæ per exceptiones fori declinatorias impugnato excepto. *d. Rec.* §. Es ſolle auch. 31. *&* §. Und hat. 34.
              4. Si exceptiones manifeſtè frivolas objiciat, pro arbitrio Judicis in pœnam aliquot marcarum auri vel argenti condemnabitur, *d.* § Und hat der. 34.
              5. Documenta ſeu probatoria, quæ ſi
                - Ipſi cum citatione inſinuata fuerint, tunc adverſus ea excipiat.
                - In primo termino prius producantur, ea recognoſcat, *d. Rec.* §. Hatte dann. 23.
            - *Non paratus*, tunc ob cauſæ gravitatẽ coram deputato ſe excuſare & prorogationem termini ſine dolo tamẽ petere poteſt, *d. R.* § Wäre es dann. 35.
      - *Secundo termino* Actor, ſi in primo termino exceptiones ſuas Reus produxit, replicat, & quod Reus negat, probat. Niſi Reo prorogatio propter cauſæ gravitatem conceſſa fuerit; quo caſu Reus in hoc termino exceptiones proponit, probationes producit & reconventionem inſtituit, *Rec.* 1654. §. Wann nun. 39 *&* §. *ſeq.*
      - *Tertio termino* (ſive reſpectivè quarto termino, ſi ſcil. Actori prorogatio conceſſa fuerit) Reus duplicat, & ſi quid ipſi Actor negaverit, probat, *d. Rec.* §. Deßgleichen. 42. Item Commiſſarios nominat, *d. Rec.* §. Dahero und wann. 41.
      - *Quarto termino.* Si
        1. Si probationes ductæ, Rotulus proferatur, publicetur ac communicetur. *d. Rec.* §. Nach Verſcheinung. 48.
        2. Onus probandi Actori impoſitum non eſt, aut probatione opus non fuerit, Reus concluſiones in ſcriptis producere, & utraque pars concludere tenetur, *d. Rec.* §. Wie auch in dieſem Fall. 49.
      - *Quinto termino*
        1. Reus ad productum Rotulum ſeu reliquas probationes, ſi volet, excipit *d.* §. Nach Verſcheinung. 48.
        2. Actor idem facit, ſi Reus reprobatoriali examine uſus fuerit, & Rotulum ſeu alia documenta produxerit, *d.* § 48. Ad publicatas atteſtationes duo ſcripta, utrique parti unum, cum quo ſimul concludat, permittuntur: Nimirum, ſi probationes judicialiter productæ, Reus in hoc termino, qui computatur à tempore obtentæ copiæ, ſuas exceptiones omnes contra perſonas & dicta teſtium proferre debet, §. Und demnach. 50.
      - *Sexto termino*, Actor ſub præjudicio præcluſionis replicare & ſic utraque pars concludere tenetur. Niſi Judex utrique parti adhuc terminum propter cauſæ gravitatem concedat, *d. Rec.* § Ebenmäſſig. 51.
    - *Secundâ*, ſeu in *Appellatione*, ubi in
      - *Primo termino* conſideratur *officium*
        - 1. *Appellantis*, qui
          1. Statim in libello, niſi dilationem impetraverit, *d. Rec.* §. Woſern aber. 60 gravamina *in margine notata juxta noviſſ. Com. Decret.* 1659. 13. *Decembr.* (1) in quo ſe gravatum ſentit, (2) quæ in ſecunda inſtantia melius probare, & (3) noviter deducere contendit, cum ſupplicatione exhibere, eaque omnia Appellato inſinuare debet, *d. Rec* § Zu Beförderung. 58.
          2. Compulſoriales unà cum Proceſſibus in Camera rogare & Acta requirere ſeu documentum factæ requiſitionis intra diem XXX. à die Appellationis in ſupplicationibus pro Proceſſibus adjungere, & in hoc termino ſub pœna deſertionis producere debet, *d. Rec.* §. Deßgleichen. 54.
          3. In tempore, currentibus ſcil. fatalibus, prorogationem petere debet, *Rec.* 1594. §. Wann auch befunden wird. Hodie fatalia non facilè ultra 2. vel 3. menſes prorogantur, *Rec* 1654. §. So dann. 61.
          4. Juramentum de non frivolè appellando præſtare ſub præjudicio deſertionis, Advocatus verò cauſæ ſub præjudicio mulctæ unius marcæ auri mandatum ſpeciale ad jurandum per Procuratorem producere cogitur, *d. Rec.* § Zumahlen aber. 115. *&* § Wie ebenmäſſig. 67.
        - 2. *Appellati*, qui
          1. Intra 60. dies comparere & reſpondere tenetur, *d. Rec.* §. Würde hierauf. 30.
          2. Exceptiones ſuas omnes, non devolutionis, deſertionis &c. ſummariè, oretenus vel in ſcriptis ſub præjudicio præcluſionis viæ hoc primo termino proferre debet, *d. Rec.* §. Wäre es dann 32.
          3. Si exceptiones dilatorias manifeſtè frivolas objecerit: in pœnam aliquot marcarum auri vel argenti pro arbitrio Judicis condemnatur, *d. Rec.* § Und hat der Beklagte. 34.
          4. Exceptionibus dilatoriis eventualem litis conteſtationem ſemper adjungere tenetur, exceptis declinatoriis, *d.* § 34.
          5. Reſponſiones ad libellum ſummarium breviter, nervoſè, diſtinctè & punctuatim, ut Judex ex iis cognoſcat, ex qua parte ſpecies facti, ab Actore propoſita, labaſcat, proponere debet, *d. Rec.* §. Es ſolle. 31. *&* §. 35.
          6. In Appellationibus ab interlocutoriis ſimplicibus, exceptionibus contra formalia aut devolutionem aliiſve dilatoriis eventualem litis conteſtationem ſemper annectere debet, *Rec.* 1570. §. Aber in Appellation. 92.
          7. Si Appellans ad Acta priora ſubmiſerit, eodem modo in hoc termino ſubmittat. Niſi nova deducere contendat, *d. Rec* §. Auch in Fällen. 65. quo caſu etiam juramentum calumniæ præſtare ſub pœna deſertionis, Advocatus verò cauſæ ſub pœna unius marcæ auri mandatum ad jurandum per Procuratorem exhibere tenetur, *d. Rec.* §. Zumahlen aber. 112.
      - *Secundo termino & reliquis idem, quod in cauſis ſimplicis querelæ obſervandum. d. Rec.* §. Im übrigen. 66.
  - *Speciali*, qui in pleriſq; cauſis obſervatur, quæ ſuâ naturâ ad Cameram pertinent, ut ſunt *Proceſſus*
    - *Cauſarũ mandatorum*, de quibus in
      - *Genere* proponuntur quædam *Imperii Conſtitutiones*, quæ ad omnes mandatorum cauſas pertinere videntur, de quibus vide *Rec.* 1600. §. Im Fall da. 56. §. Dieweil auch. 57. *&* §. Ob wohl auß. 60.
      - *Specie agitur de mandatis*
        - 1. *Cum clauſula*, ubi
          - *Reus*, ſi
            - *Compareat*, non ſolùm brevem, nervoſam & ſummariam deductionem juris ſui, ſed & exceptiones ſeu cauſas, cur mandato parere non teneatur, in primo termino exhibere debet, *Rec.* 1654. §. 75.
            - *Non comparet*, nec mandato paruerit, tunc præmiſſo proclamate & elapſis ſex Juridicis directè in pœnam mandato inſertam declarari debet.
          - *Actor* exceptionibus à Reo in primo termino oppoſitis vel eodem per generalia contradicere vel ſecundo termino replicare tenetur. Poſteà verò conceduntur Reo duplicæ, triplicæ autem in Mand. C. C. non admittuntur. Hodiè Proceſſus Mand. C. C. quoad probationes *per Rec* 1654. §. Imgleichen. 76. Proceſſui ſimplicis querelæ adæquatus eſt.
        - 2. *Sine clauſula*, ubi
          - *Reus*
            1. In primo termino vel de reali paritione docere vel exceptiones producere debet, *d. R.* §. Auf den Gegenfall. 71.
            2. Si exceptiones irrevelantes & frivolas opponat, non ulterior terminus præfigendus eſt, ſed ad parendum per ſententiam condemnandus, *d. R.* §. 70.
          - *Actor*, ſi exceptiones revelantes ſint, in ſecundo termino ad replicandum per interlocutoriam admittitur. *d. R.* §. Auf den Gegenfall. 71.
    - *Cauſarũ fractæ pacis*, &c. Tab. ſeq.
- 2. *Concluſione, Deciſione & Executione* Tab. ult.

An, ſi inter Actorem & Reum pendente termino citationis tranſigatur, edictum ipſo jure circumducatur?

Reſp. Edictum circumduci quoad Reum, quem amplius non coarctat ad comparendum. Quia ex quo cauſa eſt finita, lex videtur eum licentiare & dimittere. *Magenb. ad Ord. p. 3. tit. 11. §. Item* wann die *Procuratores. p. 353. Myns. cent. 4. Obſ. 47. n. 1.*

An Judæus per Procuratorem Chriſtianum jurare poſſit?

Neg. Sed Judæus vel in perſona juret, vel alium Judæum ad hoc ſpeciale mandatum habentem conſtituat. *Ita factum 15. Ian. Anno 51. in cauſa* Geumundt *contra Iacob* Juden.

An hodiè Procuratoris mandatum morte principalis extinguatur?

Neg. Quia hodiè *juxta Receſſ. 1654. §.* Damit auch 93. mandata procuratoria in hæredes de neceſſitate concipi debent, & ſubſtitutio in mandato, in caſu mortis, in alium procuratorem fieri debet *§.* Als auch 94. *d. Rec.* Et ſic *juxta d. Rec. §.* Und demnach. 95. Procuratores Cameræ generali mandato, quod ad omnes cauſas præſentes & futuras directum eſt, inſtructi comparere tenentur, nec facile admittuntur cum ſpeciali mandato; niſi ſubſtituto ex relevantibus cauſis in ſpecie cauſam principalis committere vellet, aut res ſpecialius mandatum requirat, *d. §.* und nach dem. ut juramenti calumniæ præſtatio in cauſis ſimplicis querelæ *&c. §.* über dieſes. 37. *d. Rec.*

Forma Procuratorii, quâ hodiè in Camerali Judicio utuntur, talis eſt.

Wir Endts underſchribene thun kundt und bekennen mit dieſem offenen Brieff/ daß für uns und unſere Erben/ zu Vollführung unſer an dem Hochlöblichen Kayſerlichen Cammergericht zu Speye hie vorigen/ jetzigen und zukünfftigen Rechtsſachen/ gegen wem wir die haben/ und überkommen mögen/ jetzo zu unſerem/ und nach unſerem Tod/ unſerer Erben unzweiffentlichen Redneren und Anwald den Edlen Veſt und Hochgelehrten Herren (hic inſerendum nomen Procuratoris) Beyder Rechten Doctoris aut Licent. und des Hochlöblichen Kayſerlichen Cammergerichts Advocaten und Procuratoren, und Falls derſelbe etwan frühzeitig mit Tod abgienge/ gleichesfals den Edlen/ Veſten und Hochgelehrten Herren (hic inſerendum nomen Subſtituti, quem pars, in cujus arbitrio hoc eſt, eligit) Kayſerlichen Cammergerichts-Advocaten und Procuratorem, als deſſen ſubſtituirten Anwald/ conſtituirt, beſtellet und benennet haben/ alſo und dergeſtalt/ daß wir zu forderſt alles und jedes/ was durch jhn und andere Anwäld/ oder ſonſten in angeregten Sachen von unſernt wegen gehandelt worden/ ratificiren, und daß darauf derſelbe/ wie auch auf deſſen tödtlichen Hintrit/ vorbemelter (hic repetatur nomen ſubſtituti) als in caſum mortis ſubſtituirter Anwald in allen angezogenen Sachen activè und paſſivè, bey unſerem Leben in unſerem/ und nach dem Todt/ unſerer Erben Nahmen erſcheinen/ allerley Proceſs auß- die wiedereinbringen/ fori declinatorias, und andere Exceptiones übergeben/ libelliren/ litem conteſtiren/ articuliren/ reſpondiren (juramentum veritatis, calumniæ, malitiæ, dandorum, reſpondendorum, in litem affectionis, æſtimationis, purgationis, in ſupplementum probationis, Expenſarum, damnorum & intereſſe, quartæ dilationis, ejuſdemque prorogationis, auch einem jeden andern ziemlichen im Rechten zugelaſſen/ und mit Urtheil aufferlegten Ayd/ etiamſi litis deciſorium fuerit in unſerer und reſpectivè unſerer Erben Seel. erſtatten) allerley Beweiß führen/ Derentwegen alle Nohtdurfft verhandlen/ dieſelbe eviren wider die Gegen-Beweis excipiren/ ſigilla & manus recognoſciren/ oder diffitiren/ in contumaciam procediren/ dieſelbe purgiren/ zu Bey und End-Urtheil zu ſchlieſſen die zu eröffnen bitten/ anhören/ annehmen/ darwider auch reſtitutionem in integrum (ſo vonnöhten) begehren/ Expenſas, damna & intereſſe deſigniren/ zu taxiren bitten/ und dieſelbe/ auch was in der Haupt-Sachen taxirt und erkennet/ erheben/ annehmen/ darfür quitiren/ in executionem activè procediren/ biß zu endlicher Vollſtreckung der Urtheil/ auch paſſivè, da die Urtheil uns/ oder reſpectivè unſern Erben zuwider ergienge/ und darauff wider uns/ und unſere Erben in executionem procedirt würde/ in unſerem und unſerer Erben Nahmen alle Nohdurfft/ biß zu endlicher Erörterung des puncti Executionis verhandlen/ einem un Affter Anwäld/ ſo offt es jhnen beliebt/ ſubſtituiren/ revociren/ auch alles anders thun und laſſen ſoll was wir/ oder nach unſerem Tod unſere Erben ſelbſten zugegen jederzeit handlen/ thun und laſſen ſolten/ köndten oder möchten/ und da nachernanter alſo conſtituirter Anwald und Subſtitut eines mehrern Gewalts als hierin begriffen/ bedürfftig wäre/ oder ſeyn würde/ denſelben wöllen wir in unſeren/ und unſerer Erben Nahmen hiermit am aller kräfftigſten und beſtändigſten/ daß Vermög der Rechten ſtylo hochberühmten Cammergerichts beſchehen ſoll/ kan oder mag/ auch gegeben haben/ und was alſo mehrermelter Anwaldt (hic repetatur nomen Procuratoris) und nach ſeinem Tod der ſubſtituirte und jhre Affter Anwälde in unſerem/ und unſerer Erben Nahmen handeln/ thun und laſſen werden/ das verſprechen wir für uns und unſere Erben ſtett/ feſt/ und unverbrüchlich auch beyde Anwälde und jhre ſubſtituirte aller Bürden der Rechten/ præſertim Satisdationibus de Judicio ſiſti & judicatum ſolvi, zu entheben/ und allerdings ſchadloß zu halten/ bey habhaffter Verpfändung unſerer jetziger/ und unſerer Erben nachlaſſender Haab und Güter/ ſo viel deren jederzeit hierzu vonnöhten ſeyn werden/ deſſen zu wahrem Urkundt haben wir diß mit unſerem gewöhnlichen Signet wiſſentlich bekräfftiget/ und mit eigenen Händen underſchrieben. Geſchehen etc.

Subſcribatur & ſubſignetur cum die & Conſule.
Si unus eſt qui Procuratorem conſtituit, numerus pluralis in ſingularem mutabitur.

Formam ſpecialis mandati ad præſtandum juramentum Calumniæ in Cauſis ſimplicis Querelæ ſuppeditabit Rod. augment. lib. 3. tit. 30. pag. 742. & ſeqq.

An appellans actionem novam inſtituere poſſit?

Neg. *Per c. cum Ioannes ubi Gloſſ. in verb. pendebat X. de fide inſtrument. & l. per hanc. Cod. de temp. appellat. add. Magenb. ad Ord. p. 3. t. 33. p. 450.*

An appellans non comparens, appellato appellationem proſequente, faciente eum citari & contumacem pronunciari, poſtea comparens poſſit proſequi?

Aff. *Magenb. ad Ord. p. 3. t. 44. p. 483.*

An appellatus acta ſuis expenſis redimere teneatur è Cancellaria, ſi appellans in actorum communicationem conſentire nolit?

Aff. *Et ita judicatum in cauſa* Berthold Halb*banns contra* Rüdingeren *teſtatur Magenb. ad Ord. p. 3. t. 31.*

An valeat Proceſſus, ſi objecta fuerit deſertionis exceptio, & Judex eâ non obſtante pronunciaverit ſe competentem?

Neg. *Magenb. ad Ord. Cam. p. 2. tit.* 30. Quia Judex appellationis eâ deſertâ, judex eſſe deſinit. Deinde quia non eſt judex, niſi in cauſa ad eum devoluta; Deſertio verò impedit devolutionem.

Si appellatus nihil opponat deſertioni, ſed prorſus punctum appellationis omittat, & in cauſa principali procedat, an Camera hoc caſu in cauſa principali judicare poſſit?

Neg. Quia, ut modò dictum, principalis cauſa hoc caſu non eſt devoluta. *Magenb. ibid.*

An libello ſcilicet à parte impetrantis, in mandatis C. C. opus ſit?

Neg. *Per concept. Ord. Cam. p. 3. tit. 42. §. final.* Quia citatus exceptiones & cauſas, quare mandato parere non teneatur, in I. termino producere debet. *Schwan. Obſ. 112. n. 4. & 1. P. C. 41. n. 12. & 2. P. C. 15. n. 1.*

An mandata S. C. ante paritionem Exceptiones ſub- & obreptiones admittant?

Aff. *Gail. 1. obſ. 14. n. 1. & 2. add. Rec.* 1654. §. Auf den Gegenfall. 71. & §. Auf daß auch. 133.

Si Reus in 1. termino in Mandatis S. C. neque de paritione doceat, neque exceptiones producat, ſed tantùm terminum ad excipiendum petat, an ulterior terminus ſit admittendus?

Reſp. Ulteriorem terminum, quàm qui mandato inſertus eſt, non niſi ex relevantibus cauſis admittendum eſſe. Quæ ſententia recepta & confirmata eſt in Deput. *Rec.* 1600. §. Ob wohl in allen. *fol.* 19. *Schwan. Obſ. 117. n. 6. & 2. P. C. 17. n. 12.*

TABULA IX. agit de ſpeciali Proceſſu

Cauſarum fractæ pacis profanæ. Ubi duplex punctus conſiderandus:
- *Mandati*, ubi non ſecùs proceditur, atque in aliis mandatorum cauſis.
- *Citationis*, ubi libellus producendus, vel narrata citationis ſunt loco libelli repetenda, animo litem affirmativè conteſtandi, cum petitione declarationis pœnæ banni. *Rod. lib. 3. tit. 42.*

Cauſarum purgationis, cujus:
- *Definitio, cauſa purgationis* eſt, quâ ex indiciis, famave fractæ pacis opisve auxiliique præſtiti ſuſpectus, nec tamen convictus, ſe crimine ſenatusconſulto purgare cogitur, *Rod. d. l. tit. 43. add. Ord. p. 2. tit. 10. in princ.*
- *Proceſſus à citatione initium ſumit*: Cujus ſpecialia ſunt, quòd:
  1. Priusquàm decernatur, juſtæ ſuſpicionum cauſæ judici articulatim ſint exponendæ, *Ord. p. 2. tit. 11.* § Und ſoll in ſolchen Sachen.
  2. Suſpicionis articuli citationi inſerendi ſint, quos vulgò purgatorios ſeu purgatoriales appellant, *Ord. ibid.*
  3. Fidem publicam ſeu ſalvum conductum contineere debeat, *Ord. ibid.*
  4. Reo imperet, ut (niſi Princeps ſit) coram adſit & reſpondeat, & deinque jurejurando ſe purget. Princeps autem per Procuratorem comparere jubetur, *Ord. ibid.*
  5. Si Reo citatio nec coram ſub oculis, nec abſenti domi rectè inſinuari queat, duobus tribunalibus ſoloris, qui oportuniores videbuntur, affigatur. *Ord. ibid. add. Denaiſ in jur. Cam. tit. 253.*

Cauſarum fiſcalium, quæ ſunt vel:
- *Ordinaria*, in quibus ordinariâ viâ, i. e. Juris ordine obſervato per citationem & libellum proceditur: Quales ſunt *cauſæ fractæ pacis, exemtionum, pœnales & aliæ*, *Gail. 1. Obſ. 20. num. 5.*
- *Extraordinaria*, in quibus celeriter & de plano extra juris ordinem proceditur, nullâ citatione præviâ, exigendo ſolùm, compellendo & exequendo, *Vid. Marant. p. 6. de citat. n. 6. & Rec. 1654.* § Dieweil auch 86. *add. Rod. lib. 3. tit. 44.*

Cauſarum litigioſæ poſſeſſionis, ubi judicii poſſeſſorii retinendæ poſſeſſionis —
- *1. Diviſio in judicii:*
  - *Ordinarium*, in quo juris ordine obſervato proceditur, & principaliter atque abſolute de poſſeſſione partium diſceptatur, plenæque probationes requiruntur, *Gail. 1. Obſ. 7. num. 1. 2. & ſeq.*
  - *Extraordinarium ſeu ſummarium & momentaneum*, in quo nullo juris ordine ſervato ſummariè & celeriter proceditur, & probationes ſemiplenæ recipiuntur, & ad eum finem potiſſimùm inſtituitur, ne lite diu pendente, partes ad arma veniant, *Ord. p. 2. tit. 21. Gail. d. Obſ. num. 5. & 6.* *Momentaneum* ita dictum, quia ſententia lata non perpetuum, ſed momentaneum & reparabile præjudicium adfert, quod in ordinario poſſeſſorio reſtaurari queat, & neutri parti, tàm in poſſeſſorio ordinario, quàm petitorio præjudicialis.
- *2. Proceſſus hoc modo inſtituitur:*
  1. Inhibitione vel ſequeſtratione contra utramque partem ex officio ſcil. vel alterutrâ parte poſtulante decretâ & factâ, utrique parti injungitur, ut in Camera conſtituto termino compareant, & jura ſua ſummatim & per articulos proponant, & ſimul nominationem teſtium atque Commiſſariorum proferant, *Gail. 1. obſ. 6. n. 1. 2. 3. & ſeq.*
  2. Exhibitis hoc modo articulis poſſeſſoriis, factaque nominatione Commiſſariorum & teſtium, quæ unà cum articulis exhiberi ſolet, nulla fit partibus actorum ſeu ſcriptorum prolatorum communicatio, copiæ ſeu exempla non decernuntur, reſponſiones ad articulos non exiguntur, litis conteſtatio nulla fit, non juratur de calumnia, nominati Commiſſarii deputantur, Commiſſio in communi forma decernitur, & certum tempus pro qualitate perſonarum & cauſarum, pro omni dilatione aſſignatur, *Gail. d. Obſ. 6. num. 3. Ruland. de Commiſſ. lib. 2. cap. 8.*
  3. Atteſtationibus utrinque exhibitis, nulla earum publicatio fit, ſed in cauſa ſtatim concluditur, & tandem ſuper momentaneo poſſeſſorio in favorem ejus, qui meliùs probavit, pronunciatur, ſalvo ordinario ſeu plenario poſſeſſorio & petitorio coram Judice competente inſtituendo, *Gail. d. Obſ. num. 4.*

Cauſarum relaxationis juramenti ad effectum agendi. Ubi —
1. Camera poſtulatos proceſſus citationis ſtatim non decernit, ſed ad Magiſtratum primò ſcribit, ab eoque petit ſe de qualitate cauſæ informari & ad informandum certum tempus præfigit, cum annexa comminatione: niſi intra tempus præfixum informatio illa ſubſecuta fuerit, fore ut proceſſus poſtulati & decreti emittantur, *Gail. 1. Obſ. 22. num. 4. & 7. Rod. lib. 3. tit. 46.*
2. Judex de qualitate facti edoctus informationem acceptam ſupplicanti communicat, & ſi probabiliter eam refutare queat citationem petitam, vel mandatum decernit, ſi minus, citatio negatur. *Gail. ibid.* Atque hæc extrajudicialiter in Senatu peraguntur.
3. Decreta citatio (ad videndum &c.) in Camerali Cancellaria per Protonotarios expeditur, & per Nuncios juratos inſinuatur. Quo facto, *Actor* eam in termino, citationi inſerto, per Procuratorem conſtitutum judicialiter reproducit, comparitionem citati præcepturus. *Reus* ſive citatus comparens cum proteſtatione ſolita, petit productorum copiam, ulteriora expectando. *Actor* comparitionem extra proteſtationem in jure acceptans, copias admittit, & *vel libellum* exhibet, & litis conteſtationem ab adverſario requirit, vel producit *implorationem* nobilis officii Judicis pro facienda relaxatione juramenti ad effectum agendi. *Schwan. lib. 2. Proc. Cam. cap. 21. num. 4. & 5.*
4. Reus copiam & terminum trium, quatuorve menſium petit, intra quem deinde exceptiones ſuas contra implorationem offert.
5. Actor ad exceptiones, nullâ litis conteſtatione interveniente, per generalia vivâ voce plerumque concludit, *Gail. 1. (Obſ. 23. n. 2.*
6. Latâ ſententiâ *ſuper relaxatione juramenti*, opus eſt novâ citatione in cauſa principali, ratione injuriæ vel damni dati. *Gail. 1. Obſ. 24. num. 4.*

Cauſarum pignorationum, ubi duplex Proceſſus.
1. *In puncto mandati ſeu paritionis*, ubi:
   1. Pignorans (qui Actor dicitur in puncto paritionis) in termino præfixo comparet, & mandatum cum reſcripta nuncii executione per Procuratorem ſufficienter legitimatum reproducit, & paritionem doceri vivâ voce petit. *Schwan. 2. P. C. 18. num. 3.*
   2. Pignoratus ſeu citatus ſimiliter comparet, & vel:
      - Mandato obtemperat; & tunc (præſtita à pignorato cautione de repræſentando) paritionem docet vel inſtrumento publico, vel quietantia pignorati, mit des gepfändeten außgegebenen Quittung / aliove documento.
      - Contra mandatum excipit, & cauſas, quare parere non teneatur, producit, caſſationemque mandati & expenſas petit.
   3. Pignoratus contra oppoſitas exceptiones, narrata mandati totaliter repetit, &, quia non excipiendum, ſed parendum, declarationem mandato inſertæ urget cum refuſione expenſarum, damnorum & intereſſe, deſuper ſubmittendo, *Schwan. d. l. num. 6.*
   4. Pignorans repetit ſuas exceptiones, quas aſſerit revelantes & ſimiliter ſubmittit. Quâ ſubmiſſione factâ Judex, ſi exceptiones oppoſitas quodammodo relevantes deprehenderit, interloquitur. Ad ejusmodi interlocutionem, *in puncto mandati, ſeu paritionis latam*, pignoratus intra terminum *Replicas* exhibet, pignorator *Duplicas*, & factâ utrinque concluſione, relatisque à Judice actis, *mandatum vel caſſatur* cum expenſis, vel *paritio docenda*, per ſententiam decernitur & injungitur, *Schwan. d. l. num. 7. Gail. 2. de pignorat. Obſ. 13. num. 5. & 6.*
2. *In puncto citationis*, ubi Pignorator ſive citatus (qui Actor in hoc puncto citationis dicitur) in termino comparet & cauſas pignorationum (quas *cauſales* in foro appellant) articulatim libello proponit, inque eo deducit, ſe jus pignorandi in tali loco ultra 10. 20. 30. 80. pluresque annos, ultra hominum memoriam continuè habuiſſe, atque etiam nunc habere, actusque pignoratitios à ſe exercitos recenſet, ſeque in poſſeſſione vel quaſi juris pignorandi defendi petit. In hoc puncto eodem modo ut in paritionis proceditur, *Schwan. 2. P. C. 18. n. 12. add. Rec. 1654.* Auf daß auch. 133. *& ſ. ſeq.*

Cauſarum L. diffamari. Ubi duplex Proceſſus vel —
- *Diffamationis*, ubi Diffamatus tanquam Actor ſummariam petitionem exhibet, in qua diffamationem deducit, petitque diffamanti tanquam Reo, terminum ad probandum ſuam diffamationem hic, aut in foro ordinario præfigi, vel in contumaciam non agentis ipſi perpetuum ſilentium dictari, *Gail. 2. Obſ. 12. Mynſ. cent. 3. Obſ. 78.*
- *Actionis*, ubi legitimo juris ordine proceditur, non ſecus atque in cauſis ſimplicis querelæ.

Nullitatis, ubi nullitas & iniquitas in uno eodemque libello alternativè tamen deduci, vel citationis narrata loco libelli repeti debent, ita nimirum ut primò ſuper nullitate, eo verò deficiente, ſuper Proceſſûs & ſententiæ iniquitate pronunciari petatur, *Ord. p. 3. tit. 34. per tot. Mynſ. cent. 4. Obſ. 63. in pr.*

Reconventionis, Reconventio fieri debet aut ante litis conteſtationem, aut ſtatim poſt litis conteſtationem; vel ſaltem ad proximam vel ſecundam Audientiam, quo utroque caſu cauſa con- & reconventionis ſimultaneo proceſſu expediri debet, *Ord. p. 3. tit. 30. per tot. Mynſ. cent. 1. Obſ. 10.*

Contumaciæ. Ubi agitur —
1. *De contumacia ipſa*, quæ accuſanda eſt, aliàs non nocet. *Eſt que vel:*
   - *Præſentium*, qui vel ipſi, vel per Procuratorem in judicio comparent, ſed id, quod agendum eſt, non agunt. Olim contumaces in non agendo, non niſi damnis & expenſis refuſis ad cauſam proſequendam admittebantur, *Ord. p. 3. tit. 41. in pr.* Sed hodiè, quia omnis terminus eſt præjudicialis, *juxta Rec. 1600.* § Demnach aber 88. contumaces ad agendum ea, quæ in termino neglexerunt, non admittuntur, ſine prævia reſtitutione, etſi expenſas termini refundere vellent.
   - *Abſentium*, qui neque ipſi, neque per alium in Judicio compareant, *Ord. p. 3. tit. 24.*
2. *De Proceſſu contumaciæ*, qui inſtituitur vel *adverſus Actorem* vel *Appellantem*, & *Reum* ſeu *Appellatum*.

An in cauſis fractæ pacis pœna banni, in pœnam pecuniariam converti poſſit?

Aff. *Scipio deciſ. Camer. 15. lib. 3. & Gail. 1. de P. P. cap 16. num. 24.* Quia ex Conſtitutione pacis publicæ *Imp. Caroli V. Anno 1548. promulgata*, ea poteſtas Judici & Aſſeſſoribus Cameræ expreſſè conceditur, ut nimirum, ex juſta cauſa pœnam banni ordinariam, in pecuniariam convertere poſſint. *add. Myns. cent. 2. obſ. 3. & Gail. 1. de P. P. cap. 9. num. 20.*

An in cauſis fractæ pacis articuli Actores in contumaciam Rei non reſpondentis pro confeſſis accipientur?

Reſp. Quamvis articuli in cauſis civilibus poſt litis conteſtationem in contumaciam non reſpondentis pro confeſſis recipiantur: Hoc tamen non procedit in cauſis criminalibus, ut ſunt in Camera cauſæ fractæ pacis, in quibus hujuſmodi articuli non pro confeſſis acceptantur, ſed in contumaciam non reſpondentis ad probandum admittuntur. *Gail. 1. de P. P. cap. 15. n. 1. 2. & 3.* Et lis pro conteſtata acceptatur & via proſecuendi defenſionales æquè in his ac aliis cauſis præcluditur. *Ita pronunciatum in cauſa Piſcatn* und Rabeck. *contra* H. D. 13. *Decembr. Anno 1654. Verba ſententiæ:* Dannen puncto citationis iſt der Krieg Rechtens vor beſeſtiget an; und Gegentheil der Weg *defenſionales* vorzubringen, hiermit benommen, ſondern Klager in fernerer Handlung geſtatten und ſolches *in contumaciam. Rod. augment. lib. 3. tit. 42.*

An in cauſis purgationis articuli in contumaciam non reſpondentis acceptentur?

Reſp. In cauſis purgationis articuli pro confeſſis acceptantur. Ratio differentiæ eſt, quia in cauſis purgationis ficta probatio ad irrogandam pœnam banni in contumaciam ſufficit. Deinde ſententia banni purgationis non tranſit in rem judicatam, ſed interlocutoria eſt. At in cauſæ fractæ pacis non admittuntur probationes imaginariæ, ſed evidentiſſimæ & luce meridiana clariores requiruntur per teſtes omni exceptione majores. Item ſententia tranſit in rem judicatam & eſt definitiva. *Gail. 1. de P. P. cap. 15. n. 32. & 2. de P. P. cap. 8. n. fin. Myns. Cent. 3. Obſ. 52.*

An procuratori fiſci ad probandum ſuam intentionem Reus rationes & inſtrumenta edere teneatur?

Reſp. Procuratorem fiſci privilegiorum & inſtrumentorum editionem, non ſolum à tertiis, verùm etiam ab ipſis Reis conventis, ad probandum ſuam intentionem contra alios, vel contra Reos conventos poſtulare poſſe, *contra textum in l. qui accuſare. 4. Cod. de edendo. & in l. 1. & 2. ff. eod.* Ipſe autem fiſcus contra ſe non tenetur ſua inſtrumenta edere, *per text. in l. in fraudem. 6. neque. ff. de jure fiſci, ubi Gl. Ita obſervatum fuiſſe in cauſa exemtionis Ducum Holſatiæ contra Civitatem Hamburgenſem teſtatur VVurmſ. tit. 20. Obſ. 1. n. 2. add. Gail. 1. obſ. 106. n. 11.*

An citatio partis ſit neceſſaria, quando quis abſolutionem petit à juramento ad effectum agendi?

Aff. *Gail. 1. Obſ. 12. n. 3. & 4.* Quia abſolutio vel relaxatio à juramento ad effectum agendi, cauſæ cognitionem requirit: ſed cauſæ cognitio partis adverſæ præſentiam, quæ per hujuſmodi abſolutionem lædi poſſet, exigit; Ergò citatione opus eſt, *per l. de unoquoque. 47. ff. de re judic. & l. nam ita Divus. 39. ff. de Adopt.* Sed Negat. verior videtur, *quam tenet Myns. cent. 6. obſ. 14.* Quia in hujuſmodi relaxationis actu non agitur de ullo partis adverſæ præjudicio vel periculo, ſed omnia illi jura ſalva & illæſa remanent ad defendendum à petitis per adverſarium: & duntaxat obſtaculum juriſjurandi tollitur, ut libere jus ſuum deducere valeat. Quare ſi pars adverſa potiora jura habebit, nihilominus obtinere poterit: Perinde enim tantùm habetur, ac ſi juramentum non intervenisset.

An veniens contra juramentum defuncti ſit perjurus?

Neg. *Magenhorſt ad Ord. Cam. part. 2. tit. 24. p. m. 297.* Et ſic non opus eſt ejuſmodi relaxatione. *Vid. ang. in l. generaliter. 12. Cod. de reb. credit.*

De Proceſſu cauſarum L. diffamari Sienium.

Quod *actio probatæ diffamationis vel in Cameræ*, ſi diffamatus jurisdictioni camerali in prima inſtantia ſubjectus ſit, cauſæve qualitas ad Cameram rectà pertineat, intra expreſſum tempus ſit proponenda & inſtituenda, ſi verò hoc amittat, jam ei ſilentium imponendum, vel *in Foro diffamati ordinario, ſive competenti*, ſi diffamatus immediatè quidem Imperio ſubſit, ſed ad Cameram in prima inſtantia trahi non poſſit propter auſtregas: Et tunc Camera Imperialis Judex quidem eſt atque manet, quoad præfixionem termini & impoſitionem perpetui ſilentii: Sed cauſam principalem ad Judicem Ordinarium remittit. *Ita cantum in cauſa* Herren N. Graffen zu N. Klagers / wider Herrn B. Biſchoff zu Y. Beklagten *Legis diffamari:* Iſt erkennet / daß die geklagte *diffamation* genugſam dargethan und erwieſen / darauff ermelten Beklagten ſein berühmbte Spruch und Forderung an gebührenden Orten (ſcil. coram Auſtregis, aliove competenti ordinario) gegen gedachten Klägeren fürzubringen Zeit 6. Monat von Ampts wegen angeſetzt / mit dem Anhang wo er ſolchem alſo nicht nachkommen wird / daß ihme alßdann ein ewig Stillſchweigen hiemit aufferlegt ſeyn ſolle. 13. *Februar. Anno 1581. Bart in Sent. Cameral. part. ult. fol. 681. add. Schwan Obſ. Cam. 163. num. 4. 5. 6. & 7. Magenh. ad Ord. part. 3. tit. 25. p. m. 344. Rec. 1654. §.* Cammerrichter. 77.

An in Proceſſu nullitatis & iniquitatis fatale interponendæ appellationis ſit obſervandum?

Aff. Per Rec. Imp. 1654. §. In deme auch männiglich, *etc.* ubi expreſſè ſancitum, ut tam à ſententia nulla quàm iniqua intra decendium appellatio interponi debeat. Niſi nullitas ex inſanabili defectu tam Judicis quàm partis, ut & ex ſubſtantialibus Proceſſus proſiliat, tunc enim diſpoſitio juris communi, *quod fundatum in l. 12. ff. de re judic. l. 19. ff. de appellat. l. 2. Cod. quando provoc. non eſt neceſſ.* libera relinquitur. *d. Rec. §.* Bey dem Jungern. 116.

Si is, qui ob publicam pacem fractam citatus, & per mandatum quoque ei reſtitutio injuncta ſit ſub pœna, & contumax ſit, an etiam jam priùs in pœnam pecuniariam in mandato expreſſam (ut plerumque fieri ſolet) condemnandus ſit, quàm banniatur?

Reſp. Hoc caſu condemnatione in pœnam pecuniariam opus non eſſe, ſed ſufficere eum banniri. Quia major pœna videtur proſſus minorem abſumere. *Ita factum in cauſa Lubecenſi contra* Bulau *teſtatur Magenh. ad Ord. p. 3. t. 43. p. m. 477.*

An Reus, ſi Actor ante litis conteſtationem contumax ſit, in cauſa principali procedere poſſit?

Reſp. Poſſe, ſi modò *Proclama* factum, & ſex juridicæ circumactæ ſint. *Magenh. d. l. tit. 42. p. m. 470.*

Quid ſi Actor poſt litis conteſtationem contumax ſit?

Reſp. Hoc caſu etiam abſque proclamate in principali cauſa procedi, & quod juris eſt decerni poſſe & debere: Et ſiquidem contra reum pronunciandum, adhuc tamen ob contumaciam Actorem in litis expenſis condemnandum. *Magenh. d. l.*

Sed quis florenum, ſi ille abſens, contra quem Proclama factum, pedello numerare debeat?

Reſp. Eum numerare debere, qui contra aliquem petiit *Proclama*, quamvis hoc mirum videatur; tamen ita obtinuit. Poteſt tamen eum Florenum viciſſim à contumace exigere, quia contumax priùs non auditur, quàm ille florenus refuſus ſit. *Magenh. d. l. p. m. 471.*

An bannum contra univerſitatem vel communitatem omnes & ſingulos afficiat?

Aff. *Et ita concluſum fuiſſe in cauſa* Minden *contra* Minden *teſtatur Magenh. part. 2. tit. 9. p. 166.*

TABUL.

TABULA ULTIMA 23tiæ

- 1. *Concluſione cauſæ, ubi quæritur*
  - 1. *Quid ſit. Concluſio cauſæ* eſt actus judicialis, quo cauſa vel cauſæ articulus aliquis concluditur aut pro concluſo habetur, ita ut diſceptationi partium amplius locus non ſit. Itaque concludere in judicio idem eſt, quod ulteriori diſceptationi renunciare & cauſam vel cauſæ articulum cognitioni Judicis committere, ſive Judicis cognitioni, ut vulgò loquuntur ſubmittere & pro concluſo habere.
  - 2. *Quotuplex ſit. Concluſio ſit vel*
    - *Facto partium interveniente*, quod eſt aut
      - Scriptum.
      - Viva vox.
    - *Ipſo jure.* Si alter Procuratorum concludat, alter eadem aut proxima audientia idem faciat, aut cauſa pro concluſa habetur. *Mem.* 1575. §. 6.
  - 3. *De adjunctis concluſionis*, ubi
    - 1. *De tempore concludendi*, ut
      - 1. Actor concludat ad concluſionem Rei
        - Verbalem illico *Ord. p. 3. tit. 23 in princ.*
        - Scriptam illico vel proximo termino vivâ voce, *Ord. ib.*
      - 2. Reus Actore concludente idem vel confeſtim vel proximo termino faciat. *Ord ibid.* §. Gleicher &c.
    - 2. *De modo*, quod ſcil. Concluſiones paucis verbis & ſine repetitione priorum fieri debeant. *e. g. In cauſa N. contra N. dico ad ea, quæ ab adverſario acta ſunt generaliter, & repeto priora, & cognitionem Judicis ſubmitto*, *Ord. p. 3. tit. 23.* §. Und ſollen hinfürter ſolche. 4.
    - 3. *De Concluſionis reſciſſione*, quæ fit, ſi quid novi poſt concluſionem cauſæ inciderit; quod in medium afferens ſe anteà ignoraſſe jurejurando aſſerit, *Ord. p. 3. tit. 23.* §. So aber etwas newes. 5.
  - 4. *De punctis ſeu articulis*, in quibus Ordinationis leges concluſionem præcipiunt. Ubi *in punct.*
    - 1. *Exceptionum* contra articulos non duplicandum, ſed ad replicas utrinque concludendum eſt. *Ord. p. 3. tit. 15.* §. Und ſo alſo. 2.
    - 2. *Dilatoriarum, aliarumq; id genus exceptionum* ultra duplicas non procedendum, ſed in eadem vel proxima audientia concludendum. *Ord. p. 3. tit. 26.* §. Wo aber die. 2.
    - 3. *Atteſtationum* unum ſcriptum à parte qualibet admittitur, & in hoc concludendum. *Receſſ.* 1570. §. Was und wie. 98. (§. So auch.
    - 4. *Reſponſionum* non replicandum, ſed replicis omiſſis concludendum & ſubmittendum. *Ord. p. 3. t. 13.*
    - 5. *Executorialium*, ſi contra executoriales arctiores excipiatur, replicationi tempus ad proximum indulgendum, nec niſi ex magna cauſa ulterior procedendi terminus dandus eſt. *Ord. part. 2. tit. 48.* §. Und wann 1.
  - *Publicatio*, ad quam de jure communi partes ſunt citandæ, quod tamẽ in Camera non obſervatur, *Gail. 1. Obſ. 109 num. 3.*
- 2. *Deciſione*, quæ eſt, quâ finis liti per ſententiam definitivam imponitur: in qua conſiderandum tum *ſententia*
  - *Impugnatio*, quæ fit vel per
    - 1. *Reſtitutionem in integrum*, quæ
      - *Definitur. Petitio reſtitutionis in integrum* eſt, quâ Judicis Cameræ officium imploratur, ut ſententiam à ſe latam, certis de cauſis retractet, & rem ſeu jus alteri per ſententiam ablatum reſtituat. *Rod. lib. 3. tit. 60.*
      - *Datur vel*
        - *Brevi manu*, & vel
          - *Judicialiter*, quando prævia imploratione nobilis officii Judicis reſtitutio brevi manu in judicio rogatur; Et habet locum ſolum ubi Procurator partis adverſæ apud acta, & ſententia, adverſus quam reſtitutio rogatur interlocutoria eſt, *Rec.* 1600. §. Wann gegen einer. 143.
          - *Extrajudicialiter* in caſu, ubi appellans intra quatuor fatalium menſes priores proceſſus appellatorios extrahere & inſinuare citra culpam ſuam aut ſui Procuratoris ex alio incidenti impeditus fuit, *Reſol. Cam. 1657. 5. Septembr* §. 2.
        - *Prævia citatione*, in qua citatio ad videndum ſe reſtitui decernitur vel *judicialiter* vel *extrajudicialiter*, pro re nata & ſupplicantis arbitrio: ipſa autem reſtitutio non datur, niſi cum cauſæ cognitione per ſententiam judicialem in audientia. *Rod. lib. 3. tit. 60.*
    - 2. *Reviſionem.* Cujus
      - *Definitio. Reviſio eſt remedium extraordinarium*, quo in Camera per ſententiam læſis ex quadam benignitate per Commiſſarios Imperatoris, & Statuum Imperii ad id deputatos revidendo acta ſuccurritur, *Rod. lib. 3.* §. 61.
      - *Subjectum*, ubi quæritur
        - 1. *Qui reviſionem petere poſſint?* Omnes, quibus ſententiâ Judicis Cameræ gravamen illatũ, *Rec.* 1654. §. 119.
        - 2. *Qui revidere queant?* Statuum Conſiliarii eruditi & in revidendis actis periti. Qui unà cum deputato Commiſſario, Præſide & Aſſeſſoribus Cameræ, per quos ſententia fuit lata; omnia & ſingula cauſæ revidendæ acta ſummo & accurato judicio revideant, & id quod juris eſt, decernant. *d. Rec.* §. Damit denn auch. 214. & *Rob.* 1559. §. Solche vorfallende. 64.
      - *Materia ſeu in quibus cauſis petr poſſit Reviſio. Et in*
        - *Genere in omnibus cauſis appellabilibus* Reviſio locum habeat. Quæcunque autem cauſæ non ſunt appellabiles, licet per modum ſimplicis querelæ in Camera introductæ ſint, illæ nec etiam ſunt reviſibiles, *Rec.* 1654. §. In Fällen da. 119. & §. An Abkürtzung. 121.
        - *Specie in cauſis*, quarum ſumma 2000. Imperialium ſortem adæquabit, penſionibus & intereſſe non computatis, *d. Rec.* §. Zu Abkürtzung. 131.
      - *Forma*, quæ conſiſtit vel in
        - *Subſtantialibus*, qualia ſunt
          - *Tempus*, ut ſcil. hodiè Reviſio intra quatuor menſes à die latæ ſententiæ ſub pœna deſertionis petatur. *d. Rec.* §. In Fällen da. 119.
          - *Gravamina*, quæ ſtatim in ipſo actu intimationis Cameræ ſommariter, breviter & diſtinctè exhibenda ſunt; Niſi prorogatio propter cauſas graves fuerit conceſſa, *Rec. d.* §.
          - *Iuramentum*, quod coram Judice Cameræ ſtatim in ipſo actu intimationis, vel ad minimum currentibus quatuor menſibus, à die publicatæ ſententiæ in effectu præſtandum, vel ad minimum mandatum ſpeciale ad hoc offerendum eſt, aliàs Reviſio deſeritur *Rec. d.* §.
        - *Accidentalibus.* Huc pertinent
          - 1. *Modus* tum
            - *Intimandi Reviſionem, Inſinuatio* fit per memoriale ſeu ſupplicam Electori Moguntino, Niſi is in ſua cauſa aut alius contra illum reviſionem petat, tunc enim Elector Trevirenſis Moguntini partes ſuſtineat, *Ord. p. 3. t. 53. in pr. Rec.* 1594. §. Als uns auch. 107. & *Rec.* 1594. §. Als uns auch. 107. & *Rec.* 1654. §. In Fällen. 119. Electoris officium eſt, ut Cæſari & ejus anni Viſitatoribus ſignificet reviſionem, ut Commiſſarios & Conſiliarios ad acta revidenda mittant, *Ord. ibid.*
            - *Notificandi reviſionem Cameræ*, quod fit durch ein Chur Meintziſches Denunciations-Schreiben, *Ibid. Rod.* (*lib. 3. tit. 61. pag. m. 919.*
            - *Procedendi*
              - 1. Impetrans cauſas gravaminum uno ſcripto proponit.
              - 2. Pars adverſa, quod ſibi pro qualitate cauſæ neceſſarium videtur, ſimiliter uno producto exhibet, *Ord. d. t.* §. Erſtlich ſoll.
              - 3. Uterque in duobus illis ſcriptis nihil novi, ſed gravamina ſolùm utrimque refutationes producere tenetur, nec cuique ulterius proferre licet, *Schwan. lib. 1. P.C. cap. 5.*
          - 2. *Sportularum*
            - *Taxatio*, quæ cauſis
              - *Antiquis* pro nunc ſalvo Reviſorum arbitrio Cameræ commiſſa eſt. *Rod. lib. 3. tit. 61.*
              - *Novis* à ſolis Reviſoribus taxatur, *Rod. d. l. p. m. 920*
            - *Depoſitio*, ut ſcil. certa pecuniæ ſumma, quantũ Viſitatores, habitâ ratione perſonarum cauſarumq; arbitrabuntur, in Camera deponatur, vel de ea idoneè caveatur, *Ord. d. t. 53.* §. Und damit.
      - *Effectum*, hodiè *ſuſpenſio executionis* in futuris reviſionibus in totum ſoblata eſt, modò pars victrix ſufficientem præſtet cautionem de reſtituendo judicatum, ubi in reviſorio ſuccubuerit, exceptis cauſis religionem & ſpiritualia concernentibus, *d. Rec.* §. Nach Betrachtung. 118
    - 3. *Syndicatum*, quo ſententia, per dolum, corruptionemve, aut affectum Judicum, prævaricationemve Procuratorum lata, impugnatur. In hoc Proceſſu idem, quod in reviſione obſervatur, *Ord. p. 3. tit. 53.* §. Ob ſich aber. & §. *fin.*
- 3. *Executione.* Cujus
  - *Deſcriptio. Executio* eſt actus legitimus, quo Judex ſententiã ſuam latam, quæ in rem judicatam abiit, exequitur, *Rod. lib. 3. tit. 63.*
  - *Media, per quæ executio fit*, ſunt tum
    - *Compulſoriales*, quæ
      - *Deſcribuntur*, quòd ſint literæ, quæ in Camera ſine clauſula juſtificatoria decernuntur cum termino ſex ſeptimanarum & trium dierum, *Gail. 1. Obſ. 113. n. 1.* & *obſ. 133. num. 11.*
    - *Mandata executorialia* ſeu *executiva*, quæ ſunt, quando Judex ad quem, executionem ſententiæ Judici à quo demandat. Suntque vel *ſimplicia*, ſub pœna 10. marcarum auri puri, vel *arctiora*, ſub pœna dupli, *Gail. 1. Obſ. 113. num. 1.*
      - *Diſtinguuntur in*
        - *Simpliciores*, quæ primo ſimpliciter ſub comminatione tamen pœnæ inſertæ in conſueta ſolitaque forma emanant *Ord. p. 3. t. 48.*
        - *Arctiores*, quæ non abſque gravioris pœnæ comminatione emanant: Nam ſi ſimplicibus executorialibus non obtemperetur, tunc hodiè ſublatâ pœnâ banni, adverſus declaratum in pœnam fit comminatio pœnæ dupli & realis executionis, vel contra non parentem decernitur mandatũ de exequendo tàm pœnam commiſſam, quàm cauſam principalem adverſus directorem circularem den ausſchreibenden Fürſten / vel adverſus Judicem Domicilii, *Rec.* 1654. §. So offt auch. 80. & §. In welchen Terminen. 154. Niſi violenter & de facto ſe opponat, tunc enim incidit in pœnam banni *d. Rec.* §. Wegen des *modi exequendi.* 10.
  - *Proceſſus*, in puncto executionis locum habet tàm *Proceſſus ordinarius*, quam *extraordinarius*. *Vid. Ord. p. 3. t. 48.* & *Gail. 1. O. 113. n. 9.* & 10.

Digitized by Google

An omiſſio concluſionis in cauſa vitiet ſententiam?

Reſp. Concluſionem cauſæ omiſſam non vitiare ſententiam de jure civili, *per ea quæ ſcribit Abb. in c. paſtoralis de cauſ. poſſeſſ. & proc. col. 3. Bald. in l. nec cauſas. Cod. de Appellat. & Felin. c. cum dilectus. verſ. quarto ſ. num. 33. de fide inſtrum.* quia concluſio in cauſis ordinariis magis de conſuetudine, quàm ſubſtantia proceſſus eſt: unde ſi omittatur, proceſſus tamen valet. Secus de Jure Camerali, in Camera enim nulla ſententia, ne interlocutoria quidem, publicatur, niſi in cauſa legitimè concluſum ſit. Si verò pars altera concludere nolit, Judicem ex officio cauſam pro concluſa acceptare & in principali pronunciare poſſe, modò parti ad concludendum ſufficientes dilationes conceſſæ ſint, teſtatur *Gail. 1. Obſ. 107. n. 2. & 3. add. Mynſ. cent. 3. Obſ. 17. & Harpprecht. tit. 17. Obſ. 1.*

An concluſione in cauſa facta, probationes facti, item inſtrumenta produci poſſint?

Reſp. Poſt concluſionem in cauſa nihil allegari & admitti debere, quod ſententiam, quæ ſola ferenda reſtat, impedire poſſit, tunc enim non eſt cognoſcendum, cùm cognitum jam ſit. Quod tamen limitatur (1) in Judice: quia quoad Judicem nunquam in cauſa concluditur, ideò ex officio concluſionem reſcindere, ulterioremque probationem partibus injungere poteſt: Et ſic jura prohibentia poſt concluſionem fieri probationes, intelligenda quoad partem, non quoad Judicem. *Plures limitationes vide apud Gail. 1. Obſ. 107. num. 5. & ſeqq. Felin. in c. cum dilectus. X. de fide inſtrum. per tot. add. Hart. tit. 7. Obſ. 3.*

An pars poſt concluſionem in cauſa juramentum neceſſarium vel ſuppletorium probationis in eventum à Judice petere poſſit?

Reſp. Non poſſe; quia juramentum neceſſarium eſt ſpecies probationis. Facta itaque utrinque concluſione probationis omnibus renunciatum & partibus os clauſum eſſe dicunt Dd. *per text. in c. cum Ioannes & in c. cùm dilectus. X. de fide Inſtrum. add. Gail. 1. Obſ. 108. n. 1, 2. & 3. ubi porro Qu.*

An Judex ex officio tam ante quàm poſt concluſionem cauſæ, parte non petente, juramentum neceſſarium deferre parti poſſit?

Reſp. Quamvis Judex nemini officium ſuum, præſertim ad privatam partis utilitatem, impartiri debeat, niſi imploratum ſit. *l. 4. §. hoc autem. 8. ff. de dam. infect.* tamen eum non ſolùm ante, ſed etiam poſt concluſionem cauſæ, juramentum neceſſarium, parte non petente deferre poſſe teſtatur *Gail. d. Obſ. n. 4.* Quia Judex cuncta rimari, & pro habenda veritate modis omnibus laborare debet, *per c. judicantem. 30. quæſt. 5. c. cum cauſam de teſtib. & per l. Iudices 9. Cod. de Iudic. Gail. d. l. n. 5. & ſeqq. add. Gylm. Symph. tom. 1. p. 1. t. 7. vot. 3. n. 29. & ſeq. ubi præjudicium & Gail. 1. Obſ. 61. n. 12.*

An ſententia in Dominum vel Procuratorem ſit ferenda?

Reſp. De jure communi ſententia non in principalem ſed Procuratorem fertur, *per l. 1. Cod. de ſent. & interlocut. om. iud.* Quia initium obligationis ex Procuratoris perſona ſumitur, & cum eo in judicio quaſi contrahitur *l. in quacunq. fin. de A. & O.* ipſeque per litis conteſtationem Dominus litis efficitur. Verum de ſtylo Cameræ conſueto ſententiæ contra Dominum lites feruntur & publicantur, etiamſi in Camera omnes cauſæ agitentur per Procuratores. *Ord. P. 1. t. 25. Gail. 1. Obſ. 112. n. 2.*

An petitio reſtitutionis in integrum ſpeciale mandatum requirat?

Aff. *Mynſ. cent. 2. Obſ. 26.* Si principaliter petatur reſtitutio, quia non licet Procuratori factum Domini impugnare ſine ſpeciali mandato. *l. ſi hominem 30. ff. mand.* ſecus ſi incidenter, quia tunc eam abſque ſpeciali mandato petere poteſt. *VVurmſ. tit. 5. Obſ. 9. n. 2.*

An petitio reſtitutionis in integrum executionem ſententiæ impediat?

Reſp. Reſtitutionis in integrum petitionem, ſi ejus cauſa in continenti probetur, impedire executionem ſententiæ; niſi per calumniam, aut ex cauſis jam dum deductis & per priora deciſa, vel aliàs irrevelantibus, petatur. *Ita deciſum in cauſa* Birmundt *contra* Birmundt *teſtatur Meiſchner. tom. 3. deciſ. 14. n. 189. Klock. de contribut. cap. 19. n. 390. Mynſ. cent. 1. Obſ. 48. & cent. 6. Obſ. 80.*

An reſtitutio per alium, quàm Procuratorem cauſæ ordinarium fortè per Notarium, ut in Reviſione uſu venit, in Camera rogari queat?

Neg. Sic cùm in cauſa H. S. contra M. mandati cum clauſula Notarius H. 16. *Maji Anno* 1658. hoc ipſum tentâſſet, illud 1659. 20. *Maij.* per ſententiam cum reſervatione dimidiæ marcæ argenti rejectum, & Procuratori cauſæ ordinario petitâ reſtitutione non attentâ ad docendum de paritione certus terminus præfixus fuit.

An & quomodo impeditus Appellationem proſequi intra fatalia, in lapſis reſtitui debeat?

Diſt. *Mynſ. cent. 5. Obſ. 98.* (1) aut quis impeditur ex facto proprio, ut quia propter inopiam non potuerit appellationem intra legitimum tempus proſequi, & tunc ipſi ex jure communi ſecundus annus, ex Ordinatione verò Cameræ ſecundum ſemeſtre conceditur. (2) aut quis impeditur ex facto Judicis, tunc aut contingit impedimentum per Principem ad quem fuit appellatum, & impeditus jure illæſus ſervatur, nec ſibi tempus currit, ideò altero fatali non indiget, *c. ex inſinuatione. 50. X. de Appellat. auth. ſed & iu. poſt l. 2. Cod. de temp. & reparat. appellat.* aut proceſſit per inferiorem Judicem, & tunc ſecundus annus datur, & non ultrà. *l. ult. Cod. de temp. & rep. appell. Novell. de his, qui ingred. de appell. §. primo.* (3) aut impeditur ex mixto facto Appellantis & appellati, ut quia compromiſerint in primo fatali, tunc ipſo jure non currit, nec opus eſt ulteriori tempore. *Clem. quamdiu. de appellat. auth. ſi tamen. Cod. d. t.* (4) aut impeditur ex facto ſolius appellati, tunc appellanti pariter non currit tempus, ſed ſervatur illæſus. Aut denique (5) impeditur ex facto tertii, tunc ex communi Dd. ſententia primùm danda eſt impedito actio ad intereſſe adverſus illum tertium, & ſi non ſit ſolvendo, dum demum reſtitui debet contra adverſarium. *add. Gail. 1. Obſ. 143.*

An Reviſores Cameræ legitimis ex cauſis recuſare poſſit?

Aff. *per Receſſ. Imp. de Anno 1557. §.* und nach dem ſich. 63. *ex quo quandoque ita factum eſſe apparet.*

An à denegata reſtitutione Reviſio peti poſſe?

Klock. tom. 3. conſ. 140. n. 47. reviſionem à denegata reſtitutione concedi conſulendo aſſerit *in cauſa* Welwardt *contra* Hertzogen in Bayeren etc. Sic à denegata reſtitutione reviſio conceſſa & in Camera acceptata fuit, *in cauſa Dr.* Willers *contra* Ritterin *Mandati de dimittendo hypothecam*, Retzenhauſen *contra* Retzenhauſen *Mandati ad edendum legitimè inventarium & reddendum rationes & aliis cauſis quamplurimis.*

An ſit differentia inter Reviſionem & Syndicatum?

Aff. Nam Reviſio ex imperitia, Syndicatus verò ex dolo & malitia permittitur, quando videlicet per ſordes, corruptiones, odio vel gratia partium judicatum eſt, *Gail. 1. Obſ. 153. num. fin.*

An in cauſis executionum perſonalis requiſitio vel potiùs indicatio ſententiarum ſit neceſſaria?

Reſp. Utique neceſſaria, ſi quis dicat ſuum Magiſtratum ſibi jus communicare nolle. Sed quidam putant quòd non, præſertim cum iſti apud acta Procuratorem habeant, qui tenetur illis communicare & indicare, quid in Camera judicatum ſit. *Ita factum in cauſa* Hall *contra* Glinden/ *Magenhorſt. ad Ord. p. 3. tit. 48.*

An hæres in pœnas executorialium condemnari poſſit?

Reſp. Poſſe, ſi modò mortuo debito modo inſinuatæ ſint, ipſeque ad hoc priùs legitimè citatus ſit, ſcil. ad videndum ſe in dictam pœnam declarari. *Ita factum in cauſa* Guttenbergk *contra Epiſc.* Bamberg. *Magenh. d. l.*

Si poſt latam ſententiam à parte vincente ignorante, victâ verò ſciente tranſactum ſit, an nihilominus ea executioni mandare poſſit?

Aff. Et ita pronunciatum fuit *contra* Endorff/ Iſt erkandt/ daß N. fürbrachten Vertrag unverhindert Endorff dem Urthell etc. zu geleben ſchuldig. *Magenh. ad Ord. p. 3. tit. 21. p. m. 353.*

An hæres pœnam pecuniariam, in quam defunctus prius condemnatus, exſolvere teneatur?

Aff. Dummodò ſucceſſor ejus eſſe velit. *Mag. d. l. tit. 46.*

Sed quid ſi defunctus non fuiſſet condemnatus, tamen ita egiſſet contra mandatum & inhibitionem, quod in pœnam debuiſſet condemnari, an hæres condemnandus?

Neg. *Per ea quæ tradit Fab. in §. non autem omnes. 1. Inſt. de perpet. & temp. act. Ita judicatum in cauſa* Gülich *contra* Aach; quia pater Ducis inciderat in pœnas inhibitionis, tamen filius abſolutus. *Mag. d. t. 48. p. 494.*

Digitized by Google

ADD. XVI.

Ad Limnæi Enucleati l. 4. c. 7. n. 4. Quis ſit hodiernus ſtatus Viſerani huius vectigalis, videri poteſt in ſequenti ſcripto cui titulus: Kurtze Wahrhaffte Anzeigung von dem jetzigen Zuſtande deß Elßfletiſchen WeſerZolls in Dieſem 1667. Jahre. *quod Nobiliß. atque Conſultiſſimus Dn. D. Vvachmannus mihi Genevam tranſmiſit, eiuſque tenor talis.*

DEr Weyland Hochgebohrne Graff und Herr / Herr ANTHON GVNTER, Graff zu Oldenburg und Delmenhorſt / Herr zu Jehver und Kniphauſen / ꝛc. (welcher den $\frac{1}{19}$ dieſes Monats Iunii dieß 1667. Jahres / ohne Hinterlaſſung einiger Leibes-Lehens Erben die Welt geſegnet / Alſo daß ein ſonderlicher feudal Succeſſor in der Graffſchafft Oldenburg / Auch ein ſonderlicher in der Graffſchafft Delmenhorſt / Item ein ſonderlicher in der Herrſchafft Jehver / Auch ein ſonderlicher in der Herrſchafft Kniephauſen / entweder ſchon iſt / oder doch ſeyn wird / hat bey ſeinem Leben im Jahr 1612. einen Newen Zoll auff dem Strohm der Weſer geſucht / aus angeführten Uhrſachen mehr die Herrſchafft Jehver / als andere obgedachte Länder betreffend / Und zwarn zu einem Lehen / davon Er in ipſo Memoriali dieſe „ Worte ſetzen laſſen: Dagegen wil Ich / da es „ Ew. Käyſerl. Maytt. und des Heiligen Reichs „ ChurFürſten allergnädigſt und gnädigſt gefäl„ lig / dieſen Zoll von Ew. Käyſerl. Maytt. und „ dem Reiche zum newen MannLehen / für Mich „ und meine Männliche Leibs-Lehens Erben an„ nehmen / recognoſciren und erkennen ꝛc.

Worauff Er nach gantz abſchläglichen Decreten doch endlich einen ChurFürſtlichen / auch zu letzt Käyſerlichen Conſenſum ad ipſa petita erlanget / Iſt auch darauff von Käyſerl. Maytt. Weyl. FERDINANDO II. Höchſtrühmlicher Gedächtnuß / im Jahr 1623. am letzten Martii Käyſerl. Diploma herausgelaſſen / worinn dieſe formalia befindlich / Daß der geſuchte Zoll ꝛc. der obberührte gebethene Zoll ꝛc. Item ſolcher gebethener und verwilligter Zoll ꝛc. Graffen *Anthoni* Günthern / ſeinen Leibs-und Lebens-Erben / oder Regierenden Graffen zu Oldenburg / und Herren zu Jehver ꝛc. Item Ihme / ſeinen Leibs-oder negſten Erben / regierenden Graffen zu Oldenburg und Herrn zu Jehver ꝛc. Sonderlich aber in ipſa „ conceſſione, Ihme / und ſeinen Ehelichen Leibs „ Erben und Nachkommen ꝛc. ſonſt weiter Ihme und ſeinen Lehens Erben ꝛc. Item Ihme und ſeinen Erben ꝛc. Abermahl Ihme und ſeinen Erben ꝛc. Item Ihme und ſeinen Erben und Erbens Erben ꝛc. Item Ihme und ſeinen Erben und Nachkommen ꝛc. Item Ihme / ſeinen Erben und Nachkommen ꝛc. Zu einem freyen ErbLehen / ErbLehens weiſe verliehen ſeyn / auch dieſes und jenes deßwegen frey ſtehen ſoll ꝛc.

Woraus die verba conceſſionis, Ihme und ſeinen Ehelichen LeibesErben und Nachkommen / die übrige formularen dergeſtalt modificiren / daß keine Erben oder Nachkommen gemeinet / welche nicht von dem primo acquirente legitimè deſcendiren / und nicht ſo wohl Regierende Herren zu Jehver / als Graffen zu Oldenburg ſeyn / Und daß allein zu deren beſten / das Wort ErbLehens weiſe geſetzet worden / welches / zu mehrerem Liecht / von Höchſtgedachter Kayſerl. Maytt. im Jahr 1628. den 3. Aprilis dergeſtalt erklähret / Daß Ihre Königl. Maytt. in Dennemarck / ꝛc. und ein jeder Souverain, ſo auff die Oldenburgiſche ꝛc. Lehngüther Anwartung haben möchte / intentione Imperatoris gäntzlich davon excludiret ſeyn ſollen.

Vorgedachtes Käyſerl. Diploma iſt in eodem tenore, ohne eintzige Veränderung / confirmiret von FERDINANDI III. Käyſerl. Maytt. Glorwürdigſten Andenckens per aliud Diploma vom 21. Ianuar. Anno 1638.

Darauff iſt endlich gefolget von jetztgedachter Käyſ. Maytt. ein Lehnbrieff ſub dato deß 5. Septembris 1653. / welcher ſich gantz und gar auff die beyden vorgehende Diplomata beziehet / und deren Einhalt mit dieſen Worten ſetzet; Daß (Tit.) Anthoni Güntern, Graffen zu Oldenburg ꝛc. dieſe ſondere Gnad gethan / daß Er möge einen Zoll anrichten / und ErbLehens weiſe inhaben / daß auch Er und deſſen Leibes oder negſte Erben / Regierende Graffen zu Oldenburg und Herren zu Jehver ſolchen Zoll ErbLehens weiſe / und als Frey ErbLehen miehten und haben ſollen.

Darauff die conceſſio alſo geſetzet / daß dem Herrn Graffen für ſich / und ſeine Lehens Erben / Regierende Graffen zu Oldenburg / und Herrn zu Jehver der Zoll verwilligt / alſo daß Er / und ſeine LehnsErben denſelben / als ein ErbLehen zu Lehen tragen und erkennen ſollen ꝛc.

In welchem begriff die per appoſitionem conjungirte Worte / LehensErben / Regierende Graffen zu Oldenburg / und Herrn zu Jehver ꝛc. Item Leibs-oder negſte Erben / Regierende Graffen zu Oldenburg und Herren zu Jehver ꝛc. keine andere Deutung haben können / als daß es Leibs und negſte LehensErben ſeyn / welche ſo wohl die Herrſchafft Jehver / als die Graffſchafft Oldenburg / titulo ſucceſſionis poſſediren / item vigore relationis auff die Diplomata von Anno 1623. und Anno 1638. und darin enthaltene relation auff das erſte Hochgräfl. Oldenburgiſche Geſuch in Anno 1612. keine andere / als Eheliche-Männliche-Leibes-Lehns Erben / welchen auch „ zugleich die Regierung ſo wohl zu Jehver als „ zu Oldenburg Lehensweiſe zufalle / verſtanden „ werden können.

Und dieſen iſt in allen Stücken gleich der letzte von jetzt regierender Käyſerl. Mayt. am 26. Auguſti Anno 1659 ertheilte Lehen-Brieff.

So iſt der Revers, welcher der Stadt Bremen bey endlicher Einführung des Zolls abgefordert / nicht auff die gedachte Lehenbrieffe / ſondern expreſſè auff das Käyſerl. erſte Diploma gegründet / mit dieſem Worten: Inhalts deß darüber unter dem dato deß Sechszehenhundert Drey und Zwantzigſten Jahres / den letzten Tag Martii außgefertigten Diplomatis.

Ob nun zwar deſſen allen ungeachtet / mehrged. Ihre Hochgräfl Gnaden / im Jahr 1661. am Käyſerl. Hoffe ſich bemühet / freye Macht und Erlaubnüß in optima forma außzuwircken / über den gedachten Zoll / als ein New Reichs-Erblehen ſo wohl bey lebendigem Leibe / als durch letzten Wille / und Vermachung quovis modo zu diſponiren / auch denſelben zu alieniren ꝛc. Mit bedeuten / daß die Königl. Maytt. zu Dennemarck / und die Fürſtl. Durchl. zu Holſtein Gottorff (ob Sie gleich zu ſolchem newen Erb-Lehen / als Collaterales nicht kommen könten) ſolche freye diſpoſition, ſo viel an Ihnen / Ihro frey geſtellet.

Und ob zwar Allerhöchſtgemelte Ihre Käyſerl. Maytt. am 25. Iulii deſſelbigen Jahres in das Geſuch dergeſtalt gewilliget / daß der Conſens, wie gebetten / ertheilet / doch nicht außgereichet werden ſolte / biß der Herr Graff / ſo wohl für ſich ſelbſt / als auch für den jenigen / auff welchen Er gedachten Zoll zu transferiren gemeinet / einen gnugſahm clauſulirten Revers de non alienando in POTENTIOREM extraneum, wie derſelbe vom Höchſtlöbl. Reichs-Hoff-Raht concipiret werden möchte / von ſich gegeben / und mit der Käyſerl. Hoff-Cammer wegen concedirter Newen Gnade auff ein ſtück Geldt abgehandelt hätte.

Und Ihr Hochgräfl. Gnaden damit noch nicht friedlich geweſen / auch endlich ſo viel zu wege gebracht / daß am 14. Decembr. 1662. im Höchſtlöbl. Reichs-Hoff-Raht alſo decretiret; Detur atteſtatum per extractum Protocolli, daß der von dem Graffen geſuchte ohn limitirte Käyſerl. conſens in forma, wie das beyliegende project außweiſet / ertheilet ſeye: Welches project zwar zimlich weit / doch mehrentheils auff eine abolition deß Herrn Imploranten geliebten Sohns / Herrn Anthon von Aldenburg ꝛc. Hochgräfl. Gn. zu gute gemeinet geweſen iſt.

So hat man dennoch vom Käyſerl. Hoffe die beſtändige Nachricht / daß es biß dato bey dem bloſſen project geblieben / und kein Original Weyland Herrn Anthon Günthers zu Oldenburg ꝛc. Hoch-Gräfl. Gnaden außgelieffert / wie man gnugſahm verſichert / daß kein Chur-Fürſtl. Conſenſus zu wege gebracht / Alſo beyder allerhöchſt und höchſtgedachter Orten annoch res integra iſt.

Nichts deſto weniger hat ſich aus einer Beſchickung / ſo von dem Magiſtrat der Stadt Bremen an die continoirende Zoll-Einnehmere zu Elßfleth geſchehen / erwieſen / daß geſuſtiniret worden / als wann das vorgedachte project auch vom Chur-Fürſtlichen Collegio approbiret / und / wie es ſcheinet / die conceſſion ſelbſt originaliter extradiret were / Auch dem / und dem Teſtament deß verſtorbenen Herrn Anthon Günthers Hoch-Gräflichen Gnaden zu folge / die Königliche Maytt. zu Dennemarck / ꝛc. und die Fürſtliche Durchl. zu Holſtein Gottorff / Item andere unbenandte hohe Intereſſenten die Zolls-Hebung zu continuiren willens ſeyn ſollen.

Es iſt auch noch erſt newlicher Zeit eine newe Wage zu Elßfleth angeordnet / wordurch das durch die exceſſive quantität des Zolls von der Weſer faſt ſchon vertriebene Commercium noch mehr beſchweret / Bey deſſen nohtwendiger reſtabilirung alle an der Weſer zu beyden Seiten belegene Könige / Chur-Fürſten und Graffen / auch die Stadt Bremen / ſambt andern / ſo den Weſerſtrohm zu Ihren trafiquen gebrauchen / höchſtens intereſſiret ſeyn / deren etzliche ſich auch vor dem / wie ſonſten / alſo auch dem letztem Geſuch freyer diſpoſition, opponiret haben.

ADD. XVII.

Ad Limnæi Enucl. l. 4. c. 7. n. 19. Noviſſima circa hanc rem ex communicatione Nobiliſſ. Dn. D. Vvachmanni huc addere operæ pretium viſum fuit. Sequitur Reſcriptum Cæſareum:

VOn der Röm. Käyſerl. auch zu Hungarn und Böheimb Königl. May. Unſers allergnädigſten Herrens wegen / des Heil. Römiſchen Reichs-Stadt Bremen anhero abgeordneten Syndico, Hern Johan vom Ende / in gnaden anzuzeigen: Erſthöchſtermelter Käyſerl. May. were von der Kayſerl. Hoff-Cammer gehorſambſt referiret worden / was bey deroſelben er im nahmen ermelter Stadt Bremen in puncto der abſchreibung eines vierzehenden theils / von des Hertzogthumbs Bremen quanto, zu denen Reichs-hülffen / und Anſchlägen / ſowohl ſchrifftlich / als bey der zu liquidirung der vorfährigen collecten verordnet geweſenen cõmiſſion, mündlich vorgebracht. Wan nun hieraus vor höcherwehnte Käyſerl. May: in conſideration, das die Stadt ihr quantum zu den Reichs-anlaagen nunmehr immediatè erlegt / dieſes gnädigſt befohlen / das nemlich dem Hertzogthumb Bremen von dem jenigen quanto, daraus daſſelbe unter dem hiebevorigen eines Stiffts oder Ertzſtiffts benebenſt der Stadt Bremen conjunctim in anſchlag gebracht worden / ein vierzehender theil abgeſchrieben werde / behörigen orten ad „ notam zunehmen / und bey ausſchreibung künfftig verwilligender Reichs-hülffe und anſchläge / des- „ wegen die notturfft beobachten zu laſſen; Inmaa- „ ſen ſolches auch alſo dem Käyſerl. Reichs-Pfen- „ ningmeiſter im Ober- und Nieder-Sächſiſchen Crays / umb deswegen bey unterhabenden Ambt die erforderliche fürmerckung zuthun / unter einigſten dato iſt reſcribiret worden. Als hat man deſſen ihn Hern Syndicum, zu ſeiner nachricht / und zu fernerer hinterbringung / ſeiner Hern Principalen / hiermit erinnern wollen; Und es verbleiben mehr allerhöchſt gedachte Kayſerl: May: im übrigen ihm Hern Syndico mit Käyſerl: gnaden gewogen. Signatum Wien unter deroſelben hievor getrucktem Käyſerl: Secret Inſiegel.

Ludwig Graff von Sintzendorff

Ferdinand G: und H: von Hohenfeld

L. S.

Per Imperatorem 18. Septembris 1669.

Johan Peter Pfaff.

WohlEdler / Geſtrenger / beſonders lieber Here und Freund; Unſere freundwillige dienſt ſeind demſelben jederzeit bereit anvor.

WElcher geſtalt Jhrer Käyſerl: May: unſer allergnädigſter Herr/ über die von des Heil: Reichs Stadt Bremen geſuchte abſchreibung eines Vierzehenden theils von dem quanto, ſo das Stifft oder Hertzogthū Bremen/zu denen Reichs collecten und anſchlägen beyzutragen / ſich allergnädigſt reſolviret, und ermelter Stadt abgeordneten habe vorbeſcheiden laſſen / ſolches iſt ab den copeylichen inſchlus derentwegen gefertigten und hinaus ertheilten Käyſerl: Decreti ſeines mehrern Jnhalts zu vernehmē/welches dem Hern umb dieſe alſo ergangene Käyſerl: gnädigſte reſolution bey dem ihm anvertrawten Käyſerl. Reichspfenningambt zu künfftigen benachrichtung behöriger orten fürzumercken hiermit hat communiciret werden ſollen; Göttlicher Obacht uns darmit allerſeits empfelend: Geben Wien den 18. Septembris anno 1669.

N. Der Röm. Käyſerl: May: Præſident, Vice Præſident und verordnete Hoff-Cammer Räthe.

An Hern Wolff Sigfrieden von Littichau auff Aſcherna und Falckenhain / der Röm: Käyſerl. May: Reichs Pfenningmeiſtern des Ober: und Nieder-Sächſiſchen Crayſes.

Das das original von bevorſtehender abſchrifft des Käyſerl: Hoffcammer Reſcripts bey den mir allergnädigſt anvertraweten Reichspfenningmeiſter Ambt am 5. Octobris jungſthin durch die Poſt richtig inſinuiret, auch darauff daſelbſt gebührend notiret worden; Solches wird hiermit beſcheiniget: Dresden am 8. Novembris an. 1669.

L. S.

L. V. W. Littichau.

WElcher geſtalt ein- oder anderer Cräys (ſo iedoch ohn einige præjuditz der Ordnung alſo geſetzet) zu übernehmung eines gewiſſen quanti an Manſchafft vermittelſt unterſchiedlich mit theils deroſelben durch die Reichs Deputation ſich erklähret und vernehmen laſſen; (1.) Chur Rheiniſcher Cräys / nach beſchehenenen Zuſprechen / erklähret ſich auff 2100. Mann / als 1400. zu Fues und 700. zu Pferdt. (2.) Ober-Sächſiſcher Cräys / an ſeitten dieſes Cräyſes werde man nicht ermangelen / zu denen 3000. Mann algemeiner Reichsverfaſſung / ſo viel als ein duplum cum dimidio des bishero gewöhnlichen Reichs matricul-anſchlags und an Manſchafft 2960. ſalvo errore calculi, austrägt / ohne abzug und moderation cõſequenter, was bey den auff unterſchiedlichen Cräystägen / auch itziger zeitt all zu hoch befundenen Gräfflich-Mansfeldiſchen anſchlag etwan bis zur helffte abgehen möchte / allein zubeforderung dieſes höchſtnöhtigen defenſiõ-wercks vor diesmahlẽ beyzutragẽ. (3.) Oſterreichiſcher Cräys / welcher geſtalt J. Käyſ. May. Sich iedesmahls / wan dieſe materie in die propoſition gebracht rühmlich und pro ſecuritate Imperii ſich erklährt / das were bekand / und darbey wiſſend / das ſolcher nemlich zu vorhabender verfaſſung und gemeiner ſicherheit wegen der Oſterreich: Cräys mit 3000. Mann (welches ſonſt reſpectu anderer Cräyſen / die nur ein duplum cum dimidio geben / das quadruplum und ½. theil des ſimpli und darüber 46. Mann trägt) darzu concurriren wolle / darbey es dan noch zur zeit gelaſſen / in hoffnung / das auch die andere Cräys ein gleichmäſſiges thun und ihrem guten exempel willſährig nachfolgen werden. (4.) Burgundiſcher Cräys / were über die zugeſchickte auffſätz / noch nicht plenariè inſtruirt, man erwartte aber täglich die inſtruction, unterdeſſen hette man ſich zuverſichern / das man ratione iſtius Circuli nicht ermangelen werde pro bono publico ſich der gebühr nach zuerzeigen. (5.) Fränckiſcher Cräys / ſub ſpeciali, nach beweglichen zuſprechen / offerirt 2150. Mann / 1450. zu Fueß / und 700. zu Roß / darbey die Moderati Ihnen die erhaltene moderationes beſter maſſen reſerviret. (6.) Bäyeriſcher Cräys / iſt bis dahero über bewegliches zuſprechen und remonſtriren höher nicht / als auff die vormahls ſub ſpe rati offerirte 1600. in 1700. Mann / mit einſchlieſſung Käyſersheim und ohne die Ober-Pfaltz zu vermögen geweſen. (7.) Schwäbiſcher Cräys / verſtehet ſich / vermittelſt des Fürſtl. Württenbergiſchen Herrn Abgeſandten zu dem aſſignirten quanto der 3000. Mann / iedoch mit dieſer condition, wan andere bey Ihrem aſſignirten quanto verbleiben und ſolches reichen werden. (8.) Der Ober-Rheiniſche Cräys / offerirt neben denen Lottringiſchen theils anerbottenen 1500. Mann / und dem Savoyiſchem contingent 228½ zu pferd und 457. zu Fues 2100. Mann / erträgt alſo das gantze quantum dieſes Cräyſes 4585½. Mann. (9.) Weſtphaliſcher Cräys erklähret ſich dahin / das / wiewohln nicht alle zu dieſem Cräys gehörige Stände beſammen / man ſich doch auff das duplum cum dimidio, nach dem alten matriculs-fues / welches ein ſchlechtes weniger / dan das aſſignirte quantum der 3000. Mann belauffen werde / erzeigen wolle. (10.) Der Nieder Sächſiſcher Cräys / nach langen tractiren und beſchehenen remonſtriren / will ſich zu einem mehrern nicht / als auff 2400. in 2500. Mann ſub ſpe rati verſtehen / mit dieſen beygefügten anhang und erſuchen; Weil des H. Röm. Reichs Stadt Bremen / anderen in dieſem Cräys ſich befindlichen Reichsſtätten gleich / nach Ihrem ietzigen Reichs anſchlag hierbey / iedoch ſub illa conditione, das der Cron Schweden / wegen der Hertzogthümber Bremen und Vthrden / der 14te theil Ihres anſchlags / als 49½. fl. abgeſchrieben werden möchte / immediatè zu concurriren ſich erbotten; Als wolte der geſambte Niederſächſiſche Cräys J. Käy. May. und dem Reich dieſe billigmäſige abſchreibung allerunterthänigſt und zum beſten zu recommendiren und ſelbiges zu befodern gebethen / auch darbey bedungen haben / das der Stadt Hamburg contingent dieſem Cräys zu gutem kommen ſolle: Nach welchen allen dieſes beyzuſetzen das vorſtehende Cräys / welche ſich erklähret / nachfolgende conditiones und reſervationes gethan / das die ein- oder andern orts beſchehene erklährung / und offerten (1.) allein per modum proviſionis (2.) längſt 5. Jahren. (3.) mit dieſem anhang / das nicht allein von endigung dieſe Reichs-

tags de modo, tempore & loco rectificationis matriculæ würcklich deliberirt, ſondern ſelbige auch in gemelter zeitt/ wo immer möglich / abgehandelt / auch (4.) dergleichen reſpectivè erklähr- und übernehmung des damahligen quanti, werde ein-nach dem andern Stand / jetzt und in das künfftig / ohne conſequentz ſo woll reſpectu der vorhabenden defenſion, als all andern Reichs Collecten und onerum halben gantz un præjudicirlich und unverfänglich ſein / auch (5.) die von einem und andern Cräys auff das mehrere beſchehene erklärung ſeinen verſtand und meinung/wan andere ſich auch der gebühr nach erzeigen/haben ſolle/ dabey zugleich die moderati die erhaltene moderation beſter maßen reſervirt, welches dan alles J. Käy. May. Unſerm allergnädiſten Käyſer und Herrn/ durch ein allerunterthänigſtes Reichs Guhtachten reſolution gebührender maßen zu überbringen.

Dict. Ratiſb. ni Tribus 14. Septembr. 1669.

Reichs Gutachten.

DEr Röm. Käyſ. May. zu gegenwertigem Reichstag bevolmächtigten höchſtanſehlichen Principal-Commiſſario, dem Hochwürdigſten Fürſten und Hern / Hern Marquarden / Biſchoffen zu Eichſtad / des H. Röm. Reichs Fürſten ꝛc. bleibt hiermit gebührend unverhalten / was maßen bey gegenwertiger Reichs verſamblung in puncto des particular-anſchlags zu der vorhabender algemeiner Reichsverfaſſung / nach und nach weittere deliberation gepflogen worden / in meinung ſich darüber derogeſtalt mit einander zu vereinigen/ das auch ſo gleich alhier gedachten quanti particularis halber / ein vollſtändige richtigkeit gemacht werden möchte. Nach dem mahln aber es darbey allerhand difficultaten abgegeben/ und dahero J. Käy. May. allergnädigſten vorſchlag nach ſich Cräys weis auff ein gewiſſes quantum vernehmen zulaſſen / und deſen particular-reparition an erſtgemelte Cräyſe ſelbſten zuverweiſen für guth angeſehen worden; Als hat man aller höchſtgedachter J. Käy. May. die diesfals / iedoch mit gewiſſen bedingungen beſchehene Circular Erklährungen/ vermög der beylag / auch hiermit aller unterthänigſt hinterbringen wollen/ mit angehefften allergehorſamſten erſuchen / das der §. des Reichsabſchieds de anno 1654. und gleich wie dieſes hochangelegene werck / auch auff dieſe Reichsverfaſſung extendirt werden möge / ſo dan/weiln darfür gehalten werden will/ das einige Cräys ſich noch etwas weniges / als es ſein ſolle erklährt / Sie allergnädigſt geruhen wollen dieſelbe durch bewegliche allergnädigſte zuſchreiben / oder auff andere dienliche weis und weg zu einem mehrern beytrag damit ſoviel möglich / zwiſchen den Cräyſen und Ständen eine billigmäſſige proportion gehalten werde/zu vermögen/ wie auch allergnädigſt dahin bedacht zu ſein/auff das die Reichs Ritterſchafft zu ſolchem algemeinen defenſions werck ebenmäſſig der gebühr concorrire, auch nachgehends wie und welcher geſtalt dieſelbe ſich / und wie hoch zu einem gewiſſen quanto erklähret / zu der Stände nachricht allergnädigſt communicirt werde. Und demnach ſchlieslichen mehr allerhöchſternandte J. Käy. May. allergnädigſte reſolution auff das in puncto der Legations-koſten ergangene allerunterthänigſte Reichs bedencken noch nicht einkommen; Als wird umb deren beforderung gleichsfals allerunterthänigſt gebethen / und thue im übrigen beſagten Käyſerl. Hern Principal-Commiſſarij Hochfürſtl. Gn. Chur-Fürſten und Ständen anweſende Räthe/ Bottſchafften und Geſandte ſich beſten fleiſſes und gebührend empfhelen. Signatum Regenſpurg/den 17. Sept. 1669.

L. S.

Churfürſtl. Mäyntziſche Cantzley

Vt

Verzeichnüs.

Dict. ibid. Eod. Beylag zu dem Reichs Gutachten.

WIr hernachbenandte Zehen Cräys / welche gleichwohl ohne præjudiz der ordnung geſetzt / ſich ratione quanti zu der bevorſtehender algemeiner Reichs-verfaſſung/ theils iedoch nur ſub ſpe rati vernehmen laſſen. (1.) Der Chur Rheiniſche erklähret ſich auff 1400. zu Fues und 700. zu Pferdt. (2.) der Ober-Sächſiſche auff ein duplum cum dimidio der bisherigen gewöhnlichen Reichs-matricul anſchlag nach (auſſer der geringer Gräfflich-Mansfeldiſchen moderatiõ) ſo an Manſchafft gleichfals bey nahe 3000. Mann austrägt. (3.) Der Oſterreichiſcher Cräys erbietet ſich ad 3000. Mann. (4.) der Burgundiſche Cräys / were über die communicirte Circulär Reparation noch nicht plenariè inſtruiret, aber täglich der inſtruction erwartend / und hette das Reich ſich immittelſt zu verſichern/ das man ratione iſtius Circuli nicht ermangelen werde pro bono publico ſich der gebühr nach zuerzeigen. (5.) der Fränckiſche Cräys offerirt 2150. Mann/1450. zu Fues/und 700. zu Pferdt (6.) Der Bäyeriſche Cräys / ohne das Ober Pfältziſche contingent, von 1600. bis 1700. Mann/ mit einſchlieſſung des Käyſersheimiſchen quanti, worgegen aber ſo wohl ex parte des kloſters Käyſersheim ſelbſten / als auch des Schwäbiſchen Cräyſes reſpectivè proteſtirt und die notturfft reſerviret worden. (7.) der Schwäbiſche Cräys 3000. Mann. (8.) Der Ober-Rheiniſche Cräys 2100. Mann/ ohn das Lottringiſche und Savoyiſche contingent, und dennach des Heren Hertzogen zu Lottringen Fürſtl. Durchl. als erſtgedachten Cräyſes Mit-Stand / ſich anfangs zwaren à parte auff 1500. Mann/benandlichen

500. zu Pferdt/ und 1000. zu Fues anerbietig gemacht / ſolche auch zu leiſten noch erbietig ſein; Nachdem aber von einem oder andern Stand deſſentwegen difficultäten und bedenckens hinwieder geführt; So iſt ſolchem nach ex parte Sr. Fürſtl. Durchl. die erkläh-rung endlich dahin alternativè erfolgt / damit des Cräyſes quantum der 3000. Mann völlig und complet werde / weiln die ex parte des Cräyſes gethane offerten ſich über 2100. Mann nicht belauffen und mit J. Fürſtl. Durchl. Churfürſtl. anſchlag und quaoio nicht erfüllet; Sie entweder dem Cräys und Reich zum beſten / die übrige / was zu complirung der 3000. Mann abgehen müſte / auff ſich nehmen oder es bey denen offerirten 1500. Mann nochmaln verbleiben zu laſſen. (9.) Der Weſtphäliſche Cräys erklähret ſich auff 3000. Mann. (10.) Der Nieder-Sächſiſche Cräys ſimiliter auff 3000. Mann. bey welchen erklährungen und offerten von beſagten Cräyſen/ ſo ſich auff ein gewiſſes quantum vernehmen laſſen/ folgende conditiones und reſervationes angehänget worden. (1.) Das ſelbige allein per modum proviſionis, und ohne reſpect der Matricul zuverſtehen. (2.) Nur 5. Jahr continuiren, unterdeſſen aber die rectificatio Matriculæ nicht allein vorgenommen/ auch noch vor endigung dieſes Reichstags de modo, tempore & loco ein gewiſſes entſchloſſen / ſondern ſelbige auch in gemelter zeit der 5. Jahren abgehandelt / auch (3.) dergleichen reſpectivè erklähr- und übernehmung des dermahligen quanti einen ieden Cräys und Stand ohne nachtheil und conſequentz ſein; auch weder ietzt/ noch ins künfftig / reſpectu anderer Reichs-Collecten und Onerum zu præjuditz oder einiger verfänglichkeit gedeutet werden ſolle:

Dict. Ratiſb. in Tribus 24. Septemb. 1669.

Verzeichnüs.

Wie ieder Cräys ſich ratione quanti zu bevorſtehend-algemeiner Reichs Verfaſſung vernehmen laſſen.

(1.) DEr Chur-Rheiniſche erklähret ſich auff 1400. zu Fueß / und 700. zu Pferdt. (2.) Der Ober-Sächſiſche auff ein duplum cum dimidio, dem bisherigen gewöhnlichen Reichs matricul-anſchlag nach / ſo an Manſchafft 2900. Mann/ ſalvo errore calculi austrägt / ohne abzug und moderation, auſſer was bey dem auff unterſchiedlichen Cräysſtägen nach itziger zeitt alzuhoch befundenen Graffl: Mansfeldiſchen anſchlags etwan bis zur helffte abgehen möchte. (3.) der Oſterreichiſche Cräys erbiettet ſich ad 3000. Mann/ ohnerachtet ſolches quantum, reſpectu der Jenigen/ welche ſich auff ein duplum cum dimidio ſimplo erklähret/ mehrers als das quadruplum ertrage. (4.) Burgundiſcher Cräys were über die verfertigte Circular-Repartition noch nicht plenariè inſtruiret, aber täglich der inſtruction erwartend / und hette das Reich ſich immittelſt zu verſichern / das man ratione iſtius Circuli nicht ermangelen werde pro bono publico ſich der gebühr nach zubezeigen. (5.) der Fränckiſche Cräys offerire 2150. Mann / 1450. zu Fueß / und 700. zu Pferdt. (6.) der Bäveriſche Cräys / ohne des Ober-Pfältziſchen contingents, 1600. bis 1700. Mann / mit einſchlieſſung des Keyſersheimiſchen quanti worgegen aber / ſo wohl ex parte des Kloſters Keiſersheim ſelbſten / als auch des Schwäbiſchen Cräyſes reſpectivè proteſtiret und die notturfft reſerviret worden. (7.) der Schwäbiſche Cräys/ 3000. Mann. (8.) Der Ober-Rheiniſche Cräys 2100. Mann/ ohne das Lottringiſche und Savoyiſche contingent, und demnach des Herrn Hertzogen zu Lottringen Fürſtl. Durchl. à part auff 1500. Mann/ benantlichen 500. zu Pferdt/ und 1000. zu Fueß ſich anerbietig gemacht; So haben einige auff der weltlichen Banck im Fürſten raht die Erinnerung gethan / das die annehmung und gebräuch ſolches quanti andern Ständen und Benachbarten nicht zu nachtheil verſtanden werden ſolle. (9.) der Weſtphäliſche Cräys erklähret ſich auff 3000. Mann. (10.) der Nieder-Sächſiſche ſimiliter auff 3000. Mann: bey welchen erklährung- und offerten/ von beſagten Cräyſen/ ſo ſich auff ein gewiſſes quantum vernehmen laſſen / folgende conditiones und reſervationes angehänget worden. (1.) das ſelbige allein per modum proviſionis und ohne reſpect der Matricul zuverſtehen. (2.) Nur 5. Jahr cō:inuirē, unterdeſſen aber die rectificatio Matriculæ nicht allein vorgenohmmen / und noch vor endigung dieſes Reichstags de modo, tempore & loco ein gewiſſes entſchloſſen / ſondern ſelbige auch in gemelter zeit der 5. Jahren abgehandelt werden / auch (3.) dergleichen reſpectivè erklähr- und übernehmung des dismahligen quanti einem ieden Stand ietzt und ins künfftige ohne conſequenz, ſo wohl reſpectu der vorhabenden defenſion, als andern Reichs-Collecten und onerum halben gantz ohn præjudicirlich und ohverfänglich ſein ſolle / darbey auch die moderati die bereits erhaltene moderationes Jhnen reſerviret, im übrigen iſt man der meinung / das nunmehr berührte Erklährungen und offerten J. Käy. May. allergnädigſt zu hinterbringen/ und Sie beneben allergehorſambſt zu erſuchen / das der 5.te des Reichs abſchieds de anno 1654. und gleich wie dieſes hoch angelegene werck etc. auff dieſe Reichsverfaſſung extendiri werden möge/ und dafern Sie allergnädigſt befinden ſolten/ das ein- oder anderer Cräys reſpectu der übrigen etwas mehrers thun könte / als anerbotten worden / Sie allergnädigſt geruhen wollen/ denſelben durch bewegliches allergnädigſtes Zuſchreiben / oder auff andere dienliche weiſe und wege es dahin zurichten / damit / ſo viel möglich / zwiſchen den Cräyſen und Ständen eine billichmäſſige proportion gehalten werde. Und demnach ſchlieslich / allerhöchſtgedachte J. Käy. May. allergnädigſte reſolution auff

die

Digitized by Google

die Jüngſtere in puncto des Müntzweſens/ und der Legations Koſten ergangene allerunterthänigſte Reichs bedencken noch nicht einkommen/ ſo were bey ſolcher occaſion auch ümb deren beförderung aller unterthanigſt anzuſuchen.

Dict. Ratiſb. in Tribus 27/17. Novemb. 1669.

Käyſerliche Reſolution.

DEr Röm. Käy. May. Unſerm allergnädigſten Hern/ iſt von dero zu gegenwärtigem Reichstag verordneten höchſtanſehnlichſten H. Käyſerl. Principal-Commiſſario, dem Hochwürdigſten Fürſten und Hern/ Hern Marquard Biſchoffen und des H. Röm. Reichs Fürſten zu Eichſtatt ꝛc. eingeſchickt worden/ was des H. Röm. Reichs Chur-Fürſten und Ständen Gevolmächtigte Räthe/ Bottſchafften und Geſandte demſelben unterm dato den 12. Septemb. jüngſthin in puncto ſecuritatis publicæ für ein Reichsbedencken übergeben laſſen/ welches haubtſachlich dahin geſtellet iſt/ das allerhöchſtgedachte Käyſerl. May. geruhen wolten/ die jenige Crays/ welche ſich zu einen wenigern als es ſein ſolten/ erkläret haben/ durch bewegliches Zuſchreiben/ oder auff andere dienliche weis und weg/ zu einen mehrern beytrag/ damit ſo viel möglich zwiſchen den Cräyſen und Ständen eine billichmäſige proportion gehalten werde/ allergnädigſt zuvermögen/ wie auch dahin bedacht zu ſein auff das die Reichs Ritterſchafft zu ſolchen allgemeinen defenſions-werck ebenmäſig der gebühr nach concurrire, ſo dan ſolgends/ wie und welcher geſtalt dieſelbe ſich/ und wie hoch zu einem quanto erklähret/ zu der Ständen Nachricht allergnädigſt communiciret werde/ und was auch ſonſten in angeregten Reichsbedencken/ wegen der Legations koſten erinnert und erwehnet worden ꝛc. Allerhöchſtgedacht Käyſerl. May. haben hochernandtes Hern Principal-Commiſſarii Hochfürſtl. Gnad. allergnädigſt auffgetragen/ vorermelter Chur-Fürſten und Ständen Räthen/ Bottſchafften und Geſandten loco Reſolutionis hinwiederum ſo viel zu bedeuten/ das S. Käyſerl. May. im werck begriffen ſein/ nicht allein denen jenigen Cräyſen/ welche noch etwas wenigers/ als es ſein ſollen/ zu contribuiren ſich erklähret haben/ angelegenheitlich zuzuſchreiben/ ſondern auch die unmitelbahre Reichs-Ritterſchafft dem herkommen gemäs zu erſuchen/ das dieſelbe zu dieſem algemeinen defenſions-werck ebenmäſig concurrire, und das Ihrige dem algemeinen Vatterland zum beſten gleichfals beytrage/ und laſſen zumahl S. Käy. May. Ihro nicht zu wieder ſein/ das man ſich unterdeſſen wegen rectification der matricul ratione modi, temporis & loci eines zu länglichen Schluſſes vergleiche/ und Ihro die Stände/ dero gemüths meinung darüber durch ein ordentliches Reichsbedencken eröffnen/ worauff ſo dan dieſelbe ſich befindenden dingen nach zu reſolviren nicht ermangelen werden/ ſo ſeind auch erſt aller-höchſtermelte Käy. May. des allergnädigſten erbietens bey der bevorſtehenden Reichsverfaſſung nicht nur mit denen bereits offerirten 3000. ſondern auch weiters mit 1000. und alſo mit 4000. jedoch alſo und derogeſtalt zu concurriren, das herentgegen dero geſambte Erb-Königreich/ Ertz-Hertzogthümber/ Fürſtenthümber und Länder/ ſalvis tamen Iuribus, privilegiis & exemptionibus, welche jetzgedachte Erbkönigreichen/ Ertz-Hertzogthumb/ Fürſtenthumb und Ländern/ von unerdencklichen Jahren zukommen/ und angehörig ſeind/ in die allgemeine Reichs garantie mit einverleibt/ und eingeſchloſſen werden/ und deſſen in allen begebenheiten fähig und theilhafftig ſein und bleiben ſollen. So hetten auch S. Käy. May. kein bedencken gehabt/ wan der zu dieſer Reichsverfaſſung præfigirte 5. Jährige Termin auff 7. Jahr were erſtreckt worden/ könten es aber endlich auch Ihres orts bey denen 5. Jahren bewenden laſſen; wegen der Legations-koſten aber/ hette Ihr Käy. May. Sich bereits erklähret/ die Stände und deren Geſandte ſolten die Reichs geſchäffte befordern/ ſo wolten Sie ſich auch wegen bemelter Legations koſten noch vor ausgang dieſes Reichstages allergnädigſt reſolviren/ worbey es S. Käy. May. nochmals bewenden laſſen/ welches alles obhochgedachte Herrn Käyſerl Principal-Commiſſarii Hoch Fürſtl. Gnad. aus Ihr. Käy. May. allergnädigſter Verordnung mehrerſagter Chur-Fürſten und Ständen Gevolmächtigten Räthen/ Botſchafften und Geſandten hinwiederum anzufügen nicht unterlaſſen ſollen/ denen dieſelbe mit freundſchafft/ geneigten willen/ und allem guten wohlzugethan und gewogen verbleiben. Signatum Regenſpurg den 19. Novemb. 1669.

(L. S.) Marquard

Dem Hochlöbl. Chur Mäyntz: Reichs Directorio einzulirffern.

FINIS.

Digitized by Google

ADDITIO XXIII.

Qvum illuſtrationi l.1.c.7. Limnæi Enucleati plurimùm inſerviat Nobiliſſ. Dn. D. Conringii Tractatus, auro contra carus, de Finibus Imperii, illum, hactenus à plurimis deſideratum, appendici meo Limnæi Enucleati, publicum Reipubl. literariæ bonum Supremam legem ducens, inſerendum duxi.

CAPUT I.

Romani Imperii veteris res ac iura ad Germanicum Imperium non pertinere, adeoque nec huius fines ex Romanis illis petendos.

IMPERII Germanici publicam rem, ſeu adminiſtrationem ſtatumque perluſtraturis, exordium operæ faciundum eſt ab Imperii illius finibus: utpote quo in notitiam venium regiones omnes & populi ad Imperium illud pertinentes. Hi nempe ſubjectum, ut ita loquamur, ſunt reipublicæ; ſubjectam vero ante omnia ſemper venit cognoſcendum in ſingulis rebuſpublicis; quoniam regimen omne circa populum verſatur, eiuſque bona omnia; eoque num illud recte vel ſecus ſeſe habeat ad ſubjecti populi naturam & conditionem, optime omnium poteſt exigi. Etſi vero de populis ac regionibus longe plura merito ſcire par eſt, ad id uti plene addiſcas Imperij naturam, nunc tamen nobis quidem non niti de Finibus ejus agere propoſitum eſt: idque compendio duntaxat, & hoc ipſum argumentum & reliqua illa prolixius aliàs perſecuturis. Non abs re vero erit, ſi tamen nunc ſimul etiam indicemus, quo jure fiat, ut hi populi & hæ provinciæ in communi iſthac vivant republica: brevi pariter facta inquiſitione, num forteſſis aliæ provinciæ i-huc jure pertineant necne. Nam hoc etiam inprimis intereſt intelligere, & tamen nequaquam fortaſſis in omnibus eſt notitia obvia.

Cæterum hæc antequam agamus, removendus è medio eſt vulgaris & quaſi paſſim receptus error, quo creditur, Imperium Germanicum eſſe laciniam veteris Imperij Romani. Hinc ſane voluut pene omnes, quæ hodieque illuc pertinent regiones populoſque, vel jam tum florentibus Romanorum rebus in noſtrum hunc aut ſimilem morem fuiſſe compoſitos, vel vero ſaltem jure illo, quo olim Romanæ provinciæ unum in corpus convenerunt, etiam nunc omnia contineri: ac proinde quæ hodie ab Imperio noſtro haud poſſidentur, illa, tanquam à corpore Imperij Romani ſeparata, cenſenda, & hoc reſpectu habito, jure an injuria id fiat, ſtudioſè inquirendum eſſe. Sunt autem in hac ſententia haud pauci, nec indocti; non fortaſſis alij tamen, quam qui Iuſtinianeo juri unice, neglecto omnis hiſtoriæ noſtræ veteris uſu, incubuerunt. Hos enim ſolos videas, de omni hoc negotio atque adeo & de exemptione, quam vocant, regnorum provinciarumque pene univerſi mundi, à juribus Imperij Romani, illis quæ diximus fundamentis nixos, ab eo uſque tempore, quo in Italia renata ſunt Romani Iuris ſtudia, uſque huc, acriter contendere. Verumenimvero potiſſima hodie Imperii Germanici, quæ Danubio, Rheno, Oceano & mari Balthico includuntur, florentiſſimis etiam Romanorum rebus, nunquam vel non niſi levi ex parte ac breviſſimo tempore, fuêre Romani juris. Nec enim nunc moror ineptam ſententiam, quaſi Romani veteres vel tenuerint Imperio ſuo univerſum mundum, vel omnem illum occupandi jus habuerint. Alia omnia quæ hodie Germanici Imperij finibus includuntur, jam ante mille annos & quod excurrit, ita à populis Germanicis occupata ſunt, ut una cum poſſeſſione recuperandi quoque jus Romanum Imperium jamdudum amiſerit. Sed & antequam dignitas Cæſarea una cum Imperij Romani juribus ad Carolinam Francorum Regum familiam, & hinc ad Germaniæ Reges deveniret, jam tum in unum plæraque Imperij hodierni concreverant; nec poſtea unquam ſive belli aliquo jure ſeu ſpontaneo quodam conſenſu in jus veri Romani Imperij tranſierunt, tametſi in nomen illud ſenſim quaſi adoptata ſint. Reapſe denique nihil vere Romanum Germanici eſt juris factum, præter dominium Vrbis Romæ & nonnullas Italiæ regiones; quas cum aliquandiu per exarchum Ravennatenſem Cęſares qui Conſtantinopoli commorabantur, rexiſſent, & mox occupaſſent Langobardorum in Italia Reges, his iterum ereptas Pipinus & Carolus Magnus Francorum reges Romanis Pontificibus donaverant. Quamrem omnem latius perſecuti ſumus libro de Germanorum Imperio Romano.

Ex hiſce vero ſatis utique apparet, originem atque jura omnium Germanici Imperij provinciarum, non ex illis dudum exoletis veteris Imperij Romani rebus, ſed aliunde profluere, adeoque ex aliis longè fontibus etiam negotii hujus univerſi notitiam petendam eſſe. Imo vero cum

addit.

A

Germanicum Imperium omni ſit ex parte liberum, nec antiqui illius Romani jure aut prætextu quicquam præter pauca illa modo dicta teneat, & quidem illa quoq; teneat nullo veteris Imperij Romani beneficio: ad hoc quoniam quicquid olim fuit Romani Imperij in omni hoc occidente, id jam ultra mille annos una cum recuperandi juribus perierit; nemini non manifeſtum eſt, originem Imperij Germanici ejuſque in varias provincias jura ab ipſiſmet Germanicis rebus dependere, & ex conſequenti horum omniū intelligentiam non ex alienis quibuſdam, ſed propriis & domeſticis monumentis deſumi ac dijudicari oportere.

CAP. II.

De Francorum Imperii origine & inſigni amplitudine.

IGitur domeſtica illa conſulentibus de origine Imperij Germanici, ejuſque cum incremento tū decremento, ita pene rem ſeſe habere deprehendere eſt. Cum Germania omnis multos in populos ſibi mutuo adverſantes hactenus ſemper fuiſſet diviſa, quicquid etiam ejus cis Rhenum fuit, Germaniæ primæ & ſecundæ, Belgicæ item primæ nominibus, pridem Romani tenuiſſent, rara armorum felicitate, per Francos primum, qui jam Galliam quoque uti poſt Italiam occupaverant, in unum tandem corpus cum Italia & Gallia cœpit coaleſcere. Ipſi Franci ab antiquiſſimis uſque temporibus, Catti tunc appellati, jamdudum tenuerant eximiam Germanię partem, quæ hodieque Francia vel Franconia audit, à Bojohemo uſque, cis Bacenim ſylvam ſeu Thyringorum ſaltum, in hanc Saxoniam uſque inferiorem exporrectam, quibus cum Chamavi, Bructari & Ampſivarij acceſſiſſent, omnis ille trans Rhenum tractus à Ducatu Bergenſi uſque in Wirtebergenſem, non minus in nomen quam in jus Francicum pervenit, idque florentibus jam tum Romanorum rebus, quemadmodum alibi multis oſtendimus. Collabaſcentibus inde paulatim Romanorum viribus & rege ſibi creato, initio ripam reliquam omnem Rheni in Friſios uſque, mox Rheno trajecto Germaniam ſecundam & potiora primæ, Belgicam item utramque aliaſque nonnullas Galliæ provincias, in ditionem ſuam Franci iidem redegere.

Non multo poſt ingenti clade, anno quadringenteſimo nonageſimo nono, circa Tolbiacum à Clodovæo rege cæſis Alemannis, longe potentiſſimo rum Germaniæ populo, provinciam ſuam iidem fecere quicquid hactenus Alemannici fuerat juris, omnemque adeo Sveviam, Helvetiam, Bavariam, quædam item cis Rhenum magnæ Sequanorum provinciæ & Germaniæ primæ.

Thyringiam univerſam, uſque ad Salam amnem & Saxoniæ fines, circa annum quingenteſimum viceſimum quartum adjecere, regno Thyringorum in Hermenfrido regum ultimo deſtructo. Eadem tempeſtate in Gallia, quicquid ejus Burgundiones & Weſtrogothi occupaverant, exſtincta plane Burgundionum republica & Gothis in Hiſpaniam pulſis, in Francici regni jus conceſſit.

Carolo Martello duce circa annum ſeptingeſimum viceſimum octavum, devicto Ratbodo Friſiorum Rege, regnoque eorum diſſoluto, omnis maritima Germaniæ ora à Rheni oſtiis uſque ad Viſurgim, adjecta eſt Francorum ditioni: quod ejus reſiquum in Cimbrica cherſoneſo jam tum Friſij occupaverant Danis acceſſit, ad quos pulſus Ratbodus confugit.

Friſios Saxones ſecuti. ſæpius etenim licet rebelles, Caroli Magni feliciſſimis armis ſubacti ſunt. Quo ingens terrarum tractus, validique populi Oſtphali Weſtphali & Angrivarij in Francici regni poteſtatem conceſſere. Eginhardus amplitudinem terræ deſcribens, ait: *Saxonia non modica eſt Germaniæ pars, & ad eam quæ à Francis incolitur latitudine dupla putatur, cum longitudine poſſit eſſe conſimilis.*

Poſt Saxoniam idem Carolus Magnus Hunnis devictis, *adjecit* (verba ſunt itidem Eginharti) *utramque Pannoniam, & oppoſitam in altera Danubij ripa Daciam, Iſtriam quoque & Liburniam atque Dalmatiam: exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam & junctum cum eo fœdus Conſtantinopolitanum Imperatorem habere permiſit.* Quo apparet, ingentem tunc ea parte Imperio Francorum acceſſionem factam: quippe cum Bavaria provinciarum ultima, & hujus terminus Aneſus amnis, (ut ex Annalibus Francorum anni ſeptingenteſimi nonageſimi primi conſtat) hactenus fuiſſet.

Idem deinde Carolus Magnus (ut porro loquitur Eginhartus) *omnes barbaras ac feras nationes, quæ inter Rhenum ac Viſtulam fluvios, Oceanumque & Danubium poſitæ, lingua quidem pene ſimiles, moribus vero atque habitu valde diſſimiles Germaniam incolebant, ita perdomuit, ut eas tributarias efficeret.* Ex quo Eginharti teſtimonio diſcere eſt, Sclavicas aut Vendicas illas gentes (Polonis tamen forte, adeoque & Sileſiis, Polonorum tum parte, exceptis, nec enim de his perinde conſtat) quæ omnia à Sala uſque amne, (ut *qui*, eodem teſte Eginharto, *Thyringos & Sorabos* Sclavos *tum diviſit*,) ad Albim & inde trans Albim circa maris Balthici littora uſque ad Viſtulam, Bojohemum item ac Moraviam ad Danubium uſque, tum temporis jamdudum, (ex quo inde Germanicæ gentes, irruptione in provincias Romani Imperij facta, diſceſſere,) impleverant; quadantenus in ditionem Francorum perveniſſe.

Ad hæc idem Carolus in Italia primum omne Langobardorum regnum, exſtincto ultimo eorum Rege Deſiderio, mox etiam Exarchatum Ravennatenſem ac Pentapolin, aliaque Romano Pontifici à patre Pipino & ſeſe donata, una cum ipſa Vrbe Roma & jure tituloque Cæſareo, adeoque Italiam univerſam, ab Auguſta Prætoria uſque in Calabriam inferiorem, Francorum regno adjecit. Ex omnibus ſc. Italiæ regionibus unica fere Calabria manſit in ditione Cæſarum Conſtantinopolitanorum. Pręterea vero urbs quoque Veneta in jus Francorum non tranſiit. Etſi enim & hanc navali prælio ſubegiſſet, idque auſpiciis paternis Pipinus Caroli filius anno octingenteſimo decimo, eodem tamen anno pace æterna inter Carolum & Nicephorum Conſtantinopolitanum conſtituta, huic per Carolum *Venetia reddita eſt*, ut quidem diſerte memorant annales Francorum. Veneti ipſi referunt & Pipinum Venetæ urbis omnia non occupaſſe, & magna viciſſim clade à Venetis affectam, nec pacto illo pacis Vrbem Conſtantinopolitano redditam, ſed

diſertis

diſertis pacti verbis cautum eſſe, ut Venetis inter utrumque Imperium Orientale & Occidentale poſiti, liberi atque immunes & ab utroque ſecuri viverent. Quæ etſi fortaſſis minus ſint veriſimilia, utpote quæ adverſentur omnium ejus ævi antiquiſſimorum annalium fidei, nihil tamen noſtra refert, ſive credas ſive neges; cum certum ſit urbem illam in jus Francorum non perveniſſe.

Poſtremo cum jamdudum in Galliis Aquitaniæ & Vaſconiæ, in Germania Bavariæ Duces potentiſſimi, regia pene poteſtate & Francorum regnum vix comiter obſervantes, imperaſſent: haſce quoq; provincias fugatis & exſtinctis Ducibus, ſub integrum imperium Carolus iterum redegit; promotaque armorum felicitate, *totum Pyrenei montis iugum* (verba ſunt Eginharti) *& uſq; ad Iberum amnem, qui apud Navarros ortus, & fertiliſſimos Hiſpaniæ agros ſecant, ſub Dertuſa civitatis mœnia Balearico mari miſcetur*, adeoq; proximam Hiſpaniæ partem, quæ hodie regnum Navarrenum Cataloniam & Arragoniæ potiſſima complectitur, occupavit.

CAPUT III.

De Francorum Imperii in tres partes diviſione, atque adeo de prima origine regni Germanici aut Orientalis Francorum ab aliis iam ſeparati.

IN hunc modum latè patuit, Carolo Magno rerum potiente, adeoque initio ſeculi noni, Francorum Imperium. In eandem potentiam ſucceſſit quidem filius ejus unicus Ludovicus, quem Pium nunc ipaut. Hic & alibi tamen illa haud exiguam fecit jacturam, cumprimis poſt non minus imprudentia Ludovici patris tunc tempus Imperium inter filios dividentis, & diviſionem illam non multo poſt improbantis & mutantis, quam Lotharij filij ambitione, ſuſcitatum inter patrem & filios, imo & inter ipſos filios ferale diſſidium.

At Ludovico mortuo, poſteaquam ingentibus prælijs, cumprimis eo, quod ad Fontiniacum anno 840. geſtum eſt, & ſeſe mutuo & temp. omnem miſerrime afflixiſſent, pace tandem conſtituta, tres fratres, Lotharius, Ludovicus & Carolus totidem in partes omne Francorum Imperium diviſere, quod ex eo nunquam in unum potuit coaleſcere. Illa partitio quemadmodũ fuerit inſtituta, accuratè eſt obſervandum, idq; ideo, quoniam originem huic & jura ſua propria debent, cum hoc noſtrum Germanicum ſeu (ut tum & multis poſt ſeculis audiit, antequam Romani Imperij cognomentum invaleſceret) Orientale Francorum regnum, tum Gallicum, quod hodieque κατ᾽ ἐξοχὴν Francicum dicimus, olim Occidentale Francorum regnum nuncupatum. Non aliunde rectius illius diviſionis notitia poſſet peti, quam ex Nithardo, qui de diſſidio illo fraterno & pace compoſita quatuor libros conſcripſit, ipſemet ut Bertha filia Caroli Magni natus ita magnis negotiis illis paciſque iſti compoſitioni à Caroli partibus admotus, niſi illius opus vitium ævi ſiue mutilaſſet. Nec vero illa quæ ex neſcio qua appendice Aimoini à Pithœo adjecta eſt Nithardo diviſionis formula, ad hanc rem (quod tamen viſum eſt Pithœo) quidquam facit: quippe quum nobiliſſima

addit.

illa inter fratres tres partitio contigerit anno 842. iſta autem Pithœana demum anno 870. perinde atque Sigeberti quædam de hac nobili diviſione perperam ſunt inſerta *l.* 4. Nithardi *pag.* 478. *edition. Francofurt.* Quapropter alijs teſtimonijs, de quorũ tamen fide dubitare non poſſis, res omnis hæc illuſtranda eſt. Atque antiquiſſimus quidem illique ævo maxime vicinus, Annalium Fuldenſium autor fuerit. Verum parum nos juvat ille quia limites non exactè diſinivit ſuis vocabulis. eoque non eſt quod illis huc, adducendis immoremur.

Regino vero Abba Prumienſis doctiſſimus, ſimul & nobiliſſimus Germaniæ chronographus, ita pene loquitur: *Anno dominica incarnationis 842. tres fratres Imperium Francorum inter ſe diviſerunt, & Carolo occidentalia regna ceſſerunt, à Britannico Oceano uſque ad Moſam fluuium. Ludovico vero Orientalia: ſcilicet omnis Germania uſque ad Rheni fluenta, & nonnulla civitates cum adiacentibus pagis trans Rhenum propter vini copiam. Porro Lotharius qui & maior natu erat & Imperator appellabatur, medius inter utroſque incedens, regnum ſortitus eſt, quod hactenus ex eius vocabulo Lotharingia nuncupatur, totamque Provinciam* (id eſt Galliam Narbonenſem) *nec non omnia regna Italiæ cum ipſa Roma Vrbe.* Reginonis verba tranſcripſit Marianus Scotus, ac proinde non eſt, quod illum teſtem voccmus. Iiſdem autem propemodum verbis uſus quidem eſt Sigebertus etiam Gemblacenſis; quoniam tamen nonnulla ille habet aliquatenus diverſa, eaque magni momenti, itaque ejus teſtimonium addere operæ erit pretium. *Deſcripto* ait ille, *in tres partes regno, fratres ad Vrbem Galliæ Virodunum conveniunt, & inter ſe pacificantur, & datis & acceptis invicem ſacramentis, quiſque ad deſcriptas ſibi partes regni tuendas revertuntur. Carolus accepit occidentalia regna à Britannico Oceano uſque ad Moſam fluvium; in qua parte ex tunc & modo nomen Franciæ remanſit. Ludovico orientalia regna ceſſerunt; omnis ſc. Germania uſque ad Rheni fluenta, & aliqua trans Rhenum civitates cum adiacentibus pagis propter vini copiam. Lotharius, qui maior natu erat & Imperator appellabatur, omnia Italiæ regna tenuit, cum ipſa Roma, nec non & Provinciam & mediam partem Franciæ inter Scaldim & Rhenum, quæ mutato nomine ab eo denominatur Lotharingia.* Plenius utroque limites diviſi Francorum Imperij, etſi paucioribus verbis, perſecutus eſt accuratiſſimus Franciæ hiſtoriæ ſcriptor Paulus Æmylius *l.* 3. *Convenit*, inquit, *ut Franciæ Rex Carolus diceretur; eaque Arari, Rhodano, Scalde, Moſa, Oceano, Pyrenæo ſaltu contineretur: Ludovico Germania, Hunniaque* (id eſt Pannonia utraque) *cederet: reliqua opes ac Imperium penes Lotharium forent.*

Ex quibus teſtimoniis patet, Rhodanum amnem citra controverſiam terminum conſtitutum regni Gallici. Et vero hinc cum alia tum Lugdunum & Vienna ad ipſam Rhodani ripam Lotharij in ditione fuêre: quemadmodum hoc tabulæ docent diviſionis illius, quam inter ſeſe Ludovicus & Carolus anno 870 inſtituerunt. Similiter vero & Moſam fuiſſe factũ limitem Carolini & Lothariani regni, certum eſt: Bene tamen & Sigebertus & Æmylius monuere, non ſimpliciter omnem Moſam factum limitem, ſed inferiore illius parte, qua videtur nimium juſto ad Rhenum accedere, Scaldim amnem

in locum quaſi ex conſtituto ſucceſſiſſe. Bene item monitum, ab Æmylio, Ararim fluvium ab initio ejus uſque dum Rhodano miſcetur, itidem factum fuiſſe limitem ejuſdem Gallici regni. Sane hunc in modum omnino rem ſeſe habuiſſe, ex ſecutis negotiis rebuſque manifeſtum eſt. Sed & ex ipſiuſmet Nithardi *l.4.* conſtat, legatos Caroli Lothario obtuliſſe, per errorem ut ille arbitratur, non tantum quod Moſam & Rhenum interjacet, ſed quod etiá porrigitur *uſque in Carbonarias*. Tabulæ quoque ipſæ illæ quas modo laudavi teſtes (ſunt autem, quas Nithardo adjunxit Pithœus, & ex parte alij cum Aimoino ediderunt) inter ea quæ ex Lotharij bonis Carolo obvenerũt, numerant Cameracum & Tungros Epiſcopales urbes, monaſterium S. Mariæ in Deonant, Comitatum Texandriæ, in Brachbanto Comitatus quatuor, Cameracenſium, Haniojum (qui hodie eſt Hennegaviæ) Lomenſem ſive potius Lovenſem, in Haſbanico Comitatus quatuor, & Muſaviæ ut & Liugarum ſive Leodicenſis territorij quicquid cis Moſam eſt Galliam verſus. Vt proinde dubium nullum ſit, ad Scaldim uſque Lotharianam portionem fuiſſe protenſam.

Audivimus porro, non ſimpliciter Rhenum conſtitutum fuiſſe regni Germanici limitem, verum trans Rhenum etiam civitates aliquot cum pagis adjacentibus Germanici juris fuiſſe factas. Quanquam vero urbes illas nec Regino, nec Marianus, nec Sigebertus, nec Æmylius expreſſerint: tamen ex monumentis illius ævi, cumprimis ex ijs quæ paſſim memorantur cum alibi tum in Annalibus Francicis a Petro Pithœo & Marquardo Frehero editis, liquet, fuiſſe illas non alias quam Moguntiam, VVormatiam, & Spiram.

Etſi præterea indubie Rhenus potiori ex parte fuerit contra Lotharij portionem limes regni Germanici conſtitutus; circa ejus exortum tamen in Helvetia paulo aliter videtur ſeſe res habuiſſe: non Rhenum ſcilicet ſed Vrſam amnem limitem præbuiſſe. Niſi fortaſſis Vrſa quondam fuerit habita Rheni portio. Sane videre nun eſt, quicquam ejus quod inter Vrſam eſt & Rhenum hodie ita dictum, ſive in diviſione regni Lotharij, quam poſt inter ſeſe Ludovicus & Carolus fratres anno 870. inſtituerunt, Ludovico traditum, ſive alio aliquo novo pacto Germanici eſſe juris factum; etſi luca quædam Helvetiæ quæ circa Arolam uſque ad Vrſam ſunt, iſta diviſione diſertim Ludovico ceſſiſſe, memorent. Argumento ſane id ſatis certo videtur eſſe, in prima ſtatim diviſione iſthac Germanico regno illa fuiſſe adjecta. Quæ conjectura confirmatur teſtimonio Guillimanni Helveticarum antiquitatum longe peritiſſimi ſcriptoris, qui diſerte *l.3 c.6. Habſpurgicarum Originum* ut & aliàs docet, Lotharium inter alia *Helvetiæ partem ad Vrſam uſque* nactum. Sed quemadmodum ante diximus, forte olim Vrſa Rheno accenſitus fuit.

Tale quid ſane circa Rheni ultima ad Oceanum olim hoc ipſo in negotio factum, licet obſervare. Etſi enim poſſit videri, limitem Lothario & Ludovico pariter ibi fuiſſe modicum illum Rheni alveũ, qui ſolus vero fluminis ipſius nomine, non multum infra Lugdunum Batavorum prope Cattovicum, Oceano olim miſcebatur, nunc oſtio eſt arenis obruto; ultra tamen ad Flevum uſque porrectũ Lotharij regnum, veriſimile ex eo eſt, quod, quantum ex Tabulis diviſionis inter Carolum & Ludovicum anno M. DCCCLXX. factæ, liquet, Lothario tres Friſiæ partes obtigerint: id quod quemadmodum fieri potuiſſet, niſi ad Flevum uſque Lotharij regnum fuerit productum, haud facile dixeris. Et vero Flevus quoq; ipſe olim inter Rheni oſtia habitus, quod diſerte teſtantur Mela *l.3.* Plinius *l.4. c.15.* Ptolomæo hinc oſtium Rheni orientale audiens: indubiè ex quo Druſus foſſa facta in Nabaliam ſive Iſalam Rhenum effudit. Nec tamen cum quoquam cõtenderim, qui alveo illo Rheni vetere Lotharij & Ludovici regna malit diviſa. Vltra Moſam & Vahalim certe, in quæ itidem ſeſe Rhenus diffundit, uſque ad alveum illum Rheno cognominem protenſum Lotharij regnum, cum aliunde tum ex illis ipſis modo adductis tabulis ſole clarius patet: quippe quæ Vtrecht, ſive Vltrajectum, ut hodie plærique placet, Comitatus item Teſtrebant & Batuam, ex illa Lotharij portione Ludovico ceſſiſſe, memorent. Et vero Doreſtadum quoq. in ditione fuiſſe Lotharij, narrant Annales Francici Pithœani anno 850. Hæc omnia autem trans Moſam & Vahalim ſunt.

Vbi obiter non poſſumus non ſaltim verbo animadvertere in eos, qui negare audent Batavorum terras, cumprimis eas quæ Hollandiæ hodie nominibus veniunt, fuiſſe in ditione Francorum Id quod etiam in elegante ſane libello Hugonis Grotij *de Antiquitate reipubl. Batavicæ cap.4.* affirmatur. Aſt viro illi ſummo nemo non facile condonarit, quod juvenis nimio in patriæ libertatem ſtudio nonnihil in hoc & alijs peccaverit: non diſſimulandus tamẽ facile hic error eſt. Vt vero taceam, quam ſit ab omni alienum veriſimilitudine, ſolos Batavos, gentem tenuem tum & egenam, ſui juris manſiſſe: utique ne veſtigium quidem libertatis illius in omnibus iſtius ævi monumentis comparet: compareret autem memoria rei illa ætate adeo inſolitæ & magnæ. Ex adverſo conſtat ea quæ poſt Hollandiæ & Zelandiæ audierunt Friſiæ tum accenſita: Friſiam autem univerſam devicto Ratbodo in jus Francorum conceſſiſſe. Adhoc jam tum ex Tabulis iſtis Pithœanis narravimus, Batuæ & Teſtrobantiæ Comitatus diſertim Lothario adſcriptos: qui hodie magnam Hollandiæ partem conficiunt. Nec vero aliæ ſunt inſulæ *Friſicæ* aut *Friſico littori adjacentes* tunc dictæ, quas cum anno 810. & poſt vaſtarent Dani aut tributis vexarent, Francorum reges ad injuriam ſuam pertinere id crediderunt, quam quæ nunc uno Selandiæ nomine nuncupantur. Quid quod apud ipſos Batavos illos unanimi conſenſu memorent priſca monumenta, primos Hollandiæ Comites à Francorum regibus eſſe conſtitutos, & ut in horum ita poſt Germanicorum Cæſarum obſequio vixiſſe: de libertate autem illa populari, vel à populo creatis Comitibus nuſquam vel gry reperiatur? Vt proinde nullum ſit dubium, novitium commentum eſſe illam quæ nunc fertur fabulam. Sane ante annum ſuperioris ſeculi octuageſimum forte nuſquam audita eſt. Verum hæc obiter.

CAP. IV.

De Imperii ſive Regni Germanici primis finibus.

EX hiſce quæ modo adduximus jam non difficile forte fuerit definire Germanicum regnum,

quale

quale illud primo fuit conſtitutum, & devenit in poteſtatem Ludovici. Etenim contra Galliam limites ejus qui fuerint, jam audivimus.

A Flevo autem ſive Rheni cognomine alveo deinceps Oceanus Friſicus terminum præbuit uſque in Eidoram amnem. Hic videlicet diſtinxit Saxoniæ & Daniæ fines: idque cum jam antehac, tum ex pacto primum inter Carolum Magnum & Hemmingum Danum Anno 811. (teſtibus Annalibus Francorum, Adamo Bremenſi, Alberto Stadenſi & aliis) inito, & non multo poſt Ludovico Pio Cæſare inter Saxones & Danos repetito. Et vero Annales illi Francorum quos Hermannus Nuenarius Comes edidit, de Godofredo rege Danorum ita loquuntur ad annum DCCCIIX. *limitem regni ſui qui Saxoniam reſpicit vallo munire conſtituit, eo modo, ut ab orientali maris ſinu quem illi Oſterſalt* (forte rectius *Oſterbelt*) *dicunt, uſque ad occidentalem Oceanum, totam Egidora fluminis aquilonarem ripam munimentum valli prætexeret: una tantum porta dimiſſa, per quam carpenta & equites emitti & recipi potuiſſent*. Hunc Saxoniæ & Daniæ limitem quaſi ratihabitum pace inter Carolum Magnum & Hemmingum Danum conſtituta, ex iiſdem Annalibus cum Nuenarianis tum Pithœanis manifeſtum eſt. Illi ajunt: *congredientibus ex utraque parte utriuſque gentis, Francorum ſcilicet & Danorum, duodecim primoribus ſuper fluvium Egidoram, datis viciſſim ſecundum ritum ac morem ſuum ſacramentis, pax firmatur*. Clarius id expreſſum eſt ab Adamo Bremenſe cap. 11. *Hemmingus rex pacem cum Imperatore faciens Egdoram fluvium regni terminum accepit*. Pene iiſdem verbis Albertus Stadenſis ad annum 810. *Extincto cælitus Godefrido, Hemmingus patruelis ejus ſucceſſit, qui mox pacem cum Imperatore faciens, Egdoram fluvium regni ſui terminum accepit*. De Ludovici Pii in Daniam expeditione Annales Nuenariani ad annum 815. ita ſcribunt: *Tunc omnes Saxonici Comites, omneſque Abotritorum copiæ cum legato Imperatoris Baldericho, ad auxilium Heriholto ferendum, trans Egidoram fluvium in terram Nordmannorum nomine Sinlendi perveniunt*. Iidem notant anno 828. Godfridi Dani filios *contractis ſubito copiis ad marcham veniſſe, & Francos in ripa Egidora fluminis ſedentes ac nihil tale opinantes adortos*. Quæ verba ſatis indicant hanc eſſe illam marcham, ſive hunc limitem ſignari, ab iiſdem Annalibus, quando narrant, juſſu Ludovici Pij Cæſaris anno 825. pacem cum Danis confirmatam *in eorum marca*. Nec vero eſt quod quenquam turbet inſtitutus à Ludovici Pio illo Hamburgenſis Archiepiſcopatus, per omnem ſeptentrionem, Daniam, Sveoniam, Norvegiam, Gronlandiam, Iſlandiam aliaſque regiones limitibus ejus extenſis, prout legere eſt in Tabulis Cæſariis quas Lindenbrogius publicavit: non enim ſacer conatus iſte Pij Cæſaris populos illos ſub Chriſti jugum mittendi ad Imperij vim quicquam attinet; eoque nec in illos jam Chriſtiano ordini accenſitos quidquam juris ſive ille ſive ſuccedentium Regum Cæſarumque alius ſibi iſthoc nomine unquam arrogavit. Vt Saxoniæ igitur, ita & Francici Imperij terminus certus tum Egidora fuit.

Vbi obiter non poſſumus non notare etiam aliquid de Saxoniæ illius Tranſalbinæ finibus orientalibus quales tum fuere. Namque Adamus quidem Bremenſis *cap. 62.* tradit, ita à Carolo & cæteris Imperatoribus diviſos à Sclavis Saxones, ut præter alia amnis Suentina in Balthicum mare effuſus utriuſque populi limes ſit. Quod equidem haud negaverim a Carolo ita conſtitutum circa annum DCCCXI. Annales enim hiſce verbis ad annum DCCCIV. utuntur: *Imperator in Saxoniam ducto exercitu, omnes qui trans Albim & in Wihmodi habitabant Saxones cum mulieribus & infantibus tranſtulit in Franciam, & pagos Tranſalbianos Abotritis dedit*. Hac ratione videtur omnis Saxonum Tranſalbina terra Abotritis Venedicæ genti ceſſiſſe. At ſeptimo circiter anno poſt facta in patriam eſt exulibus redeundi licentia; atque ita pars priſcæ Saxoniæ videtur ab exilio reverſis reddita, limitibus illis quos definit Adamus circumſcripta. Ea de re legitur in Tabulis illis Ludovici Pij Cæſaris modo laudatis: *Vnde poſtquam terram Tranſalbianorum, laxata captivitate, quam ob multam perfidiam in ipſis Chriſtianitatis initiis patratam, per ſeptennium paſſi ſunt, ne locus ille à barbaris* (hoc nomine Danos ſignificatos colligere eſt ex ijs quæ Annales de Egberto & ſtructa ab illo civitate Eſſesfelda anno DCCCIX. narrant colligere eſt) *invaderetur, Ekeberto comiti reſtituere præceperat. Poſtmodum vero captivis optatam ad patriam undique confluentibus, eandem parochiam cuidam presbytero Heredi nomine ſpecialiter commendavit*. Antehac vero multo latius patuiſſe ibi Saxoniam & quidem uſque ad Penem & Eldam amnes, haud obſcure indicant Tabulæ, quibus ille Carolus Magnus Verdenſem Epiſcopatum primum anno DCCLXXXVI. inſtituit. Etenim extra Saxoniam noluit quidem ille *dioeceſin* iſtam exporrigi, ut ipſæ illæ tabulæ docent: trans Albim tamen eos illi terminis dat, ut facile appareat latiores tum ibi Saxonum res fuiſſe, nec à redituris exulibus omnem terram redditam, ſed partem longe eximiam ejus Abotritis relictam. Tabulæ illæ hactenus non ſunt publicatæ, eoque forte haud injucundum fuerit ex ipſo autographo ſaltim ea hic dare quæ ad fines Epiſcopatus illius Tranſalbinos pertinent. *Dehinc trans Albiam, ubi Bilena mergitur in Albiam; dehinc in ortum Bilena: inde ubi Travena abſorbetur à mari: deinde uſque quo perveniatur ubi Pene fluvius currit in mare Barbarum: inde in ortum ejuſdem fluminis, hinc in Eldam, dehinc in Albiam*. Videtur ejus rei memoriæ poſtea datum, ut Pene fluvius terminus Hamburgenſis Archiepiſcopatus conſtitueretur, Sclavoniæ reliquæ ſacra curatione Magdeburgenſi relicta: id quod refert Adamus Bremenſis *cap. 61*.

Verum hæc obiter, Ad Eidoram Saxoniæ atque adeo Francici Imperij contra Danos terminum veterem ut tandem revertamur: etiam quo tempore inter filios Ludovici Pij iuſtituta eſt diviſio illa, amnem illum pari ut ante ratione finiiſſe ibi Francorum ditionem, diſertè teſtatur Witekindus Corbejenſis l. 1. *Ludovico*, inquit, *à Rheno uſque ad fines Illyrici & Pannoniæ, ad Eidoram quoque fluvium & terminum Danorum imperium erat*. Confirmatur idem verbis Annalium Pithœanorum anno 873. Hinc enim auctor diſerte narrat pacem inter Ludovicum hunc & Danicos reges initam, miſſis utrinque legatis *ad fluvium Egidoram, qui Danos & Saxones dirimit*. Vt proinde de illis quidem utriuſque Imperij finibus adverſus Danos, nullum amplius dubium ſupeſit.

Inde vero indubie mare Balthicum terminavit Francorum Imperium, idque forte uſque ad Viſtulam. Forte inquam: nec enim certo dixeris fluvium illum ut Pruſſos ita Polonos etiam à Germanici regni finibus diviſiſſe, cum nihil hujus liquido memorent Annales, & poſt Carolum Magnum, concidente reipublicæ vi, forte ijs in locis auctoritas Fräcorum nonnihil mutaverit. Veroſimile interim eſt, ad Pruſſos uſque etiam tum extenſam ibi reverentiam, adeoque ſaltim hactenus manſiſſe Viſtulam regni limitem, utpote qui jam tum Pomeraniam ac Pruſſiam diviſit. Polonia vero cum ſerius Germaniæ colla ſubdiderit, ipſa vero cis Viſtulam ſeſe porrexerit ad Oderam imo Bojohemum uſque, ab oriète illa quidem parte Viſtula non potuit eſſe pro termino. Vt merito forte dixeris, ibi quidem iiſdem illis Germaniæ regnum finibus fuiſſe tum clauſum, quibus etiamnum hodie à Polonia diſtinguitur: niſi quod Sileſia itidem extra fines collocanda veniat, utpote quæ multis demum poſt ſeculis à Polonia avulſa ſit.

In eodem latere infra Polonos ad Danubium uſque obſervare quidem eſt fluminis Mari accolas Marahenſes, quos plærique nunc Moravos appellant, ditione Francici regni tum comprehenſos: ultra autem eos nihil. Quum latius tamen patuerit tum Marahenſium ditio, utpote quæ regni nomine veniret, & Zuentepolco rege in ordinem per Arnolphum Cæſarem Vngarorum auxiliis redacto, plurimum amiſerit priſtinæ potentiæ, haud licet fines ejus exacte definire, etſi ultra Carpatum montem partem Daciæ occupaſſe per ſit veriſimile. Infra Danubium vero, ultra Pannoniam illam quæ hodie Auſtria audit & Illyrici fines, regnum Germanicum videtur iſthac tempeſtate non amplius excelſum. Sane non in Annalibus illorum temporum reperias veſtigia latè protenſi, ut Carolina ætate, Imperij ſive in Daciam, ſive in Iſtriam, ſive in Liburniam; multò minus Dalmatiam. Et vero jam tum Ludovico Pio Cæſare, poſt annum 815. defeciſſe ibi vim Imperij, atque ita quicquid hujus terræ hactenus fuerat juris Francici, ab Hunnis ſive Hungaris potius, cumprimis vero à Bulgaris, ferociente tum admodum Schytico populo, ſenſim videtur fuiſſe occupatum. Itaque ut tantum paucis illhæc complectar, Carintia, Carniola & Marchia Venedica Marchia item Orientalis, quam hodie Auſtriam nuncupamus, limitaneę tũ fuerunt, ea quidem parte, perinde ut hodie, regni Germanici provinciæ.

Contra Italiam videntur manſiſſe regni ejuſdem noſtri fines illi, qui hactenus fuerãt durante Langobardorum republ. Poſſederunt autem illi Ciſalpina quidem proxima omnia; Inalpinarum autem terrarum parum, potiore earum parte occupata jam à Bavarijs & Alemannis: quemadmodum præclare ab Aventino, Wigulejo Hundio, & alijs proditum eſt. Tranſalpinum ijdem nihil habuerunt: niſi quod Foro Iulienſis ducis in Stiriam & Carintiam uſque potentia fuiſſet diffuſa. Verum has provincias duas jam tum Ludovicus Pius ab Italia ſejunxerat, indignante licet filio Lothario, quod Paulo Æmylio recte eſt obſervatum. Verba ejus hęc ſunt, *Lotharius etiam indigne tulerat regnum Italia opeſque ſuas imminutas, abrogato in Stiriam Carintiamque iure Ducatus Foro Iulienſi per iram Auguſti, quod Baldricus Foro Iulienſium Dux, Pannonici limitis cuſtos, Bulgaros recentis fœderis immemores vim facientes non arcuiſſet finium ingreſſu. Foro Iulienſis enim Ducatus viribus firmari res Italicas Lotharius arbitrabatur. Ea vero res maiorum in modum Germanorum in Auguſtum ſtudia accendit, quod quicquid Lothario Italiſque ademptum fuerat id Germanis reddebatur.* Hactenus Æmylius. Vtramque autem illam regionem, Stiriam ajo & Carintiam, manſiſſe in ditione Ludovici Germanici, ex hiſtoriis illius ævi clariſſimum eſt. Hoc unico itaque excepto, non obſervare eſt circa fines antiquos hic quidem loci inſigne aliquid mutaſſe. Non legere etiam eſt poſtea aliquando factam circa fines mutationem Vt proinde merito dixeris, iiſdem, quibus hodie regnum Germanicum continetur, finibus, per illam ſolennem diviſionem Francici Imperij ab Italia illud fuiſſe diviſum.

CAP. V.

Non omnia finibus illis contenta in pari obſequio tum fuiſſe, & quando quave ratione perpetua unio Imperii illius cœperit.

QVanquam vero in hunc modum late tum patuerit Germanicum illud regnum, duo tamen cumprimis ſunt obſervanda. Alterum eſt, non omnia hiſce finibus concluſa jam tum proprie dictas fuiſſe illius regni provincias: ſed longe nobilem Germaniæ partem, & quidem pene omnem illam, quam Venedicæ gentes incoluerunt, vix plus quam comiter regiam vim obſervaſſe, mox & hac cum religione Chriſtiana abjecta, Sclavos plæroſque Tranſalbianos in libertatem ſeſe aſſeruiſſe, adeoque non niſi armis denuo pedetentim victam Germanici juris vere ac ſine controverſia eſſe factam, idque ex parte poſt varios caſus ſeculo demum duodecimo & decimo tertio. Quam rem cum præ aliis jam olim ſingulari opere Helmoldus & Arnoldus Lybecenſis pene σύγχρονοι, & multo poſt omnium pleniſſime in Vandalia ſua perſecutus ſit Crantzius, inde potiſſimum fuerit operæ pretium diſcere.

Alterum quod merito obſerves, eſt, quod illo quidem tempore quando Germanicum regnum diviſione iſta eſt conſtitutum & ab aliis terris ſeparatum, nondum fuerit cautum de ipſo illo regno non dividundo. Hinc mortuo Ludovico Germanico ſtatim in tria regna, paris omnia dignitatis, pro numero filiorum, id quod unus Ludovicus poſſederat, fuit diviſum. In ea re unum duntaxat adducam teſtem; quod plures citare nihil attineat Eſt ille autem Otto Friſingenſis l.6.c.6. *Ludovici filii conventione facta regnum paternum dividunt. Et Carolomannus Bavariam, Pannoniam, Carenthanum, Boemiam, Moraviam: Ludovicus orientalem Franciam, Thuringiam, Saxoniam, Friſiam, Lotharingiam: Carolus Alemanniam & quaſdam civitates Lotharingia, propter vini copiam, accepit.* Ex quibus verbis ſimul diſcere eſt id quod modo diximus, Venedicas regiones pleraſque in verarum provinciarum cenſu minime tum eſſe habitas Hac nova autem diviſione vere tria regna, quorum uni in alterum nihil eſſet juris, fuiſſe inſtituta, liquido ex ejus ævi ſcriptis apparet.

Verum bono fato accidit ut ſtatim poſt Carolomanni & Ludovici ἀπαίδων (ſi de legitime natis

ſermo

Digitized by Google

ſermo ſit) obitum, cum alia tum tria hæc Germaniæ regna in unam iterum rempublic. coaluerint ſub Carolo fratre tertio, qui à corporis obeſitate Craſſus audit. Et vero exinde ſummo Germaniæ commodo, nulla Regni, Germanici quidem, quale illud primum Ludovicus Pij filius nactus eſt, Germanici inquam regni diviſio facta nulla eſt. Sed & Zuentiboldo Arnolphi filio notho cum Regio titulo ceſſit quidem anno DCCCXCVI. Lotharingia (de regia enim dignitate dubitare cum nonnullis, nos vetant binæ tabulæ quas exhibet VVilhelmus Heda in hiſtoria Epiſcopor. Traiectenſium) paucorum tamen etiam id annorum fuit ? atque ita in corpus Germanici Imperij ipſamet quoque Lotharingia rediit. Num lege lata tamen aliqua publica ita in perpetuum conſtitutum fuerit, an conſuetudine introductum, haud certo definieris: nec enim legis alicuius ſuperant veſtigia in antiquiſſimis etiam monumentis. Et tamen vix eſt veriſimile rem tantam ſola aliqua conſuetudine potuiſſe ſtabiliri. Sane cum Carolo Craſſo nulli, Arnolpho unicus fuerit tantum legitime natus filius Ludovicus, huic iterum, ut & Conrado Franco nulli fuerint filij, haud iniuria dixeris, ſenſim hac ratione id uſu fuiſſe introductum. At verò obſervare eſt, etiam in Galliis inter Ludovici Tranſmarini filios regnum illud præter morem veterem non fuiſſe diviſum, idque in Capetana familia ſemper obſervatum. Itaque merito ſuſpiceris utrobique lege tandem aliqua diviſionem omnem prohibitam. Et quidem factum id in Germania fortaſſis, ſtatim circa Arnolphi ætatem, utpote qui primus non tam jure hereditario quàm procerum liberiore conſenſu regnum eſt conſecutus, legitima ſobole Carolinæ familiæ in Germania jam extincta. Certe hac occaſione ex procerum conſilio ita inſtitutum eſſe per mihi ſit veriſimile. Quod ipſum nonnihil confirmatur eo, quod Arnolphus filium Zuentipoldum Lotharingiæ regem conſtiturus, Wormatiæ in publicis regni comitiis conſenſum ordinum imploraverit: ceu referunt hiſtoriæ.

CAP. VI.

Imperii Francorum tertiam portionem Lotharii Cæſaris paulatim Germanico Regno acceſſiſſe; & huius pars, quæ Lotharingia regnum olim audivit, quemadmodum facta fuerit iuris Germanici.

Cæterum quanto Germaniæ bono prohibita eſt diviſio, tanta felicior illa fuit in dilatandis ſui regni terminis. Enim vero tametſi initio inter tres illas portiones Francorum Imperi, ea quæ Ludovico ceſſit minus reliquis ſplenduit; paulatim, tamen & ipſa ſummum decus à cultura accepit, & majeſtatem ac vim ſuam cum per omnem illam quæ Lothario Cæſari obtigerat partem, tum in vicina alia longe lateque extendit.

Initium fortunæ & augmenti à Lotharingia factum. Erant Lothario Cæſari filij tres: Itaque totidem in regna, ex more ævi, tertia illa pars Francici Imperij diviſa eſt. Ludovico Italia cum Cæſarea dignitate, Carolo Provincia, ſeu Gallia Narbonenſis, addit. Lothario quicquid reliquum fuit paternæ hereditatis trans Alpes, quod ſive jam tum ſive ab hoc Lothario regnum Lotharij aut Lotharingia dictum, obtigit. Omnia hæc pedetentim ceſſerunt Germanico juri, initio facto, ut diximus, à Lotharingia.

Mortuo Lothario Rege Lotharij Cæſaris filio, illam omnem occupare quidem niſus eſt Carolus Calvus Gallicanus, ſed repulſus eſt à fratre Ludovico Germanico: Itaque anno 870. inter duos fratres illos (jure an iniuria, cum adhuc viveret heres proximus Ludovicus Cæſar, jam non diſputo) duas in partes regnum Lotharingiæ diviſum eſt. Quid tum factum fuerit Germanici, quid Gallici iuris accurate diſcere eſt ex Appendice Aimoini & capite ſequente à nobis dilucide ac diſtinctim magis exhibebitur. Carolo illo Calvo & filio eius Ludovico Balbo defunctis, cum in Gallia rerum potirentur duo filij nothi illius Balbi, & legitime natus Carolus Simplex infans eſſet, ſeu iniuriis Caroli & Ludovici Balbi, ſive quod in Lotharingia res novas moliretur Hugo Lotharij ex pellice Waldrada filius, & rebus gerendis Calvi poſteritas eſſet impar, ſeu aliis de cauſis inductus, omnem omnino Lotharingiam, etiam illam quam Galli per decennium tenuerant, Germanico regno ſuo adiecit anno 880. Ludovicus Ludovici Germanici filius. Annales Francici Pithœani ita hanc rem narrant, quaſi bona cum filiorum iſtorum Ludovici Balbi gratia id factum fuerit. *Rex Ludovicus*, aiunt, *in Galliam profectus, filios Ludovici ad ſe venientes ſuſcepit*, (hoc eſt, in patrocinium ſuum recepit) *totumque regnum Lotharii ſuæ ditioni ſubiugavit.* Annales Bertiniani diſtinctius rem illam narrantes produnt, conſenſu procerum Franciæ Occidentalis & Lotharingiæ, id factum eſſe, quo vim Ludovici ab ipſiuſmet Franciæ Occidentalis occupatione, quam facilem ipſi ſpondebant Gozlenus Abbas & Chuonradus Comes viri magnæ auctoritatis ac factioſi, averterent. *Audientes autem*, aiunt, *Hugo ac Boſo & Theodoricus & illorum ſocij, quæ Gozlenus & Chuonradus cum illorum complicibus machinabantur, miſerunt Vultarium Epiſcopum Aurelianenſem, & Gotramnum & Anſcherum Comites ad Ludovicum apud Viridunum, ut ei offerrent partem de regno Lotharii iunioris* (Lotharii Cæſ. F.) *quam Carolus* (Calvus) *contra fratrem ſuum Ludovicum* (Germanicum) *ipſius Ludovici patrem acceperat: ut accepta illa portione Regni in regnum ſuum rediret, & quod reliquum de regno patris ſui Caroli* (Calvi) *Ludovicus* (Balbus) *habuit, filiis ſuis conſentiret. Ludovicus vero & ſui acceptam habentes talem oblationem, cum dedecore Gozlenum & Chuonradum ac complices illorum reiecerunt, & accepta Regni portione ſibi oblata, ad palatium ſuum Franconofurd rediit.* In hunc modum univerſæ Lotharingiæ compos factus eſt Ludovicus ille Ludovici Germanici filius & Pii Cæſaris nepos. Et vero ex eo Hugonem compeſcuit, ipſumque Cameracum & omnem pagum Haſbanicum, iuris antehac Gallici, tenuit, ceu liquet ex verbis Pithœanorum Annalium ad annum 881.

Manſit citra controverſiam Lotharingia omnis (ſi excipias defectum inde anno 888. Burgundiæ Iuranæ regnum, de quo ſigillatim poſtea) in ditione Germanicorũ Regũ uſq; ad annũ 915. ſi credimus Sigeberto, aut potius 912. ut ex variis diplomatib' ſecũ

collegit Iacobus Sirmondus: quando *Carolus Simplex* Galliæ Rex *virtute ſuorum Lotharingiam pene omnem recepit*, ut loquitur Æmylius, & ex illo Ioannes Tilius in *chronico*. Quod non mirum eſt accidiſſe, fractis per Vngaros & civiles diſſenſiones Germanici regni viribus. Idem vero *Carolus anno 922. reddidit Lotharingiam*, (verba ſunt itidem Æmylij pariter & Tilij) *Germanorum regi, quo magis ab illo auxilium impetraret*. Illam rem his verbis narrat Otto Friſingenſis l.6. Chronici ſui, cap.18. *Itaque cum (ſecundum quod utroſque ſcriptores concordare diximus) Henricus cis Rhenum regnaret, & de Belgica cum Carolo diſceptaret, ex voluntate amborum, ad huius litis ſcrupulum decidendum, die in oppido Bunne conſtituta, Belgica Henrico ceſſit: ac Carolo Celtica tantum & Aquitania, parſque Lugdunenſis (Burgundia Regem pro ſe habente) remanſit. Et ſic regnum quod Francorum dicitur ex paterna hereditate Belgicam Galliam cum Palatio Aquis & maiori parte Franciæ perdidit.* Nihil tamen huius legas in Tabulis fœderis illius, quas poſt Sirmundum Aubertus Miræus *cap. 25. Codicis donationum* edidit. Nihil etiam eius habet Frodoardus: imò ex chronico eius conſtat, Lotharienſes proceres in partes primum Roberti inde Rudolphi, quos factioſi contra Carolum Simplicem reges conſtituerant, inclinaſſe. Idem tamen ſub finem eorum quæ anno 925. contigere, ita ſcribit: *Heinrico* (is erat ille Auceps dictus) *cuncti ſe Lotharienſes committunt: & ipſe Berdino Dadonis Epiſcopi nepoti Epiſcopium Virdunenſe concedit. Qui & expulſo Hugone presbytero, cui Rodulphus illud dederat, ibidem ordinatur Epiſcopus.* Et vero hoc demum anno ab Heinrico Lotharingiam occupatam etiam alij Annales & hiſtorici Regino ad annum 925. *Henrico Regi conſtabilitum Lotharenſe regnum; ideo in ſua poteſtate habente.* Idem paulò antè diſerat. *Anno 924. Carolus & Henricus Reges apud Bonnam caſtellum conveniunt, & pacem inter ſe facientes fœdus ineunt, & Carolus nunquam ſibi amplius Lotharienſe regnum uſurpaturum promittens, regreditur.* Vnde diſcimus, non anno 921. ut ſcripſerat Tillius, ſed biennio poſt inter Carolum & Henricum Bonnæ de regno Lotharingiæ ita contractum: adeóque hoc pactum Bonnenſe ab illo altero, quod anno viceſimo primo eſt initum, cuiuſque Tabulas debemus Sirmondo, longè eſſe diverſum, & perinique tabularum illarum prætextu Sigebertum & alios, qui poſtremò huius Bonnenſis pacti meminerunt, à nuperis quibuſdam Gallicis ſcriptoribus falſi accuſari referunt. Quo pertinent quæ narrat Witikindus *libro* 1. de data Giſelberto in matrimonium ab Henrico Aucupe Gerberga filia, quo ſibi fidam redderet Lotharingiam, novarum alias rerum cupidam & turbulentam.

Quanquam vero ita tunc conveniſſet, & quamdiu quidem Henricus vixit ac Rodulphus rex, omnia integra manſerint, h. e. vſque ad annum 936. paulo tamen poſt Ludovicus Tranſmarinus Caroli illius Simplicis filius noluit acquieſcere, ſed contra pacta conventa, ut ipſe fatetur Frodoardus, rebellantes Lotharienſes in clientelam ſuſcepit. Frodoardus anno 939. *Lotharienſes regem ſuum Ottonem deſerunt, & ad Ludovicum regem veniunt: qui eos recipere diſtulit ob amicitiam quæ inter eos, legato ipſius Ottonis & Arnolfo Comite mediante, de pacta erat.* Ibidem: *Lotharienſes iterum veniunt ad regem Ludovicum, & proceres ipſius regni, Giſlebertus ſc. Dux, & Otto Iſaac atque Theodericus Comites, eidem ſe Regi committunt. Epiſcopi vero quoniam Rex Otto eorum detinebat obſidatum, Ludovico Regi ſe committere differunt.* Idem vero Frodoardus notavit, ipſo illo anno cum Giſilbertus, caput factionis, Rheno ſubmerſus periiſſet, plæroſque Lotharienſium ad officium & obſequium Ottonis rediiſſe, & anno 942. in ſolenni conventu Otthonis & Ludovici regum, procerumque utriuſque partis, pacem denuo & amicitiam conſtitutam. Vt proinde vel hinc pateat, Ludovicum Tranſmarinum deſiiſſe Ottoni Lotharingiæ nomine moleſtus eſſe, deſperatis ſcil. rebus, & quod Ottonis potentiſſimi affinis ope ad ſuos compeſcendos unice indigeret. Itaque & hac vice iterum ex pacto Gallus ius omne quod prætendebat, Germaniæ tranſcripſit Æmylij ipſiuſmet verba ſunt: *Francus Rex, affinitate cum Othone iuncta* (Gerberga nimirum ducta) *Lotharingia ſpem amiſit.* Friſingenſis l.6.c.29 *Rex Otto rurſum Belgicam ingreditur, totamque in ditionem accepit. Exhinc provincia illa à Regibus Teutonicorum abſque contradictione poſſidetur.* Notatu digna ſunt, quæ iſta de re habent Meierus & Marchantius hiſtorici Flandrici, l.2. hiſtoriæ ſuæ. *Otho Cæſar*, ait Meierus, *magnum toti Flandriæ incuſſit terrorem, incendiiſque ac rapinis quaqua poſſet graſſatus, Gandavum populabundus pervenit.* Paulo poſt: *Ad hoc Cæſar terram quatuor officiorum occupavit, foſſamque Hontam duxit, quam Othonianam dixit ac finem Imperii eſſe voluit.* Marchantius ſcribit: *Aſſidua Arnolpho Flandro ob limites Flandriæ cum Francis controverſia fuit, magnaque contentio cum Ottone I. Cæſare, validam arcem Gandavi opponente, foſſamque Oſtingam ducente, quam Imperii metatorem limitrophum eſſe voluit.* Eſt autem Hunta vel foſſa Othoniana ea quam hodie Scaldem Occidentalem nuncupamus: quo apparet, inſulam Valacras & Sydbevelandiam, controverſi antea iuris, per foſſam hanc Germaniæ acceſſiſſe. Meminerunt & alij caſtri novi Gandæ ab Ottone ſtructi, eiuſque primi Comitis Wicmanni. Aubertus Miræus cap.35. codicis donationum notat ex chronico mſ. Gandenſi, huic Comitatui quatuor villas cum appendiciis fuiſſe ſubiectas, quæ hodie quatuor Ambacti vulgò (Mejerus *officia* nominabat) vocentur: *Aneda, Bochout, Axel & Hulſt.* Vt proinde vltra Scaldim limes Imperii fuerit promotus.

Non tamen vel ita omni ex parte quieta reddita tum fuit (quod Otto quidem Friſingenſis modo dicebat) Lotharingiæ poſſeſſio. Lotharius enim Ludovici Tranſmarini filius bis Lotharingiam infeſto exercitu, iura quæ ſua credebat, repetitum, invaſit, ſemel anno 977. iterum anno 984. Ottone II. & III. Cæſaribus. Gandam quoque Gallico iuri redditam ab illo, colligere eſt ex tribus illis Tabulis quas exhibet Miræus capite 35.36. & 37. Codicis donationum piarum. Wilhelmus Nangius in Annalibus à Pithœo editis, narrat, (ſi recte eum capio) ita anno 980. rem omnem compoſitam, ut Cæſar à Gallo in beneficium ſive feudum reciperet Lotharingiam. *Lotharius* (ait) *rex Francorum, contra voluntatem Principum regni ſui, Remis pacificatus eſt cum Othone Imperatore, deditque Othoni in beneficium*

ctium Lotharingiæ ducatum: quod magis corda prædictorum Principum contriſtavit, & maxime Hugonem Capetum Pariſienſem Comitem, & Heinricum fratrem eius ducem Burgundiæ. At vero cum nihil tale vel Æmilius habeat, vel alius aliquis accuratior rerum iſtarum ſcriptor, manifeſto patet, monacho illi Gallicano ſequioris ævi, quippe demum poſt annum 1300. vixit, adeoque non eſt idoneus teſtis, credendum non eſſe. Sigebertus ad annum 980. *Otto Imperator & Lotharius Rex convenientes ſuper Charum fluvium, pacificantur datis invicē ſacramentis, & Rex Lotharius LOTHARINGIAM ABIURAT.* Inter recentiores Gallos, ipſe etiam Ioannes Tilius disertè in chronico, anno 980. *Ad Charum fluvium ab Ottone & Rege itur in colloquium, ubi iureiurando ſancitum eſt fœdus.* Iterum anno 984. *novo Imperatore* (is erat Otto III.) *Rex Lotharingiæ ducatum invidebat, quem cum invaſiſſet paulo poſt fœdus inierunt.* Neque vero potentiam Ottonis & imbecillitatem Galli æſtimanti Nangiana illa narratio poterit facile perſuaderi. Ipſe Nangius ita loquitur: Anno 885. *Lotharius rex videns Othonem Imperatorem Othonis filium, virtute ſuorum militum proficere mandatis & auctibus eius obtemperans, Virdunum urbem reddidit & Godofridum Comitem de carceribus liberavit, tractatumque concordia cum patre ſuo iam pactum, cum eo ſtabilivit.* Quæ totidem penè verbis habet Sigebertus Gemblacenſis in chronico. A quibus tamen diſſentiunt quæ refert Gerbertus epiſtola 72. Quid quod ex Geberti illius σύγχρονος ſcriptoris eoque teſtis locupletiſſimi epiſtolis liqueat, Lotharium Regem non tam de inuadenda Lotharingia anno 984. cogitaſſe, quam de illa vindicanda ab Henrici Bavari conatibus, in uſum Ottonis III. adhuc pueri conſobrini & ſororij ſui? Id præclare adeo demonſtravit doctiſſimus Blondellus in ſuo *Barro Campano-Francico pag.* 89. ut ſolum illum conſulere ſatis ſit. Henrico II. Cæſare Balduinus Flandriæ Comes Gallorum rebus adductus, Valentinianas oppidum nobile aliaque vicina ignobiliora cum occupaſſet, Cæſar illum quidem valido exercitu domuit: *ſic tamen quoque* ut ſcribit Æmylius, *in conditiones deſcenſum, ut Auguſtus non Valentinianas modo Comiti relinqueret, ſed & Valacras adderet, iſque ſeſe beneficiarum, eius rei nomine, Cæſaris profiteretur.* Dithmarus pag. 66. *Tandem Balduinus magna neceſſitate coactus, humili ſupplicatione veniam impetrat, & non longè poſt per manus Regis Walecarn & prænominatam urbem Valentinam in beneficium adipiſcitur.* Idem ad annum 1007. narrat Sigebertus. Addit paulo poſt Æmylius: *Pace terris veniaque à numine reddita, Henricus Cæſar Robertuſque Rex* (Hugonis Capeti erat filius) *ſuper Charum fluvium cum delectiſſimis Ducibus Comitibuſque ad colloquium congreſſi ſunt, pace fida ſubſecuta inter Regnum Imperiumque.* Non multo ante vero ſcripſerat: *Belli inter Francos Germanoſque redintegrandi cauſa fuit, eadem quæ ſæpius antea, incertum adhuc Lotharingiæ ius.* Et vero jam tum citra controverſiam omne illud Lotharij regnum Germaniæ coniunctum erat.

Quo loco monendum omnino eſt, Lotharingiam cum primum uniretur regno Germaniæ, habitam quaſi ſui iuris regnum, ſub uno eodemque capite Rege. Recte ſane hoc etiam probat is quem ante laudavimus Blondellus *pag.* 26. & 27. Et vero Otho primus diſerte ſeſe dixit *Regem Lotharienſium & Francigenum.* Veruntamen & ille hoc titulo rariſſime eſt uſus, & poſt illum forte nemo. Sed & ille ipſe Regni titulus ſenſim exolevit jam tum ſeculo undecimo. Atque ita Lotharingia in unum cum Germania corpus magis magiſque concrevit, & communi Imperij Romani titulo cœpit appellari.

CAP. VII.

Ambitus veteris regni Lotharingici ex Tabulis antiquiſſimis proponitur: ſimulque Barram Ducis Regno illi iam olim accenſitum eſſe, oſtenditur.

QVemadmodum omne Lotharingiæ regnum, ipſamet Gallia jus ſuum cedente, æterno fœdere Germaniæ acceſſerit, & in unum reipubl. corpus coaluerit, hactenus diximus. Videtur vero non abs re futurum, ſi expreſſius nonnihil indicemus limites eius contra Galliam? ne qua controverſia inde oriatur, aut quæ orta eſt firmis rationibus munita tollatur è medio. Eſt autem hodieque lis non levis de Barri Ducatu: quem iuri ſuo Gallia vindicat, tanquam ſuo in ſolo extra Lotharingiæ regnum ſitum, Lotharingica Principum domus Germanico Imperio ceu Lotharingici regni portionem aſſerit. Partes illas utrinque animosè propugnantibus duobus longe harum rerum peritiſſimis ſcriptoribus, altero Ioanne Iacobo Chiffletio in Commentario Lotharienſe, altero Davide Blondello in Barro Campano-Francico. Etſi enim jam tum capite tertio de finibus illis allata ſint in medium teſtimonia ex antiquiſſimis monumentis, ſimul tamen monitum eſt, ſcriptores illos ἐν πλάτει quidem omnia definire non exacte tamen, ut ſolet fieri ab obiter agentibus. Videtur autem univerſus ambitus Lothariani regni, quale quidem illud fuit anno DCCCLXX. quam rectiſſime omnium poſſe colligi ex Tabulis illis, quas ſæpe jam memoravimus, quibus Ludovicus Germanicus & Carolus Calvus fratres duas in partes omne illud regnum diviſere. Eoque commodum fuerit illas hoc loco proponere velut cynoſuram. Verum enim vero ex Aimoini quidem Appendice illas non niſi vehementer mutilas depromſeris: paulo meliores exhibuit ex Bellovacenſi & ſuo codice Petrus Pithœus: remedium felicius attulit Iacobus Sirmondus in Capitulis Calvi: ſed & hunc ſuperavit, niſi fallor, Aubertus Miræus. Igitur huius opera utentes dabimus Tabulas illas, quales habentur capite viceſimo Codicis Donationum piarum, explicationibus quas addidit Miræus non omiſſis.

ANNO Incarnationis Dominicæ DCCCLXX. regni CAROLI XXXIII. indictione III. VI. Idus Auguſti, inter glorioſos Reges CAROLUM & HLUDOVICUM, fuit hæc diviſio regni facta, in Procaſpide ſuper fluvium Moſam.

Et hæc eſt portio, quam ſibi HLUDOVICUS accepit.

COloniam, *Colen*, ad Rhenum.
Treveros, *Trier*, ad Moſellam.

Vtrecht, *Vltraiectum*, ad veterem Rheni alveum.
Strasburch, *Argentoratum*, ad Rhenum.
Baſulam, *Baſel*, ibidem.
Abbatiam Sueſtre, *Suſteren*, in Ducatu Iuliacenſi.
Berch, *prope Ruremundam.*
Niu monaſterium, *fortè Huy.*
Caſtellum, *Keſſel*, ad Moſam.
Indam. *S. Cornelis Munſter*, prope Aquaſgrani.
S. Maximini, *prope Treveros.*
Ephternacum, *Echternach*, opidum & Abbatia in Ducatu Luxburgenſi.
Horreum *Treverenſe*, monaſterium.
S. Gangulfi, *S. Gengeul.*
Faverniacum, *Faverney*, Abb. in Comitatu Burg.
Polemniacum, *Polygni*, opidum ibidem.
Luxovium, *Luxeul*, opidum & Abbatia ibidem.
Luteram. *Lure*, Abbatia in Alſatio.
Balmam, *Baulme les Nonnes.*
Offonis villam, *Vellefaux.*
Megeni monaſterium *Moien mouſtier* Abbatia in Loth.
S. Deodati, *S. Diey*, in Loth. ad Murtham.
Bodonis monaſterium, *fortè Bodonuille.*
Stiuagium, *Eſtinay*, Abba. in Loth. ad Murtham.
Romerici montem. *Mirement. in Loth.*
Morbach. *Murbachum*, in Alſatia.
S. Gregorij.
Mauri monaſterium, *Maur munſter.*
Eboresheim, *Abbatia.*
Homovva.
Maſonis monaſterium, *Maeſmunſter.*
Homburg.
S. Stephani Strarsburch.
S. Vrbi in Salodoro. *Soleurre.*
Grandi vallem, *Grandvaux.*
Altam petram, *Haulte pierre.*
Iuſtinam, *fortè Mont Iuſtin.*
Vallem Cluſæ.
Caſtellum Carnonis, *Chaſtelchalon.*
Heribodesheim, *Abbatia.*
Abbatiam de Aquis.
Hoenchirche.
Auguſtchirche.
Comitatum Teſtrebant, *Teyſterbant.*
Batua, *Betuvve*,
Hattuarias, *ad fl. Neers* in Geldria.
Maſau ſubterior de iſta parte, *Onder Maeſlande.*
Item Maſau ſuperior, quod de iſta parte eſt, *Opper Maeſlande.*
Liugas quod eſt de iſta parte, *Liege.*
Diſtrictum Aquenſe, *Aken, Aix:*
Diſtrictum Techis ſeu Tetis, *prope Spa.*
In Ribuariis Comitatus V. *ad Ruram fl.*
Megenenſium, *Meyen*, prope Andernacum.
Bedagovva, *Bidburg*, verſus *Meyen.*
Nitachovva, *ager ad Nidam* fl. in Lotharingia.
Sarachovva ſubterior, *ad fl. Sar*, io Loth.
Bleſitchovva, *Blis*, verſus Treueros.
Selme, *Salme* ad Saram fl.
Albechovva, *Sar alben.*
Sucotilium, *Sanctoy* in Lotharingia.
Calmontis, *Chaumont* ad Moſellam in Loth.
Sarachovva ſuperior, *Sargou.*
Odornenſe, quod Bernardus habuit, *Darney*, in ſilua Voſego.
Solocenſe, *Solsen*, in Burgundia.

Baſiniacum, *Baſſigny.*
Eliſchovve, *ager Alſienſis* vel *Elſatius.*
VVaraſch, *Comitatus de Vareſco.*
Scudingum, *Salins*, in Comitatu Burg.
Emaus,
Baſalchovva, *ager Baſileenſis.*
In Eliſatio Comitatus II. *Elſatois.*
De Friſia duas partes.

DE regno quod HLOTHARIVS habuit ſuper iſtam diviſionem, propter pacis & caritatis cuſtodiam, ſuperaddimus iſtam adiectionem.

Civitatem Mettis, cum Abbatia S. Petri & S. *Mets.*
Martini & Comitatu Moſlenſi, cum omnibus villis in eo conſiſtentibus, tam dominicatis, quàm & vaſallorum. De Arduenna, ſicut flumen Vrta ſurgit, in- *Ourt*,
ter Biſlanc & Tumbas, ac decurrit in Moſam: & ſicut recta via pergit in Bedenſi, ſecundùm quod com- *Con-*
munes fideles noſtri rectius invenerint, excepto *dron.*
quod de Conduſtro eſt ad partem Orientis trans *Prum.*
Vrtam. Et Abbatias Prumiam, & Stabolau, cum o- *Staulo*,
mnibus villis dominicatis & vaſallorum.

Et hæc eſt portio quam CAROLVS de eodem regno ſibi accepit.

LVgdunum *Lion.*
LVeſontium *Beſancon.*
Viennam *Vienne.*
Tungris *Tongre.*
Tullium *Toul.*
Viridunum *Verdun.*
Cameracum *Cambray.*
Viuatias *Uivarez.*
Vcetia. *Vſez.*
Montem Falconis, *Mont falcon ad Moſam.*
S. Michelis, *S. Michel* in Lotharingia.
Culdini monaſterium *Colmouſtier.*
S. Mariæ in Biſontione, *Iuſſanum monaſterium.*
S. Martini, in eodem loco.
S. Eugendi. *S. Oyan de Ioux* vulgò *S. Claude.*
S. Marcelli, *à Chalon.*
S. Laurentij, *S. Laurens* in Comitatu Burg.
Leudenſe.
Sennonem. *Senone* Abbatia in Lotharingia.
Abbatiam Mellam.
Melbarium.
Laubias. *Lob* ad Sabim.
S. Gaugerici, *prope Cameracum.*
S. Saluij, *prope Valentianas.*
Criſpiuio, *Creſpin*, in Hannonia.
Foſſas *Feſſe*. in d. Leodienſi.
Marilias, *Mareilles*, in Hannonia.
Hunuleurt, *Hounceurt*, in diœceſi Camer.
S. Seruatij, *S. Seruas, à Maeſtricht.*
Malinas, *Malines*, ad Demeram.
Ledi, *Lier*, in Brabantia ad Netam fl.
Sunniacum, *Soigny.* in Hannonia.
Antonium, *Antoin*, prope Tornacum.
Condatum, *Conde*, in Hannonia.
Metrebecchi, *Meerbeke*, prope Ninoviam.
Tielivinni, *Dickelvenne*, prope Gerardi montem.
Luitoſa, *Leuſe*, in Hannonia.
Calmontis, *Calmont*, in d. Leod.
S. Mariæ in Deonaot, *Dinant.*
Echa, *Eyck*, prope Maſeicam.

Anda-

Andana, *Andonne.*
Waſloi, *VVaſler,* in Fania.
Altum montem, *Hault mont.*
Comitatum Texandrum, *Kempenlandt.*
In Brachbanto Comitatus IV. *Brabant.*
Cameracesium, *Pays de Cambreſy.*
Hanioum. *Hainau.*
Lomenſem, *vers Namur.*
In Hasbanio Comitatus IV. *Hasbaigne.*
Maſau ſuperior de iſta pate Moſæ, *Maſlandt.*
Maſau ſubterior, quantum de iſta parte eſt.
Liugas, quod de iſta parte Moſæ eſt, & pertinet ad Vclatum. *Liege Viget.*
Scarbonnenſe, *Scarbonne ad Moſellam in Loth.*
Viridunenſe, *Verdunois.*
Dulmiuſe.
Arlon, *in Ducatu Luxemburg.*
Vautenſe Comitatus II. *Terre de la Vaiure, ad Carum fl.*
Moſminſe: *Mouſon.*
Caſtricium.
Condruſt. *Condreux.*
De Arduenna ſicut flumen Vria ſurgit inter Biſlane & Tumbas, ac decurrit ex hac parte in Moſam: & ſicut recta via ex hac parte Occidentis pergit in Bedenſi, ſecundùm quod Miſſi noſtri rectiùs invenerint.
Tullenſe. *Toul.*
Aliud Ordonenſe, quod Termarus habuit.
Barrenſe, *Barrois.*
Portenſe, *Portian.*
Salmoringum, *Semurre in Ducatu Burg.*
Lugdunenſe, *Le Lionnoys.*
Viennenſe, *Le Viennois.*
Viuarias *Vivarez.*
Vcetiam, *Vſez.*
De Friſia tertiam partem.

Hactenus Tabulæ & quidem ex Miræi editione, ac cum eiuſdem explicatione nominum antiquiorum: Quamvis enim in multis Miræus haud ſatisfaciat: tamen quia inſtituto noſtro parum aut nihil referat, noluimus quidquam mutare, in commodiorem locum operam iſtam relegantes. Tantum monemus: in recenſione illa ordinem iſtum obſervatum, ut primo loco Epiſcopatus, ſecundo monaſteria, tertio Comitatus, veniant. Id quod cur ita factum ſit, haud aliam fortaſſe cauſam attuleris, præter inſignem Archiepiſcopalium ac Epiſcopalium locorum, ut & Monaſticorum bonorum præ reliquis dignitatem & pretium: quodque ea ætate in omni Lotharij regno nullus Dux aut Marchio reperiretur, primo Duce inſtituto ab Henrico Aucupe. Verum de hiſce pro inſtituto ſatis.

Dicendum nunc etiam eſt de Barro, quod Ducis, ad differentiam Barrorum aliorum ad Albam & Sequanam, appellatur, num Lotharingiæ regni pars ſit nec ne. Paucis vero tantum rem proponemus, quod latius cum alij tum quos ante laudavi duo illi, præclari ſane ſcriptores, Chifflerius & Blondellus eo de argumento jam diſputaverint. Igitur poſſit forte cui videri Barrum, ſaltim quo tempore conditæ ſunt Tabulæ; Gallici fuiſſe juris; idque quoniam & in Tabulis nulla eius ſit mentio, & quia à ſcriptoribus antiquis Moſa limes Gallici & Lotharingici regni perhibetur. At horum quidem nihil merito quem turbet. Non prius: illa enim tempeſtate quei potuiſſet Barrum in cenſum venire, quum demum arx ibi Barri nomine à Friderico Duce ſit constructa, ut recte probat Chifflerius, idque obſervante ipſomet Blondello anno circiter 954? Non poſterius. Nec Moſam, nec Scaldim, nec Rhodanum enim adeo ſtricte omnia finiiſſe, ut nihil in alteram ripam excurreret, affirmare utique nos cogunt ipſæ illæ Tabulæ & alia veteris ævi monumenta: quod jam tum audivimus. Maius præſidium Galli merito collocant in illis Frodoardi verbis, ad annum 952. *Fridericus Adalberonis Epiſcopi frater, qui filiam Hugonis Principis ſibi deſponderat, in hoc regnum munitionem in loco qui dicitur Banis, inconſulto Rege vel Regina conſtituere cœpit, & loca circumpoſita crebris deprædationibus diripit; pro qua re valde moleſtus Rex Ludovicus legationem ſuam dirigit ad Othonem &c. Legati Regis Ludovici ab Othone regreſſi, nunciant, nolle, imò prohibere Othonem Regem ne Fridericus vel aliquis ſuorum ullam munitionem regno habeat, niſi conſenſum Regis Ludovici ſuper hoc ſibi obtinere queat.* Ex quibus verbis fateor equidem manifeſto conſtare, caſtrum quod illo anno exſtruxit Dux Fridericus in ſolo Gallico fuiſſe conditum. At Banis illud caſtrum eſſe Barrum non ſane Gallorum quiſquam probavit hactenus. Imo ipſemet Blondellus pag. 9. *contra communem ſuorum ſententiam*, Fanis ſcribendum exiſtimat, quemadmodum & in mſ. quodam legi notaverat jam Pithœus: Fanis autem eſſe *Fains* vbi Renatus Dux anno 1508. deceſſit, octavo circiter à Moſa milliari ad Ornæ lævam ſitum, & Barro proxime Septemtrionem adjacens. Blondellus quidem etiam ex illa vicinitate Barri & Fanis conatur veroſimile reddere, ut Fanem ita & Barrum in ſolo eſſe Francico. Quis neſcit vero ea quæ in confiniis ſunt vicina diverſorum ſæpe jurium eſſe?

Ex adverſo longe complura Barrum Lotharingiæ aſſerunt. Primo enim ipſemet Blondellus p. 7. ex Hiſtoria Fundationis Abbat. S. Michaelis hæc verba adducit de Duce Friderico: *anno 954. de tertia parte poſſeſſionum Abbatiæ S. Michaelis caſtrum Barrum caſavit.* & pag. 6. repetit producta à Chiffletio ex Brunone Tullenſi & Herculano de prima caſtri illius Barri exſtructione. In quibus omnibus, ut & in Frodoardo aut quo alio ſcriptore, legere nihil quidquam eſt, repugnante id Gallo aut conſenſu eius impetrato factum eſſe. Audivimus vero iam tum, & Ottonem vetuiſſe arcem à Friderico condi in fundo Gallico, & cum Fanim ſtruxiſſet ægre id tuliſſe Gallum conatus illos improbante ſimul Ottone. Niſi Barrum itaque fuiſſet in fundo Lotharingico, non profecto illud tuliſſet Gallus. Tantum Gerhardus Tullenſis Epiſcopus conqueſtus eſt apud Ottonem quod in prædio Tullenſis eccleſiæ Fridericus ſe invito arcem ſtruxiſſet: *à quo Dux ſatisfacere iuſſus* (verba ſunt Brunonis Tullenſis) *pro perſuaſione prædii, mutua viciſſitudinis conditione, duas Abbatias Medium monaſterium & Galilæam, cum aliquot villis patrimonii ſui contradidit ei, ut poſſet ipſe pacifice poſſidere quod præſumpſerat ſibi.*

Secundo, Si Barri ſolum non fuiſſet jam tam Lotharingicum, ad Campaniam utique pertinuiſſet. Et ſane contendit Blondellus Barrum Campano-

Francicum eſſe. At vero diſerte ita loquitur Bruno Herculanus Chronici S. Deodati ſcriptor. *Cum Comes Campaniæ Belgicæ incurſionibus & rapinis Lotharingorum agros popularetur, Fridericus Dux Lotharingicorum nihil prius habuit, quam in prædio Epiſcopi Tullenſis (cum nullus commodior locus ſeſe offerret) Arcem ſive propugnaculum ſibi conſtruere, & forti munire præſidio, quo non tam facilem aditum, ut prius, Comes ad Lotharingos haberet: quod ampliatum & in oppidum redactum uſque hodie in Barrum Ducis vocatur.* Cui autem veroſimile fiat, arcem in ſolo Gallico imo ipſa Campania contra Gallos & Campanos ſtructum, illis haud reclamantibus.

Tertio quod momenti eſt maximi. Ne quidem à Blondello, omnis illius antiquitatis diligentiſſimo ſcrutatore, vel leviſſimum potuit indicium adferri, non dico exerciti ſed ne quidem prætenſi à Galliæ regibus juris in Barrum, ante annum 1301. quando Philippus Pulcher Rex Henricum Barri Comitem victum bello vi compulit ad hominium ligium ſibi præſtandum. Vtrique autem per integros trecentos & quinquaginta annos ſaltim aliquid contigiſſe par eſt, quod dignum memoratu cenſuiſſent annales. Adducit quidem ille pag. 17. & 18. nonnulla, ut quod Rex Ludovicus Sanctus ſeculo decimotertio Henricum Barri Comitem miſerit Venetias? & inter Theobaldum Campaniam Navarræ regem & Henricum judex ſederit. Verum prius quidem illud nihil ad rem facere, facile cuivis liquet: conſtat vero etiam manifeſto ex ipſiuſmet Ludovici Regis Tabulis, in Regem à litigantibus fuiſſe compromiſſum, adeoque Regem illum non fuiſſe ordinarium judicem. Eadem illa Blondelliana nihil faciunt ad probandum, Barrum fuiſſe feudum quondam Campaniæ Comitum: utut ex Regeſto veteri chartarum Comitatus Campaniæ adferat verba, quibus Barri Comes appellatur Campaniæ Comitis *fidelis*. Nec enim iis indicatur Barrum ipſum fuiſſe in illo fidelitatis iure, ſed Comitem; qui ſcil. tenuit quædam ſimul Campaniæ bona. Imo ſi Barrum fuiſſet feudum Campanicum, quo iure potuit Philippus Pulcher Rex ad ligium hominium ſibi præſtandum Barri Comitem anno 1301. compellere? cum tamen Comitatus Campaniæ demum anno 1335. ipſomet Blondello teſte p. 19. coronæ Gallicæ ſit unitus? Tenuiſſe autem Barrenſem Comitem nonnulla conceſſione Campanorum ipſe Blondellus pag. 17. teſtatur, quando notat *anno circiter* 1150. *Agnetis filia Rainaldo Comiti Barrenſi nupta Lineium caſtrum cum territorio adiacente dotis nomine donaſſe Theobaldum magnum Campaniæ Comitem Palatinum.* Nec vero potuit Blondellus indicium Campanici feudi in Barrenſi familia invenire antiquius anno 1214. quodque adeo non ſit poſterius dono illo Theobaldi.

E contrario haud levia in antiquis monumentis ſuperſunt hodieque veſtigia juris Germano-Lotharingici in Barrum exerciti. Id quod quarto loco eſt notandum. Vtrique enim qui primi ſtruxerunt Barrum & poſſederunt Lotharingiæ Duces, clientes fuere Regum Germaniæ non Franciæ. Diploma fundationis monaſterij S. Michaelis in Barro monte ſubſcripta habet hæc verba: *datum anno CMLXXI Indict. XIV. anno XXXV. Imperii Magni Ottonis*, ut refert Chiffletius *pag. 3.* Eſt vero, ut idem indicat, diploma illud ſcriptum Barri: ac proinde locus ille in ditione tum fuit Ottonis Cum Barri caſtrum à Duce eſſet in prædio Tullenſis Eccleſiæ exſtructum, conqueſtus eſt injuria non apud Francum ſed Cæſarem Ottonem Tullenſis Epiſcopus, & Cæſar coëgit Ducem Tullenſi, aliis bonis redditis, ſatisfacere: ceu clariſſime liquet ex iis quæ ex Brunonis Tullenſis & Herculani libellis profert Chiffletius, & negare non auſus eſt Blondellus. Eſt autem omnium conſenſu eiuſmodi actus non leve indiciū exercitæ juriſdictionis Cū anno MXXXVII. Odo Campaniæ Gallicæ Comes Barrum vi occupaſſet, id ad iniuriam ſuam pertinere judicavit Cæſar Conradus Saliquus. Diſerte Otho Friſingenſis l. 6. cap. 31. *Otto Comes ſacramento rupto denuo in Gallia Imperatori rebellat: cumque AD IGNOMINIAM EIVS Caſtrum quoddam Barrum nomine obſidione cinxiſſet, à Gothilone Belgarum Duce aliiſque Regni fidelibus occiditur.* VVippo σύγχρονος illi rei ſcriptor in vita Conradi Salici ita loquitur: *Eodem anno præfatus Odo de Francia in regno Imperatoris quædam loca invadens, à Gozilone Duce Lotharingorum, & filio ſuo Gothefrido, & Gerhardo Comite, atque à militia Epiſcopi Metenſis, pugna commiſſa cum illo fugiendo interfectus eſt.* At vero nihil, quod quidem alicuius eſſet momenti, occupaverat Odo præter Barrum: ac proinde fuit illud tum *in regno Imperatoris*: Idem ſubindicant hæc Sigeberti: *Anno* 1036. *Odo contra Imperatorem rebellans Lotharingiam incurſat, caſtella oppugnat, urbem Leucorum quæ Tullum dicitur, obſidet, & in nullo temperat furori ſuo. Anno* 1037. *Odo Barrum caſtrum obſidet & capit. Gothilo Dux ægre ferens inſolentiam Francorum, cum Lotharingis occurrit Odoni & conſerto prælio apud Barrum Odo perimitur, & Francorum exercitus gravi cæde attritus à Lotharingia fugere compellitur.* Hæc inquam ſubindicant Barrum tunc habitum Lotharingiæ partem. Cæſus enim prope Barrum Francorum exercitus Lotharingiam fuga dicitur deſeruiſſe. Blondellus quidem vult factam cædem in diœceſi Catalaunenſi, adeoque in Comitatu Campaniæ ipſo. Sed is quem adducit teſtem Glaber non id ſcribit, ſed tantum, laceratum Odonis cadaver à Catalaunorum præſule uxori redditum. Is ſcil. in loco prælij inter cadavera fecerat illud inveſtigari. Non obſcure autem eodem quo Sigebertus modo loquitur Paulus Æmylius, negotium hoc omne narrans in Henrico I. Rege: ut accurate inſpicientibus facile apparebit. Dignum memoratu etiam eſt quod ex Alberico recitat Chiffletius pag. 6. *Imperator Henricus* (anno 1113 *Belgas ingreſſus Rainoldum Comitem hoſtem iudicans bello petiit: quem in caſtro Barro, in TERMINO REGNI ſito, obſidione clauſum, ad ultimum cum expugnato caſtro in deditionem accepit & captivum abduxit.* Idem paulo poſt: *Intervenientibus pro Comite Barri Rainoldo, de toto Regno nobiliſſimis conſanguineis, Imperator cum cuſtodia ſolvit & cum omnibus ſuis, ut ſibi cognatum ad propria remiſit: tantummodo hominium ſibi ab eo ſuſcepit.* Clarum eſt *Regni* nomine non Gallicum ſed quod Imperiū alias dicitur intelligi: & tamen diſerte Albericus agnovit, Barrum fuiſſe ſitum *in termino* non extra Regni terminum. Ad hoc fas fuit Cæſari Barrum & obſi-

obſidere & expugnare, Gallo id non ægre ferente: magno ſane indicio juris in Barrum Cæſarij. Porro hominium ſibi à Barri Comite præſtari fecit Cæſar, idque ut diſerte ſcribit Waſſeburgius, *pro caſtro Barro.* Rainaldum enim Comitem *libertati ſine pretio aſſertum fuiſſe, interventu precibus & favoribus Principum & nobilium aula Cæſarea, præſtitiſſe tamen hominium & fidem Imperatori pro caſtro Barro, quod in feudum ſe poſſeſſurum promiſit, ut ſcriptum reperitur in hiſtoria civitatis Virdunenſis.* Blondellus pag. 14. non admittit Waſſeburgij hoc teſtimonium, ut Francici regni hoſtis ac ſcriptoris nudiustertius nati. Audivimus vero illum ſecure provocare ad Annales Virdunenſes: quorum auctorem non profecto licuerit illis nominibus à teſtimonio reijcere. Alios juriſdictionis Cæſareæ in Barrum ex veteri illo ævo actus adferre, nihil attinet.

Quinto loco haud injuria collocaveris; quod Barrum jam olim habitum fuerit pars pagi Tullenſis, hic autem regni Lotharingici Poſterius liquet ex Tabulis modo productis. ubi Tullenſe diſerte numeratur inter ea quæ Carolo Calvo obvenerunt. Tullenſe autem diſtrictum Tullenſem utique ſignificat. Prius vero longe diſertiſſime ſcribit Glaber Rodulphus homo Gallus iſque vetus, l. 3. cap 9. ſub finem: *Conſcendit Odo in Tullenſem pagum, quem jam ſæpius depopulaverat. VBIQVE oppugnans cepit Barrenſe caſtrum, cum magna direptione eversione totius provinciæ.*

Mitto alia quæ argumentum hoc alias probare poſſent: quum ex hiſce in medium allatis jam tum nequeat amplius eſſe obſcurum, antiquum Imperij jus in Barrum: utut forte nonnihil illud detrimenti poſt annum milleſimum trecenteſimum ſit paſſum.

CAP. IIX.

Ipſam Franciam Occidentalem in obſequio quidem fuiſſe Germaniæ regum, ſed non niſi brevi momento & leviter: eoque in illam Imperio Germanico nihil ſolidi iuris acquiſitum eſſe.

NOn numerabo inter illius temporis acquiſita Germaniæ bona Franciæ ipſius Occidentalis regnum: parum tamen abfuiſſe quin rurſus accederet, certum eſt. Primum fere id ſerio tentatum fuit ab obitu ſtatim Ludovici Balbi Regis: cum deceſſiſſet nondum legitima nata ſobole, & res Franciæ interim ſummo in periculo verſarentur. Narrat enim Sigebertus, anno 880. Rege illo mortuo, de *Regno illius Francos varie ſenſiſſe: aliis illud filiis Ludovici Balbi ex concubina deberi iudicantibus: aliis Boſoni Provinciæ regulo ad illud iniuſte invadendum aſſentientibus: aliis vero illud Regno Germaniæ reſociare volentibus.* Iam tum cap. VI. ex Annalibus Bertin. narravimus, quoſdam procerum Francorum conſilia tum agitaſſe, de tradẽdo Regno illo Ludovico Ludovici Germanici filio: verum hunc recepta integra Lotharingia à Francia iſta manum abſtinuiſſe. De illo negotio ita loquitur Abbas Prumienſis: *Ludovicus qui Auſtraſiis imperabat, cognita morte æquivoci ſui* (Ludovici Balbi) *regnum illius invadere diſpoſuit, & tranſvadata Moſa imperii fines occupavit. Cui occurrerunt duo memorati fratres* (filij Balbi) *cum valida manu. Sed intercurrentibus vicisſim legationibus nequaquam pugna committitur, ſed pax roboratur. Adoleſcentes quo impetu fœderatus ab eo recederet Ludovicus, portionem regni Lotharii, quam avus* (Carolus) *paterque* (Balbus) *tenuerat, ex integro illi conceſſerunt, addita inſuper Atrabatis Abbatia S. Vedaſti.*

Verum quod Ludovicus noluit, acceptavit frater ejus Carolus Craſſus, idque non vi, non armis, ſed communi procerum Franciæ illius conſenſu. Sigebertus ita loquitur: *Anno DCCCLXXXV. Karlomanno Francorum Rege* (Balbi filio) *mortuo, Northmanni Franciam repetunt, dicentes ſe cum Rege Francorum tantum non cum Francis pacis pepigiſſe pactum. Hinc compulſi Franci Karolum Imperatorem ad auxiliandum ſibi invitantes Franciam ei ſubiiciunt.* Similiter Otto Friſingenſis l. 6. 8. *Occidentales Franci Principibus amiſſis* (Ludovico & Carolomanno filiis Balbi) *Karolum Imperatorem, qui tunc ſolus ex ſtirpe Karolorum ſupereſſe videbatur, ultro invitant, eique venienti ſubiiciuntur.* Supererat tum quidem adhuc ex Ludovici Balbi filiis Carolus, iſque legitimo natus matrimonio. Verum cum per infantiam rebus eſſet regendis impar, & reſpublica virum fortem quæreret quem Normannis opponeret, vulgoque omnibus eſſet perſuaſum, flagitante reipubl. uſu licere proceribus nullas obſervare regiæ hereditariis leges, merito dixeris Carolum Craſſum jure optimo Franciæ illius plenum imperium ſibi acquiſiviſſe, quum in electionem ejus omnes conſenſiſſent. Neque enim vero ſit ſimile, quod nõnulli volunt, Carolum illum tutorio tantum nomine regno iſti præfuiſſe. Vnius Alfonſi Delbenej Epiſcopi Albienſis ſcriptoris Gallici ex l. de gente ac familia Hugonis Capeti, lubet verba tantum in teſtimonium adducere: *Carolus Craſſus Regnum per quatuor annos, non tutorio nomine neque procuratorio, ſed ſumma poteſtate adminiſtravit.* Propugnavit idem nuper Iacobus Alexander Tenneurius libro Pariſiis ante biennium edito, titulo *Veritatis vindicata parte 8. cap. 8. art. 1.* Non temere tamen negaverim Craſſum ſimul Simplicis Caroli tutorem egiſſe. Ita ſane intelligendus videtur & Guido Baſochius de Craſſo & Proceribus Gallicanis loquens ad Annum 885. *Imperatori prædicto Regnum puerumque committunt.* Item Anno 888 *Carolus Imperator, levis, animoque remiſſus, cum ad gubernandum Regnum ſimulque Imperium ſe non ſufficere metiretur, tutelam pueri, videlicet Karoli Simplicis, cum Regni procuratione committit Odoni filio Roberti Andegavenſium Comitis, quia virtute militari præſtare cæteris Regni principibus, morumq; & corporis elegantia videretur.*

Craſſo dignitatibus exuto Regem quidem proprium, & quidem illum ipſum à Cæſare tutorem regni datum, Odonem conſtituere auſi ſunt Francici proceres, non tamen niſi conſenſu Arnolphi Germaniæ Regis implorato. Hinc Otho Friſingenſis l. 6. cap. 2. *Occidentales Franci Odonem, Roberti filium, virum fortem conſenſu Arnolphi Regis Regem creant.* Idem cap. 11. de Arnolpho: *Occidentalem Franciam Odo eius auctoritate habuit.* Regino ut & Annales Metenſes ad annum 888. *Interea Galliarum populi in unum congregati, cum CONSENSV Arnolphi Odonem Ducem filium Ro-*

berti, virum magnum, cui præ cæteris forma pulchritudo, & proceritas corporis, & virium ſapientiæque magnitudo inerat, Regem ſuper ſe pari conſilio & voluntate creant. Illum Arnolfi conſenſum tacuit quidem Paulus Æmilius, ita tamen loquitur: *Arnulfus Auguſtus ſalutatus Franciæ quoque regem ſe dictabat reſque pace belloque gerebat, cum maxima procerum pars, Balduino Flandriæ Comite ac Fulcone Rhemenſi Archiepiſcopo reclamante, Odonem tutorē Caroli Simplicis regnare jubent.* Alij nonnihil explicatius hæc tradunt. Hermannus Contractus: *Anno* 888. *Odo Arnolphum Regem Franciam petentem HVMILITER adiens, & benigne ſuſceptus, PERMISSO eius invaſum retinuit regnum.* Annales Francorum Fuldenſes Anno 888. *His auditis Rex* (Arnolphus) *Franciam petens, habitoque ad Franconefurd generali conventu, diſpoſuit adventare VVermaciam: quod Odo comperiens, ſalubri utens conſilio, conteſtans ſe malle Regnum ſuum GRATIA cum Regis pacifice habere, quam ulla jactantia contra eius FIDELITATEM ſuperbire; veniensque HVMILITER ad Regem, gratanter recipitur. Rebus ab utraque parte prout placuit proſperè diſpoſitis, unusquisque reverſus eſt in ſua.* Witichindus Corbejenſis l.1. *Huic* (Arnolfo) *Odo diadema & ſceptrum & cætera regalia ornamenta obtulit, imperiumque domini ſui* (Caroli Simplicis, ut accipio) *GRATIA Imperatoris Arnulſi obtinuit.* Et vero manſit in obſequio Arnolphi Odo, niſi quod anno 893. in partes Caroli inclinaverit Arnolfus. Regino: *Carolus vires Otonis ferre non valens patrocinium Arnolſi ſupplex expoſcit. Æſtivo ſiquidem tempore jam dictus Rex conventum publicum VVormatia civitate celebravit: ubi Carolus venit, & Arnolſum magnis muneribus ſibi conciliat, regnumque quod uſurpaverat. EX EIVS MANV PERCEPIT. Juſſum eſt etiam ut Epiſcopi & Comites qui ad Moſam reſidebant, illi auxilium ferrent, & eum in regnum inducentes, in ſede regia inthroniſarent* Addit: *Sed neutrum horum illi quicquā profuit. &c.* Vnde Hermannus Contractus Anno DCCCXCV: *Arnolſus Rex cum Odone Galliarum Rege ad ſe veniente pacem firmat: Caroloque filio Regis Ludovici Balbi non multo poſt venienti & munera afferenti, auxilium denegat.* Regino item ipſemet: *Odo Rex cum magnis muneribus ad Arnolphum venit: à quo honorifice ſuſceptus eſt: omnibuſque impetratis pro quibus venerat, in Regnum revertitur.*

Verum enimvero hæc quoque Germanici regni reverentia cum Arnolfo rege anno 999. pene interiit. Nec enim ſive Ludovico ſive Conrado Regibus noſtris obſequium ullum Galli detulerunt. Imo integrum illis Lotharingiæ regnum ſubtraxere, ſui illud juris facientes Caroli Simplicis auſpiciis. De Carolo tamen illo Sigebertus Gemblacenſis ad annum 922. ſive 24. potius, ita narrat. *Karolus rex Francorum cum auxilio Lotharienſium juxta urbem Sueſſionis pugnans contra Robertum fratrem Odonis Regis, qui contra ſe Regnum Francorum invadebat, cum multis peremit, & SE & FRANCIAM Henrico Regi SVBMITTIT; in pignus perpetui fœderis & amoris mittit manum pretioſi martyris Dionyſii Pariſienſis, auro gemmiſque incluſam.* Nihil hujus habet Frodoardus. Id tamen ſatis clare ſignificat, victoriā illam de Roberto perempto inſigniore clade corruptam, uſque adeo averſis à Carolo procerum omnium animis, ut novum regem Rodulphum Burgundum non dubitaverint opponere, & fraudibus circumventum Carolum in cuſtodiam dare: adeoque coactum quaſi Carolum poſt dubium illud prælium ultra Moſam ſeſe transferre. Æmilius tantum hoc refert: A Carolo *oratores miſſos ad Henricum Germanorum regem* (is erat quem Aucupem appellitant) *qui Lotaringiam ei redderent, novaque auxilia peterent.* Nec Witikindus porro aut alius aliquis temere, id quod Sigebertus, refert. Eoque vereor ne ex hoſtium Caroli calumniis fortaſſe accepta ſit illa Sigeberti narratio. Et vero Æmilius quoque docet, amicitiam Henrici Regis noſtri & Caroli in calumnias ejuſmodi Francorum incurriſſe. Æmilij verba ſunt: *Henricus, cum Franco rege fœdus icit, eique poſcenti Germanorum copias auxilio miſit contra adverſariam factionem: Germaniſque magiſque quam ſuis ſeſe credebat communiebatque Simplex. Ea res novam illi flammam invidiæ apud Francos conciliavit: auxitque eam mox, quod credebatur in animum induxiſſe, ſe FRANCIAMQVE Henrico Germanorum Regi ſubjicere, ne bello à Germanis vexaretur, ſed eorum auxiliis ſi opus eſſet juvaretur. Id vero universa nobilitas Francorum non ferens, ad æmulum regni Robertum ſtudia vireſque inclinavit.* De prælio ipſo mox agens & præcipue de Roberti rebus: *alterum* (Robertum) *commendabat recens factum, ſua virtus, Odonis fratris memoria, avi mors pro Francorum rebus obita, ac cauſa belli ſuſcepti in vulgus jactata, libertas, nomenque Francorum hactenus gentibus nobiliſſimum, ne Germanis regibus, ne Auguſtis externis ſervirent.* Igitur ut agitaverit forte conſilia ejuſmodi Carolus, num tamen Franciam Henrico ſubjecerit, incertum arbitror. Certe caruit res ſucceſſu, reluctantibus omnibus Franciæ proceribus, captivo Carolo ipſo, & Henrico nihil tale moliente ſed ſola Lotharingia contento, dum eam ipſi permitteret rex Rodulfus.

Haud legas porro, omni ſecuto tempore vel Galliæ regnum in obſequio Germaniæ Cæſarum fuiſſe, vel litem aliquam hinc Galliæ à noſtris motam. Nec vero moror illa à Chiffletio addicta in Vindiciis Hiſpanicis *pag.* 118. ut nullius momenti. Nam Otto quidem IV. Cæſar à Franco nobiliores Franciæ urbes petiit, ſed promiſſionem ludicram prætexens, ſimulque infelici prælio eſt victus. Ottonis illud infelix facinus emendavit longe rectius Fridericus II. Cæſar anno 1212. Rigordus Monachus libro de geſtis Philippi Auguſti Franciæ Regis: *Eodem anno celebratum eſt colloquium inter eundem Fridericum & Philippum, magnanimum Regem Francorum, apud Vallem Coloris, Metenſi Epiſcopo mediante, cui tamen non interfuit ipſe Rex ſed Ludovicus filius eius primogenitus cum magnatibus Regni. Et percuſſerunt fœdus inter ſe, & renovarunt AMICITIAS PERPETVAS, SICVT FVERVNT inter eorum prædeceſſores.* Fraxineus Franciſci Regis ad Ordines Imperij orator, non dubitavit (teſte Sleidano l.24.) profiteri fœdus illud perpetuæ amicitiæ inter Imperium & Franciæ Regnum, *Philippum Auguſtum aureis deſcribi litteris & ſanctiore loco reponi juſſiſſe.*

Quod de Henrico VI. Rogerus de Hovedén ſcribit: *Notum erat Regi Angliæ, quod prædictus Imperator ſuper omnia deſiderabat, ut Regnum Franciæ Romanorum Imperio ſubjiceret*; id dubiæ eſt fidei, certe irriti voti fuit.

Verius

Verius & rectius eſt. à Bonifacio IIX. Papa proſcriptum *Francorum regnum. velut ſolio vacuo, iuriſdictionique Imperii Auguſtoru ãque attributum & adjudicatum :* quæ verba pene ſunt Pauli Æmilii in Philippi Pulchri hiſtoria. At primum indicat hoc, Imperio nullum fuiſſe jus antiquum in Galliam, alioquin enim dono Papali novo haud fuiſſet opus. Deinde, ab Imperij ordinibus aut Cæſare Alberto non fuit munus illud Papale acceptatum : nec Papę fas fuit aliena regna pro arbitrio donare & imperia transferre. Itaque nec ex illa Bonifacij liberalitate Germaniæ quidquam accrevit. Quin fertur Alberti & Pulchri tale pactum: *Albertus &c. Nos & Sereniſſimus Philippus D. G. Rex Francorum, amicus noſter chariſſimus, univimus, voluimus, & ad invicem concordavimus, ac etiam promiſimus fide data, nomine iuramenti : iuraverunt etiam in animas noſtras nobis præſentibus, videlicet pro iam dicto rege Franciæ ſpectabilis vir Comes S. Pauli; pro nobis vero nobilis Burcoardus Comes, avunculus noſter chariſſimus : quod ex nunc erimus adinvicem veri & fideles amici, ac in noſtris ac regnorum noſtrorum & Imperii honoribus, libertatibus & ſtatibus mutuo conſervandis, contra omnem hominem veri & validi adiutores. Quodque inter nos & heredes. ſucceſſores noſtros, & Francorum Reges & Imperatores, pacis & amicitia fœdera, PERPETVIS duratura temporibus ſerventur &c. Actum & datum nobis præſentibus apud Quatuorvalles. die Martis, octavo menſis Decembr. anno D. 1299. Ind. 14. Regni vero noſtri anno 2.* Imo creditur à nonnullis, hoc Philippi & Alberti pactū eſſe nobile illud, quod quaſi apud Tullum initum pro lege perpetua ſecuta tempeſtate fuit obſervatum. In Commentariis ſane Pij II. Papæ l. 4 ad annum 1459. ita ſcribitur. *Philippus* Burgundiæ Dux *indigne agere Regem* Franciæ Carolum IIX. *aiebat, qui nonnulla in Ducatu Luxenburgenſi, id eſt in Imperij ditione, oppida occupaſſet, adverſus antiquum fœdus, quod Francorum Reges cum Imperatoribus apud Tullum percuſſere : in quo cautum ſit, IMPERATOR IN REGNO FRANCIÆ, REX IN IMPERIO NE DOMINATVM SIBI VENDICET; etiamſi volentes aliqui ſe dedant. Iniuſte Regem agere, qui fœdus violet, & oppignoratum ſibi Luxenburgenſem Ducatum moleſtare audeat.* Forcaſſis Tullenſe illud pactum aliud eſt ab hoc inter Albertum & Pulchrum icto. Indubie tamen inter eos pax inita eſt : Regis Pulchri ſorore Blanca in matrimonium Rudolfo Alberti filio collocata, quo amicitia ſanctiore copula ſibi conſtaret.

Multo minus eſt quod nos turbet Aurea Caroli IV. Cæſaris bulla, & recepta conſuetudo qua Trevirenſis Archiepiſcopus Archicancellarius per Galliam ſolet uſurpari. Galliæ enim nomine non ipſa Francia occidentalis, ſed ſola Belgica in titulo iſthoc venit. Eoque quum anno 1357. Trajecti ad Moſam tabulas aliquas Cæſar ille confici curaſſet, ſubſcriptum eſt : *vice Reverendi in Chriſto patris Boemundi Trevirenſis Archiepiſcopi S. R. Imperii per Galliam & Regnum Arelatenſe Archicancellarii, recognovit Rodolphus de Fridenberg :* quod refert Gevvoldus *l. de Septemviratu n. 74. pag. 112.*

Quibus omnibus probe expenſis haud difficile collectu eſt, Franciæ regnum brevi quidem momento fuiſſe in obſequio Germanicorum Regum, ſolidum autem aliquod jus hinc Imperio haud accreviſſe, ſed quaſi ſuæ ſpontis rempubl. tantum non ſemper a Germania regnum illud agnitum eſſe.

CAP. IX.

Regnum Italiæ & Imperatoriam dignitatem in perpetuum Germanico Imperio acceſſiſſe.

FElicius ſucceſſerunt omnia Germaniæ in iis quę Lotharij Cæſaris quondam fuêre, quam in Calvi bonis. Igitur Lotharingiam Italiæ Langobardicum regnum & Cæſarea dignitas, quæ ſeorſim urbis Romæ & reliquiarum veteris Imperij Romani per Italiam Principatum ætate iſthac comprehendebat, haud longo intervallo ſecuræ ſunt. Tres inter Lotharij Cæſaris filios primo natu Ludovico utrumque & hereditario quidem mero jure obtigerat, tranſalpinam omnem Lotharij hereditatem cernentibus duobus filiis reliquis. Ludovico illo poſt fratres ſine liberis anno 876. mortuo, ſi non unicus ſaltim primarius heres utriuſque jure erat patruus major natu Ludovicus Germanicus. Si ſcriptori Appendicis Eutropianæ à Flacio editæ (eſt autem Ottonibus coævus Italus aliquis) credimus, ab ipſo Ludovico illo Cæſare ſucceſſor dictus fuit Carolomannus Ludovici Germanici filius natu maximus. Verum artibus Ioannis IIX. Papæ effectum eſt, ut ad Carolum Calvum Gallicum utraque dignitas perveniret. Verba Eutropianæ Appendicis hęc ſunt: *Eo vero* (Ludovicu Cæſare) *infirmante & ad extremum propinquante, quia non habebat filium, voluit ſibi ſuccedere Carolomannum ad ſuſcipienda Imperialia ſceptra. Cum hæc ita geruntur, Romani Pontificeſ ſemper per oratores literas mittebant invitatorias ad Carolum Calvum Regem Francorum, invitantes eum clam: & quia erat in literis quaſi philoſophus, rogabant illum ſupervenire B. Petro & de ſervitutis iugo ad propriam libertatem reducere ſuam Eccleſiam, quaſi per vim ab aliquo eſſet oppreſſa. Talibus evolutis machinationibus moritur Ludovicus. Mittitur ſtatim eſtatus à Ioanne, qui tunc præerat Papa, legatus ad eundem Carolum, qui nullas veniendo faciens moras, ingreſſus Italiam, petiit Romam. Mittitur denique alius miſſus ab uxore Imperatoris Engelberga, vel à ſuis primatibus, ad Carolomannum, oſtendens ei vota defuncti; & quia longius erat noluit tam cito venire ut impedire poſſet iter Caroli Calvi. Qui veniens Romam renovavit pactum cum Romanis &c.* Hæc illa. Et vero ex actis ſynodi Romanæ poſt coronationem Calvi habitæ, quæ Pithœus edidit, liquet Calvum à Papa Romam evocatum. Diſerte, enim ita loquitur Papa Ioannes de Calvo: *Deinde non hîc perpetuus Auguſtus ad tanta faſtigia ſe velut improbus intulit, non tanquam importunus fraude aliqua, vel prava machinatione, aut inhiantis ambitione ad Imperialem apicem adſpiravit. Abſit. Neque enim ſibi honorem præſumptuosè adſumpſit ut Imperator fieret, ſed tanquam deſideratus, optatus, poſtulatus à nobis, & à Deo vocatus, & honorificatus ad defendendam religionem, humiliter atque obedienter acceſſit.* Regino ita loquitur: *Eodem anno Carolus Romam perrexit, & datis Apoſtolico Ioanni & Romanis magnis muneribus, Imperator creatus.* Idem

ad annum 877. *Carolus ſenior Romam ſecundo profectus, ubi jampridem Imperatoris nomen à præſule Sedis Apoſtolicæ Ioanne ingenti pretio emerat.* Et ſane munera Caroli Annales quoque Francici non ſilent: cumprimis vero illa deſcribit Auctor Appendicis Eutropianæ.

Papæ Romanorumque civium exemplum ſecuti deinde *optimates Regni Italiæ* eundem Calvum, jam Auguſti titulo fulgentem, *Regem elegerunt* ut habet eorum epiſtola ad Calvum, quam itidem Pithæus primus edidit, & Annalibus ſuis inſeruit ad annum 877. Baronius. Ita tum Germaniæ reges fraudati ſunt ſucceſſione, & ſimul injuſta hac Calvi invaſione Cæſarea regiaque jura cum alias magnam jacturam fecere, tum quæ ante hereditaria erant ab arbitrio Papæ & Italiæ procerum novo modo ſuſpenſa ſunt. Quantum Cæſaris juribus deceſſerit, verbis Eutropianæ Appendicis narravimus jam tum libro de Germanor. Imperio Romano cap. VII. Quæ heic repetere, ac Regiæ auctoritatis per Italiam decrementum oſtendere, extra inſtitutum eſt.

Non tamen æquo animo tulêre hanc injuriam, & Ludovicus Germanicus pater, & filij ejus, cumprimis Carolomannus: prout conſtat ex iis, quæ in Annalibus Fuldenſibus & Reginone memorantur ad annum 875. 876. & 877. Tantum quid ultimo illo anno contigerit huc adducemus: *Carolus Galliæ tyrannus æſtivo tempore cum exercitu Italiam petiit, & Ticini reſidens magnopere niſus eſt, qualiter Carlomanno illuc advenienti aditum denegaret in illam provinciam. Carlomannus vero cum manu valida Noricorum diverſorumque Sclaverum Italiam ingreditur, contra Carolum dimicare volens. Quod cum Carolus comperiſſet, illico juxta conſuetudinem ſuam, fugam iniit. Omnibus enim diebus vitæ ſuæ, ubicunque neceſſe erat adverſariis reſiſtere, aut palam terga vertere, aut clam militibus ſuis effugere ſolebat. Et in eodem itinere dyſenteria morbo correptus cum magna periit triſtitia. Carolomannus optimates Italiæ ad ſe venientes ſuſcepit, & diſpoſita prout voluit regione, reverſus eſt in Bavariam.* Iidem Annales ad annum 878. ita ſcribunt: *Lambertus VVitonis filius & Albertus Bonifacij filius Romam cum manu valida ingreſſi ſunt, & Joanne Romano Pontifice ſub cuſtodia retento optimates Romanorum fidelitatem Carolomanno ſacramento firmare coëgerunt. Quibus inde diſcedentibus, idem Pontifex domum S. Petri ingreſſus, omnes theſauros quos ibi reperit ad Lateranos tranſtulit, & altare S. Petri cilicio cooperuit, & cuncta oſtia ejuſdem Eccleſiæ clauſit, nullumque ibi officium ad Dei cultum pertinens per plures dies celebratum eſt: & quod dictu nefas eſt, omnibus illuc cauſſa orationis venientibus negabatur introitus, erantque ibi omnia confuſa. Memoratus autem Pontifex conſcenſis navibus per mare Tyrrenum regnum Caroli* (Franciam ſc.) *intravit, ibique per totum pene moratus eſt annum. Tandem aſſumpto Boſone Comite, qui propria uxore veneno extincta, filiam Ludovici Imperatoris de Italia per vim rapuerat, cum magna ambitione in Italiam rediit, & cum eo machinari ſtuduit, quomodo regnum Italicum de poteſtate Carolomanni auferre & ei tuendum committere poſſet.*

Hæc Annales. Haud abs re fuerit nonnihil aliter diſſerentem Paulum quoque Æmilium audire. *Fœdus cum Germaniæ regibus* Ludovicus Balbus Francus *ferit, his legibus, ut Lotharingia inter Francos Germanoſque æquis partibus divideretur; di Imperio neutris jus eſſet alio loco quam in Italia dimicare. Id triſte miſerumque Italiæ Pontificique maximo fuit, pati Italiam belli alieni mala, incommodis malorum his inter quos bellum foret. Idcirco antevertit Ioannes Pontifex maximus, in Franciamque venit, turbatis etiam in Italia rebus, cum exagitaretur contrariarum factionum de Imperio certaminibus. Ipſe Francicarum partium erat, conſtantique ac præjudicii ſui eſſe ducebat, ut cum Carolum Auguſtum creaſſet, Balbum filium in ejus defuncti locum ſufficeret. Ioannes à proceribus Galliæ pie officioſiſſimeque exceptus Balbum Auguſtum creat coronatque. Simulque in Trecaſſibus coacto concilio, Lambertum imbertum ac Formoſum principes adverſæ factionis devovit, qui per æqua iniquaque Francorum cauſſam oppugnabant. Annum in Francia manſit. Coactus eſt in urbem redire, quod à Sarracenis Italia vexabatur. Carolus Craſſus in Barbaros ſummam virtutem religionemque præſtitit. Italia defenſa eum Auguſtum ſalutatum Ioannes Pontifex non invitus tandem coronavit.* Hæc Æmilius, Carolomanni rebus perperam ſilentio præteritis: cætera non male.

Ex quibus diſcimus, breve admodum fuiſſe illud Calvi Imperium, (Regino ad annum 887. ſcribit de illo: *regnum Italiæ magis in tranſeundo vidit, quam fruendo potitus eſt.*) vindicante numine injuriam Germanicis regibus factam; & fruſtra nitente contra Ioanne Papa, Carolomannum rerum per regnum Italicum pariter & ipſam Vrbem potitum. Et ſane uſque in annum 880. quo XI. Kalend. April. obiit, Carolomannus Italiam omnem tenuit, etſi ab Imperatorio titulo abſtinuerit, eo quod à Ioanne Papa coronatus non eſſet. Superſunt hodieque tabulæ complures, illius tum auctoritate per Italiam promulgatæ: quod ipſum Aventinus in Annal. Bojor. Carolus Sigonius in Hiſtoria regni Italiæ, uterque l. 4. præclare tradiderunt. Fratri non ſucceſſit tantum in omnium illorum per Italiam poſſeſſione Carolus Craſſus, ſed etiam nomen Cæſareum impetravit. Regino: *Anno D. I. 881. Carolus de Alemannia egreſſus Langobardorum fines occupavit, ac in paucis diebus totam Italiam in deditionem accepit, & Romam perveniens à Præſule Apoſtolicæ ſedis Ioanne & Senatu Romanorum favorabiliter exceptus, cum magna gloria Imperator creatus eſt.* Ex adverſo ut Carolus Calvus brevi momento Italiam habuit, ita poſt illum Franciæ regum nemo (nec enim moror Ludovico Balbo obtruſum in Gallia à Ioanne Papa Auguſtum nomen) quidquam juris ſive in regnum Italiæ ſive in Romani imperij veteris reliquias Italicas, Franciæ regno aſſeruit.

Excuſſi tamen illa ætate & noſtri Reges, fateor, Italici regni & Romani Imperij poſſeſſione, idque iterum Paparum non levi culpa. Etenim Hadrianus id nominis tertius *inſignia* (verba ſunt Sigonij l. 5. de regno Italiæ) *duo decreta fecit: unum ut Pontifex deſignatus conſecrari ſine præſentia Regis aut legatorum ejus poſſet: alterum ut moriente Rege Craſſo ſine filiis, regnum Italicis principibus una cum titulo Imperii traderetur.* Hinc cum eodem tempore Italici proceres non minus atque alij, Caroli Craſſi auctoritate abolita, res novas molirentur, quin imo conjuratione facta potentiſſimi illorum Wido Spoletanus & Berengarius Forojulienſis,

alter

alter Francorum alter Italiæ regnum ſibi deſpondere haud dubitaſſent, Italia ſimul & Cæſarea dignitas Francis erepta ad peregrinos deuenit. Bene vero de Italicis illis Sigonius l.6. initio: *Seipſos prorſus una cum Eccleſia perdiderunt, ea tempora in rempublicam inferentes, quibus nulla alia tetriora ac fædiora fuiſſe Principum nequitia, vel populorum inſania, in tota antiquitate reperiuntur.* Et ſane ipſamet Papalis ſedes nunquam fœdius ſeſe geſſit, & ſimul majorem vim paſſa eſt. Eoque contra quam ſciverat Honorius & Italici conjuraverant, ipſemet ille Berengarius & Formoſus Papa Arnolpho Germaniæ noſtræ Regi regnum illud pariter ac Cæſaream dignitatem, quo ſe ac ſua tuerentur ab injuria, tradiderunt. Operæ fuerit pretium omnem hanc rem petere duntaxat ex ſeptimo octavo & nono capitibus libri primi ejus hiſtoriæ, quam Luitprandus Ticinenſis ætate Ottonis Magni conſcripſit. Annales Fuldenſes notant, hac jurisiurandi formula populum Romanum Arnolpho anno 895. ſeſe obſtrinxiſſe: *Iuro per hac omnia Dei myſteria quod ſalvo honore & lege mea atque fidelitate domini Formoſi Papa, fidelis ſum & ero omnibus diebus vitæ mea Arnolfo Imperatori, & nunquam me ad illius infidelitatem cum aliquo homine ſociabo. &c.*

Exceperunt mox Germaniam Hungaricæ tempeſtates ac bella civilia. Atque ita Ludovico Conrado & Henrico regibus, Italiæ ac Cæſareæ dignitatis recuperandæ cura ſepoſita eſt. De Henrico tamen ita ſub finem primi libri Witikindus: *Perdomitis cunctis circumquaque gentibus poſtremo Romam proficiſci ſtatuit, ſed infirmitate correptus iter intermiſit.* De eodem Sigebertus ad annum 937. *Henricus licet in vincendis inimicis glorioſus fuerit, quia tamen pacificus erat nullam operam dederat, ut effugatis ab Italia tyrannis, qui quaſi conductitii mercenarii, alter alteri ſuccedentes, Imperium dilaniabant, benedictionē Imperialem accepiſſet.* Paulo aliter Otto Friſingenſis l.6 chron. c.18. *Ipſe poſt multa virtutis ſua opera dum ad obtinendum Imperium Romanum tenderet, decimoſeptimo Regni ſui anno diem obiit.*

Cæterum Ottonis Magni auſpiciis illa felicitas Germaniæ ex voto tandem obtigit. Witikindus l.3. *Eo tempore uſurpato Imperio* (cum ante ſcilicet fuiſſet Eporegiæ Marchio) *regnavit in Langobardia homo fortis & avarus, & qui omnem iuſtitiam pecunia venderet Berengarius. Veritus autem ſingularis prudentia Regina virtutem, à Luthovico Rege Italia relicta, in multis eam afflixit, que tanta decus ſplendoris extingueret, vel certe obſcuraret.* Idem paulo poſt narrat, Ottonem in Italiam cum exercitu profectum, liberata à tyrannide Regina illaque in matrimonium ducta, *cum ea urbem Papiam que eſt ſedes regia obtinuiſſe.* Berengarium quoque in Germaniam ſecutum, Auguſtæ Vindelicorum feudi lege ab Ottone Italicum regnum impetraſſe. *Interea*, ait, *Rex* Berengarius *Regem* Ottonem *alloquitur, in gratiamque Regis ac Regina ſuſceptus, deditionis ſponſionem dat, fæderis ſpontanei diem apud Vrbem Auguſtam deſignans. Vbi quum conventus fieret, Berengarius manus filii ſui Adelberti ſuis manibus implicans, (licet olim, Hugonem Regem fugiens, Regi Ottoni ſubderetur,) tunc tamen renovata fide coram omni exercitu famulatus Regis ſe cum filio ſubiugavit. Et ita dimiſſus in Italiam remeavit cum gratia & pace.* Luitprandus Ticinenſis in Hiſtoria

addit.

Legationis ſuæ Conſtantinopolitanæ, quam Ottonis Magni juſſu ſuſceperat, teſtatur rem hanc ita Nicephoro Cæſari à ſe narratam; *Palam eſt quod Berengarius & Adelbertus ſui milites* (i.e. Ottonis vaſalli) *effecti, Regnum Italicum ſceptro aureo ex eius manu ſuſceperant, & præſentibus ſervis tuis qui nunc uſque ſuperſunt, iureiurando fidem promiſerunt.* Otto Friſingenſis l.6. Chron. c.19. *Otto poſt multos triumphos Italiam quoque, qua per plures iam annos Francis ſeu Germanis alienata fuerat, regno adiicere parat. Hac eo tempore à Berengario tyranno multipliciter premebatur &c. Ibi* (Auguſtæ) *ex omnibus regni viſceribus multis in unum adunatis, Berengarius humiliter veniens ſe dedidit, ab eoque REGNVM ITALIÆ, excepta Marchia Veronenſium & Aquilegienſium, SVSCEPIT.* Regino: *Eodem anno mediante Auguſto menſe, conventus Francorum, Saxonum, Bavarorum, Alemannorum, & Langobardorum, publicus apud Auguſtanam urbem Rhetia provincia agitur. Ubi Berengarius cum filio ſuo Adelberto, regia ſe per omnia in vaſallum dedit dominationi, & Italiam iterum cum gratia & dono Regis accepit regendam. Marca tantum Veronenſis & Aquilegienſis excipitur, qua Henrico fratri Regis committitur.* Contigit hoc ipſum anno 952. Eoque ad illum annum ita loquitur continuator Reginonis: *Berengarius cum filio ſuo Adelberto ſeſe ſubiiciens Ottoni, ab eo ut ſubditus recepit regendam Italiam.* Quibus verbis & Baronius utitur.

Illo rerum ſtatu permanſit Italia uſque in annum 961. quando Papa ipſo, & Epiſcopis Mediolenſi & Cumano, ut & procerum Italicorum compluribus, de intolerabili tyrannide Berengarij conquerentibus, iterum cum exercitu Italiam ingreſſus Otto, *Berengarium & Adelbertum celeriter regno expulit, dehinc Romam adiens, ibi miro ornatu miróque apparatu ſuſceptus à Papa Ioanne, id nominis duodecimo, functionem ſuſcepit Imperii*: quę verba fere ſunt Luitprandi, qui hanc Ottonis novam invitationem narrat *l.6. cap.1.* Baronius ex vetuſta Beneventanorum Ducum hiſtoria refert, quo tempore expeditio illa inſtitueretur, Proceres Italiæ ita alloquutos Adelbertum Berengarij filium: *Vellemus Domine, ut Papiam cum paucis pergas, & tuo genitori dicas, quatenus Longobardorum regnum ſub veſtra ditione committas, quia nos minime ſub illius poteſtate amplius durabimus. Si vobis committit Regnum, nos totis viribus pugnabimus: Sin autem, Italia regnum extero Regi committemus.* Cumque à Patre non potuiſſet hoc impetrare Adelbertus, patrem filiumque ab omnibus deſertum. *Itaque* (addit ſcriptor ille) *Otto Rex ſine impedimento in Italiam introivit, atque Italia regnum obtinuit.* Luitprandus in hiſtoria legationis ſuæ Conſtantinopolitanæ ait, cum *fidem* Ottoni datam Berengarius & Adelbertus *perfide violaſſent, iuſte illos quaſi defectores & rebelles regno privatos.* Frodoardus recte notat, facta hæc demum anno 962. *Otto Rex Romam pacifice adiit, & amabiliter exceptus, atq; honore illic Imperiali ſublimatus. Quod Berengarius Italia rex indigne ferens, regiones quas regere debebat incendere atque vaſtare cœpit.* Et vero incidit illa Cæſarea Ottonis coronatio in anni illius menſem Februarium, diem ſecundum feriam primam. Quod magnitudo negotij exacte hic monere nos jubet.

Igitur anno 951. Italicum ſive Langobardicum

Digitized by Google

Regnum: Cæſarea jura dignitaſque 962. (poſtquam nomen illud Imperatorium ab anno 924, quo Berengarius primus è medio ſublatus eſt, in occidente omni quaſi evanuiſſet) ad Germaniæ Reges devenere. Sopitum tamen bellum illud ultimum demum eſt anno 964, quo & Berengarius cum uxore captus, inque Bavariam eſt miſſus, & extincto Ioanne Papa perjuro, Leo iterum Ottonis auctoritate ſedi ſacræ reſtitutus eſt. Quod ipſum in animo fuit fortaſſe Ottoni Friſingenſi l. 6. cap. 22. Chronici ſui: quando coronationem quidem Cæſaream in illum annum perperam conjicit, recte tamen ſubjungit: *Ex hinc regnum Romanorum poſt Francos & Longobardos ad Teutonicos, vel (ut aliis videtur) rurſum ad Francos, unde quodammodo elapſum fuerat, tranſlatum eſt.* Recte inquam hæc Otto. Illo enim denique anno Leo Papa & clerus omnis populuſque Romanus æterno pacto Germaniæ Regibus ſeſe ac ſua devinxerunt: id quod ex capitulo XXIII. diſtinctionis LXIII. Gratiani, *libro de Germanorum Imperio cap. X.* multis demonſtravimus: cum biennio ante non niſi cum Ottone ejuſque filio queant videri pepigiſſe, quantum ex Luitprando colligere eſt.

Pacti perpetui cum Italiæ proceribus de Regno Italiæ initi, in monumentis quæ hodieque ſuperant, memoriam haud forte reperias, ut ſunt illa rudia & bonæ frugis inania. Per tamen eſt veroſimile, etiam cum illis non minus arcte tunc conventum. Nec enim Romanum illud pactum ad Italicum regnum pertinet: utpote quod à Romano Imperio proprie ſic dicto plane diverſum eſt; ceu probavimus ejuſdem noſtri de Germanorum Romano Imperio libri cap. XII. Niſi fortaſſis Otto, ſaltim jure belli, in Regnum illud Italicum proprietarium aliquod jus ſibi poſteriſque deberi crediderit; atque adeo libero aliquo pacto cum proceribus non fuerit opus. In iis ſane Tabulis Ottonianis, quas ad annum 962. recitat Baronius, ita legitur: *Inſuper offerimus tibi B. Petre Apoſtole vicarioque tuo domino Ioanni Papæ, & ſucceſſoribus eius, pro noſtræ animæ remedio, noſtrique filii & noſtrorum parentum, de PROPRIO NOSTRO REGNO, civitates & oppida cum piſcariis ſuis, id eſt Reatem, Amiternum &c.*

Quicquid hujus ſit, id longe eſt certiſſimum & conſtat omnibus; ab illa uſque Ottomana occupatione, nunquam fere interrupta ſerie, (nec enim eſt, quod Creſcentij aut ſimilis farinæ hominum, irritis & momentanijs conatibus poſſeſſionem fractam arbitreris) ſaltim ad ferale illud & perpetuo reipubl. Germanicæ lugendum Friderici II. Cæſaris fatum, vim Imperij per Italiæ regnum & Romanas reliquias, penes Germaniæ reges fuiſſe.

CAP. X.

Italici regni & Cæſareæ dignitatis quæ ratio quive fines fuerint circa initia, & quemadmodum utrumque ad Friderici II. tempora ſeſe habuerit.

NOn videmus ab Italiæ regno & Cæſarea dignitate commode recedere, & ad alia poſſe progredi: niſi paulo dilucidius expoſuerimus, quid utroque nomine intelligi debeat, aut olim fuerit acceptum; addito brevibus, quemadmodum illa ad Friderici uſque ſecundi, quæ diximus tempora, ſeſe habuerint.

Igitur primum id notandum, Italici regni nomen cepiſſe demum poſt Carolum Magnum, non multò tamen poſt: utpote quod jam tum reperiatur in Epiſtola Italiæ procerum ad Carolum Calvum, ſcripta anno 877. *Nos omnes Epiſcopi, Abbates, Comites ac reliqui, qui nobiſcum convenerunt, Italici regni optimates.* Etſi enim haud aliud ſit quam id quod ante audivit. *Regnum Langobardorum*, tamen illud priſcum nomen, extincta gentis illius majeſtate eaque ad Francos tranſlata, ſimul videtur abolitum, novo hoc ſubſtituto. Ab illo Regno Langobardico diſtinctum plane quid, exiguum licet, per Italiam manſiſſe reliquum Imperij veteris Romani: idque ex parte ad Francos tranſlatum, poſtquam Cæſar dictus fuit Carolus Magnus, Calabria Sicilia & urbe Venetorum exceptis: hæc latius libro de Germanorum Imperio Romano cap. VII. & IIX. perſequuti ſumus. Vbi & id probavimus, utile, ut ita dicamus, hujus dominium cum aliqua dicundi iuris poteſtate, Pipini & Caroli Magni dono, ad Papas quidem perveniſſe: ſummum principatum autem, ſive vim regendi, cum Cæſareo nomine ad Francorum Reges delatum: & hoc denique ipſum illud eſſe, quod reapſe titulo Cæſareo & illi & poſteri eorum nacti ſunt. Ea hic repetere fuerit actum agere.

Lubet tamen nonnulla adferre in medium, ex antiquiſſimo ſcriptore Italo Ottonibus coævo, quæ Eutropij libello adjuncta invenit quondam & publicavit Matthias Flacius; quo pateat qualis tum fuerit in ipſam Vrbem Romam Cæſarum auctoritas, ſaltim uſque ad annum 876. *Accipiente Carolo hoc* (Magno) *regnum, profectus eſt Romam, deditque ibi donaria multa quæ uſque hodie Romanum tenet dominium, de regni huius confinibus. Fecitque pactum cum Romanis, eorumque Pontifice, & de ORDINATIONE PONTIFICIS, ut intereſſet quis Legatus, & ut CONTENTIOSAS LITES ipſe* (ſcilicet Legatus) *deliberaret. (Conſtituebant autem annalia dona in Papæ palatium perducenda, auri libras decem, argenti centum, pallia optima decem, exceptis privatis donis. Et quando Imperator adveniebat Romam vel ſuus Legatus, mittebantur iudices à palatio ſingulis annis, qui per cuncta Romanorum confinia legalia vindicabant placita: compellentes habitatores locorum illorum venire ad placitum, iudicantibus eorum iudicibus rectam legem in præſentia Imperialium iudicum, & ſi alterius gentis invenirentur habitatores regali iudicio iudicabantur. Erant denique monaſteria, in Salinis Domini Salvatoris, & S. Dei genitricis Mariæ, nec non & monaſterium B. Andreæ Apoſtoli iuxta montem Soractis; ſeu cætera fiſcalia patrimonia intra Romanos fines, ad uſum Imperialem. Non ſolum autem in Italico regno, verum etiam in Franciam proficiſcebantur monachi, ferentes vectigalia, vina, & alia donatia iuxta virium poſſe.* Paulo poſt. *Propterea inventum eſt, ut omnes maiores Romæ eſſent Imperiales homines, tam Epiſcopi quam laici; & omne vulgus pariter cum his faceret fidelitatem Imperatori; & ut ſuus Miſſus omni tempore moraretur Romæ.*

ad de-

ad deliberandas litigioſas contentiones. Morabatur quippe in Palatio S. Petri; & erat conſtitutum, quanta & qualia ſtipendia de Palatio ei darentur quotidie. Quod autem reliquum erat, de ſupradictis monaſteriis vel patrimoniis deferebatur affluenter. Tunc namque Imperialis virtus ibi vigebat, ut ſi in legali iudicio minoris vel inſcii cauſa poſtponeretur, & ille alicuius conſilio pedes teneret Legati Imperatoris, petens ab eo iuſtam legem: & Miſſus advocaret Principes Romanorum, dicens: Per eam fidem, quam Domino Imperatori debetis, facite huic homini iuſtam legem? nemo erat auſus declinare neque ad dexteram neque ad ſiniſtram, etiamſi à propinquis Pontificis illata eſſet iniuria. Maltoticas verò non ante Apoſtolicum, ſed in iudiciali loco ad Lateranum, ubi quidam locus dicitur ad lupum, quæ mater vocabatur Romanorum, ibi iniuriam legem finiebant. Compoſitiones quoque, quæ ſolebant à malefactoribus ſolvi, æqualiter dividebantur Miſſo Imperatoris & Apoſtolici. Si autem talis culpa erat, ut res ſcelerata fiſco publico ſubderetur, non ad eccleſiaſticam tranſibat ſubiectionem, niſi per donativum Imperiale præceptum. Si enim aliquis iram incurrebat Imperatoris Epiſcopus aut iudex Romanus, & placitum eſſet Cæſari venire Romam, veniebat: ſin autem, mittebatur Dux Spoletanus, comprehendebatur offenſor, & ducebatur in exilium, domus vero illius ſignabatur annulo Regis, uſque ad eius conſultum; ut ſi quando reverteretur ad gratiam, haberet propria ſalva: ſin alias, per Imperialia præcepta diſtribuebatur militibus. Quod ſi ad iudicis poteſtatem reiiciebatur quiſquam, & Cæſaris adhæreret clementiæ, mittebatur pro tali negotio Legatus ab Imperatore, qui diligenter examinaret rei veritatem: & ſi eiectus propriam haberet culpam, ſuſtineret iniuriam. Hæc ille.

Pergit idem auctor: *Hac conſuetudine uſi ſunt Romani uſque ad Ludovicum, magnum Imperatorem, Lotharii filium. Hic quia magis Italiam habitare elegit, vicinior factus eſt Romæ: ubi & ampliore quadam uſus eſt poteſtate, habens ſtrenuos viros intra Urbis, ſcientes antiquam Imperatorum conſuetudinem, & intimantes Cæſari, qui ſuggerebant illi repetere antiquam Imperatorum donationem. Et niſi ob reverentiam beatorum Apoſtolorum dimitteret, pro certo faceret.* Hæc omnia ille.

Adtexit ſcriptor mox haud pauca de Ludovico illo Cæſare, quemadmodum auctoritatem Cæſaream Romæ illuſtribus exemplis exercuerit. Quæ omnia referre tædioſum forte fuerit. At quæ de Calvo aliiſque Italiæ regibus idem diſſerit, illa operæ eſt pretium heic etiam legere. *Carolus Calvus veniens Romam renovavit pactum cum Romanis, perdonans illis iura Regni & conſuetudines illius; tribuens illis ſampius de tribus ſupradictis monaſteriis, id eſt, Domini Salvatoris, & Beatæ Mariæ ſemper virginis in Sabinis, atque S. Andreæ iuxta montem Soractis & de cæteris quam plurimis monaſteriis fiſcalia patrimonia. Patrias autem Samnia & Calabria ſimul cum omnibus civitatibus Beneventicis contulit: inſuper ad dedecorem Regni totum Ducatum Spoletanum cum duabus civitatibus Tuſciæ quod ſolitus erat habere ipſe Dux, id eſt, Aretium & Cluſium; quatenus is, qui præerat Regni vice ante Romanis, videretur poſt eſſe ſubiectus. Removit etiam ab eis Regias Legationes, aſſiduitatem addit præſentiam Apoſtolicæ electionis. Quid plura? Cuncta illis contulit quæ voluerunt? quemadmodum dantur illa, quæ nec recte acquiruntur nec poſſeſſura ſperantur. Fugato itaque iſto Carolo præ metu alterius Caroli qui veniebat, infirmatur antequam de regno egrederetur Italico. Egreſſus namque vix, defunctus eſt. Ab illo autem die honorificas conſuetudines Regiæ dignitatis nemo Imperatorum, nemo Regum acquiſivit: quia aut virtus defuit aut ſcientia, præ multis Regni contentionibus & aſſiduis diviſionibus. Unde multa prælia, delationes; & rapinæ fuerunt in Regno.* Hæc iterum ille. Quæ vero eſſe conſentanea alibi oſtendimus. Et ſane poſt Ludovicum illum Lotharii filium uſque ad Ottonem Magnum, eviluit plane per Italiam Cæſarea vis & auctoritas, eoque cum paucis datus eſt ille titulus, tum qui illum ſunt nacti duntaxat nomine fere tenus rebus præfuerint non re ipſa. Dignum tamen obſervatu, adhuc anno 904. quum Lampertus Widonis filius dignitate iſthac eſſet conſpicuus, in ipſamet ſynodo Romana curante Pontifice Ioanne IX, Cæſarea quædam iura vetera confirmata eſſe. In Actis ſane Synodi illius, quæ Cardinalis Baronius, Annalibus inſeruit, ita loquitur ille Lambertus Imperator: *Si quis Romanus, cuiuſcunque ſit ordinis ſive de clero ſive de ſenatu, ſeu de quocunque ordine, gratis ad noſtram Imperialem maieſtatem venire voluerit, aut neceſſitate compulſus ad nos voluerit proclamare: nullus eis contradicere præſumat, & neque eorum res quiſpiam invadere vel deprædari, aut eorum perſonas in eundo vel redeando vel morando inquietare præſumat: donec liceat Imperatoriæ poteſtati eorum cauſſas & perſonas aut per Miſſos noſtros deliberare. Qui autem eos inquietare, eundo redeundo vel morando tentaverit, vel eorum quidpiam rerum auferre, poſtquam per noſtram miſericordiam ſe proclamaverint, Imperialis ultionis indignationem incurrat.* Inter duodecim capitula eodem tempore conſtituta octavum ita ſeſe habet: *Ut paſtus Imperatoris ab Epiſcopis & Comitibus, ſecundum antiquam conſuetudinem ſolvatur. Quod ſi novo tempore Fiſcus Comitialis in ius Eccleſiaſticam converſus eſt, augeatur ſtipendium Imperiale ab Eccleſia, iuxta quod reſpublica fuerint minorata.*

Porro id quoque certum eſt, iſthac tempeſtate, etiamſi interdum nemo Cæſareo titulo gauderet, Urbis tamen Imperium nunquam penes Papas, ſed alios & quidem Tuſciæ Marchiones potiſſimum eorumque clientes fuiſſe, Luitprandus l. 2. c 13. in hæc verba loquitur: *Theodora ſcortum impudens, huius Alberici qui nuper hominem exuit, avia, (quod dictu etiam nefandiſſimum) ROMANÆ civitatis non inviriliter MONARCHIAM obtinebat; quæ duas habuit natas Marozzam atque Theodoram ſibi non ſolum æquales, verum etiam Veneris exercitio promptiores. Harum una Marozia ex Papa Sergio, cuius ſupra fecimus mentionem, Ioannem, qui poſt Ioannis Ravennatis obitum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ obtinuit dignitatem, nefario genuit adulterio: ex Alberto autem Marchione Albericum qui noſtro tempore Romanæ urbis principatum uſurpavit &c.* Hæc Luitprandi verba cum recitaſſet Baronius ad annum 908. in iuſtam indignationem ita prorumpit. *Audiſti temporis huius deploratiſſimum ſtatum, cum Theodora ſenior nobile ſcortum monarchiam (ut ita dicam) obtinebat in Urbe? Sed unde*

infami mulieri tantâ dignitas? Erat iſtanobilis Romana fœmina ſenatoria orta propagine, excellens pulchritudine, ingenio verſutiſſima, conſuetudine Alberti Tuſciæ Marchionis potentiſſimi reddita procaciſſima, ex qua etiam quas audiſti genuit filias, ſicque ex adulteri potentia etiam ſibi peperit monarchiam. Nam cum (ut ſuo loco inferius dicetur) munitio Sancti Angeli inexpugnabilis reddita ex mole olim Hadriani Auguſtanorum ſepulchro, poſſideretur ab eodem Tuſciæ Marchione, qui ea potiretur. Vrbs quoque pariter dominari facile poſſet: hac peſſima fœmina ea arte dominium Vrbis eſt conſecuta, poſſidens arcem, illud in poſteros propagare curavit, filias proſtituens Pontificibus, Sedis Apoſtolicæ invaſoribus, & Tuſciæ Marchionibus; ex quibus tantarum invaluit meretricum imperium, ut pro arbitrio legitime creatos dimoverent Pontifices, & violentos ac nefarios homines illis pulſis intruderent. Hactenus Baronius. Et vero ſolus Ioannes XII. Vrbis principem egit, à patre Alberico quaſi hereditate principatum adeptus, nullius Papalis iuris prætextu. Frodoardus ad annum 945. *Alberico Patricio Romanorum defuncto filius eius Octavianus, cum eſſet clericus, Principatum adeptus eſt: qui poſtea defuncto Agapeto ſuggerentibuſque ſibi Romanis Papa Vrbis efficitur.*

Quanquam præterea ampliſſima bona, Pipini & Caroli Magni dono, quondam ad Papas perveniſſent, videntur tamen illa ſenſim ad alios translata: ut tandem Papis nihil pene rerum fuerit reliquum. In Actis ſinc Romanæ ſive Ravennatenſis ſynodi quæ modo citavimus, Ioannes IX. Papa exigit, *ut Patrimonia ſeu ſuburbana atque maſſæ & colonia, nec non civitates, quæ contra rationem quaſi per curis præcepta largita ſunt, reddantur.* Lambertum ita alloquitur: *Sed hoc ſcire vos volumus, quoniam Sancta Romana Eccleſia tantum eſt ad nihilum deducta, quod & eleemoſyna quæ pauperibus pro ſoſpitate veſtri Imperii diſtribui ſolebant, & ſtipendia clericorum ac famulorum eius omnimodis ſunt evacuata &c.* Regino ad annum 867. de Ottone Magno Imperatore: *Habita Ravennæ ſynodo multa ad utilitatem ſanctæ Eccleſiæ adinvenit, & Apoſtolico Ioanni Vrbem & Terram Ravennatium aliaque complura, MVLTIS retro temporibus Romanis Pontificibus ABLATA reddidit.* Eo demum anno ſcilicet facta eſt traditio: quoniam bona illa recuperata initio quidem Otto ſuam in poteſtatem redegerat: id quod conqueſtus fuit Ioannes XII, Otto autem ita defendit: *Omnem terram S. Petri quæ noſtræ poteſtati ſubiecta eſt Eccleſiæ promiſſimus reddere. Quo vero pacto terram hanc ei reddere poſſumus, ſi non prius eam ex violentorum manibus ereptam poteſtati noſtræ ſubdamus?* Quæ narrat *Luitprandus lib. 6. cap. 1.*

CÆTERVM hunc rerum ſtatum latius perſequi ac deſcribere non patitur inſtitutum: & proprii hoc eſt argumenti. Tangenda tamen hæc nonnihil fuere, ſaltim ut omnibus fiat manifeſtum, quale fuerit Vrbis Romæ Imperium & quam exigua ac miſera Romanorum Pontificum conditio, quando cum Germania dignitas Cæſarea coaluit. Magis hic locus poſtulat, quoniam modo diximus Italiæ aliquam partem Romanis Pontificibus ceſſiſſe quidem, iterum vero perditam: atque Ottonis Magni dono iis reſtitutam, ut explicemus clarius, quidnam iuris Pontificij fuerit factum, ſive Ottonis ſive aliorum munere, & inquantum illa quæ ita in ditionem Pontificiam tranſiêre Cæſareis iuribus fuerint ſubducta. Hoc enim quam maximè pertinet ad id ut limites Cæſarii & Papalis Imperii rite deſcribantur.

Ac Baronius quidem ad annum 962. adfert Tabulas Ottonis nomine, quibus ille Romanæ ſedi multa donat: pars earum heic omnino legenda eſt. *Spondemus atque promittimus per hoc pactum confirmationis noſtræ tibi B. Petro principi Apoſtolorum & clavigero regni cœlorum, & per te Vicario tuo Domino Ioanni ſummo Pontifici & Vniverſali XII. Papa, ſicut à prædeceſſoribus veſtris uſque nunc in veſtra poteſtate atque ditione tenuiſtis & diſpoſuiſtis, civitatem Romanam, cum Ducatu ſuo; & ſuburbanis ſuis atque viculis omnibus & territoriis eius, montanis & maritimis, littoribus atque portubus, ſeu cunctis civitatibus, caſtellis, oppidis ac viculis, Tuſciæ partibus, id eſt Portum Centumcellas, Cerem, Bledam, Maturianum, Sutrium, Nepem, Caſtellum Galliſem, Ortem, Polimartium, Ameriam, Tullam, Peruſiam cum tribus inſulis ſuis, id eſt, Maiore, Minore, Puloenſium, Narniam, & Vtriculum cum omnibus finibus ac territoriis ad ſupra ſcriptas civitates pertinentibus. Nec non Exarchatum Ravennatem ſub integritate cum Vrbibus, civitatibus, oppidis & caſtellis, quæ piæ recordationis domnus Pipinus & domnus Karolus excellentiſſimi Imperatores, prædeceſſores videlicet noſtri, B. Petro Apoſtolo, & prædeceſſoribus veſtris, iamdudum per donationis paginam contulerunt. Hoc eſt civitatem Ravennam, & Æmyliam, Bobium, Ceſenam, Forum populi, Forum Livii. Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comiaclum, & Hadrianis atque Gabellam, cum omnibus finibus, territoriis atque inſulis, terra marique ad ſupraſcriptas civitates pertinentibus. Simul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Ameriam, Auſimum, Humanam, Heſium, Forum ſempronii. Montem Feltri, Vrbinum, & territorium Balnenſe, Calles, Luciolos, & Eugubium cum omnibus finibus & territoriis ad eaſdem civitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinenſe: ſicut à domno Carolo Imperatore anteceſſore noſtro beato Petro Apoſtolo per donationis ſcriptum conceſſum eſt ſub integritate. Item in partibus Tuſciæ Longobardorum Caſtellum Felicitatis, Vrbem veterem, Balneum Regis, Ferentum, Viterbium, Ortem, Martam, Tuſcanam, Suanam, Populonium, Roſellas cum ſuburbanis, atque viculis omnibus & territoriis, ac maritimis, oppidis ac viculis ſeu finibus omnibus. Itemque Albnus cum inſula Corſica: deinde in Surtano, deinde in monte Bardonis, deinde in Berceto, exinde Parma, deinde in Regio, exinde in Mantua atque in monte Silicis atque provincia Venetiarum & Iſtria. Necnon & cunctum Ducatum Spoletinum, ſeu Beneventanum una cum Eccleſia Sancta Chriſtina poſita prope Papiam iuxta Padum, quarto milliario. Item in partibus Campaniæ Seram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, & Capuam. Nec non patrimonia ad poteſtatem & ditionem veſtram pertinentia: ſicuti eſt patrimonium Beneventanum, & patrimonium Neapolitanum, & patrimonium Calabriæ ſuperioris & inferioris. De civitate autem Neapolitana cum caſtellis & territoriis & finibus & inſulis ſuis ſibi pertinentibus, ſicut ad eaſdem reſpicere videntur, nec non patrimonium Siciliæ, ſi Deus noſtris illud tradiderit*

mani-

manibus. Simili modo civitatem Caietam & Fundum cum omnibus earum pertinentiis. Inſuper offerimus tibi B. Petre Apoſtole Vicarioq; tuo domno Ioanni Papæ & ſucceſſoribus, noſtre animæ remedio, noſtriq; filii, noſtrorũ parentũ, de proprio noſtro Regno civitates & oppida cum piſcariis ſuis, id eſt, Reatem, Amiternum, Furconem, Nurſiam, Balnam, & Marſim, & alibi civitatem Interamnem cum pertinentiis ſuis. Has omnes ſupradictas provincias, urbes, civitates oppida & caſtella, viculos & territoria, ſimulque & patrimonia pro remedio animæ noſtræ & filii noſtri, ſive parentum noſtrorum, ac ſucceſſorum noſtrorum, & pro cuncto à Deo conſervato atque conſervando Francorum populo, iam dictæ Eccleſiæ tuæ, beate Petre Apoſtole, & per te Vicario tuo ſpirituali patri noſtro domno Ioanni ſummo Pontifici & univerſali Papæ, eiuſque ſucceſſoribus uſque ad finem ſeculi, eo modo confirmamus, ut in ſuo detineat iure, principatu atque ditione.

Hactenus illæ à Baronio adductæ Ottonis Magni Tabulæ. At nos quidem alibi iam in dubium vocavimus haud levibus argumentis earum fidem: non eſt vero quod nunc illud agamus, ſufficit monuiſſe, omnia iſthæc ſiquidem ſunt ab Ottone donata, non tamen Cæſareo Imperio ſimul ſubducta eſſe, idque diſertis earundem Tabularum verbis Vtrique enim Ducatus Spoletanus & Tuſciæ nonnulla inter dona illa numerantur; cum tamen & ſeorſim cenſus Regius Spoletani & Tuſcani Ducatus Eccleſiæ Romanæ tribuuntur in iis Tabulis, mox additur: SALVA SVPER EOSDEM DVCATVS NOSTRA IN OMNIBVS DOMINATIONE, ET ILLORVM AD NOSTRAM PARTEM ET FILII NOSTRI SVBIECTIONE. Paulo poſt iterum ſubiungitur. *Omnium quæ ſuperius legantur, i.e. provinciæ, civitates, urbes, oppida, caſtella, territoria, patrimonia atque inſulæ, cenſuſque & penſiones ad partem Eccleſiæ B. Petri Apoſtoli atque Pontificum in ſacratiſſima illius ſede reſidentium, nos in quantum poſſumus defenſores eſſe teſtamur, ed hoc ut ea in illius ditione, ad utendum & fruendum atque diſponendum, firmiter valeant obtineri. SALVA IN OMNIBVS POTESTATE NOSTRA ET FILII NOSTRI POSTERORVMQVE NOSTRORVM, ſecundum quod in pacto & conſtitutione, ac promiſſione firmitate Eugenii Pontificis ſucceſſorumque illius continetur. Id eſt, ut omnis clerus, & univerſa populi Romani nobilitas propter diverſas neceſſitates, Pontificum irrationabiles erga populum ſibi ſubiectum aſperitates retundendas, ſacramento ſe obligent, quatenus futura Pontificum electio (quantum uniuſcuiuſque intellectus fuerit) canonice & iuſte fiat: & ut ille qui ad hoc ſanctum atque Apoſtolicum regimen eligitur, nemine conſentiente, conſecratus fiat Pontifex, priuſquam talem in præſentia Miſſorum noſtrorum, vel filii noſtri, ſeu univerſæ generalitatis faciat promiſſionem pro omnium ſatisfactione atque futura conſervatione, qualem domnus & venerandus ſpiritualis Pater noſter Leo ſponte feciſſe dignoſcitur.* Hæc ipſæ Tabulæ illæ. Vnde liquet, etſi ab Ottone conceſſus ſit Papæ Principatus aliquis: cautum tamen, ut ipſemet Papa ſubiectus Imperatori, ſingulari quodam ſacro promiſſo obſtrictus maneat. Res clarior eſſet, ſi Leonis illa *promiſſio* ſupereſſet. Baronium ſane ratio fugit, cum ſcribit ad annum 967. n. 1. Ottonem eo anno quaſi remiſiſſe factam ſibi à Leone promiſſionem: cum tamen nullus Leo potuerit aliquid promiſiſſe Ottoni quando Tabulæ illæ à Baronio productæ confectæ ſunt, Leone IIX. ſcilicet poſt demum in Ioannis locum ſuffecto: cumque laxati Leonis promiſſi nullum in omni ævo veſtigium reperiatur. Gretzerus *l. 2. c. 15. contra Replicator.* ut & alii de Leone IV. eiuſque promiſſo illo quod extat apud Gratianum *diſt. 10 cap. 9.* ſermonem eſſe, volunt. Sed verò ſimilibus eſt intelligi Leonem III. non autem Eugenio II. quem poſteriorem. Nec vero illa quam Gratianus habet Leonis quarti promiſſio de obſervandis Capitulis Imperialibus à Lothario Cæſare promulgatis quidquam ad hanc rem facit. Leo III. vero tyrannidis in populum exercitæ fuit accuſatus & a Carolo Magno per ſententiam abſolutus. is itaq; Carolo & Francorũ Regibus in quos Cæſaream dignitatẽ cõferri curaverat, indubie multa de republ. recte adminiſtrãda eſt pollicitus.

In iiſdem porro Tabulis etiam hæc notanda ſunt. *Et hoc omnimodis inſtitutione placuit, ut qui ſemel ſub ſpeciali defenſione domni Apoſtoli ſive NOSTRA fuerint ſuſcepti, impetrata iuſte utantur defenſione. Quod ſi quis quempiam illorum qui hoc promeruerunt violare præſumpſerit, ſciat ſe periculum vitæ ſuæ incurſurum.* Indicant utique hæc confirmatam hiſce ipſis Tabulis libertatem illam provocandi ad Cæſarem, eiuſque defenſioni ſeſe ſubiiciendi: quæ iam olim obtinebat: ſimulque Cæſari ſuperfuiſſe vim ſupplicio afficiendi tranſgreſſores.

Sed & ultima Tabularum verba Cæſaream iuriſdictionem ſatis aperte loquuntur. *Huic enim inſtitutioni hoc neceſſario annectendum eſſe perſpeximus, ut Miſſi domni Apoſtolici ſeu Noſtri ſemper ſint conſtituti qui annuatim nobis, vel filio noſtro renunciare valeant, qualiter ſinguli Duces ac iudices populo iuſtitiam faciant. Hanc Imperialem conſtitutionem quomodo obſervent qui Miſſi, decernimus, ut primum cunctos clamores qui per negligentiam Ducũ ſeu iudicũ fuerint inventi, ad notitiam domni Apoſtolici deferãt. Et ipſe unum è duobus eligat, aut ſtatim per eoſdem Miſſos fiant ipſæ neceſſitates emendatæ aut Miſſo noſtro nobis renunciante, per noſtros Miſſos à nobis directos emendentur.*

Denique & hoc cumprimis in Tabulis illis meretur notari; ſeorſim *cunctum Ducatum Spoletanum*, ſeorſim vero *cenſum & penſionem ſeu cæteras dationes quæ annuatim in palatium Regis Longobardorum inferre ſolebant de Ducatu Spoletano*, donari. Hinc ſane manifeſtum eſt, aliud eſſe Vrbes & civitates dare aliud ſimul cenſum regium donare: adeoque cum alij cenſus Regii præterquam Tuſciæ & Ducatus Spoletani per Tabulas haſce non ſint donati, reliquas omnes terras in nexu illo relictas. Et vero ipſam Vrbem Romam ditionemque Pontificis, centum amplius annis poſt, adhuc cenſum fiſco Regio ſolviſſe certum eſt. Abbas Vrſpergenſis ſeu Svvartzhaenſis potius ad annum 1074. *Hanno Colonienſis Epiſcopus & Hermannus Babenbergenſis Romam miſſi ſunt, PECVNIÆ QVÆ REGI DEBEBATVR congreganda gratia.* Otto Friſingenſis ſcribit miſſos illos Romam, *pro iuſtitia Regni.*

Quibus omnibus probe expenſis, nemini non ex ipſis illis Tabulis manifeſtum eſt, haud aliter iuris Pontificii amplum illud territorium fuiſſe factum, quam illa tempeſtate Ottonis dono paſſim omni-

nibus pene Epiſcopis terrarum principatus cedebant: eoque tum quidem temporis intra Imperii Cæſarii limites omne Paparum patrimonium, vt vt opimum admodum, remanſiſſe.

Non urgebo nunc, novo pacto cum Leone IIX. Papa anno 964. inito, maiorem ſolito, circa Paparum Epiſcoporumque omnium per omnem Italiam electionem, Ottoni Cæſari eiuſque ſucceſſoribus vim auctoritatemque accreviſſe: quod alibi contra Baronium, qui primus non dubitavit Cæſareum jus, in ipſum Gratiani Decretum per tot ſecula receptum probatumque, oppugnare, defendimus. De iuris illius effectu ita Onuphrius, omni exceptione hac in re maior: *Satis conſtat Ioannem XIII. qui Leoni IIX. immediatè ſucceſſit, Gregorium V. & Sylveſtrem II. Apoſtolicæ ſedi SOLA Imperatorum auctoritate impoſitos fuiſſe, NVLLIVS cleri vel populi Romani ſuffragiis expetitis.*

Magni Ottonis Nepos Otto Tertius videtur ipſum Papæ territorium intra anguſtiores multo limites revocaſſe, priſcis illis donationibus ut vitio factis è medio remotis; idque ex conſilio ipſiuſmet Sylveſtri II. Papæ. Conqueſtus enim, Papas commento Conſtantini Magni dono, & Caroli Calvi de re aliena prodigalitate, *maximam partem Imperii Apoſtolatui ſuo iunxiſſe* ipſemet S. Petro per Sylveſtrum offert Octo Comitatus, *Piſaurum. Fanum, Senogalliam. Anconam Foſſabrum, Callium, Heſium, & Auſimum*, nec eos tamen omni Cæſareo iuri exemptos, ſed *ad incrementa ut Apoſtolatus*, ita & *Imperii*. Tabulas illas Ottonis III. ab Baronij Gretzeri & aliorum incurſibus alias vindicavimus. Neque de Sylveſtri Papæ conſilio eſt quod dubitet, qui noverit quam Otto illi fuerit ut magiſtro ſuo addictus; quamque Sylveſter ille curiæ Romanæ infeſtus fuerit. Baronius ad annum 999. n. 2. *Illud omnino poſſumus affirmare, nullum hactenus in Petri ſedem fuiſſe promotum, qui eandem Sedem ſuis ſcriptis ita proſciderit, ut Gerbertus.* Is autem eſt idem ille Sylveſter. Nec audet Baronius profiteri damnaſſe Sylveſtrum, mutato cum inſula animo, quæ Gerbertus laudaverat: qualem ſe geſſit ex Æneâ factus Pius II. Sed & ex iis quæ ad annum 1002. narrat Baronius de Hugone Hetruriæ Marchione & Duce Vrbis Romæ, haud obſcure liquet, magiſtratum illum Ducalem ab Ottone Cæſare non à Pontifice Hugoni demandatum: certe n. 3. diſertis Petri Damiani verbis aſſeritur, Marchiam Camerini cum Spoletano Ducatu ex Imperatoris arbitrio dependiſſe. Vnde conſequens utique illa ab Magno Ottone donata iuris iterum Cæſarij facta eſſe.

Qui Ottoni III. ſucceſſit, Henrici Sancti alias Tabulas ad annum 1014. refert Baronius, ex quatuor exemplaribus hinc inde mutuatus, ipſomet fatente, nullaque addita temporis nota; vt facile appareat autographas nec in Vaticano reperiri, & apographa fluxæ admodum fidei eſſe. Alias de iis plura diximus. Nunc ſatis eſt monuiſſe, diſertis verbis plane ut in Ottonianis illis prioribus cautum & ibi eſſe ſummo Cæſarum imperio, nec in Italia quidquam porro donari præter ea quæ in Ottonis Magni ſunt tabulis, niſi quod addat auctor: *omnem illam terram, quam inter Narniam, Interamnem vel Spoletanum ex regni noſtri parte habuimus.* Nec vero vel memorari meretur, Epiſcopatum Bambergenſem, *Fuldenſe monaſterium, atque omnia monaſteria cortes & villas quas in ultramontanis partibus S. Petrus habere dignoſcitur*, Papæ tranſcribi. Non enim hoc quoque Cæſareis ſummis juribus quidquam derogat. Eoque inter Leonem IX. & Henricum Nigrum anno 1053. inſtituta permutatione, pro Germanicis illis Papæ Beneventum quidem ceſſit, ut diſerte habet Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinenſe l. 2. c. 47. & 48. indubie ita tamen, ut nec hoc tum Imperij omnibus juribus fuerit ſubductum. Vbi obiter notanda eſt Gretzeri hallucinatio in Appendice ad c. 2. Commentario, *de Munificentia Principum in Sedem Apoſtolicam*, quam Arnoldo ſuo Brixienſi ſubjunxit, ubi diſtrictus Bremenſis à Carolo S. Petro factam oblationem, ad Papalia bona refert: quaſi vero omnia quæ Apoſtolorum Principi conſecrata ſunt, ad Petrum Romanorum pertineant, nec alibi terrarum dicatæ illi Apoſtolo ſacræ ædes inveniantur bonis ſuis inſtructæ. Sane & Bremæ quæ eſt baſilica illi dedicata ab eo nomen ſortita eſt.

Subſequuta poſtea eſt MATHILDÆ Comitiſſæ, uncti ſane per Tuſciam & Lombardiæ confinia Principatus, donatio. Quod munus licet hodie κατ' ἐξοχὴν S. Petri Patrimonium vulgo audiat, vehementer tamen controverſi eſt juris. Imo non conſtant muneris illius limites. Carolus Sigonius *l. 9. de Regno Italiæ* donatam affirmat ditionem Lombardiæ & Tuſciæ. Leo Oſtienſis l. 3. c. 48. Baronio laudatus ad annum 1077. narrat Liguriam & Tuſciam in dono fuiſſe. Blondi *dec. 2. l. 4.* verba ſunt hæc: *Mathildam Martinus Polonus & alij ipſum ſecuti ſcriptores multi tradunt Hetruriæ partem, hinc à Piſcia agri Senenſis finium torrente, inde à S. Quirino dicti agri etiam finium oppido, ad inferum mare quam Patrimonium S. Petri appellant, Pontifici & Romanæ Eccleſiæ donaſſe, Hoſtienſis, qui omnibus quæ apud Pontificem eius temporis geſta ſunt, & ad ſuperfluitatem multa ſcripſit, nullius loci meminit.*

Quicquid ſit: *primum* id certum eſt, jam olim de donationis illius fide inter Cæſarem Papamque acriter fuiſſe controverſum: eoque tuto vix aliquid certi definire eſt. Arnoldus Lybecenſis ſcriptor σύγχρονος *l. 3. c. 10.* agens de Friderico Cæſare & Lucio Papa: *Tractabant inter ſe dominus Papa & Imperator de patrimonio Mathildis matronæ nobiliſſimæ, quod Imperator in poſſeſſione habebat, dicẽs ab eadem Imperio collatum. Et e converſo dominus Papa Sedi Apoſtolicæ ab ea donatum affirmabat. Cumque in argumentum probandi, teſtamenti ex utraque parte privilegia porrigerentur, nullo fine cauſa terminata eſt.* Et vero confitetur ipſemet Baronius, teſtamentum Mathildis illud quod vivo Henrico Cæſare anno 1097. conditum eſt, jam olim periiſſe: vult tamen in eius locum aliud teſtamentum ſuffectum Paſchali Papa à Mathilde anno 1102. quod ad illum annum exhibet Baronius, & ad calcem Domnizonis Tengnagelius. Cuius fidem proinde Cæſar vocavit in dubium, etiam ipſi ſimili aliquo teſtamento inſtructus.

Secundo, ſero admodum in poſſeſſionem muneris illius Papæ admiſſi ſunt. Obiit enim quidẽ Mathildis 1115. at Baronius ipſemet eſt dubius, num illico tum Papæ hereditatem illam creverint. Vrſpergenſis vero diſerte prodit, mortua Mathilde, *dire-*

ctos

ctos ab Italia mancias, ad defuncta præditorum terras ampliſſimas hereditario iure poſſidendas, Cæſarem invitaſſe. Et ſane fecit id ſequente anno Henricus V. Cæſar. Potuiſſet & debuiſſet in eadem iura ſuccedere Lotharius Cæſar: ſed ille pro ſeſe & genero ſuo de terræ illius poſſeſſione cum Innocentio II. Papa maluit paciſci in eas conditiones quas recitat Baronius ad annum 1133. Devenit poſt neſcio quibus legibus ad Guelphum Ducem Henrici Superbi fratrem. At Fridericus Cæſar nequaquam paſſus eſt, in Pontificum ius, plus ſatis potentium, opes adeo ingentes recidere. Radevicus l. 2 cap. x. de Friderico: *REDITVS quoque IMPERIALES, qua dicuntur domus Mathildis, à duce Guelphone, ſeu ab aliis diſtractos & diſperſos congregavit: quos poſtmodum eidem nobiliſſimo, Principi adunatos & melioratos liberali reſtitutione noſcitur reddidiſſe. Quorum prædiorum magnitudinem, eiuſque terræ copioſam opulentiam, qui ripas Eridani pervagati ſunt non ignorant.* Guntherus l. 9. ita hoc cecinit:

Præterea reditas, cunctis de finibus illis,
Quos famoſa prius poſſederat illa Mathildis,
Pluribus in vaſos Rex in SUA iura retraxit.
Inde recollectos, & tanquam corpus in unum.
Partibus ex multis quadam gravitate reductos,
Neſcio quid priſci ſe iuris habere volenti,
Ac velut heredi, cumulato munere Princeps
Conceſſit Catulo, qui Regis avunculus, illo
Tempore Dux validas felicia caſtra Nepotis
Milite non pauco mentiſque vigore iuvabat.

Non multo poſt inter alia *totam terram (Comitiſſa Mathildis* Hadrianus quidem Papa per legatos ſuos repetiit à Friderico Cæſare, ut liquet ex Radevico *l. 2. cap. 34.* (Guntherus cecinit.

Reſtituatur et Comitiſſa terra Mathildis)

Sed cum Cæſar rem omnem ſeſe vel iudicio, vel arbitrio delectorum ſubmiſſurum profiteretur, idque renueret iratus Adrianus, *omnia natu ire ſue cupiens*, ut loquitur Guntherus, morte huius mox ſubſecuta & diuturno exorto ſchiſmate, in ipſiuſmet Cæſaris poſſeſſione poſt Guelphi ducis obitum terra illa omnis perſtitit: præſertim accedente Alexandri III. Papæ in quindecim annos & legitimum cauſſæ iudicium aſſenſu: quo tempore pax inter Papam & Cæſarem Venetiis coaluit: quod liquet ex iis quæ de vetuſtis monumentis narrat Baronius ad annum 1177. n. 53. Lucio Papæ eandem Mathildis hereditatem repetenti quid oppoſuerit Fridericus idem fortiſſimus Cæſar, jam tum ex Arnoldo Lybicenſe audivimus. Non Fridericus vero tantum tenuit terram illam, ſed & filius ſucceſſorque Henricus Cæſar, qui teſte Vrſpergenſi in Cæſaris illius hiſtoria, & Sigonio l. 15. Philippum fratrem Tuſciæ & Terræ Mathildis Ducem creavit. Henrico defuncto Philippus ut gratiam Papæ mereretur ceſſit tandem poſſeſſione illa omni, præter Montem Flaſconis; cauſa tamen ipſa citra dubium in lite manente, jure an injuria poſſeſſio illa ad Papas pertineat. Simulac Otto IVtus Cæſar Roma digreſſus anno 1209. *ſummis adhibitis iureconſultis iura Regni diligenter inquiſiviſſet* (ut loquitur Sigonius l. 16) *& quadam oppida à Pontifice, alia vero in Campania à Friderico, modo vacante Imperio, occupata comperiſſet, qua ad Imperium ſive Regnum pertinere putaret, nulla Pontificis ac ſacramenti habita ratione, militibus protenus immiſſis recepit.* Ea inter oppida fuere & illa quæ Mathildis quondam tenuerat. Circumſpecte adeo ſeſe geſſiſſe Ottonem, & nihil non egiſſe ex conſilio *legalium hominum, ſacramento* in id adſtrictorum, ut docerent *iura ad dignitatem Imperialem ſpectantia*, idq; quoniam iureiurando promiſiſſet Cæſar *iura Imperii diſperſa pro poſſibilitate ſua revocare*, locuples teſtis etiam eſt, pene ex ipſo illo ævo Matthæus Pariſius, magna prudentia & uſu rerum prævalens ſcriptor Anglicus: Poſt Ottonem igitur demum Fridericus II. à Papis inductus reddidit Mathildica: non multo tamen poſt verſo conſilio ſibi & Imperio iterum vindicavit. Quæ omnia utique liquido docent, ſaltim ad illa uſque tempora hereditatem illam Mathildicam Cæſaribus potius quam Papis poſſeſſam; nequaquam vero habitum ea ætate, quaſi illa iure ad Pontifices pertinerent.

Tertio etiamſi Mathildis ſua Papis donaverit fortaſſis: id utique tamen vacat dubio, etiam ſic ſummis Imperij legibus minime potuiſſe illa ſubduci: quippe quum Mathildis omnia illis legibus fuerint obnoxia, & res cum ſuis oneribus tranſeant ad alios. Nec vero huic obſtat quod hereditas illa fuerit *allodium Mathildis*: quo titulo ab Innocentio II nuncupatur in tabulis, quibus eam Lothario Cæſaris tranſſcribit. Nam & allodialia legibus Imperij ſubjecta ſunt. Revera autem non niſi *in beneficio* tenuit ſua Mathildis. Hinc ipſemet Onuphrius in vita Gregorii ſeptimi: *Mathildis Bonifacii maximi per Italiam Principis filia & heres, Imperatoris Henrici III. vim timens, Longobardia Tuſcia & Liguria aliquot urbes iure hereditario ad ſe pertinentes Gregorio Papæ & S. R. E. donavit. Hinc odii inter Imperatorem & Pontificem ſeminariam primo exortum, cum Imperator donationem illam in Imperii, cuius Mathildis erat BENEFICIARIA, præiudicium approbare nulla ratione voluiſſet, imo ea omnia occupare, tanquam ad ſe devoluta, tentaret.*

Atque hæ ſunt nobiles illæ donationes, quibus ad Papam Imperij bona devenerunt. Quarum nullam ita eſſe comparatam, ut ſummo Imperij Principatui per eam ſit aliquid derogatum, liquido iam patet omnibus. Quin Tabulas nullas produxeris, in quibus non ſit diſerte iuribus ſummis Cæſareis cautum. Neque enim iſthac ætate auditum cui fuit illud hodiernum curiæ Romanæ iniquum πολυτρύλλητον: *Donationes, quæ Eccleſiæ Romanæ ſunt, eſſe abſolutas, etiamſi donator conditionem adiecerit: cæteris vero Eccleſiis factas, non aliter quam ſi id donator voluerit.* Et vero omnia veteris illius ævi monumenta inſpicientibus non poteſt eſſe obſcurum, illa Paparum bona non minus fere atque alia Epiſcoporum, oneribus Imperij fuiſſe obnoxia, & Cæſaribus eorumque legatis in Italiam profectis perinde ut alia omnia patuiſſe. Hinc cum Tiburtinam urbem Pontificij iuris, Adriano Papæ reſtitueret Fridericus Cæſar, ſcriptis ad Tiburtinos literis, quas ex Actis Adriani Baronius ad annum 1155. n. 19. publicavit, hæc verba inſeruit: *Hadriano Papæ civitatem dimiſimus Tiburtinam, ſalvo tamen ſuper omnia iure Imperiali.* Item: *ſcientes à iuramento fidelitatis quod nuper feciſtis, vos abſolutos, ſalvo in omnibus iure Imperiali.* Cui formulæ aſſenſit utique Adrianus: non facturus ſi Petri patrimonium ab omni Cæſarum iure crediſſet liberum: quod hodie

Digitized by Google

perſuaſum. Imo cum in Pontificum urbibus magnam exercerent Regiæ auctoritatis vim Cæſares, haud legas tamen à quoquam ea in te Cæſaribus contradictum. Princeps Adrianus ille quartus per legatos cum Friderico Cæſare expoſtulauit, cum ille maiorum veſtigiis inſiſteret in exigendo fodro, quod appellant, ſive iis *quæ ad fiſcum regalem ſpectabant* ceu vocem hanc interpretatur Otto Friſingenſis l.2. cap. 12. Nempe militem in hybernis alens Cæſar, *nuncios pro colligendo fodro per totam Tuſciam, & maritima atque Campaniam direxit*, ut loquitur Radevicus *l.2. c.10.* Horum *inſolentiam, & caſtellanorum ſuorum gravamen* incuſavit Papa, teſte *eod. cap.*20. Guntherus ita hoc expreſſit l.9.

Hæc quoq; cauſſa recens aderat, quod Regia Miſſi
Quærere iura viri, dum per caſtella locoſque
Pontificio ſummi, mandata fidelius æquo
Publica conficiunt, nimia feritate timendi
Inſolito miſeros urgebant pondere cives.

Mentem Papæ clarius expreſſerunt legati; qui inter alia hæc propoſuerunt: *Nuncios ad Vrbem ignorante Apoſtolico ab Imperatore non eſſe mittendos, cum omnis magiſtratus inibi B. Petri ſit cum univerſis regalibus: De dominicalibus Apoſtolici fodrum non eſſe colligendum, niſi tempore ſuſcipiendæ coronæ.* Vnde apparet, ipſum Papam non eſſe profeſſum, nihil fiſco regio ſe debere. Verum hæc etiam ipſimet Epiſcopo Babenbergenſi, Principi prudentiſſimo, *duriſſima* tum viſa ſunt. Et de priore poſtulato ipſe Fridericus Cæſar ex tempore ita eſt locutus, *Legatos ab Imperatore ad Vrbem non eſſe mittendos affirmat, cum omnis magiſtratus inibi B. Petri ſit cum univerſis Regalibus. Hæc res fateor magna eſt & gravis graviorique & maturiori egens conſilio. Nam cum divina ordinatione ego Romanus Imperator dicar & ſim, ſpeciem tantum dominantis effingo, & mane utiq; porro nomen ac ſine re, ſi Vrbis Romæ de manu noſtra poteſtas fuerit excuſſa.* De ultimo nihil actum eſt: ut & prius poſtulatum ceu nimis abſurdum effectu caruit. Et ſane ſicuti reliqua multa ita & Roma Papis data eſt? ſingulatim hanc magis quam alia Papis eſſe obnoxiam redditam, adverſatur utique omnibus donationum tabulis Eoque paulo ante ipſimet Legati Pontificii hiſce verbis ſalutaverunt Auguſtæ Fridericum Cæſarem: *Salutant autem vos venerabiles fratres noſtri, clerici autem VESTRI, Vniverſi Cardinales, tanquam DOMINVM & Imperatorem VRBIS & Orbis*, Quod diſerte notavit Radevicus l.1.c.22 utut illum hoc nomine perſtringat Baronius ad annum 1158. Sed & cum Fridericus ille Cæſar, tum qui eum ſunt ſecuti Henricus, Otto, Fridericus II. ſtrenue iura ſua ſumma Cæſarea in Eccleſiæ quoque Romanæ patrimonium & Vrbem exercuerunt: quod infinitis exemplis facillimum eſt oſtenſu.

Quid quod, ſaltem ad Gregorium uſque VII. Papam, in ipſos Pontifices vim Imperij graviſſime Cæſares ab Ottone uſque exercuerint? Hinc ſane de Gregorio illo Onuphrius: *Huic cum omnes Latinæ Eccleſia tum præcipue Romana acceptum referre debet, quod libera ſit & ab Imperatorum manu eruta, cum antea tanquam vilis ancilla non ab Imperatoribus modo ſed à quovis Principe Romanis Imperatoris præſidiis fulta, premeretur.* Et vero.

Ex illo fluere & retro collapſa referri

Cæſarum hactenus recepta & omni orbi probata iura. Niſi quod Fridericus primus, exorto in Romana Eccleſia ſchiſmate, iudicium cauſſæ ad ſe tanquam Vrbis dominum reuocans, fugientem Cæſarum auctoritatem nonnihil ſtiterit, irrito licet conatu. Quum nihilominus tamen territorium omne Pontificum legibus Imperij manſerit obnoxium, ceu multis demonſtravimus, manifeſtum jam eſt quod jam tum diximus, ſaltem ad hæc uſque tempora omne illud Eccleſiæ Romanæ patrimonium intra limites Imperij conſtitiſſe, neque adeo quidquam eſſe cauſſæ, quare nos quidem hoc loco de Eccleſiæ illius Imperij finibus dividundis ſimus ſolliciti.

CAPVT XI.

Regni Italici fines ad Fridericum uſque II. integros manſiſſe, niſi quod per iniuriam partem eius decerpſerit Neapolitanum Regnum: Simul vero Venetorum urbi libertatem ſuam relictam.

VRbem Romam cum reliquiis quibuſdam veteris Imperij Romani, aliaque nonnulla, utut Ottonis Magni aliorumque Cæſarum dono Romanis Pontificibus ceſſerint, manſiſſe in ditione Imperij Germanici, idque continuata ad Fridericum uſque II. poſſeſſione, ſecus quam hodie Romana curia profitetur, cum alibi latius tum proxime breviter, clare tamen docuimus. Iam tum quoque Italici regni nomine illud omne, quod Langobardicum ante audiebat, dudum veniſſe idque Ottonis Magni armis Germanico Imperio adjectum, oſtendimus. Ne qua tamen defuiſſe Imperij noſtri commodo videamur, ſeorſim Italici quoque illius regni fines, quemadmodum ad eadem illa uſque Friderici II. tempora ſeſe habuerant, nonnihil explicatius deſcribemus.

Igitur VENETAM urbem ipſam intra Adriaticas aquas ſubſiſtentem, nos quidem ingenue fatemur, nunquam Germanici iuris eſſe factam. Illam fœdere æterno inter Carolum Magnum & Conſtantinopolitanos Cæſares inito Orientali illi Imperio redditam, certe à legibus Imperij Occidentalis abſolutam, iam tum fide Annalium Francicorum profeſſi ſumus. Ex eo ad Ottonis uſque tempora, nemo ſiue Cæſarum Occidentalium ſive Regum Italiæ, in Vrbem illam quidquam ſibi poteſtatis arrogavit. Certe in monumentis nulla eius veſtigia apparent. Neque vero ſine iniuria libertati iſti opponuntur illa Sigonij ex l.4. *de Regno Italiæ* de Carolo Craſſo, quod *fœdus inter Venetos atque Italicos ſibi ſubiectos in quinquennium renovaverit*: aut, quod Wido Cæſar anno 891. Petro Venetiarum Duci anno 927. vetus privilegium *de tuta ſuſtaque rerum ſuarum in regno Italico poſſeſſione* Venetis firmaverint: denique Berengarij II. pactum anno 950. cum Venetis initum de finibus. Pugnant hæc potius pro libertate Vrbis quam quod eam impugnent; dum diſerte Vrbem illam eximunt, ab Italicis Cæſari ſubjectis & Regno Italiæ. Quanquam privilegia illa id doceant, in Regno Italiæ bona quædam Venetorum civium fuiſſe jam tum ſita, in continente ſcilicet

quæ

quæ Regni legibus obnoxia fuiſſe non negamus. In ea itaque libertate, ſi non majore, repetit Otto Venetam urbem, in qua Caroli Magni conſenſu collata eſt. Sed nec ille nec ſequentium Cæſarum ullus vi Vrbem iſtam adegit in leges Imperij: nec Vrbs ipſa ſponte ſeſe dedidit. Quin imò, *circa hæc tempora Venetias Romà venit Imper. Cæſar Otto civitatemque munere liberantis aurei pallij, quod Imperatoribus Romanis in annos ſingulos ex pacta præſtabat:* ut quidem refert Leander Albertus in diatribe de incrementis dominii Veneti. Ne attentata quidem a Cæſaribus noſtris libertatis illius ſigna reperias in vetuſtis annalibus: ſed Duces quidem *Amicorum Imperii*, ipſas autem Venetias *Regni* titulo à Cæſaribus condecoratos. Affert Nicolaus Craſſus in ſuis ad Donati Iannotti de Republ. Veneta aureum ſane libellum annotatis, Henrici V: Cæſaris Tabulas anno MCXI Veronæ exaratas: quæ clariſſime docent illa quę modo diximus, ſimulque oſtendunt continentis terræ omnia Venetorũ bona Italicorum fuiſſe adeoque Imperatorij juris, eximiis licet privilegiis munita, & quænam inſulæ Venetiarũ nomine tum venerint, illiuſq; libertatis fuerint participes. Videtur proinde haud abs re fore, ut ſaltim partem illam Tabularum heic recitemus, quæ noſtro inſtituto ſubſervit. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus, Divina favente Clementia, Quintus, Romanorum Imperator Auguſtus. Quoniam ſtabilem Chriſtianorum Principum charitatem operari plurima bona ad multorum utilitatem, evidenter novimus, & virorum ſapientes, & diſcretos Rectores regnorum ſuorum, notos habere ſemper & amicos curavimus: Ordelaphum Faletrum Dei donis Chriſtianum & clarum Ducem Veneticorum, quem luce ſapientiæ & totius honeſtatis ubertate prædicabiliter pollere manifeſtum eſt, habere notum & amicum ad decus Imperii noſtri ſtabilitate perpetua decrevimus. Ad cujus rei perpetuam confirmationem hoc, quod ipſe Dux vir ſapiens & honeſtus fieri exaudibiliter poſtulavit à nobis, conſilio noſtrorum Principum digna poſtulatione impetravit. Hac igitur ratione tantæ dilectionis uniti, noſtram utrinque caritatem rationabiliter obſervavimus, & in multis magniſque negotiis, publicis ac privatis, ejus ſinceram dilectionem, & præclaram ſapientiam, Imperio noſtro & nobis noſtriſque fidelibus utilem exiſtere probavimus. Et quia ipſius rei evidentia, & ſapientum judicio ſapiens ac diſcretus ipſe Dux Venetici REGNI rector exiſtit, & egregia voluntas & pura dilectionis exhibitio, quam ſemper erga nos habuit & noſtrum Imperium, eum nobis in omnibus commendabilem exhibuit, dignus ejus, & honeſtus interventus apud noſtram Imperatoriam Majeſtatem locum chariſſimi AMICI & viri ſapientiſſimi venerabiliter obtinuit. Igitur ob ſinceram & venerabilem ejus dilectionem vera charitatis vinculo aſtrictam, quicquid ipſe Dux & Venetici Ducatus Eccleſiæ & Populus, retro per triginta annos, Imperij noſtri poteſtate (ſecundum quod in præcepto noſtri patris, & noſtrorum prædeceſſorum, Regum, & Imperatorum continetur, & pacto Othonis Imperatoris legitur) juſte & legaliter habuit & tenuit, per hanc noſtram Imperialem paginam renovamus, atque confirmamus. Hujus autem rei internuntii inter nos & prædictum Ducem noſtrum chariſſimum amicum, viri nobiles extiterunt, Vitalis Faletrus ejus conſobrinus, Moroce-*

addit.

nus, & Stephanus dilectus ejuſdem Ducis Capellanus & Cancellarius, atque Vrſo Iuſtinianus vir illuſtris: non quod iſtorum gratia vel cujuſlibet alterius hoc faceremus ſed ſolummodo dulci charitate Ducis chariſſimi noſtri, cui indiſſolubiliter uniti ſumus, prout dictum eſt. Hoc egimus ita quidem, ut pars parti nil malignum aut iniquum, ſed ſemper quod rectum eſt, in omnibus rationibus rebuſque facere præſumat: & ſi, quod abſit, aliqua malitia vel læſio inter partes commiſſa fuit, per hujus fœderis decreta negatur, ac facta ſatisfactione à rebelli & tranſgreſſoria parte ad pactum obſervandum hæc ſeries fœderis inviolabiliter ſemper maneat per cuncta annorum curricula remota contradictione vel impugnatione tam noſtra, quam noſtrorum ſucceſſorum omnium. Quia omnino videtur, ut aliquis vel his vel aliis æquis ſanctionibus repugnare nitatur. Et ut maxime ac ſpecialiter notentur vicini populi, tam ex noſtro Imperio, quàm ex prædicto Ducatu Venetiæ, à quibus omnimodo hanc pactionis inſtitutionem obſervandam eſſe decrevimus, hi ſunt ex noſtro ſcilicet jure: Papienſes, Mediolanenſes, Cremonenſes, Lucenſes, Piſani, Genuenſes, Placentini, Ferrarienſes, Ravennates, Comaclenſes, Florentini, Ariminenſes, Piſaurienſes, Ceſenatenſes, Ianenſes, Senogallienſes, Anconenſes, Humanenſes Firmenſes, Eporienſes; Veronenſes, Monſeſicenſes Ganſilenſes, Vincentenſes, Paduanſes, Tarviſienſes, Cenetenſes, Forojulienſes, Hiſtrienſes, & cuncti de noſtro Italico regno, ſive qui modo ſunt, ſive qui imposterum futuri ſunt. Ex prædicto vero Ducatu Venetiæ ſunt Rivoaltini, & Metamaucenſes, Clugienſes, Paleſtinenſes, Capuſargelenſes, Bruntellenſes, Laureſenſes, Babienſes, Muranenſes, Majorbienſes, Trocellienſes, Amianenſes, Burianenſes, Conſtantienſes, Equilienſes, Conſtantienſes, Equilienſes, Caprolenſes, Civitatinenſes, Finenſes Gradenſes, & cuncta generalitas populi Venetiæ, ſive qui modo ſunt, ſive qui futuri ſunt. Confirmamus itaq; Veneticorum fines à nemine noſtrorum inquietari invadi vel minorari debere; ſed libere & abſque ullo impulſu, quæ retro ab annis poſſedere triginta, deinceps poſſideant. Proprietates vero & prædia, quæ habere videntur tam ipſe Dux, quam ſuus Patriarcha, necnon & Epiſcopi, Abbates, & Eccleſia ſancta Dei, & reliquus populus Venetiæ ſibi ſubjectus, infra poteſtatem Imperij noſtri, ſive in campanis, ſive in domibus, pratis, ſylvis, vineis, paludibus, ſaltiis, ſationibus, piſcationibus, quiete poſſideant, abſque cujuſquam inſultantis machinatione, aut læſione, ſive ſiniſtra quapiam tergiverſatione, ita ut nemo contrarietatem eis facere præſumat, nec etiam venationem, aut populationem ſine eorum licentia exerceat, neque violentiam ibi reſidentibus inferat. Pene in extremis earundem tabularum hæc habentur. *Et hoc ſtetit de capulo, quod Rivoaltenſes, Olivolenſes, Metamaucenſes, Albinenſes, Torcellenſes, Amianenſes fecerunt retro ab annis triginta: habeant licentiam faciendi ſecundum antiquam conſuetudinem, ſive per flumina, ſive per mare. Equilenſes vero capulare debent in ripa ſancti Zenonis, uſque in foſſam ſancti Metamauci & Gentionis ſecũdum conſuetudinem, & omnem arborem vehere cum carro aut ad collum, quantũ ſibi placuerit, & habeãt licẽtiã pecudes in ipſis finibus paſcere vel pabulari. De finib' Civitatis Novæ dicim', ut terminatio, quæ à tẽpore Luitprãdi Regis facta eſt inter Paulucionẽ Ducẽ, & Marcellum magiſtrũ militum,*

deinceps manere debeat:id eſt, de plave maiore uſque in plavem ſiccam, peculium quoque & gregem, cum ſecuritate paſcere Capriani vero in ſylva Ferolitana, ubi ſemper capulaverunt, capulare debeant, ſimiliter Gradenſes ſecundum antiquam conſuetudinem in ſylvis Forolulis capulum faciant. Confirmamus etiam Lauretum, ut quantum aqua ſalſa continet eius ſubiaceat poteſtati. Et nullus Princeps, vel pauper aliquem Veneticorum diſtringere, aut legem facere ac aliqua Veneta ſubſtantia, aut ad placitum ducere, niſi in præſentia illorum Ducis, aut fodrum tollere de illorum terris, quæ in noſtro regno ſunt, aut bannum mittere, tam de habitantibus in Venetia quam de illorum hominibus ubicunque habitantibus, iuſtitiam aliquam accipere præſumat, niſi in præſentia Dominorum ſuorum.

Hactenus Tabulæ. Vbi inter alia obſervatu dignum & hoc occurrit, Gradenſem inſulam Venedico iuri adſcribi: quam tamen Carolo Magno paruiſſe olim certum eſt, & notatum à nobis iam ad Epiſtolas Leonis III. Papæ. Et vero ab illo uſque tempore complures à ſeſe inſulas occupatas ipſi Veneti fatentur. Non aliter vero de Venetorum urbe ſenſiſſe ipſum etiam Fridericum I. Cæſarem indicat vel illud, quod cum Papa Alexandro III. ea in urbe tanquam extra Imperij ſui fines pacem iniverit: adverſus illam hoſtili nihilo tentato. Nec enim eſt quod nos moretur fabula de Ottone Friderici filio à Venetis capto, cui addere aliam ſolent de Alexandro Papa venerabundo Cæſari proterve illudente. Etenim nihil horum habent omnes illius ævi ſcriptores: eoque à Iacobo Spigelio *in notis ad Guntherum*, Chriſtoph. Lehmanno *l.5. Chr. Spirenſ. cap. 56.* Andrea Dimero aliis noſtratium, ab ipſo Baronio ad annum 1171, imo quod caput dixeris, ab ipſomet Vrbano IIX. Pontifice literatiſſimo, quod & Caramueli *n. 164. Patis lectæ* eſt notatum, contempta Venetorum ob id ira, jamdudum inter damnatæ fidei commenta omnia iſthæc numerata ſunt.

Nihil proinde ſupereſt dubij, quin Vrbs quidem ipſamet Venetiarum extra fines Imperij Germanici habenda ſit. Præter inſulas tamen illas Venetas, quas modo audivimus in Tabulis iſtis enarratas, nec in Adriatico ſinu nec in Tyrrheno mari, Italiæ quidem vicinæ, inſulæ ullæ fuerunt, quæ non pertinuerint ad jus ſive Imperij veteris ſive Italici Regni, atque adeo non ſimul fuerint iuris Imperii novi Germanici. Et vero nullæ in utroque mari viciniores inſulæ memorantur alterius ditionis. Ex adverſo Romano Pontifici jam audivimus maritima multa vtriuſque littoris donata cum proximis inſulis; Corſicam item & Sardiniam in donis numeratam. Quin imo certum eſt, ceſſantibus Papis binas haſce inſulas ſibi vindicare, in vtramque ab ipſis Cæſaribus manum injectam. Quemadmodum Fridericus I. in vtramque inſulam regiæ adminiſtrationis ergo legatos deſtinaverit, fruſtratus tamen à Piſanis & Genuenſibus, quorum curæ legatos illos commiſerat, Sardinia ab utraque urbe in proprios uſus occupata, narrat Radevicus *l.2. cap.9* Fridericum II. Cæſarem filium ſuum Enzium, rebus geſtis clarum, Sardiniæ Regem conſtituiſſe, notiſſimum eſt. Siciliam quidem itidem ab Ottone Magno & Henrico II. in Tabulis legitur donatam, ſed adiecta diſerte illa clauſula: *ſi Deus noſtris illam tradiderit manibus.* Nunquam autem venit in Cæſarum Germanicorum poteſtatem. Nec apparet, qui aliquid juris in inſulam potuerit iis competere, quum pacto illo æterno inter Carolum Magnum & Nicephorum Calabria ſimul & hæc inſula in perpetuum ius Conſtantinopolitanis ceſſerit: nec poſtea novo iuri occaſio fuerit data. Par eſt ratio inſularum mediterranei maris aliarum.

Aſt in continente ipſa nihil non, ſi Italiæ extrema excipias de quibus poſtea, iam tum Magno Ottoni paruit. Henrico quarto Cæſare jura Regia per bella civilia cœperunt quidem multum imminui, & ex eo ad libertatem Vrbes cumprimis nonnullæ Longobardicæ adſpirare, Friderici tamen I. felicibus armis, ad priſtinum obſequium omnia pene reducta ſunt. Vnius Radevici verbis ex *l.2. cap.5. & 6.* hoc loco narrabimus, quid de iuribus Regiis in Comitiis Roncalienſibus ultro omnes Italiæ Epiſcopi Principes & Vrbes fuerint anno 1158. profeſſi. *Deinde ſuper iuſtitia Regni, & de Regalibus, quæ longe iam tempore ſeu temeritate pervadentium, ſeu neglectu regum Imperio deperierant, ſtudioſe diſſerens.* (Cæſar) *cum nullam poſſent invenire defenſionem excuſationis, tam Epiſcopi quam Primates & Civitates, uno ore, uno aſſenſu, in manum Principis Regalia reddidere, Primique reſignantium Mediolanenſes extitere Requiſitique de hoc ipſo iure quid eſſet, adiudicaverunt Ducatus, marchias, comitatus, conſulatus, monetas, thelonea, fodrum, vectigalia, portus, pedatica, molendina, piſcarias, portus omnemque vtilitatem ex decurſu fluminum provenientem. Nec de terra tantum, verum etiam de ſuis propriis capitibus cenſus annui redditionem. Hiſque omnibus in fiſcum adnumeratis tanta circa priſtinos poſſeſſores* (Cæſar) *uſus eſt liberalitate, quicunq; donatione Regum aliquid horum ſe poſſidere inſtrumentis legitimis edocere poterat, is etiam nunc Imperiali beneficio, & Regni nomine idipſum perpetuo poſſideret. Ex his tamen qui nullo iure, ſed ſola præſumptione de regalibus ſe intromiſerant XXX. millia talentorum, plus minuſve, redditibus publicis per ſingulos annos acceſſere. Præterea & hoc ſibi ab omnibus adiudicatum atq; recognitum eſt: in ſingulis civitatibus poteſtates, conſules, cæteroſve magiſtratus aſſenſu populi per ipſum creari debere, qui fideles ſimul & prudentes, & Principi honorem, & civibus patriæque debitam iuſticiam noſſent conſervare. De his autem omnibus fideliter, & ſine fraude recipiendis & obſervandis, ab omnibus civitatibus, & ſacramenta præſtita, & vades pro libitu Imperatoris exhibiti ſunt.*

Hæc omnia Radevicus. Vbi obſervandum, ipſos quoque Epiſcopos Italicos tum agnoviſſe Regiam in ſe & ſua auctoritatem; non minus atque alios. Qua de re ne dubitemus faciunt verba etiam Ottonis Murenæ coævi ſcriptoris à Baronio adducta. Cum enim Regalia à delectis iudicibus iudicata eſſe narraſſet, pergit: *Hoc ſic peracto, Mediolanenſis ARCHIEPISCOPVS una cum Conſulibus Mediolani, omnes alii præſentes Lombardiæ EPISCOPI, Comites, Marchiones, Duces, cæterique Italiæ Principes, & omnium Lombardiæ civitatum conſules ibi adſtantes publice, in colloquio ipſo ſurgentes, in manu ipſius Imperatoris omnia, quæ prædicti iudices iura Regalia eſſe dixerant, refutaverunt, & ei fidem de ipſis omnibus fecerunt.* Et vero hæc occaſio fuit Hadriano Papæ, denuo

(per

Digitized by Google

(per ſummam tamen iniuriam) incandeſcendi. Guntherus l.9. ita narrat de Hadriano:

Præcipue poſtquam ſua iura recognita fiſco
Aſſenſu procerum per cunctas comperit Vrbes,
Indoluit facto: quoniamq; videbat honoris.
Acceſſiſſe viro (Cæſari) tantum Pater ipſe pu-
Deceſſiſſe ſibi. (tabat.

Radevicus diſerte l.2.c.15. de eodem: *Occaſionem quærens, cum audiſſet quod Regalia Principi tam ab Epiſcopis & Abbatibus, quam a civitatibus & proceribus recognita fuere, literas in fronte quidem leniores diligentius vero conſideratas acriore comminatione plenas de hoc negocio dirigit.* Extat in Appendice Radevici a Nauclero inventa Hadriani ad Cæſarem Epiſtola. & huius reſponſum. In Epiſtola Papæ hæc leguntur. *Quid dicam de fidelitate B. Petro & nobis à te promiſſa & iurata: quomodo eam obſerves, cum ab iis qui dii ſunt & filii Excelſi omnes. Epiſcopis videlicet, homagium requirens fidelitatem exigis, & manus eorum ſacratas manibus tuis innectis.* Cæſar ita reſcripſit: *Ab iis autem qui Dii ſunt per adoptionem & Regalia noſtra tenent, cur homagium & regalia ſacramenta non exigamus? cum ille noſter & veſter inſtitutor ab homine rege nihil accipiens, ſed omnia bona omnibus conferens, pro ſe & Petro cenſum Cæſari perſolvit, & exemplum vobis dedit, ut ita faciatis. Doceat vos dicens: quia mitis ſum & humilis corde. Aut igitur Regalia noſtra dimittant aut ſi hæc utilia iudicaverint, quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari perſolvant.* Epiſtolas ſubſecuta mox eſt in eandem ſententiam Pontificia Legatio, & Cæſaris extemporanea reſponſio. Nam Legati quidam inter alia propoſuerunt: *Epiſcopos Italiæ ſolum ſacramentum fidelitatis ſine hominio facere debere domino Imperatori: Neque nuncios Imperatoris in palatiis Epiſcoporum recipiendos.* Reſpondit vero Imperator: *Epiſcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium: ſi tamen & eos de noſtris Regalibus nihil delectat habere. Quòd ſi gratanter audierint à Romano Præſule: quid Tibi & Regi? Conſequenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire: quid Tibi & poſſeſſioni? Nuncios noſtros non eſſe recipiendos in palatiis Epiſcoporum aſſeris. Concedo, ſi forte aliquis Epiſcoporum habet in ſuo proprio ſolo, non de noſtro palatium. Si autem in noſtro ſolo & allodio ſint palatia Epiſcoporum, cum profecto omne quod ædificatur ſolo cedit, noſtra ſunt & palatia. Iniuria ergo eſſet ſi quis Nuncios noſtros à Regiis palatiis prohiberet.* Narrat hæc omnia Radevicus, & ut fide digna repetit ex illo Baronius ad annum 1159. Fruſtra vero fuit Hadrianus. Nam & illum mors abripuit: & Epiſcopi Italiæ in homagio Cæſari præſtando ſaltim ad Friderici II. fata perrexerunt. Quæ obiter dixi hæc notanda: ut appareat, eum iſthac tempeſtate Epiſcoporum quoque ſacra bona in Cæſarum fuerint iuriſdictione, multo magis omnia alia eidem paruiſſe. Et vero vnice obſervari & hoc meretur: etſi in epiſtola cõqueratur Papa non de *homagio* tantum, ſed & de *fidelitatis* ſacramento, Legatos tamen concedere, fas eſſe ut *fidelitatem* iurent Cæſari Epiſcopi.

Non multo poſt quidem Vrbes Italiæ complures, primum Hadriani inde Alexandri Pontificum inſtinctu, facta coniuratione in libertatem ſeſe aſſerere ſtuduerunt; bellis cum Cæſare geſtis multo acerrimis; tandem tamen anno 1183. Conſtantiæ pace publica reſtituta, ita aliquid Vrbibus indultum, ut auctoritati Regiæ per conſcriptas tabulas ſancte ſimul in futurum cautum ſit. Reperiuntur paſſim Tabulæ illæ de *Pace Conſtantiæ* vulgo dictæ, & nonnihil ſunt prolixiores; eoque non eſt cur eas hic inſeramus. Merito tamen magni faciendæ, ut quæ doceant regia omnia iura, ſtatumque adeo publicum regni Italici, qualia iſthæc in poſterum habere ſe debeant.

INFELICIOR Regni illius fortuna fuit in defendendis finibus Italiæ citerioris. Vexabant Apuliam & Calabriam finitimaque loca Sarraceni pariter & Græci, quos cum Normanni nonnulli ex Gallia Normannica oriundi, qui iſthuc terrarum forte appulerant, & prudentia & dexteritate ſingulari feliciter retudiſſent, ab ipſo Cæſare datæ illis ibi ſedes, in Regni præſidium. Diſerte Wippo in vita Conradi Salici: *Facta pace inter Romanos & Teutonicos, Imperator in Apuliam proceſſit: & Beneventanum & Capuam ac reliquas civitates illius regionis ſive vi, ſive voluntaria deditione ſibi ſubiugavit: & Normannos qui de patria ſua, neſcio qua neceſſitate compulſi, in Apuliam confluxerant, ibi habitandi licentiam dedit, & ad defendendos terminos Regni adverſus Græcorum verſutias, eos Principibus ſuis coadunavit.* Hermannus Contractus id iam Henrico Sancto Cæſare factum narrat ad annum 1022. *Henricus Imperator Campaniam petens Troiam Neapolim, Capuam, & cæteras civitates in deditionem accepit & Nordmannis quibuſdam qui tempore eius illo confluxerant, quoddam, ut ferunt, in illis partibus territorium conceſſit: ſicque ipſe per Romam victor rediit in Italiam.* Datum erat iam ante Romano Pontifici in terras illas iuris aliquid: Normanni vero iſti jam novo numero aucti, Roberto Guiſcardo duce, & hæc Imperij occidentalis & alia quæ hactenus Conſtantinopolitani iuris fuerant, excuſſa omni Cæſarum Pontificumque reverentia, in ſuam ditionem redegere. Bertholdus Conſtantienſis Appendice ad Hermannum Contractum ad annum 1053. *Nordmannorum gens à temporibus prioris Henrici Imperatoris in partes Calabriæ, Samniæ, Campaniæque confluxit. Et quia indigenis contra Græcorum & Sarracenorum incurſiones audacter præliando, auxiliabatur, primo gratanter accipitur. Poſtea vero pluribus eorum ad uberem terram concurrentibus, viribus adaucti, ipſos indigenas & res eorum violenter poſſedere.* Vt plenius ita aſperius ipſe Contractus ad eundem annum: *Ea gens à temporibus prioris Henrici Imperatoris in Calabriæ Samniæ Campaniæque partes paulatim ex Gallicis oris Oceani adventicia confluebat. Et quum bellicoſior Italicis gentibus videbatur, primo gratanter accepta, crebro indigenis contra Græcorum & Sarracenorum incurſiones audacter præliando auxiliabatur. Poſtea vero pluribus eorum ad uberem terram accurrentibus, viribus adaucti ipſos indigenas bello premere, iniuſtum dominatum invadere, heredibus legitimis caſtella, prædia, villas, domus, uxores etiam vi auferre, res Eccleſiarum diripere, poſtremò divina & humana omnia, prout viribus plus poterant, iura confundere; nec iam Pontifici, nec ipſi Imperatori, niſi tantum verbotenus, cedere.*

Hæc Contractus. Operæ fuerit pretium audire hic de ipſo etiam Roberto Guiſcardo diſſerentem Ottonem Friſingenſem l.1. de geſtis Friderici cap.11. *Robertus iſte ex mediocri ſtirpe in Nortmannia, ex eorum militum ordine, quos Vavaſſores vulgo ibi dicere ſolent, in plaga quam Conſtantiam indigenæ dicunt, editus. Cum Rogerio fratre iam patri fames tenta*

Digitized by Google

pore morem (ut aiunt) gerens, quam ob locorum ſterilitatis moleſtiam à natali ſolo progreſſus, multo tempore multas provincias, opportuniorem ad inhabitandum terram quærens, oberrauit. Vnde & ab oberrandi circuitu patria lingua Guiſtardus, tanquam oberrator, vel girator appellatus eſt. Cum ergo non paucis, ut dictum eſt, diebus multarum regionum girator exiſteret, à citeriori Italia, quæ modo Apulia ſeu Calabria dicitur, tandem excipitur. Quam dum à Langobardis poſſeſſam inertis plebis inhabitatione, tanquam induſtria defenſionis vacuam inveniret, remiſſis in Galliam nuncijs, expoſitaq; locorum idoneitate ac gentis inertia, ad expugnationem earum provinciarum cõſocios invitauit. Et ne multis detinear, virtute, dolo, arte, ignavi populi victor exiſtens, Campaniæ, Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ ad ultimum poſſeſſor inventus eſt. Reliquit autem Rogerio fratri ex parte ſua Comitatum Siciliæ tenendum. Ipſe vero Ducatum Apuliæ cum Calabria ſibi retinuit.

His initijs ortum in Italia Neapolitanum, quod hodie vocatur Regnum: qua ratione Regno Italico omne quod in Calabriam uſque inferiorem, (inde enim Græcorum ditio incipiebat) à Campaniæ finibus protenditur, deceſſit. Etſi enim iniqui illi invaſores cum Romanis Pontificibus tandem pepigerint, atque ita illis ſaltim aliquatenus fuerit ſatisfactum, Cæſarum tamen diſpar fortuna fuit præſertim ex quo factionem illam Pontifices Cæſaribus oppoſuere in uſum ſuum. Exercitum, ſed nebulonum potius quam militum, primus contra illos jam ſacris diris devotos duxit, qui primus etiam Romanorum Pontificum, minus laudabili ſane ad poſteritatem exemplo, bellum movit, Leo IX. Papa anno 1053. *cum illi*, verba ſunt Contracti *pacem petentes ſubiectionem ſervitiumque ipſi promitterent, & quæ prius injuſte ſibi uſurpantes invaſerant, eius beneficio gratiaque retinere velle ſe dicerent.* Verum ille ingenti ſtrage victus coactus inſuper eſt hoſtem victorem communioni Eccleſiæ reſtituere. Sexto anno poſt, recuſavit Leo, acceptavit Nicolaus II prout docet Baronius ad annum 1059 *divino* id factum *conſilio* judicans, rectius ſi *iniquo* dixiſſet. Sequuti Nicolai exemplum Pontificum alij: imo Anacletus Innocentio II. oppoſitus Papa non dubitavit Regio titulo & diademate Rogerium ornare, qua de re idem Baronius legendus ad annum 1130. nu. 52. At recte quidem S. Bernhardus cenſuit epiſt. 129. *omnis qui in Sicilia ſe Regem facit, contradicit Cæſari*: ipſemet tamen Innocentius anno 1139. dignitatem illam Cæſare inconſulto confirmavit Rogerio. Movit aliquid, in gratiam tamen Romanæ Eccleſiæ potius fortaſſe quam Imperij, contra Nortmannos illos Cæſar Lotharius, & minitatus multa eſt Fridericus I. Fruſtra vero omnia. Memoratu tamen dignum eſt, quod de Lothario Cæſare ſcribit Friſingenſis l. 7. c. 19. *Auguſtus tam fortia in Apulia & Campania geſſit, ut nullus ex Francorum Regibus à Carolo Magno uſque ad id temporis tanta ibi feciſſe inveniatur. Denique non ſolum civitates utpote Capuam, Troiam, Salernum, Berlettum, Barram cepit, verum etiam munitiſſima caſtra & arces inacceſſibiles expugnavit cap. 20. Rogerio hoſte iudicato, Reginaldo viro forti ac nobili ducatus Apuliæ, relictâ ſibi parte militum, traditur: & ſic Princeps victor de reditu diſponit. Verùm ſilentio præterire nolumus, quod in dando ducatu inter ipſum & Romanum Pontificem pene controverſia orta fuit, utrique ducatum ſui fore iuris affirmante. Quæ lis conſilio tantùm hoc modo deciſa dicitur, ut in dando duci vexillo uterque manum adhiberet.* Hæc Otto. Quæ docent Lotharium Cæſarem & vindicâſſe illas terras & haud exiſtimâſſe illarum ius non amplius Imperii ſed unius Romani eſſe Pontificis. Verùm Lothario in Germaniam reuerſo Rogerius omnia recuperauit. Et Friderici conatus intra minas ſubſtiterunt. Flexo ipſo ad ultimum in Normanni fauorem.

Imo Friderici filius Henricus VI. Cæſar, ducta anno 1186. Conſtantia, novi illius regni poſſeſſionem quaſi in dotem conſecutus eſt. Nec tamen vel ſic in ditionem Imperij terræ per vim ſubductæ redierunt: etſi, certis legibus & illas & univerſum Siciliæ regnum Imperio unire ſtuduerit Henricus ille Cæſar. Ea de re, in Collectione magni Chronici Belgici quam Piſtorius edidit, Ioannes neſcio quis monachus ita diſſerit. *Imperator Henricus videns Regnum Alemanniæ & Imperium Romanum propter frequentes mutationes Imperatorum multa mala perpeſſum, priuſquam vota Principum in perſona Imperatoris poſſent convenire, ordinavit, ut amplius electio non fieret, ſed per ſolam ſanguinis ſucceſſionem Imperium conferretur, ita ut qui propinquior Imperatori eſſet Imperator fieret. Vt autem Henricus à filio ſuo Friderico, quem de Conſtantia uxore ſua habuit, ſumeret exordium, REGNVM SICILIÆ & CALABRIÆ, & Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, quæ filius eius ab avis hæres acceperat, Romano Imperio univit, ut perpetuo terrarum iſtarum unus dominus eſſet.* De ſtudio Henrici hereditariam ſucceſſionem Cæſarum revocandi in uſum, meminit nonnihil & Gobelinus Perſona in Coſmodromio, addens irritum redditum negotium quod Saxonici Principes adverſati fuerint: de unione autem Siciliæ cum Imperio ſilet. Non eſt tamen vero abſimile & hoc. Certe niſi ab initio hereditaria quaſi obtinuiſſet ſucceſſio Cæſarum Regumque noſtrorum, nonnos regna in vnum reipubl. corpus coaluiſſent: nec inutile fuiſſet Henrico, ea quaſi permutatione in familiam ſuam jus hereditarium Cæſareæ dignitatis transferre.

Quicquid vero hujus ſit, id conſtat: ab Henrici uſque III. Cæſaris ætate terras illas nobiliſſimas Normannorum in ditione fuiſſe magis quam Cæſarum, hos tamen perpetua contradictione Imperij jura integra hactenus ſervaſſe, nemo merito negaverit.

CAP. XII.

Burgundiæ & Arelatenſe Regnum per injuriã, in terris Germanico imperio debitis enatum, eidem rurſum perpetui fœderis lege ſociatum eſſe, idque qua ratione ſit factum.

DE Italia & Cæſarea dignitate quemadmodum ad Germanos devenerit, propagata ad Fridericum uſque II. poſſeſſione, ſatis eſt dictum. Venimus ad id quod reliquum fuit quondam Lotharij Cæſaris. Ejus filius Carolus Provinciæ ſive Galliæ Narbonenſis cis Rhodanum egit Regem. Si alijs credimus, ceſſerunt eidem & Burgundiæ minoris nonnulla. Verum Carolo mortuo hæc quidem Lotharius Lotharingiæ rex, illam vero Ludovicus

Cæſar

Cæſar, ſuperſtites fratres hereditario jure creverunt. Iam tum audivimus cap. ult. quemadmodum Burgundica illa, quaſi portiones Lotharingici regni, initio Ludovicus Germanicus & Calvus patrui diviſerint inter ſe, inde vero omnia ad Ludovicum Ludovici Germanici filium devenerint. Ludovico Cæſare Lotharij filio mortuo, ut Italiam cum Cæſarea dignitate, ita & Provinciam ſolus Calvus, fratri Ludovico Germanico majori natu præcipiens, per injuriã occupavit, ſed ita ut novum ibi regnum vana ductus ambitione conderet. Vnus apud illum omnia pene poterat Iudithæ uxoris frater, Boſſo aut Boſo dictus: hunc Provinciæ regem creavit. Ea de re Regino ad annum 877. *Carolus ſenior Romam ſecundo profectus eſt: ubi iampridem Imperatoris nomen à Præſule Sedis Apoſtolicæ Ioanne ingenti pretio emerat. Ab Vrbe Roma in Longobardiam reverſus, Boſoni Hermingardam filiam Germanichildis Reginæ & Ludovici Imperatoris in matrimonium iungit. Dedit inſuper eidem Boſoni Provinciam, & corona in vertice capitis impoſita eum Regem appellari iuſſit. Vt more priſcorum Imperatorum Regibus videretur dominari.* Æmylius narrat, Boſonem ad regium nomen amplexandum ab uxore Hermengarde majoribus Auguſtis tumida, *quod negaret iucundam ſibi vitam fore niſi virum Regem amplecteretur,* fuiſſe incitatum. Addit: *Calvus quoque Auguſtus, ut non Duces modo ſed & Reges crearet, eiſque iura diceret, uxoris fratrem Provinciæ Regem appellat, quæ Hermengardæ illius uxoris patri avoque Auguſtis paruiſſet: ea facilius & ſanctiore iure minorique invidia Provinciã ad Francorum imperium rediturum.* Haud negaverim tale aliquod conſilium animo Calvi ſediſſe, obſervans illum quidem faſtum in Calvo ab Annalibus etiam Fuldenſibus ad annum 876. notatum: *Karolus Rex de Italia in Galliam rediens, ut maiorem ſuæ mentis elationem oſtenderet, ablato Regis nomine, ſe Imperatorem & Auguſtum omnium Regum cis mare conſiſtentium, appellari præcepit.*

Hæc ſunt prima initia novi illius Regni, quod ARELATENSE à regia primaria ſede ſolet nuncupari. Boſonem tamen nihilominus non alio quam Comitis titulo frequenter ſcriptores illius temporis appellitant, quaſi regij nominis invaſorem cum habentes. Ille vero altiora etiam tentare non dubitavit, uxorij forte iuris prætextu. Nam & cum Papa Ioanne Italiam intravit regni illius occupãdi cauſa anno 888. ut habent Annales, ſpe licet fruſtratus, & ſequente anno Ludovico Balbo defuncto Burgundiæ ſe regem dixit: Ea de re ſic Æmylius: *Erant nobiles inimicitiæ inter Boſſonem & Theodericum, quod uterque Eduenſium Comitatum ſuum eſſe diceret: eoque uſque contentiones exarſere, ut Boſſo a Pontifice Lugdunenſium Regiis inſignibus ornaretur ſacraretur que, ac Rex non Provinciæ modo ſed & Burgundiæ declararetur, ipſo primum deinde Ludovicus eius filius. Et Ricardus Theoderici filius item ſe Regem Burgundiæ dictitabat, quod Edua quam ſibi vindicabat Burgundiæ caput eſſet.* Paulo poſt de filiis Ludovici Balbi: *Boſſonem eiuſque filium Ludovicum Provinciæ finibus continere ſe cogunt.* De hoc novo Boſſonis conatu operæ fuerit pretium audire etiam diſſerentem Reginonem ſcriptorem pene σύγχρονον. *Anno dominicæ incarnationis DCCCLXXIX. Boſo de quo paulo ſuperius mentionem fecimus, audita morte Ludovici, à Provincia egreditur, totamque Burgundiam occupa-* *re nititur. Denique nonnullos Epiſcopos, partim minis, partim ſuaſionibus, in ſocietatis fœdera colligit, & Lugdunum ingreſſus, ab Aureliano eiuſdem Vrbis metropolitano, & aliis Pontificibus in regem ſuper præfatum Burgundiæ regnum inungitur, pro nihilo ducens adoleſcentes filios Ludovici, & velut degeneres deſpiciens, eo quod iuſſu Caroli eorum genetrix ſpreta atque repudiata fuerit. Quæ res obtulit illi magis continuum odium, ac periculorum diſpendium, quam gloriæ & dignitatis emolumentum. Siquidem iam dicti adoleſcentes Ludovicus & Carolomannus, induſtria ac ſtudio Hugonis Abbatis, & aliorum procerum in regnum ſublimati & eundem Boſonem diebus vitæ ſuæ omni inſtantia ſunt perſecuti. Nec ſolum illi, verum etiam alii reges Francorum per ſuccedentia tempora adeo graviter nomen eius tulerunt atque exoſum habuerunt, ut in recuperabili eius deiectione & mortis exitio non modo Principes ac Duces, ſed etiam eorum ſatellites ſacramentis & execrationibus obligarentur. Fuit autem tam perſpicacis ingenii, ut cum à multis, ut dictum eſt, regibus & regnis aſſidue infectatus ſit, à nullo tamen aut capi aut circumveniri aliquando potuerit. Tantæ moderationis ut cum ſibi faventes proſcriptionibus damnarentur, bonisque omnibus privarentur, nunquam inſidiis ſuorum moleſtum fuerit petitus, neque fraude proditus, cum utrumque hoſtes ſæpe certaſſent.*

addit.

Hæc omnia Regino. Diſcere vero hinc eſt, Boſonem invaſiſſe etiam nonnulla quæ Carolo Calvo ex Lotharingiæ regno obvenerant, & deinde filiorum Ludovici Balbi ceſſione Ludovico Ludovici Germanici filio debebantur: ut Lugdunum & Viennam. Et vero hinc indubie hoſtem quoque nactus eſt Boſo Ludovicum illum Regem noſtrum, qui eum anno 880. bello perſecutus eſt, ut tamen ille Vienna urbe ſe tutaretur, quod eſt in Annalibus Fuldenſibus. Iidem Annales ad annum 887. *Mortuo Boſone, parvulus erat ei filius de filia Ludovici Italici Regis, quem Imperator Carolus Craſſus ad Rhenum villa Chirichheim veniens obviam, honorifice ſuſcepit ad HOMINEM ſibique adoptivum filium eum coniunxit.* Itaque Ludovicus Boſonis filius reconciliatus indubie Regi noſtro Craſſo, & regnum eius feudi legibus iuris Germanici factum eſt. Neque vero vel ab Arnolpho ſucceſſore quidquam in illum inclementer actum. Imo de illius matre diſerte Annales ad annum 890. *Ibi ad eum filia Ludovici Italici Regis, vidua Boſonis tyranni, magnis cum muneribus veniens, honorifice ſuſcepta ac ad propria remiſſa eſt.* Num tamen præter Provinciæ regnum aliquid Burgundiæ Ludovico illi Boſonis filio obtigerit, haud certo dixeris, in alto monumentorum antiquiorum ſilentio. Veriſimilius eſt ſponte reddita vel certe erepta ſi non omnia ſaltim pleraq; per novum Burgundiæ regnũ: quo de nunc etiã aliquid dicẽdũ eſt.

CVM anno 887. à ſuis per ſummum nefas deſertus omni dignitate excidiſſet Carolus Craſſus Imperator, pauloque poſt obijſſet, præbita eſt occaſio ſolvendi propre omnis Francorum Imperij. Regino prudenter ad annum 888. *Poſt Caroli mortem regna quæ eius ditioni paruerant, velut legitimo deſtituta herede in partes à ſua compage reſolvuntur, etiam non naturalem dominum præſtolantur, ſed unumquodque de ſuis viſceribus regem ſibi creare diſponit. Quæ cauſa magnos bellorum motus excitavit: non quia Principes Francorum deeſſent; qui nobilitate, fortitudine, & ſapientia regnis imperare poſſent: ſed quia inter ip-*

ſos æqualitas generoſitatis, dignitatis ac potentia diſcordiam augebant, nemine tantum cæteros præcellente, ut eius dominio reliqui ſe ſubmittere dignarentur. Multos enim idoneos Principes ad regni gubernacula moderanda Francia genuiſſet, niſi fortuna eos æmulatione virtutis in perniciem mutuam armaſſet. Cum hiſce ſubiunxiſſet Regino, quemadmodum Italiam Berengarius & Guido, Galliam Odo regia auctoritate occupaverint, pergit in hunc modum. *Per id tempus Rudolphus filius Chunradi*, minoris Burgundiæ Comitis, *nepos Hugonis Abbatis* (*de quo ſupra meminimus*) *Provinciam inter Iuram & Alpes Penninas occupat, & apud ſanctum Mauritium, accitis ſecum quibuſdam primoribus & nonnullis ſacerdotibus, coronam ſibi impoſuit, Regemque ſe appellari iuſſit. Poſt hæc mittit legatos per univerſum regnum Lotharii, & ſuaſionibus pollicitationibuſque Epiſcoporum ac nobilium virorum mentes in ſui favorem demulcet. Quod cum nunciatum eſſet Arnolfo, illico cum exercitu ſuper eum irruit. Ille per arctiſſima itinera fuga dilapſus, in tutiſſimis rupium locis, ſalutis præſidium quæſivit. Omnibuſque diebus vitæ ſuæ Arnolfus & Zuendibaldus filius eundem Rudolphum perſecuti ſunt, nec tamen eum lædere potuerunt, quia, ut ſupra expreſſum eſt, loca inacceſſibilia, quæ ſemitis tantum pervia ſunt, inſequentium confertas acies procul ab ingreſſu repellebant.* Idem Regino ad annum 894. de Arnopho ex Italia cum exercitu revertente: *Inde converſus per Alpes Penninas, Galliam intravit, & S. vſque Mauritium pervenit, Rudolpho quem quærebat nocere non potuit, quia Montione conſedens in tutiſſimis locis ſe abſconderat. Regionem inter Iuram & montem Iovis exercitus graviter attrivit.* Paulo poſt: *Soluto conventu VVermacienſi cum Lotharium idem Princeps Arnolfus veniſſet, Ludovico filio Boſonis, matre Hirmingarde interveniente, quaſdam civitates cum adiacentibus pagis, quas Rudolfus tenebat, dedit. Sed & hoc et in vacuum ceſſit, quia eas nullo modo de poteſtate Rodulfi eripere potuit.* Hæc ita Regino.

Annales autem Fuldenſes ad annum 888. ſcribunt: *Rex Arnolfus contra Rodolphum Elſaciam progreditur, unde ad eum Miſſo Alemannico exercitu, ipſe per Franciam Batovvariam reverſus eſt. Rudolfus enim, inito conſilio cum primoribus Alemannorum, ſponte ſui ad Regem urbem Ratisbonam vſque pervenit, multaque inter illos convenienter adunata, ipſe à Rex cum pace permiſſus, ſicuti venit ad ſua remeavit.* Hermannus etiam Contractus ad annum. *Arnolfus Italiam Burgundiamque ſuo regno ſubiicit.* Franciſcus quoque Guillimannus recens quidem tamen accuratus veterum rerum ſcrutator & ſcriptor l.3. Originum Hapſpurgicarum. p.99. ſcribit, neſcio quo auctore, Anno 896. ad Arnolfum Cæſarem ex Italia reverſum & Ratisbonæ conventum agitantem Rudolfum quoque acceſſiſſe. *Eo quoque* inquit, *cum Rudolfus tetendiſſet, eius quod invaſerat Burgundiæ regni confirmationem denique impetravit.* Claret autem, quæ in Annalibus ad annum 888. memorantur, à Guillimanno in annum 896. reiecta: omnia vero à Reginone multum diſſentire. Num Reginonis aut aliæ illæ narrationes uero magis ſint conſentaneæ, difficile eſt dictu ut pote quum uterque Regino & Annalium ſcriptor illis plane temporibus vixerint.

Id certum eſt Rudolfi illo novo regno detractum haud parum Germanicis illis, quæ cum diviſione illa ſolenni inter Ludovicum & Carolum fratres anno 870. iam in poſſeſſionem Germaniæ venerant, tum ceſſione Ludovici Balbi filiorum ei debebantur: adeoque iure merito vel delendum illud regnum fuiſſe vel in Germaniæ obſequio retinendum. Recte enim de Rudolfo illo Guillimannus pag 95. *Rudolfus rex Burgundiæ apud B. Mauritii coronatus, continuo in Lotharingiam, Elſaciam, Sequanos miſit, qui reliquos proceres ad partes ſollicitarent, & traducerent. Et facile Elſatios & Sequanos perpulit, Luitfrido* Comiti Altenburgenſi, *& fratri Hugoni ſubiectos aut amicos, tuendoque nepoti* (erat ſc. Rudolfus Luitfridi ex Ermentruda nepos) *omnes opes contulerant, aut rurſus Imperatoris acerbitate iniquos & offenſos. Lotharingios Arnulfus retinuit, filio Zundibaldo duce conſtituto. Denique brevi tempore regnum Rudolfus ab Rhodano & Arari ad Rhenum & Vrſam perduxit, adeoque firmavit, ut contra utriuſque Arnulfi & Zundibaldi incurſiones copias & arma fortiter ſervaverit, & ad poſteros feliciter tranſmiſerit.*

Sive in gratiam Arnolfi receptus tandem ſit Rudolfus, ſive non: poſt eius obitum, cum nemo eſſet qui iura Germaniæ fortiter tueretur, invalidis per Hungarorum excurſiones & bella civilia Regum noſtrorum rebus indubie Imperii quoque reverentiam Burgundici illi exuerunt. Princeps Henricus Auceps anno circiter 929. ut numerat Sigebertus, lanceam clavis Dominicis factam creditam auſus eſt Rudolfo Burgundo alteri extorquere nihil tamen præterea tentavit. Alter hic patri ſuo anno 912. ſucceſſit: quem Æmylius aliique nonnulli præſtantes ſcriptores, cum eiuſdem nominis & ætatis ex Burgundiæ duce anno 923. Francorum rege contra Carolum Simplicem conſtituto, perperam eundem faciunt. De Burgūdo autem illo ita Frodoardus ad annum 921. *Berengario Langobardorum Imperatore regno ab optimatibus ſuis deturbato, Rodulfus Ciſalpinæ Galliæ Rex ab ipſis in regnum admittitur.* Id prolixius perſecutus Luitprandus l.2. cap. 16. appellat hunc *Regem Burgundionum ſuperbiſſimum.*

Huic per Italicorum Principum rebellionem ſubſtitutus quarto poſt anno in Italiæ regno Hugo, ut à recuperando illo regno Burgundum averteret, ceſſit quicquid hactenus in Provincia Arelatenſi tenuerat. Nam in Provincia quidem illa Arelatenſi ſucceſſerat Boſoni patri, idque conſenſu Regum noſtrorum, Ludovicus filius: verum is cum Italiæ regnum affectaret, à Berengario captus & excæcatus eſt. Neque ſatis conſtat num & ille Regio titulo fuerit uſus: nec enim cum hoc nomine ſiue Luitprandus l.2.c.16. ſive Annalium ſcriptor, ſive quis veterum alius, temere dignatus eſt. Huius autem hereditatem videtur creviſſe Hugo hic quem Berthæ filium appellant patris nomine diſſimulato. Luitprando l.3.cap.3. is audit: *potentiſſimus & ſapientiſſimus Provincialium Comes*; & videtur eſſe ipſe ille qui Frodoardo in Chronico ad annum 824. eſt Hugo Viennenſis. Æmylio dicitur *Arelatenſis* Rex perperam tamen, niſi quod Arelaten tenuerit. De hoc itaque Hugone Luitprandus cap. 33. l.3. *His temporibus Italienſes in Burgundiam ad Rodulfum mittunt, ut adveniat. Quod Hugo Rex vt cognovit, nun-*

nunciis ad eundem directis omnem terram, quam in Gallia ante Regni ſuſceptionem tenuit, Rodulfo dedit: atque ab eo juſiurandum, ne aliquando in Italiam veniret, accepit. Similiter Æmilius: *Hugo ut Rudolfum, quem mox mutatis animis revocari ab adverſa factione compertum habebat, ab illis conſiliis penitus averteret, cum bello imparem ſe opibuſque ſciebat, icto fœdere quicquid ipſe in Gallia urbium finiumque obtinebat, ei tradidit, jureiurando adacto in Italiam deinceps non ducturum ſe.* Eodem de negotio videtur agere Frodoardus ad annum 828 paulo tamen diverſa tradit. *Hugo Rex habens colloquium cum Rudolfo, dedit Heriberto Comite Provinciam Vienenſem vice filii ſui Odonis.* Forte in filiorum aliquem Rudolfi facta eſt translatio, ut tamen ejus nondum adulti vices interim obiret Heribertus. Guillimannus l. 4. Orig. Habſpurgicar. pag. 108. hæc habet: *Rex Burgundus, damnata gentis Italica nobilitate, in patrium ſe regnum recepit, & cum Guidone Arelatenſi Comite, quem Itali Regem nominarant, tranſegit, Arelatenſis regni titulum primis Burgundiæ Regibus celebratum & quicquid Guido in Provincia habuerat, ab eo accepit: cæterum Italia regnum eiuravit.* In quibus per μνημονικὸν ἁμάρτημα *Guidonis* nomen pro Hugonis adductum eſſe, nemo non videt. Id certum eſt, hac ratione Regni Arelatenſis dignitatem cum Burgundico conjunctam, & in unum quaſi corpus duo regna illa coiiſſe: cujus fines ex eo, à *monte Iura quem D. Claudii montem vulgo appellant, Rheno Arari & Rhodano, uſque ad Alpes & mare Liguſticum pertinuere:* quod ipſum & Ioannes Bodinus l. 1. de republ. pag 128. ingenue profeſſus eſt.

Etſi vero utroque illo Rodolpho Rege pene avulſa fuerit à Germaniæ corpore Burgundicum hoc regnum, exinde tamen ſenſim ad officium rediit, initio facto circa annum quadrageſimum poſt nongenteſimum. *Rudolphus Iurenſis ac Ciſalpina Gallia rex obiit: cui filius parvus Conradus in regno ſuccedit:* ſcribit ad annum 957. Frodoardus. Ætate huius Conradi abuſus, cum regnum ejus ut & Lotharingiam invadere niteretur Ludovicus Tranſmarinus Gallicus, Otto noſter Magnus Rex, qui rerum ea tempeſtate feliciter potiebatur, prævertendum ratus cum optimo jure poſſet, & Regem & Regnum illud ſuam in poteſtatem redegit. Witikindus Corbejenſis l. 2. *Rex* Otto *de die in diem proficiens, paterno regno nequaquam eſt contentus, ſed abiens Burgundum, Regem cum Regno in ſuam accepit poteſtatem.* Albertus Stadenſis iiſdem prope verbis uſus, notat illud contigiſſe anno 841. Sed Frodoardus, ætate rei geſtæ ſuppar, refert idipſum ad annum præcedentem quadrageſimum. Verba ejus ſunt: *Otto Rex Henrico fratri ſuo regnum Lothariense committit: tumque cum diverſarum gentium, quas ſecum adduxerat, multitudine, poſt Ludovicum Regem in Burgundiam proficiſcitur, habens ſecum Conradum filium Rodulfi Regis Iurenſis: quem iamdudum dolo captum, ſibique adductum, retinebat: caſtraq; metatus ſuper Sequanam* (forte *Saonam*) *obſides ab Hugone nigro accepit.* Permiſſus quidem regnare Conradus: indubie tamen haud alio quam fiduciario jure. Etſi enim more ſuo Annales iſtius ævi minus explicate rem tantam narrent, potentiam tamen, quæ tum erat, Imperij Germanici ſimulque imbecillitatem Conradi, & receptos tum regnandi mores accurate ſcrutantibus, non poteſt non idem videri. Si

verum eſt quod traditur à nonnullis, in Allobrogibus Sabaudiæ Comitatum Beraldo Saxoni ab Ottone III. beneficiaria lege conceſſum, teſtimonio id fuerit magnæ in Regno illo auctoritatis Cæſareæ; utpote quum Allobroges indubie ad Regnum illud tum pertinuerint. Sed incerta idipſum fide traditur, fabulæ ſimilius quam hiſtoriæ. Et ſane alij veriſimilius Morienam à Rudolpho Rege datam Beraldo, Sabaudiam vero longe demum poſt Amadæo conceſſam memorant.

Iam ex eo itaque fuit in clientela Germaniæ Regum illud Burgundiæ regnum: per Rudolfum id nominis tertium propius nobis conjunctum, pars factum eſt reipublicæ. Hermanni Contracti antiquus codex ad annum 994. *Conrado rege Burgundiæ mortuo Rudolfus filius eius ignavus ſucceſſit.* Hic ille eſt, qui ipſummet utile (ut ita loquar) Burgundiæ illius dominium, cum eſſet ἄπαις, primum Henrico II. iterum Conrado II. Regibus noſtris liberrima donatione conceſſit. De priore Dithmarus Merſeburgenſis Epiſcopus ætate ſuppar l. 8. *Iam loquar Imperatoris noſtri* (Henrici II.) *proſperitatem. Avunculus namque ſuus Burgundionum Rex Rodulfus coronam ſuimet & ſceptrum, cum uxore ſua, privignis & optimatibus univerſis ſibi conceſſit, reiteraturque ſacramenti confirmatio: Actumque eſt iſtud Moguncia.* Iam tum l. 7. notaverat Ditmarus nonnihil de illo Rudolphi dono pag. 92. ubi agit de Cæſaris cum uxore & privignis Rudolphi congreſſu. *Imperator ſapiente uſus conſilio, hoc voluit cum his id ſibi firmius ſubdere, quod longe prius Rex prædictus ei ſacramento poſt mortem ſuam ſanciverat. Omnem namque Burgundiæ regionis primatum per manus ab avunculo ſuimet accepit, & de maximis rebus ſine eius conſilio non fiendis ſecuritatem firmavit.* Et prioris & ſecundæ donationis meminit in hunc modum Wippo *in vita Conradi Salici: Rudolfus rex Burgundiæ dum in ſenectute ſua regnum molliter tractaret, maximam invidiam apud Principes regni ſui comparans, ſecundum Henricum Imperatorem, filium ſororis ſuæ in regnum invitavit, eumque poſt vitam ſuam Regem Burgundiæ deſignavit, & Principes Regni iurare ſibi fecit. Ad quam rem commodandam Imperator Henricus infinitam pecuniam ſæpe & ſæpiſſime conſumpſit: ſed defuncto Imperatore Henrico Rudolfus* Rex *promiſſa ſua irrita fieri voluit. Chonradus autem* Rex *magis augere quam minuere* Regnum *intentus, anteceſſoris ſui labores metere volens, Baſileam ſibi ſubiugavit, ut animadverteret an* Rex Rudolfus *promiſſa attenderet. Quos poſtea Giſela regina, filia ſororis ipſius regis* Rudolfi *bene pacificavit.* Paulo ante vero, *Baſileam urbem ad Burgundiam pertinere dixerat.* Non multo poſt ubi egiſſet de congreſſu Cæſaris cum Rudolfo in civitate Baſilea, ſcribit: *Confirmata inter eos pace, Giſela imperatrice hæc omnia mediante, Regnoque Burgundiæ Imperatori tradito, eodem pacto quemadmodum prius anteceſſori ſuo Henrico Imperatori datum fuerat,* Rex *Rudolfus iterum donis amplіatus reverſus eſt Burgundiam.* Otto Friſingenſis aliique non ipſum Conradum ſed ejus filium Henricum, qui nobis eo nomine poſt factus fuit Rex tertius, heredem à Rodulfo ſcriptum referunt. Ille l. 6. c. 30. *Ea tempeſtate* Rodulfus *Burgundiæ ſeu Galliæ Lugdunenſis Rex, moriens Henrico filio Regis Conradi, nepoti ſuo, Regnum cum diademate aliiſque inſignibus ſub teſtamento reliquit.* Sed idem ille

Wippo alibi diſerte ſcribit: *Regnum Burgundiæ Conrado Imperatori, & filio eius Henrico Regi à Rudolfo rege confirmatum eſt*: ipſumq; Conradum anno 1033. Henricum vero filium, conceſſu patris, anno demũ 1038. Regem Burgundiæ coronatum eſſe narrat.

Quicquid hujus ſit, in certum, mortuo Rodulfo Regnum illud (niſi duo malis Regna dicere) Germanico Imperio acceſſiſſe, idque anno 1032. Hinc Sigebertus: *Rex Rodulfus Regnum Burgundiæ, Conrado Imperatori tradidit: quod à tempore Arnulfi Imperatoris* (i.e. ab obitu Craſſi) *per annos plusquam centum triginta gentis ſuæ Reges tenuerat: ſicq; Burgundia iterum redacta eſt in provinciam.* Illam eandem Burgundici regni cum Imperio conjunctionem latè deſcribit l.3. Paulus etiam Æmilius, Gallicarum rerum fide & eloquentia præſtans ſcriptor, & quidem ita, ut unum atque alterum ex illa narratione huc adferre, pretium operæ fuerit. *Non parum*, ait ille, *virium Germani proceres acceſſurum rebus ſuis ducebant, Burgundionum regno ſibi contributo, quod, (excluſo Ducatu, qui Franco regi ſine controverſia parebat) ſi quis veterem memoriam repetat, Sequanos, Allobrogumque ac Arelatenſium regias urbes complecteretur, ac ab extremis Germanorum finibus ad mediterraneum mare pertineret; opportunum Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ, Africaeque rebus conſiliiſque expediendis, ac conatibus capiendis, ut Auguſtum nomen Germaniæ finibus ac anguſtiâ clauſum, prodire in totius orbis terrarum lucem ac priſtinam maieſtatem tandē poſſit.* Idem Æmylius, cum narraſſet, quemadmodũ Conradus Cæſar pulſo Odone Campano, in Burgundiæ poſſeſſionem veniſſet, ſubjungit: *Vrbium illarum proceres, in quibus & Lugdunenſis Pontifex numeratur, dicto audientes ſunt, præſidia arcibus recipiunt, & ut fidem ſuam oppignorent, obſides dant.* Paulo poſt addit: *Pax inter Francos & Germanos, fraternumque nomen inviolatum permanſit, regnique Francici iura Imperio, & Imperii Francico regno ſancta extitere.* Ex quibus Æmylij verbis apparet, cú quãtum momentum ſitum fuerit in illius regni poſſeſſione, & quam illud late patuerit, tum nihil amplius in illud juris Francorum Reges tum temporis ſibi arrogaſſe, atque adeo citra omnem controverſiam Germaniæ illud optimo jure acceſſiſſe.

Ex eo igitur promoti admodum Imperij fines: Ab Vrſa ſcilicet in Helvetijs, & Rheni ripa ac Iura monte, ad Rhodanum uſque mare mediterraneum & Alpes: ita ut Lugdunum etiam, Valentia, Vienna, Aveuio, Arelate, Maſſilia, aliæque præclaræ urbes Lugdunenſis & Narbonenſis Galliæ, in nomen & ditionem Imperij pervenerint.

Non poſſum non addere quæ de Burgundiæ Comitatu, qui tum maximam Burgundici Regni integri partem abſorpſit, & Arelatenſi regno Guntherus *l.5 Ligurini* cecinit, quoniam eleganter faciem univerſæ illius terræ quaſi ob oculos ponunt. Quanquam ille, ut ſolet, paraphraſtem ibi egerit eorum quæ ab Ottone Friſingenſe *l.2. de vita Friderici c. 29.* diſſeruntur.

Hæc adeo tellus à ſedibus incipit illis,
Qua Baſilea ſuos vicino flumine muros
Alluit, & Rhenum vementem læta ſalutat:
Innumeroſq; tenens populos, hinc Gallica rura
Mordet, at hinc rigidis ſcopuloſa rupibus Alpis
Arctatur, tractuque pars protenditur, uſque
Qua rapidas primus Rhodanus maris influit undas,
Quaque caput Regni ſedeſque fuiſſe vetuſti
Fertur, Arelatum priſcorum curia regum.
Teque ſibi vingens æquo Provincia iure,
Nomen apud veteres Regni titulumq; gerebat,
Cuius Arelatum ſedes, & finis ab illa
Parte ferebatur: donec ſuprema voluntas
Regis Rudolphi regnis accedere noſtris
Juſſit, & antiqui detraxit nomen honoris:
Vt iam non regnum, ſed ſit bona portio regni.
Has ſibi metropoles, & primi nominis urbes,
Chryſopolim placidam, Lugdunum, ſive Viennã,
Quaque ſuos ſpumante mari Provincia fines
Claudit Arelatum, validis obnoxia ventis:
Chryſopolim Dubius, reliquas prælabitur amnis
Maximus Allobrogum Rhodanus dominator aquarum.

CAP. XIII.

Cæſarum & Imperii in Burgundicum & Arelatenſe Regnum auctoritatem, cumprimis ubi eſt per Fridericum I. ſibi reſtituta, ad fatale imperii interregnum uſque integram manſiſſe.

DE iis qui Conradi Saliqui Cæſareæ electioni interfuerunt Principibus, ex omnibus Imperij provincijs congregatis diſſerens Wippo, hiſce inter alia verbis utitur: *Burgundia nondum Romano Imperio ita ut nunc acclivis erat Quod autem ſubiecta eſt modo, trium Regum gloria adſcribitur. Secundus Henricus Imperator primum eam ſubiicere intendit, & bene in hoc ſtudio perſeveravit. Deinde Conradus Imperator animoſo impetu Francos* (Odonem ſcil. Campanum) *hoſtiliter ex ea eiecit, belloq; eam ſubiugavit. Ad extremum Rex Henricus tertius, pius, pacificus, lumen iuſtitiæ, bello & pace eamdem Burgundiam temperavit cum magnificentia. Vbi quæ divina providentia tam pacis quam belli conſiliis, conciliis, & conventibus, quibus interdum ipſe interfui peregit, alias commemorabo.* Id quod promittit Wippo, num præſtiterit incertum. Tantum enim carmen aliquod ſive *tetralogus* in laudem Henrici tertij, nomine illius hactenus prodijt in lucem, idque unius Henrici Caniſij cura in ſecundo tomo tomo Antiquarum lectionum. In illo vero nihil legas quod huc pertineat, præter illa:

Præterea tibi, Rex, mandat Burgundia: ſurge
Atque veni. Noviter ſubiecta vacillans
Interdum, domino per tempora multa remoto.
Quamvis nunc pacem teneat Burgundia per te,
Auctorem pacis tamen nunc te cernere quærit,
Semper & in Regis ſua lumina paſcere vultu.

Cæterum non etiam eſt hujus inſtituti, res per Burgundiam geſtas enarrare. Satis nobis eſt illud modo adductum Wipponis teſtimonium, de Henrici III. Cæſaris in Burgundiam *magnifico*, ut ipſe loquitur, imperio. Ab hoc demum Henrico nonnulli & Morienæ & Albonij, in Arelatenſi ſolo ſiti, Comitatus inſtitutos referũt: quod Regiæ auctoritatis haud leve eſt monumentũ. Epiſcopatuũ Regni illius, perinde ut alibi, collationē ab eodem Henrico tum pependiſſe, luculenter apparet, vel ex uno Halinardi Archiepiſcopi Lugdunenſis exemplo, de quo Albericus in Chronico ad annũ 1046. *Abbas Halinardus S. Benigni Divionēſis factus eſt Archiepiſcopus*

Lugdu-

Digitized by Google

Lugdunenſis, & quia civitas Lugdunenſis tunc erat ſub Imperatore, dominus Halinardus Cariam Imperatoris adiit pro regalibus ſuis accipiendis. Imperator iam erat in procinctu Romani itineris, & voluit ut Archiepiſcopus ſecundum morem, iuraret ei fidelitatem: Ille dixit ſe eſſe monachum, nec debere facere iuramentum. Dictum eſt, ut vel ad minus ſe offerret ad iuramentum: reſpondit ſe non debere ſimulationem facere. Tandem mediantibus Epiſcopis, Theodorico, antequam moreretur, Metenſi, Brunone Tullenſi, Richardo Virdunenſi; Imperator pro ſua religione iuramentum ei quitavit, deinde Romam abiit.

In Henrici IV. hiſtorijs comparet quidem memoria exercitæ per Burgundiam omnem Cæſareæ poteſtatis, rarior tamen: indubie præ multitudine civilium bellorum. Henrico V. Sabaudiæ Comitatus originem ſuam acceptum refert: quod ipſum hoc loco ſilentio haud prætereundum duxi. Ea de re ita loquitur in Originibus Sabaudiæ Ducum Lambertus vander Burch. *Amadæus eius nominis ſecundus Maurienna Comes Seguſianorumque Marchio (Otto Friſingenſis Taurinorum vocat Marchionem) decora iuventa, corpore ingens, animi immodicus, dignus Humberto patre, cui ſucceſſit, filius, primus ab Henrico quinto Imperatore, quod optima fortiſſimaque variis bellis illius opera fuerat uſus, Sabaudiæ (quæ Imperii Germanici, inquit Bodinus, provincia, & Imperii feudum antea fuit) creatur Comes, ea lege, titulum hunc cæteris omnibus, quibus præfulgebat, uti præferret, utque clientelari feudalive iure poſteritatem Imperium Romanum Sabaudia reſpiceret. Bonivoſii quoque ab eodem illo Imperatore dominio donatur. Dependebat quidem (ut obiter hoc dicam) à Burgundia olim regno ſolum Sabaudicum, ſed Burgundia in Romanorum tandem Imperatorum concedente poteſtatem, per magiſtratus ab Imperatoribus miſſos adminiſtrari Sabaudia cœpit: qui cum ſuperbe ac avare imperarent, boniique publici nullam haberent curam, Henricus tandem Imperator Amadæum hunc provinciæ illi, cum Comitis (uti diximus) titulo præfecit.*

Ab eodem Henrico ſive Lothario Conradum Zeringenſem Burgundiæ Comitem & Ducem conſtitutum, idque quoniam Reinholdus, cui poſt mortem Wilhelmi *hereditario iure* illa ditio obtigerat, *curias Principis* h. c. comitia à Cæſare indicta, *adire neglexiſſet*, refert Otto Friſingenſis *l. 2. in vita Friderici cap. 29.* Qui tamen ſimul narrat, Conradum occupaſſe quidem ſibi vicina loca (Tiguro ut reor proxima: illa enim urbe Bertholfum patrem ejus donaverat Henricus IV. Cæſar, teſte eodem Ottone *l. 1. cap. 8.*) Reinholdum tamen minime ceſſiſſe, ſed bello utrinque excitato, eximiam Comitatus partem ſibi retinuiſſe, non attenta Cæſarum ſententia. De illo negotio ita canit Guntherus l. v.

Proximus agnatus Comitis (Guilhelmi) *Reinaldus & heres*
Legitimus, tanta nactus moderamina ſumma,
Iure ſuo nimium, & claro ſanguine fretus,
Teutonicos reges edictaque ſæpe vocatus
Sprevit, & Allobroges alius ſub Regibus eſſe
Indignum reputans, nimium memor ille vetuſtæ
LIBERTATIS erat, Regemq; ſuperbus agebat.
Donec ob innumeros faſtus, ſententia tandem
Vlterior iniuria deprompſit Regia vires,
Ereptamque viro, regni, ſub iudice, terram,
Nomine Chunradoſiſes conceſſit habendam.
Vt quaſi præſcripto Regni ſpretore rebelli,
Proximus extincto ſuccederet ille nepos.
Qui mox conceſſos armato milite fines
Irrumpens, regale ſibi defendere donum,
Et valida ſancire manu tentabat: at ille
A patribus ſuſcepta ſuis retinere laborans,
Plurima conſeruit diverſo prælia caſu.

Hæc Guntherus. Vbi notandum obiter illud, quod dicit de *vetuſta libertate.* Reſpicit nimirum ille ad tempora Rudolfi ignavi Regis, quando Comites Burgundiæ vix comiter Reges ſuos venerabantur. De Wilhelmi Comitis aliorumque Burgundiæ procerum protervia & ſocordia Rudolphi Regis, quæ jam tum Henrico II. Cæſare notavit Dichmarus Merſburgenſis Epiſcopus lib 7. Chronicor. illa digna ſunt quæ hic recitemus: *Nullus*, inquit de Rudolpho rege, *ut audio eſt qui ſic præſit in Regno. Nomen tantum & coronam habet. & Epiſcopatus his dat qui à Principibus his eliguntur: ad ſuam vero utilitatem pauca tenens, ex impenſis Antiſtitum vivit, & hos vel alios in aliquo extrinſecus laborantes eripere nequit. Vnde hi manibus complicatis cunctis primatibus velut Regi ſuo ſerviunt & ſic pace fruuntur. Ob hoc ſolum talis rector inter eos dominatur, ut eo liberius malignorum furor undique vagetur, & ne lex nova alterius Regis ibi adveniat quæ inolitam conſuetudinem rumpat. VVilhelmus Comes miles eſt Regis in nomine, & dominus terræ re. Et in his partibus nullus vocatur Comes, niſi is qui Ducis honorem poſſidet. Et ne illius poteſtas in hac regione paulo minus minueretur, conſilio & ductu Imperatoriæ maieſtati, ſicut prædixi* (memoraverat autem facinus aliquod ſane horrendum) *reluctatur.* Ad hujus igitur Wilhelmi exemplum videtur Reinoldus ſpreta majeſtate Regum Germaniæ, ex arbitrio rebus præfuiſſe, atque ita Imperium ingentem jacturam feciſſe auctoritatis ſuæ.

Et vero illa præpotentum Comitum rebellione, & Provinciam & optimam Burgundiæ partem Imperio ſubtractam aliquandiu eſſe, donec Fridericus I. Cæſar, ducta in matrimonium Beatrice ipſiuſmet Reinoldi filia & unica herede, collapſam rempublicam præclare erexit, diſerte teſtantur qui vitam magni illius Cæſaris deſcripſerunt, Otto, Radevicus, Guntherus. Otto l. 2. c. 29. *Beatricem Imperator in matrimonio ſortitus non ſolum Burgundiam ſed & Provinciam, Imperio IAMDIV ALIENATAS, ſub uxorio titulo familiariter poſſidere cœpit.* Radevicus *l. 1. cap. 11.* agens de Comitiis Imperij quæ 1157. Veſontione inſtituerat fortiſſimus ille Cæſarum noſtrorum Fridericus, ita loquitur: *His ita geſtis, Fridericus ad ordinanda Imperii negotia in Regno Burgundiæ animum intendit. Cumque Burgundia aliquando per ſe fortes Reges habuiſſet, & per eos ſuis gentibus præcepta dare ſolita fuiſſet, EX APPETITV LIBERTATIS, quæ, ut dicitur, res inæſtimabilis eſt, iamdudum inſolentiam & deſuetudinem induerat obſequendi. Ea itaque terra, quæ non niſi multo labore & bellico ſudore ſubigenda putabatur, ita Deo ordinante paruit, quod (niſi alia in Regno diſponenda Imperatorem retraxiſſent) familiariter & cum paucis uſque ARELATVM, SEDEM REGNI BVRGVNDIÆ, proponere potuiſſet. Denique (quod me-*

de viventium excedit memoriam hominum aliquando contigiſſe) STEPHANVS *Viennenſis Archiepiſcopus & Archicancellarius de Burgundia*, & ERACLIVS *Archiepiſcopus & Primas Lugdunenſis*, & ODO *Valentinus Epiſcopus*, & GAVFREDVS *Avinionenſis*, & SILVIO *magnus Princeps & prapotens de Claria, tunc ad curiam venientes* FRIDERICO FIDELITATEM FECERVNT ATQVE HOMINIVM; *& beneficia ſua de manu illius reverenter ſuſceperunt. Arelatenſis autem Epiſcopus, & alii omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, Primates & Nobiles veniſſent, idemque feciſſent, niſi mora Principem adeundi compendioſua brevitatis praſtitiſſet impedimentum: miſſis tamen per honeſtos valde & induſtrios nuntios literis*, OMNIMODAM SVBJECTIONEM ET DEBITAM FIDELITATEM IMPERIO ROMANO *compromiſerunt*. Brevius idem quod Radevicus perſecutus eſt Guntherus l.6.

Interea magnos proceres Burgundia dives
Pontificeſque ſuis excitos Sedibus, ultro
Regis in occurſum commoverat, omnia late
Oppida, ſeu validis munita turribus Vrbes
Excipiunt illum valvis reverenter apertis.
Quaq. RELICTA SIBI *tam libertate vetuſta*
Gaudebat tellus, venientem milite pauco
Agnoſcit DOMINUM *ſupplex* REGEMQVE *fatetur.*

Hæc tres illi εὐγχρονοι. Superſunt vero hodieque tabulæ variæ Cæſaris illius, ordinatæ ab ipſo per Burgundiam reipubl. luculenta teſtimonia. Ad Viennenſem Archiepiſcopatum pertinentes recenſet Ioannes de Boſco Cœleſtinus cænobita Lugdunenſis in *Viennenſibus Antiquitatibus*, quæ Floriacenſis Bibliothecæ eodem auctore publicatæ lævo xyſto continentur. Quarum duæ cumprimis nobiles ſunt de Archicancellariatu Regni Burgundici Viennenſi Archiepiſcopo commiſſo, alteræ anno 1151. alteræ anno 1176. exaratæ. In prioribus legitur: *Videlicet ut in Regno Burgundia Sacri Palatii noſtri Archicancellarius & ſummus Notariorum ſemper exiſtas & poſt te ſucceſſores tui*. In poſterioribus: *Viennenſis Eccleſia, ſicut inter cateras Eccleſias & Metropolitanas ſedes Regni Burgundia gloria & honore quaſi clariore ſidere refulget, ita peculiaris gratia prarogativa apud Imperialem celſitudinem meruit praeminere, ut metropolitanus eius inter cateros Archiflamines principalem locum ac dignitatem obtineat, & quia Princeps conſilii noſtri & Archicancellarius in Regno Burgundia, & primus in aula Regali, & in adminiſtratione reipublica cateris excellentiori dignitate prapolleat &c.* Similiter Guilhelmus Paradinus *Hiſtor. Lugdunenſ. l.2. cap* 35. producit tabulas ejuſdem Friderici, quibus inveſtivit Eraclium Archiepiſcopum *de Regalibus Eccleſia Lugdunenſis, & de omnibus qua in Lugdunenſi Epiſcopatu ad Imperium pertinent: civitatem Lugdunenſem & totum Epiſcopatum liberum facit ab omni extranea poteſtate*; SALVA *per omnia* IMPERIALI JVSTITIA. *Datum Arboſis Cal. XIV. Decemb. indict. V. anno Dominica incarnationis M.C.LVII.* De eodem Friderico *l.4. Burg. Hiſt. c.7.* ſcribit Andreas Cheſneus: *Vidi plures chartas huius Imperatoris pro Eccleſiis, Vienneſi, Lugdunenſi, Beliſcenſi, aliiſq; in Burgundia conſtitutis; qua fidem faciunt eum in regno Burgundia pro ſupremo Principe agnitum fuiſſe.*

De Ottone IV. Cæſare Iacobus Spigelius ad l.5. Guntheri: *Otto eius nominis Imperator IV. ſe Arelatenſem Regē appellavit, & poſſedit.* Prius illud haud memini alibi à me lectum. Poſterius certum eſt vel ex eo, quod ſigillatim Regno illo qui ſumma cum auctoritate præeſſet *Marſchalli* titulo, conſtituerit Gervaſium Tilbrienſem dictum Henrici II. Angliæ Regis nepotem. Hujus ſane ſui muneris meminit ipſemet Gervaſius libro cui titulus *Otium Imperiale*: hactenus quidem quod ſciam nondum typis edito, ſed qui ms. in bibliotheca Academiæ Iuliæ & teſte Voſſio, Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti reperitur Theodoro Niemio Gervaſius ille *l.2. de ſchiſmate cap.*19. audit: *Orator Arelatenſis & Ottonis IV. Cancellarius.* Si Arelatenſe autem Regnum ita fuit in poteſtate Ottonis, multo id magis veroſimile eſt de Burgundici regni provinciis aliis. Sunt qui tradant, ab hoc Ottone datum Petro Sabaudo clientelare dominium in Taurinos, Veragros, Saluſſios, Vaulxioſque. Sed fugit illos ratio: ut recte notavit in Petri illius hiſtoria Lambertus Vander Burch.

Verius eſt quod Lambertus idem narrat de Thoma Sabaudiæ tertio Comite: Illum *adverſus Pontificem Romanum in Friderici eius nominis Imperatoris ſecundi) gratiam bellum invitum reluctantemque ſuſcepiſſe.* Quod eſt inſigne teſtimonium Imperij in Sabaudum à Friderico illo Cæſare exerciti. Eidem Cæſari Raimundum Comitem Toloſanum anno 1125. de Marchia Provinciæ hominium feciſſe, teſtis eſt Andreas Cheſneus l.4. Burg. cap.9. Ab eodem Cæſare Raimundum Berengarium Provinciæ Comitem in equeſtrem ordinem fuiſſe aſcitum, notavit in chronico ſuo Gotfredus S. Pantaleonis monachus Agrippinēſis. Inter tabulas Viennenſes quas Ioannes de Boſco collegit, non unæ exſtant hujus Cæſaris; interque eas cumprimis nobiles ſunt anno 1214. exaratę, quibus Viennenſi Archiepiſcopo ejuſque ſucceſſoribus *ſacri palatii Archicancellariatus* confirmatur. Provinciæ Comitatum *de Imperio eſſe*, Comitem Provincię *Imperatoris fidelem* fuiſſe, eodem tempore diſerte tradidit Matthęus Paris in Henrico III. Anglię Rege. Idem narrat in hiſtoria anni M.CCXL. Provincię Comiti à Friderico Cæſare mandatum eſſe arma adverſus Flandrum expedire: cumque dicto non eſſet audiens, terras eius à Tholoſano Comite Cæſaris iuſſu eſſe occupatas. Ipſemet Ludovicus Sanctus Gallię rex, *Arelatenſis Eccleſia ſita eſt in Imperio*, ſcripſit anno 1259. in charta quadam de caſtro Balecrienſi; & conventionis cum Raimundo Toloſę Comite initę tabulis paſſus eſt inſeri: *Terram qua eſt in Imperio citra Rhodanum*: ceu videre eſt apud Catel. *Hiſtoria Toloſana l.1. cap.4.* Petrus Sabaudus, cum Richardo Anglo, *tanquam Imperatori, Sabaudia Mauriennaque initiis fidem ſuam obſtrinxiſſet, in Taurinos, Veragros, Saluſſios, Vaulxioſque plenum merumque pro ſe poſteriſque ſuiſque imperium ab eo obtinet*, teſte Lamberto Van-der Burchio.

Sed fruſtra ſum in colligendis ejuſmodi hiſtoriis. Abunde enim vel ex hiſce paucis conſtat, poſt reſtitutum Imperij per Burgundiam & Arelatenſe regnum à Friderico Cæſare reverentiam, fines integros manſiſſe uſque ad Rudolphum Habſpurgicum. Quod nunc quidem demonſtraſſe ſatis eſt pro inſtituto.

CAP.

CAP. XIV.

Regnum Daniæ binis per intervalla vicibus Imperio Germanico fuiſſe obnoxium, ſed libertatem recuperaſſe.

RExte Otto Friſingenſis l.6. Chronici c.35. cum feciſset verba de Francorum Imperij, inter Ludovici Pij filios, tres in partes diviſione, ſubjungit: *Ex hinc diviſo regno, Regna modo* (i.e. ſua ætate) *duo Orientale ac Occidentale inveniuntur: quorum alterum* (Orientale) *partem Ludovici ac Lotharij, ſedemque Regni Francorum palatium Aquiſgrani, ac Imperium Urbis Romæ habet: aliud vero* (Occidentale) *quod adhuc Francorum, eo quod iſtud Romanorum vocatur, appellatur, partem Caroli tenet.* Id quemadmodum factum ſit, quave aliquamdiu fortuna propagati illi ampli fines ſint Imperij Germanici ſive novi hujus Romani, hactenus. Quoniam vero ne intra illos quidem limites continere ſe potuit Imperij noſtri majeſtas, nobis quoque ad alia pergendum venit: quamvis pleraq; illorum minus firma poſſeſſione Reges Cæſareſque noſtri tenuerint.

Illa inter primo loco DANIA in obſequium flexit, proferente jam Henrico I. Aucupe, Danicis incurſionibus & rapinis irritato, ultra Eidoram veterem Saxoniæ limitem, vim Imperij. Iſthac de re Adamus Bremenſis cap. 40. *Henricus Rex cum exercitu ingreſſus Daniam, VVorm Regem primo impetu adeo perterruit, ut imperata ſe facere mandaret, & pacem ſupplex depoſceret. Sic Henricus victor ap. Schlaſvvich, quæ nunc Heideba dicitur, regni terminos ponens, ibi & Marchionem ſtatuit, & Saxonum coloniam habitare præcepit.* Paulo aliter Dithmarus l.1. *Inſuper Nortmannos & Danos armis ſibi obtemperantes fecit, & ab errore priſtino revocatos cum Rege eorum Cnutone, hoc Chriſti jugum portare ſe docuit.* Superat quidem ætate Adamum Dithmarus: quia tamen ille longe eſt iſto accuratior, nec Danicæ hiſtoriæ Cnutonem quendam Regem ſed Worm eo tempore agnoſcant, Adamo potius fidendum eſt. Victoria iſta Henricus in ipſa Italia inclaruit. Hinc Luitprandus l.3. c.5. *Primus etiam hic Danos ſubjugavit, ſibique ſervire coëgit, ac per hoc nomen ſuum multis nationibus celebre fecit.* Repetit idem c.13. *Henrici apud Italos nomen tunc maximè clarebat, quod Danos nulli antea ſubjectos ſolus ipſe debellaret, ac tributarios faceret.* Witekindus l.1. eam rem ita narrat: *Cum omnes in circuitu nationes ſubjeciſſet, Danos qui navali latrocinio Freſones incurſabant, cum exercitu adiit vicitque, & tributarios faciens regem eorum nomine Nubam baptiſmum percipere fecit.* Mendum eſſe in nomine Regio non eſt dubium. De limitaneo autem magiſtratu trans Eidoram conſtituto nihil etiam habet Witikindus. Nec tamen eſt quod de Adami fide dubitemus, qui ſancte affirmat ſibi hæc à Danico Epiſcopo quodã prodita. Erat vero jam tum oppidum illud ad Sliam nobile emporium. Rembertus in vita S. Anſcharij c.21. ſcribit ſua ætate h.e. Ludovico Ludovici Pij filio regnante, *ex omni parte conventum ibi fieri negotiatorumque.* Notat Cypræus in Annalib. Sleſvvicenſib. l.1. c.7. ab Henrico arcem extructam, *cujus veſtigia non longe ab æde Heidebuienſi ſuperſint, ut ea de re dubitare nemo poſſit, vulgo Oldenburgum vocari.* Ex quibus liquet, hac Henrici victoria promotis Regni limitibus, acceſſiſſe & nobile illud emporium & vicinum agrum uſque ad Sleſvvicum: ita tamen, ut ipſa illa urbs pro termino Regni utriuſq; eſſet: quod ultra eſt Daniæ relicto. Et vero jam audivimus diſerte ita limites definientem Adamum: qui idem repetit, ut mox audiemus cap. 50. Quem ſecutus Helmoldus c.9. itidem ſcribit: *Fines Danorum qui olim fuerunt apud Sleſvvic, tranſgreſſus Otto.*

Henrico defuncto, dum Dani legatos Ottonis & Marchionem trucidaſſent, Otto inſtructo exercitu omnem illam Cimbricam Cherſoneſum non tantum pervaſit, ſed & regem Haraldum adegit cum Chriſtianam religionem admittere, tum Regnum recipere in feudum. Hoc de Ottone non habet, quod mireris, Witikindus. Itaque juvat iterum audire Adamum Bremenſem c.50. diſſerentem. *Otto,* ait ille, *Rex poſtquam omnia fermè regna quæ poſt mortem Caroli defecerant, ſuo Imperio ſubjugarat, in Danos arma corripuit, quos ante pater ejus bello compreſſit. Enimvero tunc rebellare moliti apud Heidebam, legatos Othonis cum Marchione trucidarunt, omnem Saxonum coloniam funditus extinguentes. Ad quam rem ulciſcendam rex cum exercitu invaſit Daniam, tranſgreſſus terminos Danorum ap. Schlaſvvich olim poſitos, ferro & igne totam vaſtavit regionem, uſque ad mare noviſſimum, quod à Danis Nortmannos dirimit, & uſque in præſentem diem à victoria Regis Otten Sund dicitur. Cui regredienti Haroldus ap. Sliaſvvich occurrens, bellum intulit: in quo utriſque viriliter certantibus, Saxones victoria potiti, Danos ad naves cedere coëgerunt. Tandem conditionibus ad pacem inclinatis, Haroldus Ottoni ſubjicitur, REGNUMQUE AB EO SUSCIPIENS Chriſtianitatem in Dania recipere ſpopondit. Nec mora ipſe Haroldus cum uxore ſua Gunhild & filio parvulo baptizatus eſt, quem filium Rex noſter à ſacro fonte ſuſceptum Suen Otto vocavit. Eo tempore Dania ciſmarina quam Iutland incolæ appellant, in tres diviſa Epiſcopatus, Hamburgenſi Epiſcopatui fuit ſubjecta. Servantur in Bremenſi Eccleſia præcepta Regis, quæ ſignant regem Othonem in ſua ditione regnum Danicum tenuiſſe, adeo ut etiam ille Epiſcopatus donaverit.* Hactenus Adamus; quem Helmoldus, Albertus Abba Stadenſis, Crantzius & alij ſolent diſſimulato nomine deſcribere. Alibi cap. 208. ſcribit, Iutiam ab Ottone tributo ſubjectam, & in tres Epiſcopatus diviſam. Illi vero quod ait Adamus, Epiſcopatus Iutiæ ab Ottone definitos, teſtimonium luculentum præbet diploma illud Ottonis I. quod inter Lindenbrogiana *p.130.* ut & alterum Ottonis III. quod *p.133.* continetur, quæ paulo poſt adducemus.

Non meminit hujus victoriæ cen ante dixi Witekindus (nam Cypræus ineptit quando l.2. c.8. pag. 5. ab Ottone in Gallia contra Danos geſta cum hiſce confundit) ſub finem tamen l.3. teſtatur, inter laudes Ottoni defuncto à populo dictas jactatum & hoc, quod cum alios *ſuperbos hoſtes,* tum *Danos ſubjugaſſet*: & de Wigmanno rebelle ſcribit, illum ad Haroldum confugiſſe belli redintegrandi contra Ottonem cauſa. Ditmarus quoque ſilentio victoriam illam præterit, Ottonem tamen appellat *Daciæ* h.e. *Daniæ ſalutem.*

Saxo Danus patriæ hiſtoriæ ſcriptor ſic ſatis diſertus l.x. bellum illud Ottonis cum Haraldo narrat quidem, ſed & cauſſa ejus diſſimulata, & eventu falſa narratione plane corrupto. *Sed* (ait de Haraldo) *eo ſupervenienſe, Cæſar Jutiam utpote regio duelis vacuam nullo reſiſtente permenſus, cum Limici ſinus (* Lymfiord *) obiectu tum temporis VVendalam aquis claudentis, ulterius excurrere vetaretur, conſecta in undas lancea non ſolum iter ad Eidoram reflexit, verum & ſinistrorum fuga reditum habuit. Siquidem haſtam, cujus uſum habebat, maritimos in fluctus relinquendi monumenti gratia iaculatus, ſuum freto vocabulum indidit. Verum ut impetu gravis, ita exitu vanus apparuit. Haraldus quippe ardentiſſimo curſu abſcedentes hoſtium reliquias inſecutus, Eppenem extremi agminis ducem cum iis quos reperit trucidavit.* Hæc ille. Verum ut alias paſſim ita & hæc prodit iniquum in Germanos animum, fidem omnem habens inſuper, & per ficta mendacia & fabulas ineptorum poëtarum fortiſſimæ genti ſuæ laudem aliquam conquirere, magno & veritatis diſpendio & famæ ſuæ dedecore, nihil penſi habens. Hinc Henrici Aucupis de Wormo Rege victoriam & Marchionatum Sleſvvicenſem ab illo conſtitutum ſilentio tegit, cauſam moti ab Ottone belli diſſimulat, imo impudenter audet victoriam Haraldo adſcribere. Verum Henrici quidem res Italico etiam teſte locupletiſſimo Luitprando iam probavimus. Ottonis autem victoriam vel illa produnt quæ mox ſubjungit ipſemet ſui oblitus Saxo: Hacquinum ſcil. Norvvegum, *auditis quæ Cæſar apud Jutiam geſſerat, plus opis ac fiduciæ ex Saxonicis armis quam ſuis viribus capientem tributum Haraldo negaſſe. Haraldum vero rebus cum Imperatore compoſitis, conſortium catholicæ religionis amplexum.* Nec profecto vel Hacquinus vel Haraldus ita res ſuas compoſuiſſent, ſi Otto turpi fuga ex Iutia ſe recipiens extremum ſuorum agmen Haraldo trucidandum expoſuiſſet. Imo qui Otto æternum nomen potuiſſet freto Iutico indere, ſi dignitatem ſuam fuga ejuſmodi maculaſſet? Ottonianæ victoriæ luculenta teſtimonia ſunt hæc ipſa Saxoni narrata, non Haraldinæ.

Cypræus *l.1.c* 8 quatuor mille Danos prælio ad Sleſvicum commiſſo cæſos, memorat longè veroſimiliore fide. At quod idem vult Crantzium ſecutus, Marchionatum Sleſvvicenſem paſſum eſſe Ottonē antiquari, & Eidoram veterem limitem Regni reſtitutum, id cum omni caret ex illo æuo ad hæc idoneo teſtimonio, tum à vero eſſe alienum, mox patebit. Cæterum omnē Iutiam ſive Cimbricam Cherſoneſum in ditionem Germanici Imperij veniſſe Ottonis Magni auſpiciis, propagatamque aliquandiu eam dignitatem, longe clariſſimum argumentum exhibent, quas ante laudavi Tabulæ. Eoque operæ fuerit pretium utraſque hæc integras legere. Priores ipſiuſmet Ottonis Magni, novemdecim circiter annis poſt devictum Haraldum (hunc enim baptizatum ferunt anno 946.) exaratæ, ita ſeſe habent. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Otto divina favente clementia Imp. Aug. Quum Imperatoriæ dignitatis officium eſſe conſtet, ut erga divinum cultum officii pervigili cura inſiſtant, & quidquid augmentum ſanctæ Chriſtianæ religionis adhibere potuerit, indeſinenter in hoc ſtudeant. Idcirco nos interventu dilecti Archiepiſcopi noſtri Adaldagi, pro proſperitate & incolumitate Imperii noſtri, quidquid proprietatis in marca vel regno Danorum ad Eccleſias in honorem Dei conſtructas, videlicet* SLIESVVICENSEM, RIPENSEM, ARVSENSEM*, vel adhuc pertinere videtur, vel in futurum adquiratur, ab omni cenſu vel ſervitio noſtri iuris abſolvimus. Et ut Epiſcopus præſcriptarum Eccleſiarum, abſque ulla Comitis vel alicuius* FISCI NOSTRI *exactoris infeſtatione ſerviant & ſuccumbant, volumus & firmiter iubemus. Servos vero & colonos in eiſdem proprietatibus habitantes, nulli niſi eiſdem Epiſcopis ſervituros ab omni etiam noſtri iuris ſervitio abſolvimus. & ſub nullius banno vel diſciplina illos niſi ſub illarum Eccleſiarum advocatis eſſe volumus. Et ut hoc auctoritatis noſtræ præceptum firmū & inconvulſum permaneat, hanc chartam conſcribi, annuloque noſtri impreſſione ſigillari iuſſimus, quam & manu propria ſubtus firmavimus. Data VI. Kalend. Iulii. Anno Dominicæ incarnationis D.CCCCLXV. Indictione IIX, Anno Domini Ottonis Imperii IV. Regni autem XXX. Actum Magadeburch in Dei nomine, Amen.*

Alteræ hæ ſunt. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Otto Dei clementia Rex, Omnium fideliū noſtrorum, tam præſentium quam futurorum piæ devotioni pateat, quomodo nos ob petitionem & interventū dilecti noſtri Adaldagi, Bremenſis Eccleſiæ videlicet venerabilis Archiepiſcopi, ac pro ſtatu & incolumitate regni noſtri, quidquid proprietatis in regno Danorū, ad Eccleſias in honorem Dei conſtructas, videlicet Slieſvvicenſem, Ripenſem, Aruſenſem, Ottoneſvvigenſem, vel adhuc pertinere videtur, vel in futurum adquiratur, ab omni cenſu vel ſervitio noſtri iuris abſolvimus. Et ut Epiſcopis præſcriptarum Eccleſiarum abſque ulla Comitis, vel alicuius fiſci noſtri exactoris infeſtatione ſerviant & ſuccumbant, volumus & firmiter iubemus. Inſuper concedimus prædictarum Eccleſiarum Epiſcopis, ut poteſtatem habeant emendi agros poſſeſſiones, & prædia in omnibus regni noſtri partibus, ubicunque velint aut poſſint. Servos vero & colonos in eorum proprietatibus habitantes, nulli niſi iiſdem Epiſcopis ſervituros, ab omni etiam noſtri iuris ſervitio abſolvimus, & ſub nullius banno vel diſciplina illos, niſi ſub illarum Eccleſiarum advocatis eſſe volumus. Adhoc etiam omnes fideles noſtri dignoſcant, quod nos Folgberti……., Eccleſiæ Epiſcopi … ….. ſive qualicunque paratu euntibus in noſtri regni finibus, thelonium prorſus perdonavimus. Et ut hoc noſtræ auctoritatis præceptum firmum atque inconvulſum permaneat, hanc cartam conſcribi, annulique impreſſione ſignari iuſſimus, quam & manu propria ……. firmavimus. Data XV. Kal. Aprilis, Anno Dominicæ incarnationis D.CCCC.LXXXIIX. Indictione I. Anno autem III. Ottonis regnantis V. VVildeshuſen in Dei nomine feliciter, Amen.*

Hactenus Tabulæ illæ. De Ottone II. ita ſcribit Dithmarus l. 3 *Imperator prima expeditione Buſchuch civitatem cepit, Danos ſibi* REBELLES *petens ad Sleſvvig properavit. Ibi etiam hoſtes ſuos foveam, quæ ad defenſionem patriæ parata eſt, & portam quæ VVigleſdor vocatur, armis præoccupari videns, conſilio Bernhardi Ducis & avi meimet Henrici Comitis, omnes has munitiones viriliter exuperat.*

Per autem eſt veroſimile, non multo poſt excuſſam iterum à Danis Germaniæ reverentiam: cumprimis ubi Sueno Rex regno avito reſtitutus eo po-

to potentiæ excrevit, vt claſſe Angliam ſibi ſubijcere non dubitaret. Quin arbitror, Hericum Sueonum Regem, qui Suenone pulſo Daniam occupaverat, jam tale aliquid molitum: ut cujus auſpicijs valida illa piratarum manus Saxoniam & Friſiam afflixit; de qua te verba facit Ditmarus l. 4, pag. 40. Adamus *cap.* 40. Hunc tamen ab Ottone III. prælio ſuperatum, idem Adamus teſtatur cap. 79. Certe provinciam illam, utpote peninſulam atque ita hoſtium appulſibus nauticis expoſitam, claſſe valente Dano, qua Germaniæ Reges nunquam inſtructi fuere, difficillimum fuit retinere.

Canuto tamen primum Suenonis filio, jam non per Daniam duntaxat ſed & Angliam longe potentiſſimo, Imperij jura ceſſit Cunradus Cæſar id nominis ſecundus, filio ſuo Henrico Canuti filia in yxorem ducta. Qua de re diſertis verbis ita teſtatur Adamus cap. 91. de Cæſare iſto diſſerens. *Cum rege etiam Danorum ſive Anglorum, mediante Archiepiſcopo* (Bremenſi ſcil. qui Ynvvanus dicebatur) *pacem fecit; cuius & filiam filio ſuo depoſcens vxorem, dedit ei civitatem Schlaſvich cum Marchia, quæ trans Eidoram eſt, in fœdus amicitiæ. Et ex eo tempore fuit Regnum Daniæ.* Vnde diſcimus per Ottonem Magnum non fuiſſe ſublatum Marchionatum, ſed Conrado demum Cæſare priſcos limites Daniæ redditos. Qua occaſione indubie omni etiam reliquo per Ottonem in Daniam parto juri renunciatum eſt. Hac de cauſa Henrici IV. ætate in hæc verba locutus eſt idem Adamus cap. 208. *Hanc Daniam à noſtris Nordalbingis flumen Egdera* dirimit. Diuturni vero illius Germanorum in terras illas dominij luculentum teſtimonium præbet vetuſta Saxonum ijs in locis & perpetua habitatio. Nec enim firmas adeo ſedes poſuiſſent ibi Saxones, ſi in plenam Danorum ditionem Marchia ipſa jam tum Ottone Cæſare redijſſet. Helmoldo vero audit Sleſvvicum, *civitas Saxonum Tranſalbianorum opulentiſſima.*

Verum extincti dudum Marchionatus argumentum forta petas ab eo: quod Saxone teſte, poſt prælium Haraldi cum Ottone Cæſare, Thyra Wormonis conjux ſive vidua Haraldi mater, vallo admirandi operis à Slia ad Threnam amnem, qua Hollingſtedum adjacet, ducto, intra munimentum hoc Danicum urbem Sleſvvicum retraxit. Vtique enim ſignum hoc fuit Danico juri redditi Sleſvvici. Sed ut non fraudaverim fœminam animoſi facinoris laude, Saxoni tamen credere non poſſum, tum demum opus illud extructum. Veroſimilius eſt, factum illud eſſe, quum Henrico Aucupe defuncto rebellantes Dani Marchiam deſtruxere. Tum ſane rerum adhuc potiebatur Rex Wormo ſed oculis captus: cujus proinde vices uxor maſculo animo ſubivit. Haraldo autem Rege ſi opus fuiſſet conditum, laus illa non Thyræ matri ſed filio Haraldo ceſſiſſet. Ab Ottone igitur dirutum ex parte dixeris Danorum illud Hexamilium, tota inſuper Iutia ſubacta. Obiter aduertendum eſt, perperam à Cypræo *cap.* 10. & alijs credi, idem hoc opus jam à Gotfredo Rege ætate Caroli Magni inceptum. Gotfredi enim illud ipſam Eidoræ amnis ſeptemtrionalem ripam munivit, ut diſerte tulit re Aimoinus & Annalium Francorum auctor ad annum 808. Verum hoc obiter: Redeundum ex diverticulo in viam.

Poſt Conradi Cæſaris tempora in Danos nihil tentatum legas vſque ad Lotharium Cæſarem circa annum 1130. Ea tempeſtate Magnus Nicolai Regis Daniæ filius patruelem Canutum pridem Sleſvvicenſium Ducem conſtitutum, quem Lotharius Sclavorum Regem creaverat, perfide ac ſummo ſcelere interemerat. Itaque in vindictam excitus Lotharius Magnum in gratiam recepit, *ſi Romani Imperij MILITEM ageret. Qui* (verba ſunt Saxonis) *cupide conditione vſus SVPPLEX Lotharium veneratus eſt. Sed inſidias parabat obſequio. Imperatore ſiquidem Eidoram remenſo, Adolfum extremos ab eo curare iuſſum Magnus per inſidias adortus, non ſolam copiis ſpoliavit ſed etiam arma deformiter abiectantem nando fugam capeſſere coëgit.* Cæterum illa perfidiæ nota immerito fortaſſis affectus à Saxone Magnus eſt. Enimvero videtur huic ſuperbo Germaniæ hoſti perſuaſum, ſubjectionis Imperio juratæ culpam poſſe ſe à Regibus ſuis ſubſecuta perfidia quam amoliri. Sane quod de Adolfo cæſo narrat, non illa Lotharij expeditione contigit ſed poſt demum, cum ille Erici tutelam contra Magnum ſuſcepiſſet: quod diſerte memorat Helmoldus *cap.* 52. & Albertus Stadenſis ad annum 1133. *pag.* 159. Adhoc idem Stadenſis ad annum 1134. ſcribit: *Lotharius Imperator Coloniæ natalem Domini celebravit, Paſcha vero Halverſtade, cuiuſque curia affuit Rex Danorum Magnus, quem pacifice ſuſcepit, ac cum HONORE ad propria remiſit.* Quod profecto haud facile feciſſet Lotharius, ſi perfide adeo fuiſſet auſus Magnus majeſtatem ejus lædere. Quin videtur tunc contigiſſe quod hiſce verbis de Lothario refert Otto Friſingenſis l. 7. c. 19. *In Saxoniam divertens Regem Daciæ in ſignum ſubiectionis ad decorem Imperialis reverentiæ, gladium ſibi ſub corona deferri fecit.* Fingit vero in illa narratione Saxo etiam hoc, tantas fuiſſe *Nicolai Dani copias, ut Imperator cum eo manum conſerere formidarit.* Quis credat enim, ſi illa vis fuit Nicolao, ſupplicem illum fidelitatem Cæſari juraſſe? ille vero non minus ac filius Magnus Cæſari factus fuit ſupplex. Sed & aliud plane noſtri ſcriptores loquuntur. Helmoldus l. 1. cap. 5. *Magnus virtute Teutonici militis territus, apud Cæſarem immenſo auro & HOMINIO impunitatem indeptus eſt.* Albertus Stadenſis, *Cæde Canuti audita, Lotharius Imperator vxorque eius Rikenza contriſtati ſunt, veniique cum gravi exercitu prope civitatem Sleſvvich ad vallum Dienevverch, ulturus mortem Canuti. Territi igitur Reges Pater & Filius, venerunt ſuppliciter ad præſentiam Imperatoris, datoque ſibi immenſo auro, iuſtitiam faciendam de interfectione Canuti promittunt.*

Major ſolita Cæſaris Friderici I. in Daniam fuit auctoritas. Ipſemet Cæſar quod huc pertinet ita memorat, in epiſtola ad Ottonem Friſingenſem patruum ſuum. *Poſt primam unctionem Aquiſgrani & acceptam coronam Teutonici Regni, generalem curiam Merſeburg in Penteçoſte celebravimus: ubi Rex Danorum Petrus ad curiam noſtram vocatus venit, & HOMINIO ac FIDELITATE nobis facta, coronam Regni de manu noſtra ſuſcepit.* Plenius rem omnem narrat Otto l. 2. de rebus

geſtis Friderici cap. v. *Erat ille tempore in Regno Danorum inter duos conſanguineos, Petrum ſcilicet qui & Suenus, & Gunotonem de regno gravis controverſia Quos rex ad ſe venire præcipiens, curiam magnam in civitate Saxoniæ Martinopoli, quæ & Merſeburg, cum multa Principum frequentia habuit. Eo præfati iuvenes venientes, eius ſe mandato humiliter ſuppoſuerunt, eorumq́; ad ultimum cauſa, iudicio ſeu conſilio primatum ſic deciſa fuiſſe dicitur. Gunoto relictis ſibi quibuſdam provinciis, regium nomen per porrectum gladium abdicaret. Eſt enim conſuetudo Curiæ, vt regna per gladium, provinciæ per vexillum à Principe tradantur, vel recipiantur. Petrus vero accepto ab ipſius manu Regno, fidelitate & hominio ei ſe obligaret. Ita corona regni per manum Principis ſibi impoſita; in die ſancta Pentecoſtes ipſe coronatus, gladium Regis ſub corona incedentis portavit. Gualdemarus etiam, qui eiuſdem ſanguinis particeps fuit, Ducatum quendam Daniæ accepit.* Rem eandem hiſce verbis cecinit l.1. Ligurini Guntherus.

Huc etiam geminos, Petrum ſimul atq́; Guidonem
Danorum proceres; quos inter ſanguine junctos
Moverat ejuſdem Regni diſſenſio litem,
Evocat, ac tali cauſam ratione diremptam
Terminat; ut quædam provincia tota Guideni
Cederet, at Regnum cum nomine Petrus haberet.
Ergo ubi vexillo PARTEEM quam diximus ille
Hinc autẽ gladio REGNVM SVSCEPIT ab ipſo:
(Hunc etenim longo ſervatum tempore moreni
Curia noſtra tenet) Poſito diademate Petrus,
Regali dextra tulit alti Principis (i.e. Cæſaris)
enſem.
Præceſſitq́; ſacram brevius diadema coronam.

Breviter Albertus Stadenſis ad annum 1152: *Fridericus Pentecoſte Merſburg celebravit, ubi Regi Danorum Suenoni regnum confirmavit, & Canutum parte regni & poſſeſſionibus ſuis propriis contentum eſſe fecit.* Canutus eſt is quem Guidonis nomine perperam Guntherus & Otto Gunotonem appellat. Bella illa civilia Danica Helmoldus cap. 68. 74. & 85. latius narrat: omnium pleniſſime Saxo Danicus, ſed hanc de Regno Daniæ per Fridericum collato hiſtoriam maligne, more ſuo. Cum enim omnes tradant, *evocatum ad Curiam* à Cæſare Petrum ſive Suenonem Canutumque, Saxo contra tantum *ad colloquium invitatum, veteris amicitiæ & commilitij monitum Suenonem, promiſſo honoris incremento, doloſo charitatis ſimulatione.* Nec Suenonem alia de cauſa comparuiſſe Merſburgi, quam vt *ſola ſe Germanis fama cognitum etiam ſpectandum ſubyceret, præſentemqve famæ ſuæ miratoribus exhiberet.* Quis dubitet autem, Cæſari ipſi & tot alijs rei geſtæ coævis ſcriptoribus potius fidendum, quam Saxoni huic falſimoniæ toties convicto? In clientelarem militiam Cæſari Suenonem ſe dediſſe, negare non audet Saxo. Sed addit: *Reverſus in Regnum Sueno, deq́; æmulo comitem nactus, remiſſis eveſtigio literis, fidem Cæſaris aperta fraudis exprobratione damnavit, initaſq́; cum eo pactiones obſequij negatione ſubvertit, in eas ſe conditiones fallaciter adductum affirmans, in quas Danicorum adhuc Regum nemo conceſſerit.* Hæc num ita geſta ſint nec ne, relinquo in medio. Si fecit hoc Sueno, nihil præter ſolitum egit, ut quem ceu hominem perfidia pluſquam Punica ipſemet Saxo deteſtetur. Quo ipſo teſte licet etiam hoc refellere, quod Danicorum Regnum nemo ante Suenonem in clientelare obſequium Cæſarum conceſſerit. At veriſimilius eſt, reverenter magis cultum à Suenone Cæſarem, cum ex aula reverſus ſpreto Danico ritu Germanicum amplexus ſit, cultuque Saxonico aſſumpto & in omnem militiam ſuam pertracto, uxorem etiam ex Saxonia duxerit & regno pulſus reſtitui meruerit per Henricum Leonem. Quæ omnia ipſemet Saxo fatetur.

Verum quicquid egerit Sueno, haud eſt quare in magno ponamus diſcrimine. Qui Suenoni victo & occiſo ſucceſſit anno 1158. Waldemarus I. illico quid officij ſui eſſet memor, eidem Friderico Cæſari obſequium detulit. Degebat tum Cæſar Auguſtæ Vindelicorum, in Italiam moturus, jamque ſtans in procinctu. Ea de re ita Radevicus l. 1. cap. 24. *Eodem loco, iiſdemq́; diebus nuncij Regis Daciæ nuper electi, Principis adeunt præſentiam, poſtulantes quatenus INVESTITVRAM DE REGNO ſuo Regi mittere, ac electionem de ipſo factam ratihabitione confirmare dignaretur. Exaudivit eos Imperator, præbito & accepto ab iis ſacramento iuriſiurandi, poſt reditum ſuum de Italia infra dies quadraginta Regem ad Curiam venturum, & Regni adminiſtrationem de manu Principis. debitæ FIDELITATIS interpoſita ſecuritate, ſuſcepturum.* Guntherus l. 7.

Jamq́; præcatores aderant à Rege Dacorum,
Electo nuper populiq́; favore creato,
Principis arbitrio ſceptrorum jura petentes.
Annuit hoc pacto Rex, vt poſt bella reverſum
Ante quater denos properaret Regulus illum
Cautus adire dies, Regnum ſumpturus ab ipſo,
Obſequiiq́; fidem jurando rite daturus.

Anno demum 1163. in Germaniam reverſo Cæſare, Waldemarus ille inveſtitus eſt. Abbas Stadenſis: *Anno Domini M.C.LXIII. Imperator tam Rolandum quam Octavianum vocat ad iudicium, curiam indicens Biſuntiæ. Venit Imperator, venit Rex Daciæ Waldemarus, in cuius comitatu Dux Borius erat quem ipſe poſtea ſubmerſit, quia regnum affectavit. Ibi Waldemarus duo Regna Daciæ & Sueciæ ab Imperatore ſuſcepit.* Otto de S. Blaſio in appendice Chronici Friſingenſis c. 18. *Præterea ante hæc omnia in curia Tholenſi iuxta Biſontium Regi Danorum corona impoſita* Regnum *SVB HOMINIO conceſſit.*

Saxo Methis id contigiſſe fatetur etiam ipſe: ſed & heic multa admiſcet fidei plane abſimilia. Primum enim non erubuit Fridericum Cæſarem doli & perfidiæ accuſare, quaſi Waldemarum domo pellexerit, tantum ſchiſmatis Pontificij ſedandi prætextu, & facta ſpe totius Slaviæ præfecturæ, à jam pertracto ad ſeſe deniq; præter exſpectationem poſtulaverit, ut in Imperij clientelam Regnum traderet. At vero jampridem ultro id ſe facturum Waldemarus promiſerat, & jam tenebatur inveſtituræ capiendæ ergo Curiæ reducis ex Italia Friderici ſe ſiſtere: ceu modo audivimus. Ipſemet porro Saxo ſatis prodit, Waldemarum iſthoc animo ad Cæſarem iviſſe, ſcribens Esbernum quendam hiſce verbis ad Regem ſuum proficiſcentem ad Cæſarem uſum: *Videri quod liberam gentis ſuæ cervicem, nulliſq́; barbarorum* (hoc nomine Saxo Germanos traducit) *obſequiis aſſuetam per fœdam & ignobilem ſervitutem miſerabili Teutonicorum iugo ſubigere cupiat. Quid autem ſtultius, ad dedi-*

Digitized by Google

ad deditionem perdurare, ſummamq́, libertatem extrema ſervitute mutare: inſuper Regno precarie quam potenter præeſſe mallet? Itaq́, Cæſarem cum Daniam ſuæ ditionis effecerit, miraturum quod tam validam gentem ante promiſſis ſuperaverit, quam armis tentaverit. Ad illum ſermonem incanduiſſe quidem Regem refert Saxo, nullo tamen verbo negaſſe id ſibi eſſe conſilium. Idem narrat, Regi adventanti illico moram & tarditatem à Cæſare exprobratam, *iniurioſam eſſe quod ante non venerit, cum ob Regnum quod Romani Imperij beneficio gerat sibi ſervitiorum debitor exiſteret.* Hæc indigne quidem tuliſſe Regem ſcribit Saxo: aſt ſatis æquo animo à Rege accepta indicat illa mox ſubſecuta infeudatio. Nec enim ſpeciem veri habet quod addit Saxo de omni Slavia Waldemaro promiſſa, quaſi illo demum beneficio Regis animum Cæſar mercatus ſit: ut capite altero ſequente oſtendemus. Denique vero addit Saxo de feudo illo quo Dania fuit Imperio tum obſtricta: *Cæterum ei non Curiam communi Principum more petere; non in Romani Imperij præſidium copias ductare, ſolaq́, ſpecie non re Cæſari parere, conceſſum: Filio vero poſt eum proxime regnaturo liberam fore paternas conditiones abjicere, ne ad omnem Danorum gentem hereditarium maneret obſequium.* Illa neque affirmare neque negare mihi promptum eſt. Niſi quod dubium me nonnihil reddit repetita per Fridericum à filio Canuto inveſtitura, & cum faſtidiretur indignatio. Et Canuto enim facile fuiſſet Cæſari petenti homagium, bona cum excuſatione id negare, & Cæſari nullæ fuiſſent juſtæ propterea quidem indignandi cauſſæ.

De Canuto autem illo Waldemari filio & ſucceſſore, adhuc ſub tutoribus viuente, narrat ipſemet Saxo l. 16. *crebris* illum *Cæſario legationibus* *CVRIAM ADIRE*, paternæque amicitiæ ſucceſſionem EXPETERE IVSSVM, *quam modeſtiſſime reſcripſiſſe, excuſationis verbis à regnandi novitate quæſitis. Cui cum Cæſar ereptum ſe* Re*gnum aliiq́, daturum plena minarum epiſtola reſpondiſſet, ſolum hoc reſcribere contentum fuiſſe: quærendum Cæſari eſſe, priuſquam ſibi* Regnum *adimat, qui Daniam in eius beneficio reponere cupiat.* Miſſum deinde à Cæſare Sigfridum Thuringum ſororum Canuti, ab Archiepiſcopo Abſalone, penes quem tum adminiſtrationis regiæ ſumma erat, hoc tuliſſe reſponſi: *Canuto Cæſariq́, æquum regnandi ius eſſe, nec minore cum libertate hunc Danici* Re*gni quam illum* Romani *Imperij gubernacula continere; proinde abiret, Imperatorique ſuo preferret, Danorum* Regem *ne minimam quidem obſequij partem dignitati eius ac nomini delaturum.* A Cæſare vltionem meditante, inductum mox Bogiſlaum Pomeranum claſſe Daniam petere, victum autem illo Abſalone, coactum ſeſe & ſua in clientelarem ſubjectionem Daniæ Regis tradere. Meminit huius negati à Canuto homagij & Arnoldus l. 3. cap. 2. Hiſtoriæ Sclavorum: *Iam inter Imperatorem & ipſum* (Canutum ſcilicet) *diſcordia erat, quia Imperator ab ipſo hominium exigebat, quod ei* Rex *negabat.* Idem cum narraſſet cladem Bogiſlai Pomerani addit cap. 7. *Hæc autem non ſine indignatione Imperatoris facta ſunt, qui ſe dicebat dupliciter à Canuto* Rege *iniuriatum, & quod ab eo coronari noluerit, & quod Slavos Imperio ſubditos ſuo dominio per tributum & hominium ſubdiderit.*

Ea vero miſera tempora mox rempublicam exceperunt, ut Dani quidem auſi fuerint aliquandiu & Slaviam & Nordalbingicam Saxoniam ſuam in ditionem redigere, nemo vero Cæſarum ex eo uſque jus aliquod in Daniam prætenderit, multo minus armis vindicaverit. Ac proinde, jam per annos quadringentos ſeptuaginta amplius, Dania nexu clientelari ſoluta priſtinam ſuæ maieſtatis libertatem conſtanter tenuit, & Imperij Germanici legibus ſubducta eſt. Ante vero non errore quodam Regum, ſed populi quoque Danici conſenſu, præſtitum eſſe homagium, indicio ſatis manifeſto eſt: cum quod Regibus homagium præſtantibus populus non fuerit refragatus, tum quod ſubjectionem illam detrectans Canutus populi aliquem diſſenſum non attulerit in excuſationem: & tamen in patrimonio Regum pleno nunquam fuit Dania, eoque nec fas fuit regibus de reipubl. ſumma populo inconſulto diſponere.

Obiter coarguendus venit Albertus Stadenſis in eo, quod Sueciæ quoque regnum Waldemarum I. homagij jure à Cæſare Friderico accepiſſe refert. Nec enim ille ſimul Sueciæ Regem egit, & Cæſarum nemo in Sueciam aliquid uſque huc vel tentaverat. Eoque nihil juris in regnum illud vel Waldemarus petere vel Cæſar dare potuit.

CAPVT XV.

Sleſvvicenſem Ducatum vel Epiſcopatum iamdudum non Germanici ſed Danici iuris fuiſſe & eſſe hodieq́.

DAniam omnem nequaquam amplius Germanici eſſe Imperij partem, ſed ſui arbitrij rempublicam, proxime oſtendimus. Nec arbitror quenquam facile inveniri, id qui hodie in dubium vocet. At ne ſic quidem labore inſtituto defuncti, aut ſatis firmiter limites Germaniæ Daniæque definijſſe fortaſſis videmur. Sunt enim qui exiſtiment non integrum quidem Daniæ Regnum, partem tamen ejus aliquam, Ducatum nempe & Epiſcopatum Sleſvvicenſem, Germanico juri deberi. Qui mihi videntur non alio magis eam in ſententiam adducti argumento, quam quod terram illam incolant Germanicæ linguæ homines, & jam diu non alij quam ſanguinis Germanici principes Holſatiam & Sleſvvicenſem ducatum rexerint.

Et ſane ſeculo ſuperiore, Epiſcopatus ille Sleſvvicenſis in ipſas Tabulas Ordinum Imperij Germanici, eas quæ anno viceſimo primo in Comitijs ſunt conſcriptæ, ac omnium creduntur accuratiſſimæ, eſt redactus; eoque quum Gotſcalcus Epiſcopus fiſco Imperij prout erat iuſſus haud ſatisfeciſſet, per ſententiam Spirenſis Iudicij Regalibus, quæ appellantur, beneficijs eſt privatus anno ſexto poſt viceſimum. Cæterum ille ipſe Epiſcopus illico, Epiſcopatus ſui bona omnia non Germanici ſed Danici juris eſſe, literis ad Iudicium illud Spirenſe exaratis probavit: quas Hiſt. Sleſvvicenſ. l. 3. c. 12. p. 423. Cypræus recitat. Rex ipſemet Daniæ Tabulis illis nomē Epiſcopatus iſtius eximi, ut vitio inſertum, cum poſceret, ab Imperialis Fiſci Advocato

mota Chriſtiano III. & Friderico II. Regi lite, ſecundum Daniæ Regnum in ipſo Spirenſi foro judicatum eſt. Formula ſententiæ cum alijs ad negocium hoc pertinentibus continetur libro primo deciſione undecima operis Deciſionum ſive Rerum in Camera Imperiali judicatarum, quod collegit ediditque Adrianus Gylmannus. Quum idem autem Advocatus Chriſtiano III. Regi de Ducatu quoque Sleſvicenſe controverſiam moueret, Rex vero de injuria conqueſtus eſſet Carolo V. Cæſari, juſſus eſt Advocatus rem illam miſſam facere: prout loco jamjam laudato apud Gylmannum legere eſt.

Et vero jam à Conrado I. Cæſare ad uſque Eidoram amnem Regni Danici jus revocatum, adeoque antiquiſſimum illum limitem rurſus confirmatum eſſe, jam tum ſupra Adami Bremenſis teſtimonio comprobavimus. Nec reperire eſt vel leviſſimum veſtigium in omnibus ſecuti ævi monumentis, novi iterum limitis conſtituti. Econtra jam tum ſeculo Chriſtiano duodecimo Helmodus ſcripſit l. 2. c. 14. *Egdora eſt limes regni Danorum.* Helmodi continuator, ut ita dicam, Arnoldus Lybecenſis l. 4. c. 17. *Adolphus Comes cum multitudine gravi tranſiens Egdoram fluvium, omnem terram Regis vaſtavit uſq; ad Sleſvvig.* Saxo præfatione Hiſtor. Danicæ: *Iutia Teutoniæ finibus admovetur, à cuius complexu fluminis Eidoræ interrivatione diſcernitur.* Eiuſdem Helmoldi ipſo illo citato loco hæc verba ſunt: *Rex Danorum miſit legatos ad fortiſſimum Ducem* Saxoniæ Henricum Leonem, *rogans præberi ſibi locum familiaris colloquij ad Egdoram.* Rem illam latius perſequitur Saxo l. 14. Hiſtor. Danicæ: notans congreſſos illos in ponte quodam, quum & Rex nihil ſe indignum committere, & Dux ſeſe Rege nulla parte minorem oſtendere vellet. Arnoldus l. 3. cap. 2. narrans quemadmodum Fridericus Cæſar fecerit filio ſuo ſponſam Danicam adduci, ſcribit: *Venerunt igitur ad Egdoram fluvium legati Imperatoris cum quadringentis equis.* Idem l. 3 c. 15. narrans matrem Canuti Regis à novo marito Thuringo exceptam: *occurrit ei*, inquit, *Landgrafius ad Egdoram fluvium. ſuſcipiens eam de manu Regis & Epiſcoporum.* Quæ utique manifeſto indicant Imperij & Daniæ limitem etiam tum Eidoram habitum. Rerum omnium ſeptemtrionalium longe peritiſſimus Crantzius, etſi ſub initia ſuperioris Chriſtiani ſeculi floruerit, paſſim tamen Eidoram limitem agnoſcit Danicæ & Saxonicæ nationis. Diſertis id verbis profitetur Saxoniæ l. 1. cap 6. & l. v. cap. 27. Daniæ l. 7. cap. 5. & cap. 8. Idem lib. 1. cap. 12. Daniæ ita loquitur: *Hic lector attende manifeſtum antiquitatis teſtimonium, quia pugna vel duellum inter Vffonem Regis Daniæ Wermundi filium & Saxoniæ Regem ad Eidoram commiſſum refertur, Holſatiam quæ ab illo flumine ſumit principium, ſemper Saxoniæ fuiſſe annumeratam, multo ante natum Chriſtum tempore.* Verum huic quidem rei ut Saxonis fabulis tantum innixæ, per me ſive præbeat quis ſive adimat fidem. Poſt Crantzium autem & Chytræus rerum illarum peritia nihilo Crantzio inferior, Chronici Saxoniæ l. 2. & 24. ſcripſit, *Danici iuris & Imperij ditionem Eidora fluvio terminari, & ab Holſatia Imperij Romani provincia extrema dirimi.* Alia teſtimonia in cauſa penę non controverſia adferre nihil attinet.

Iam vero Ducatus ipſius Sleſvvicenſis dignitas nunquam à Cæſarum aliquo cui eſt attributus ſed à Daniæ Regibus, ad Germanici ſanguinis Duces ſerius quoque demum pervenit. Princeps ſiquidem illum circa annum 1118. à Nicolao Rege obtinuit Canutus Erici Regis filius, quem per inſidias cæſum ſanctum appellitant. Eundem fratri Waldemaro conceſſit Canutus Rex. Anno 1232. *Abel ducatum Iutiæ accepit*, ut loquitur Ericus Pomeranus Rex in ſuo chronico. Ille autem Iutiæ ducatus etiam Sleſvvicenſem complexus eſt. Cumque viveret tum adhuc pater Abelis Waldemarus Rex, ab hoc utique ad Abelem devenit. Abelis filio Waldemaro Rex Chriſtophorus anno 1253. *tradidit Ducatum cum vexillo apud Koldingen:* ut fere loquitur Rex Ericus. Crantzius l. 7. Daniæ c. 22. refert *a Chriſtophoro Rege patruo permiſſum eſſe Waldemaro adminiſtrare Ducatum Sleſvvicenſem.* Succeſſerunt Ericus filius & nepotes duo Ericus & Waldemarus: quorum poſtremus Erico Regi hominium præſtans fidelitatem juravit Ducatus ſui nomine. In eaſdem leges ſucceſſerunt Ericus, Waldemarus & Henricus. Henrico demum anno 1386. defuncto ad Gerhardum Holſatiæ Comitem Principem Germanicum Ducatus ille devenit & tamen itidem beneficio Danici Regni. *Multis ſcilicet Regni Daniæ proceribus aſtantibus, & rem omnem verbo & opere commendantibus, tradito per manus Regis vexillo* ille eſt inveſtitus, teſte Crantzio l. 7. Daniæ cap. 40. Idem à Margarita anno 1388. confirmatum eſſe in conventu Nieburgenſi *præſentibus omnibus Regni prælatis & proceribus*, teſtis idem Crantzius eſt, cap. 41. & l. x. Saxoniæ cap. 9.

Gerhardo à Ditmarſis anno 1404. cæſo, Margarita potentiſſima Regina & ejus ſucceſſor Ericus Pomeranus Rex, omnem Ducatum filijs Gerhardi Holſati ereptum Regno ſtuduerunt vindicare: idque probante ipſomet Sigiſmundo Cæſare, in quem arbitrarium judicem utraque pars compromiſerat. Partem ſententię Cæſareæ recitat Cypręus l. 2. c. 21. quam & hic legi ex uſu erit, ſaltim ut eo clarius liqueat in terras illas Imperio Germanię nihil eſſe juris. *Nos Sigiſmundus Rex præfatus arbiter, per dictas partes electus, vigore compromiſſi in nos facti, dicimus, decernimus, laudamus & arbitramur, & his ſcriptis pronunciamus: Totam Iutiam Auſtralem, in qua ſituata ſunt, Sleſvvik & Gotterp, & alia loca ad ipſam Iutiam pertinentia, una cum Sylva Danica, & inſula Alſen, & provincia Friſiæ vulgariter Heerden nominata, cum omnibus iuribus & pertinentiis, pertinuiſſe & pertinere debere iure directi ac utilis dominij, ad Regem ac Regnum Daniæ ipſumq; inducendum fore, & induci debere in poſſeſſionem Ducatus ſupradicti, & terrarum cum ſuis pertinentiis, ut ſupra, prænarratarum: & dictis Henrico Adolpho & Gerhardo, Comitibus præfatis, in & ſuper dicto Ducatu & terris ſuis cum pertinentiis, ut ſupra, nullum ius ratione Feudi competiſſe, & adhuc competere. Et ita per hanc noſtram arbitralem ſententiam, ſecundum allegata & probata, in his ſcriptis definimus & arbitramur pro iure, dictis partibus ſuper aliis hinc inde petitis ex cauſis animum noſtrum moventibus, utriq; parti actionem reſervantes. In quorum omnium & ſingulorum præſcriptorum fidem præſentes noſtras literas fieri fecimus ſigilliſq; noſtræ Maieſtatis appenſione muniri. Data lecta & ex-*

Digitized by Google

& exhibita eſt præſens ſententia & arbitrium Budæ Anno 1424. 28. Junij.

Summe quidem hæc ſententia diſplicuit Holſatiæ Comitibus, eoque rem ad Pontificem Romanum detulerunt, & armis adverſus Danos ſua defendere conati ſunt. Attameo in controverſiam haud vocavere directum, ut loquuntur, Daniæ in Ducatum illum jus: tantum deberi ſibi jus utile idque feudi ratione prætenderunt, Regibus id negantibus. Proiode pace compoſita filijs Gerhardi feudi legibus Ducatus iterum anno 1446. conceſſus eſt. Libro XI. cap. 31. Saxoniæ Crantzius ejus rei ita meminit: *Adelphus per ea tempora Dux Sleſvvicenſis & Comes Holſatiæ, qui difficili ac diuturno bello pro eo Ducatu cum Danorum Rege dimicaſſet, iam Chriſtophoro Bavaro in Regem aſſumpto Ducatum de manu Regis accepit in feudum, redditaque ſunt ei omnia quæ olim ad Ducatum pertinebant, quæque longe tempore inquieta fuere à diebus caſi patris eius: cum primum Margareta Regina, deinde Ericus* Rex *eius adoptione filius, multa inde per annos ſupra triginta tuliſſent, de quibus concertatio fuit vſq; ad noviſſima eiuſdem Erici* Regis *tempora. Limites autem Ducatus ſunt ad pontem uſq; Coldingen: quæ tum omnia ſunt reddita Adolpho Duci iuſſu* Regis *novi Chriſtophori.* Perſequitur eandem rem idem Crantzius l. 8. Dan. cap. 18. & 22. idque longe uberius: ſed noſtro inſtituto hæc ſatis ſunt.

Adolpho anno 1459. ſine liberis defuncto, *Ducatus corona* Danicæ (verba ſunt Crantzij l. 11. Sax. c. 37.) *conſolidatur: quod diu à* Regibus *per multos labores erat quæſitum. Sed filij* Regis Chriſtiani *eundem ducatum patre moriente denuo à Corona ſeparatum, inter ſe, vt Holſatiam, per partes diuiſerunt.* Ex ijs quæ Chytræus l. 24. Saxoniæ fol. 718. narrat, ooo vere rediiſſe tum Ducatum in corpus Regni, adeoque errore ductum Crantzium apparet quidem attamen etiam ſic liquet, nihil ejus Ducatus Germanicum Imperium ſibi vindicaſſe. Inter Friderici I. Regis filios quoque contentiones quidem & multæ & diuturnæ fuerunt de feudi hujus natura, hereditarium ſit nec ne, maſculinum an fæmininum, liberum vel ſervitio cuidam obnoxium: at de jure ſummi dominij Daniæ debiti nunquam fuit dubitatum, ac proinde ſalva Daniæ auctoritate omnia tandem ſunt compoſita. De qua lite merentur legi, quæ refert Chytræus l. 21 & 24. chronici Saxoniæ, unde, ut in quam multis Germanicis negotijs ſolet, deprompſit Thuanus quæ l. 39. de cauſſa hac commemorat. Subſequuta eſt ſolennis infeudatio per Fridericum II. Daniæ Regem anno 1580. & ad noſtra uſque tempora, nunquam reclamante Germania, ſæpius repetita.

Nihili vero eſt argumeotum illud qood petitur ab incolarum Sleſvvicenſis terræ lingua & moribus Germanicis. Nec enim limites Impeaiorum regnorumque hinc dependent: ideoque omnibus ſeculis paſſim terrarum diverſæ linguæ variorumq; morum homines in unam tamen rempublicam coierunt. Ipſum Imperium Germanicum per varias linguas Germanicam, Gallicam, Italicam, Sclavonicam, alias diſtinguitur. Sed & per eſt veroſimile Saxonum colonijs habitari illas terras cœpiſſe demum poſt inſtitutum ibi ab Henrico Aucupe Marchionatum, cumque Sclavorum incurſionibus omnis illa regio tantum non in ſolitudinem redacta Canuti I. Dacis auſpicijs exculta eſt, quod ille Germanis cumprimis faveret, populoſam Saxoniæ gentem ex eo in vacuos agros oppidaque commigraſſe: quem in modum omnem vicinam Sclavoniam numeroſis colonijs in linguam & mores ſuos Germania commutavit.

addit.

CAPVT XVI.

Daniæ Reges Venedorum terras & Nordalbingicam Saxoniam aliquando occupaſſe quidem, ſed cum poſſeſſione tum omni iure mox excidiſſe.

POſſemus jam Daniam cum honore dimittere, niſi ipſa Germaniæ fuiſſet aliquando moleſta & fortaſſis poſſit iterum eſſe moleſta juris cujuſdam in Venedorum terras & Saxoniam Nordalbingicam prætextu. Nec vero vel hodie abſtinent Daniæ Reges nomine Regio Venedorum, ſive ut perperam vulgo loquimur, Vandalorum, quum rectius olim Slavorum Reges dicerentur. Niſi autem vehementer fallor, & ortum eſt nomen illud & nunc adeo more priſco retinetur, reſpectu regij cujuſdam juris in illas Venedorum terras quæ Albim inter & Balthicum mare ſitæ ſunt. Nordalbingiæ titulus dudum quidem deſijt, olim tamen uſurpatus & Nordalbingia ipſa in ditionem Danicam fuit redacta. Igitur antequam pergamus, videbimus jure an injuria Daniæ utraque vel alterutra tellus hæc etiamnum competat aut olim competierit, initio à NORDALBINGIA facto.

Non movebimus autem illa, quæ ante Caroli Magni ævum acciderunt, utpote quum omnia illa incerta ad oos fide peruenerint. Enimvero habet quidem multa ejuſmodi Saxo-Danicus: ſed quæ ipſa narratione ſtatim refelluntur. Tum vero, ſi quod res eſt velimus fateri, Danis non minus atque alijs Germaniæ populis, ante Chriſtianæ religionis in ſua gente exordia nulla domi geſtarum rerum dubio carentia monumenta fuere. Eoque & Saxo in fabuloſis poëtarum Danicorum carminibus & paucis nonnullis rupium quarumdam inſcriptionibus, quæ tamen nihil habeant quod multum ſit memorabile, vetuſtarum & incredibilium narrationum ſuarum omne præſidium collocat.

Semotis igitur ſive fabulis ſive dubiæ fidei narrationibus, ſecuti teſtimonium eorum qui à Caroli Magni ævo ſive inter Danos ſive apud nos res geſtas memoraverunt, id ſecure poſſumus affirmare, ſaltim ad Friderici uſque I. Cæſaris & Waldemari primi Regis tempora, Nordalbingicam Saxooiam neque ultro à nobis traditam Danis, neque belli aliquo jure ad illos deveniſſe. Nihil ſane hujus legas: ſed potius partem Daniæ, imo Daniam univerſam, in jus Germanicum iſthac tempeſtate conceſſiſſe: ceu jam tum capite quartodecimo oſtenſum eſt. Friderici demum Cæſaris liberalitate datum aliquid juris Dano, oon deſunt fateor qui memorent. In Chronico quod Erici Regis nomine primum Erpoldus Lindenbrogius, iterum Stephanus Iohannis Stephanius publicauerunt, hęc habentur: *Anno Domini 1181. Rex Waldemarus occurrit*

Friderico Imperatori apud Thravem, ubi duas filias ſuas maritavit, unam filio Imperatoris, aliam Comiti Sifrido. Ubi etiam obtinuit ab Imperatore dominium totius Nordalbingiæ, h. e. omnium terrarum ad Aquilonarem partem Albiæ. Super quo habuit literas Imperiales cum bulla aurea, & literas Papales videlicet Innocentij Papæ tertij de confirmatione dictæ collationis pro iure perpetuo habendæ. Sed has literas poſt mortem Regis Abel, quadam mulier Teutonica filia Diaboli in odium Danorum deſtruxit. Hæc Ericus ille. At vero quum ducentis amplius annis Waldemaro ſit poſterior, utique nonniſi auditione hoc acceperit alicunde neceſſum eſt: nec meretur proinde hæc illius narratio inter idonea veritatis teſtimonia referri. Deceptum vero eſſe Regem argumento mihi certiſſimo eſt, quod Saxo omnia quæ in congreſſu illo Cæſaris Regiſque accidere, ab Abſalone Archiepiſcopo, ſummo rerum omnium adminiſtro accepta, ad invidiam uſque libro XIV. memoret quidem, de donata tamen Nordalbingia habeat nihil. Nec enim ad Nordalbingiam faciunt quæ de promiſſo Slaviæ dominio ibi commemorantur. Ex adverſo narrant illius ævi ſcriptores Fridericum Cæſarem illo ipſo plane tempore pulſo Henrico Leone Duce, Holſatiæ Comitem, cui plæraque Nordalbingiæ competebant, ex beneficiario Saxoniæ Ducis clientem vaſſallumque Imperij reddidiſſe, Lybeca oppido incluto in numerum Imperij urbium recepta. Alios Saxoniæ illius Comites Racesburgenſem, Dannebergenſem, Luchovienſem, Suerioenſem, Bernhardo novo Saxoniæ Duci hominio ſeſe obſtrinxiſſe diſerte teſtatur ſcriptor σύγχρονος Arnoldus Lybecenſis l.3. c.1. Nordalbingiæ ſane Dano conceſſæ ne quidem leviſſimum veſtigium deprehendas.

Imo nihil obſeruare eſt, quo probes Waldemarum I. Regem quidquam ſibi in Saxoniam arrogaſſe. Illius ſucceſſorem Canutum tum demum quando ſororem ipſi remiſit Cæſar Fridericus (hoc eſt, circa annum 1188) moliri aliquid cæpiſſe, diſerte teſtatur idem quem modo laudavimus ex ævo illo teſtem Arnoldus Lybecenſis, l.3. Chron. Sclavor. cap. 20. Verba integra hæc ſunt. *Eo autem tempore miſit Imperator ad Canutum regem legatos honoratos pro pecunia, quam pater illius Waldemarus cum ſua filia ipſius filio ſocianda pollicitus fuerat, quam etiam idem Canutus partim perſolverat. Qui propter occaſiones ſupra dictas, quas inter Imperator non vero propter repudij occaſionem, ſed propter pactionis immutationem, regi ſororem ſuam intactam cum tali apparatu, quo eam acceperat, reſtituit. Quod Canutus graviter accipiens, manifeſtas ex illa die inimicitias contra Imperatorem exercere cœpit, ita ut omnes in terra Wagirorum, Holſatorum, Stormariorum, & Polaborum uſq; ad Albim ſui iuris eſſe diceret, & eam per Slavos, quos ſibi obſtrinxerat, frequenter vaſtaret. Mater etiam eius à Ludovico Landgrafio repudiata, & ad terram nativitatis ſuæ ſine honore reverſa, cōqueſta eſt in multos ſe à marito iniuriatam. Vnde etiam magis inſtimulatus iuſtam ſe cauſam cōtra Teutonicos habere arbitratus eſt.* Hactenus Arnoldus. Pene eadem habet Crantzius *l. 6. Wandaliæ cap. 27.*

Vbi hæc tandem ſubjungit. *Quid iuris prætenderit Rex in terras memoratas Annales non exponunt: niſi quod conjectura promptum eſt, recordari illum eorum temporum quæ erant ſub Canuto Obotritorum Rege, qui omnibus his terris præerat, cuius ſucceſſionem Rex præferebat, ut eſſet Albis fluvius limes ſuæ ditionis. Sed quum interceſſiſſent tot anni, legitima tranſibat præſcriptio. Principes vero non legibus ſed armis provincias quærunt.* Non inanis cui videatur Crantzij iſthæc conjectura: certè longè eſt veroſimilior, quam illa Erici Regis, de donata Waldemaro Canuti patri Nordalbingia omni fabula. Fallitur tamen & Crantzius, vel certè Canutus Rex per injuriam hoc quidem prætextu Nordalbingiam invaſit. Ne quid enim nunc dicam Canuto nihil omnino hereditarij juris vel in Obotritos à Lothario Cæſare datum, ut paulo poſt apparebit: conceſſam Nordalbingiam profecto nuſquam legas ſed ſolum Obotritorum Regnum: quod diſerte teſtatur Helmodus l. 1. cap. 50. & ipſemet Saxo l. 13. Nec Saxoniam ille Tranſalbinam poſſedit, utpote quæ iam tum magnam partem in ditione erat Adolphi Holſatiæ Comitis, adeoque Saxoniæ Ducum, in quorum Comes tum vivebat clientela: quod ſole clarius eſt vel ex ijs quæ narrat Helmoldus illo ipſo citato capite. Wagriam tenuit quidem Canutus; ſed erat illa tum pars Obotritorum aut Venedici regni. Auctor quidem incertus ille Chronici Sclauorum quod Lindenbrogius edidit cap 21. ſcribit, contendentibus de Regno, Suenone Canuto & Waldemaro, Adolphum Holſatum *homagium* feciſſe Canuto: at *homagij* voce non niſi commilitium intelligit, & Canutus ille non fuit filius S. Canuti ſed Waldemarus.

Mihi veriſimilius videtur, Canutum injuriam acceptam cauſſarum injuria compenſare voluiſſe. Et vero fatendum eſt, poſtquam Dithmarſi ſponte ſua in Danorum ditionem perfide conceſſiſſent, hujus Canuti primum, mox fratre anno 1202 defuncto, proprijs auſpicijs Waldemarum Secundum Regem omnem Nordalbingiam debellaſſe. De illo fratri ſuccedente ita etiam ſcribit Arnoldus l. 6. cap. 17. *His ordinatis Rex Waldemarus cum magna gloria & infinita multitudine venit Lybecam, ibiq; cum multa iucunditate REX Danorum & SLAVORVM & NORDALBINGIÆ DOMINVS ſalutatur.* Itaque ſi verum dicendum eſt, non niſi illa gentium lege, qua bello ſolenni capta jure victoribus cedere creduntur, & Canutus & Waldemarus ille Nordalbingiam quidem poſſedere: aliud jus, aut juris prætextum deprehendere non eſt. Quin vero pari igitur jure Nordalbingiam potuerint amittere Dani, citra dubium eſt. Eſt autem non multis poſt annis ipſe ille victor Waldemarus omni iterum occupata per vim ditione iſthac exutus.

Initium Saxonicæ libertati præbuit Regis captivitas. Qua de re breviter ita Albertus Stadenſis. *Anno Domini. M. CC. XIII. Rex Danorum in propria terra à Comite Henrico de Zuverin, cui durus, ut fertur gratia ſua recuperanda conditiones impoſuit, inopinato caſu in papilione proprio capitur, & Danneburg gravi cuſtodia coarctatur.* Item. *Anno Domini M. CC. XXV. Rex Danorum XLV. marcarum millibus ſe redemit, exceptis clenodijs circa tria millia marcarum æſtimatis.* Ad conditiones relaxatæ cuſtodiæ cumprimis pertinet quod narrat Crantzius l. 7. Wandal. c. 9. *Ferũt Danæ Regem quum ante hos dies captus teneretur ab Henrico Comite de Zuverino, in ſua relaxatione iureiurando firmaſſe,*

num-

unquam ſe Nordalbingiam repetiturum. De eadem re ita memorat Hermannus de Lerbeke in chronico Comitum Schawenburgenſium, auctor tamen, quod fatemur, minus ſecutæ fidei. *Rex Daciæ de captivitate liberatur pro quinque millibus marcarum, & terram Holſatiæ & omnes terras quas violenter poſſederat, in integrum reſtituit: pro cujus fide tres filios & multos fideles ſui regni obſides poſuit.* Auctor incertus Chronici Sclavorum ab Erpoldo Lindenbrogio editus: *Reges redempti ſunt pro L millibus marcarum, & juraverunt ſe amplius nō venturos in terram Holſatiæ, & reliquerunt obſides potentes.* Vi huius pacti jam ſuę libertati reddita erat Saxonia illa. Cum non ſtaret autem promiſſis Rex, biennio poſt (vt quidem habet Albertus Stadenſis, alij enim referunt in annum 1226) memorabili prælio ad Bornhovedam cęſus omnem exiſtimationem perdidit. Plenius Cranzius & alij enarrant bellum illud, at breviter Albertus ad annum 1227: *Rex Danorum à Bremenſi Archiepiſcopo, Duce Saxoniæ Alberto, Comitibus Henrico de Zwerin & Adolpho de Schowenburg, Slaviæque Dominis, in Bornhoveda prælio devincitur. Rex per fugam elabitur, ſed Dominus de Lunenburg ab Henrico Comite captivatur.* Crantzius narrat ſequente anno redintegratum à Rege bellum ſed infeliciter: quę tamen contigiſſe memorat, illa Lerbekius refert in annum viceſimum ſextum. idque videtur veriſimilius, quia etiam Albertus illo anno teſtatur partes Tranſalbinas à Rege invaſas: poſt prælium autem illud ad Bornhovedam nihil tentatum refert.

Quicquid huius ſit, vſque adeo fractę prælio illo ſunt Regię vires, vt omni Saxoniæ Nordalbingicæ imo & Slaviæ (vt poſt audiemus) poſſeſſione exciderint, nec ex eo vel ipſe Waldemarus vel eius ſucceſſorum aliquis recuperare amiſſa Daniæ vnquam ſit molitus. Et vero in id videtur tandem pax iterum conſtituta. Quanquam enim rudes ævi Annalium ſcriptores hæc & ſimilia ſilentio prætereant, attamen firmam perpetuamque inter Danum & Saxoniæ illius Principes pacem mox initam, indicio vel illud mihi eſt, quod paulo poſt ipſemet WWaldemarus oppugnanti Lybecam urbem Adolpho Holſato, hoſtium antehac præcipuo, ſuppetias tulerit, teſte Crantzio cap. 12. l. 7. WVandaliæ. Cypræi verba ſunt hæc pag. 6. Cum ſcripſiſſet inter Carolum Magnum & Danos conventum, *ut impoſterum fines Daniæ & Saxoniæ Eidora terminarentur: quod,* inquit, *poſtea ab Imperatore Friderico anno 1214. confirmatum, Papa Alexander IV. ratum habuit anno 1257.* Vero percit ſimile, pace reddita terminos veteres Cæſarea auctoritate reſtitutos eſſe, & pro ſeculi more Pontificis quoque Romani ſanctam vim majus perpetuæ pacis robur acceſſiſſe. Mendum autem ſic fuerit in annorum numero, quando Friderici illa Cæſarea conſenſio intervenerit. Vtut ſit, certe cum Waldemarus Nordalbingiæ dominus audiret, omnes tamen poſteri titulo iſthoc abſtinuerunt in amiſſi juris, ſi quod fuit, confeſſionem.

Superioris tamen ſeculi anno viceſimo primo tantum in Cæſaris affinis Caroli V. aula potuit Chriſtianus in nominis ſecundus Rex, ut nulla exigente neceſſitate, contra Imperij antiquiſſimum decus, Holſaciæ Ducatus juſſus ſit in Daniæ obſequium ſe flectere. Ea de re ita ſcribit Joannes Meurſius l. 3. Hiſt. Danicæ pag. 231. *Ita ſubjugata Suecia cū in Daniam rediſſet* Chriſtianus Rex, *ad affinem Carolum V ſumpta veſte peregrina eſt profectus, ut deinceps feudum Holſatiæ à ſe acciperent, A quo per benigne exceptus, cum non difficulter item poſtulata impetraſſet, feſtinate domum rediit.* Cypræus l. 3. Hiſtor. Slewicenſ. c. 5: *Non multo poſt Imperatorem Carolū V. affinem profectionem ſuſcepit. A quo ſumma pompa, ſplendore, ac magnificentia quam honorificentiſſime exceptus, novoq; inſuper honore ac dignitate auctus ac ornatus fuit, collato nimirum ipſi pleno dominio, iure ac poteſtate ſuperfeudum Holſatiæ, quod ipſe nimirum impoſterum tanquam legitimus dominus illud conferre, & à ſe unice peti ac impetrari debeat.* Intercapita à Rege ſequente anno Borsholmij patruo Friderico tum Duci propoſita primum iſtud fuit, ſcribente Meurſio pag. 237 *Quod à Carolo Imperatore affine ſuo, Chriſtianus ſingulari indulgentia privilegium accepiſſet, quo Ducatum Holſatiæ alioſq; huic conjunctos, uti ipſe Fridericus ac maiores quoq; eius ab Epiſcopo Lybecenſi inſtar beneficii petere conſueviſſent, ita eoſdem in futurum à Chriſtiano* REGIBVSQVE SVCCESSVRIS *ipſe & hæredes eius deinceps petere juberentur. Quæ quantumvis hunc in modum ſe haberent, tamen, uti controverſia qualiſcunque inter ipſum patruumq; qualicunq; cauſſa orta, per ſequeſtres neutri partium obnoxios aut ſuſpectos tolleretur, promptum beneficio renunciare; ea lege, ut contrarias Fridericus literas petat impetretq; quibus Carolus privilegium pridem indultum revocaret; ſeque nec laturum ægre nec prohibiturum eſſe.* Hæc Meurſius. Bene vero, quod brevi hæc quidem fœda macula emendata ſit. Etenim Chriſtianus quidem ille Rex, cum altero ſtatim poſt anno regno pelleretur & archiva regni populatus privilegia abduceret, hoc quoque, uti ferunt, ſubduxit. Nec Fridericus jam Rex aut ſucceſſores hoc ſibi in Holſatiam jus arrogaverunt; ſed hodie quidem non minus ipſi ac agnatorum alij titulo Ducatus illius Cæſaribus ſine controverſia hominij ſacramento obſtringuntur.

Quum Ducatus autem illius pars ſit Dithmarſia, obiter non tam perſtringi quam rideri meretur putida & geographo indigna fabula, quam Petrus Bertius refert in Tabulis Geograph. ubi Ditmarſiā deſcribit fol. 289. *Dithmarſiam* nimirum *Regum Daniæ Imperio ſubeſſe, & primogenitum Regis filium ibidem ex lege habitare, ut Galliæ Principes in Delphinatu.* Quod ſi recitaſſe iam refutaſſe eſt.

Sed de Saxonia illa Nordalbingica in Imperij ius aſſerta, fortaſſe plus ſatis. De Slavorum VENEDORVM, aut ut vulgo minus recte Crantzium auctorem (hic enim videtur popularis erroris princeps auctor) ſecuti loquimur, VANDALORVM terris nunc etiam eſt dicendum, num illas bono titulo quondam tenuerint Dani vel hodieque in illas Regno Daniæ ſolidi quidquam iuris ſuperſit.

Perdubium autem videtur, quæ demum ſit cauſa Regij de Venedis aſſumpti nominis, quo jam aliquot ſeculis Dania uſa eſt: ſi quidem non alij Venedi intelligantur quam illi qui mari de Balthico à Danicis inſulis ſeparantur, inter Albim & litora illius maris ad Viſtulam uſque fluvium protenſi, Imperij Germanici cives, quod per eſt veroſimile, cum in Scandinavia aliiſque vicinis inſulis Venedi nulli vixiſſe vnquam memorentur.

Crantzius non ſatis quidem ſibi hac in re conſtat, dubius ipſe: Videtur tamen cauſſas tres adferre, ſola autem coniectura ductus, non certo ſubnixus argumento. L. 1. cap. x, narrans, fide Saxonis, Venedorum illorum antiquiſſima cum Danis prælia, ſcribit. *Volitabat diu incerta victoria, quibus ſignis inclinaret. Demum Danis ceſſit, oppreſſo in acie Rege, VVandalorum Sturmicone. Concidente enim Rege ſors quoque Regni concidiſſe videbatur. Venit iterum in ditionem Daniæ VVandalia. Unde videri poteſt permanſiſſe in hodiernum eum Danorum regibus titulum, ut ſe Gothorum & VVandalorum Reges inſcribant, quamvis nihil in VVandalia à multis diu ſecalis tenuerint. Sed ex poſterioribus ſeculis renovata eius tituli cauſſa: quod ſuis locis non ſilebimus.* Hæc prima itaque fuerit origo iuris pariter illius & Regij tituli, ſi Crantzium audimus. Verum enimvero ante omnia obſervandum eſt, hanc quidem narrationẽ univerſam ex fabulis Saxonis Grammatici deſumptam, eoq; pereſſe incertam. Ne quidem vero Saxo ipſe hinc arceſſit originem Regij illius tituli: & fatetur pene iiſdem damnis ſæpenumero tum à Slavis illis Daniam affectam. Sed & mox oſtendemus, titulum illum cœpiſſe demum Canuti forte ultimis annis aut Waldemaro ſecundo Rege, adeoque ad illa fabuloſa tempora nequaquam pertineret. Vt perinde hæc quidem Crantzij conjectura ſit omnino inanis.

Altera longe veriſimilior eſt atq; ideo plures ſectatores invenit, à S. Canuto Obotritorũ Rege per Lotharium II. Cæſarem conſtituto petita. Qua de re ille l. 3. Wandal. c. 30. *Kanutus Obotritorum Rex apud omnes habebatur. Quæ res initium præſtabat.* (*ut eſt promptum conjectura,*) *noſtri ſeculi Danorum Regibus ut ſe Danorum Wandalorumq́; Reges efferant in titulo: nam moriens Kanutus Regium titulum tranſmiſit ad poſteros.* Idem c. 36. de Erico Rege Haſenfues per ludibrium dicto, S. Canuti fratre: *Is quum in Dania ſuccederet Regi, fratris quoq; iura ad ſe devoluta arbitratus, primus* (ut arbitror *ſe in titulo præferebat Regem Wandalorum. Unde ſumpſiſſe poſteros Reges conjectura eſt, ut ſe etiam Wandalorum Reges inſcriberent.* Hæc coniectura multis exinde arriſit, eoque illam & Cypræus probat l. 1. c. 20 & Lyſcander Danus Antiquitat. Danicar. ſerm. ix. p. 91. Cæterum Canutum quem ſanctum appellant Obotritorum Regem eſſe creatum à Lothario Cæſare, id quidem conſtat. At vel Regno Daniæ hinc aliquid juris in Venedos illos acceſſiſſe, vel Reges Daniæ ab hac origine olim ſuum illum Regium titulum petiiſſe, mihi, fateor, perſuaderi hactenus nõ potuit. Vt enim de poſteriore dicam prius: ſi ea fuiſſent olim in ſententia Reges iſti, ſtatim poſt Canuti obitum nomen illud ſibi aſſumpſiſſent: nemo autem id fecit fortaſſis ante Waldemarum II. ut nemo ante Canutum Waldemari illius fratrem, florentibus Imperij Germanici rebus, auſus fuit vel tentare aliquod in Sclavos omnes dominium. Falſum profecto eſt quod dicebat Crantzius, S. Canutum illum ad poſteros titulum Regium tranſmiſiſſe, & fratrem ejus Ericum Daniæ Regem omnium principem *Regem VVandalorum* ſe iactaſſe. Recitat enim utiq; Cypræus *l. 1. c. 28.* tabulas Kanuti Regis ſcriptas anno 1182. inſertas tabulis Erici Regis Chriſtophori I. filij, in quibus Canutus *Rex Danorum* tantum audit. Ericus vero ille *Danorum Slavorumque Rex.* Vt proinde ſaltem ad illud vſq; tempus Reges Daniæ titulo iſtoc abſtinuerint. Nec vero reperias eius tituli veſtigia in ipſa Saxonis hiſtoria, quæ tamen nihil quod ad Danicam gloriam pertinet temere omittit, Danicas autem res perſequitur uſque ad obitum Bugislai Pomerani, hoc eſt annum 1188. Similiter nec in Helmoldi nec in Alberti Lybecenſis ſcriptis titulus ille Daniæ Regibus tributus legitur, præterquam quod VValdemarum ſecundum ſe ita proclamari feciſſe memoret Albertus: & tamen hi res illas Sclavicas ſatis curioſe tradiderunt. Adhoc Helmoldus diſerte, quem Albertus Stadenſis exſcripſit ad annum 1133. non *Slavorum* ſed *Obotritorum* Regem Canutum dictum, teſtatur l. 1. c. 50. *Adiit,* inquit de Canuto, *Lotharium Imperatorem, emitq́; multa pecunia regnum Obotritorum, omnem ſcilicet poteſtatem quam prædium fuerat Henricus. Et poſuit Imperator coronam in capite eius, ut eſſet* REX OBOTRITORVM, *recepitq; eum in hominium.* Idem c. 51. *Circa tempus dierum illorum accidit ut Canutus* REX OBOTRITORVM *veniret Sleſwich, habiturus cum patruo ſuo Nicolao curiale colloquium. Cum autem populus veniſſet in concionem & Rex ſenior ſediſſet in throno indutus cultu regio, Canutus aſſedit ex oppoſito geſtans & ipſe coronam* REGNI OBOTRITORVM. Longe uero amplior eſt titulus ille REX SLAVORVM, nec Daniæ Reges Regio Obotritorum titulo vnquam audierunt: adeoq; ſuum illud nomen à S Canuto non accepere. Quid? quod Saxo l. 13. ſcribat, cum Canutus apud Nicolaum Daniæ Regem male audiret quaſi regio nomine pateretur ſe coli, in excuſationem ſuam hæc inter alia dixiſſe *Rejice quæſo nugarũ auctores mendaciter obſtrepentes, falſaq; huius criminationis figmentum reſpue. Neq; enim iniurioſo tibi nomine cenſeri ſuſtineo.* HERVM *me mei non Regem appellant. Itaque cum à Slavis dominus ſalutari conſueverim, ſiniſtri tanta comitatis interpretes aliena urbanitatis occaſione inſimulationis materiam aucupantur. Ego vero* NON REGNVM, *ut aiſti, vocabulo uſurpo, ſed temperata nominis dignitate faſtuoſum ſalutationis decus fugio: invidendum honoris faſtigium ſperno.* Hęc ſi vera ſunt, non ſane S. Canuti exemplo ad Regium illum de Slavis nomen Daniæ Reges olim ſunt invitati: utpote qui Regio nomine abſtinuerit. Regium porro ſuum in Slavos ius nunquam Daniæ Reges Germanico Imperio iverunt tributum: Canuti vero dignitas illa omnis beneficiaria erat, ut modo audivimus diſſerentem Helmoldum, & diſerte quoq; teſtetur Saxo l. 13. ac proinde jus hoc Daniæ Regum ab illo Canuti honore plane aliud quid eſt & diverſi ordinis. Ad ſeſe quoque à Canuto quidquam juris in Slaviæ illam partem derivatum, Regum nemo præ ſe tulit: eoque ſtatim à cæde Canuti teſte Helmoldo l. 1. c. 53. *ſucceſſerunt in locum eius Pribezlaus atque Niclotus bipartito principatu, uno ſcilicet VVagirenſium atque Polaborum altero Obotritorum provinciam gubernante.* In illos ipſos adeoque in omnem illam terram, poſt dominatũ exercuit Henricus Leo, nemine Regum contradicente. VValdemaro Regi ſpem aliquam factam à Friderico I. Cæſare Slaviæ beneficiaria lege ab Imperio conſequendæ, refert quidem Saxo: at tametſi ille eſſet S. Canuti filius, paternum tamen aliquod jus ab illo prætextum Saxo non memorat. Vnde & hoc colligere eſt, quicquid datum fuit Canuto, cum ipſo illo

ſtatim

Digitized by Google

ſtatim deſiiſſe, neq; adeo hereditarium aliquod jus illi côceſſum. Alioquin ſane vriſiſſet hoc Waldemarus eiuſq; filius Canutus: Sexo certe iniuriam illam nequaquã diſſimulaſſet, pro eo quo in Germanicos Cæſares fuit animo. Si ad Waldemarum autem Canuti vnicum filium nihil devenit juris hereditarij in Slavos, multo minus ad Reges alios à Canuto quidquã ejus eſt profectũ. Longe minus ad ipſum Daniæ Regnum potuit ejus aliquid pervenire: quũ Lotharius Imperator non Regnum Daniæ, imo nec aliquem Daniæ Regem beneficio iſthoc affecerit, ſed Canutum qui Dux tum erat Sleſvvicenſis.

Tertia à Crantzio adducta cauſſa mihi omniũ videtur veriſimillima, ſubjugatio nempe Venedorum Imo Crantzio ipſi videtur hęc pręplacuiſſe. Itaq; hãc alteri illi de S. Canuto ſemper addit. Hinc illis ex lib 3. VVandalię à nobis productis ſubjungit eveſtigio cap. 30: *Sed & multis deinde bellis magna pars VVandaliæ littoralis paruit Regibus Danorum vt inde quoq; titulum mutuati credantur*, ca. 36. *Sed quod ante dixi & ſuo tempore commemorabitur, etiam poſterioribus ſeculis magnam VVandaliæ partem Danorum Reges ſuo imperio coniunxerunt, eam videlicet qua littora maris tangit, Sed nec ipſorum Danorum in VVandalos imperium ſtabile manſit.* Similiter l. 6. c. 24. vbi narraviſset Obotritorum Regulos Niclotum & Burevvinum in Canuti Regis hominium deditos: *Hæc*, inquit, *eſt altera cauſſa cur Daniæ Reges titulum ſibi deſumant, vt ſe VVandalorum quoq; Reges profiteantur. Nam primam ex Canuto Obotritorum Rege ſub Lothario eius nominis noviſſim recepere.* Et vero ex eo demum tempore ortus eſt in Dania ille Regius de Venedis Slavis titulus. Ita etiam demũ liquet, & nullo Imperij Germanici beneficio illud nomen Danis partum, & haud inani illud fundamento innixum. Armis ſiquidem devicta Slavonia & in provinciam redacta nomen quoque Regium haud immerito ornavit, Germania etiam incoſulta. Sane initio Rugij jam à Waldemaro I Rege ſubacti erãt. Canuti vero deniq; auſpiciis Abſalon Archiepiſcopus Bogislaum Pomeranũ ad tributa & hominium, Rugiorum more, Dano præſtandum adegit. Quod vtrumq; Saxo late deſcribit, libris duobus vltimis Hiſtoriæ ſuæ Poſtremam victoriam hoc quaſi epiphonemate perſecutus: *Ita Sclavicarum rerum dominium aſſiduis VValdemari laboribus negatum, parvulo Canuti negocio contributum eſt, felici eius militia paternam ſupergrediente fortunam.* Pomeranum fraude circumventi Obotritorum bini Principes inter ſe diſcordes, eadem fortuna, non multo poſt, ſecuti ſunt. *Rex Daniæ* Cannutus ait Crantzius l. 6. Wandal. c. 24. *qui Burevvinũ* in Rugia captum *tenebat, arbiter factus inter diſſidentes, ita litem diremit, vt Nicloto Roſtockium cum terra Kiſſinorum, Burevvino vero Ilovv & Magnopolis* (ea eſt terra Obotritorum) *proveniret* & VTERQUE DE MANU REGIS *terram ſuam recognoſceret.* Eadem deinde armorum felicitate per Nordalbingiam omnem excurrente, tandẽ & inclyta vrbs Lybeca in ius Danorum conceſſit Quæ poſtrema cũ narraſſet ſub finem l. 6. & initium 7. VVandaliæ ſuę Crantzius, addit: *Hic eſt interim rerum ſtatus vt vnus Canutus Regem ſe Danorum, VVandalorum & Nordalbingiæ ferat & in titulo ſcribat. Erat autem tũ annus milleſimus ducenteſimus.* Stadenſis tamen Abbas Adolpho Holſato victo Lybecam anno demum 1201. ſubactam, ſcribit. Obiit vero Canutus anno ſequente, ſucceſſorem nactus fratrem VValdemarum, Principem, ſane multis virtutibus eximium, & ſi initia ſpectes fratri armorum felicitate haud imparem. Etiam hic vero ſimulac in Dania res ſuas nonnihil compoſuiſſet, Lybecam veniens REX DANORUM & SLAVORUM & NORDALBINGIÆ DOMINUS ſalutatus eſt; quod non multo ante ex Arnoldi Lybecenſis l. 6. cap. 17. jam tum narravimus. Vnde confirmatur id quod diximus, ſubacta illa ad Balthicum mare Slavonia, illud Regium novum nomen Dani titulis acceſſiſſe, nullo habitu reſpectu ad terras alias. Et tamen aliquot annis poſt ab eodem Rege VValdemaro Pruſſia quoque & Eſthonia devicta eſt. Ericus Rex in chronico: *Anno 1206. Andreas Archiepiſcopus duxit exercitum in Reualiam. Anno 1210. expeditio facta eſt in Pruciam & Samland. Miſtvvin Dux Poloniæ factus eſt homo Regis. Anno Domini 1219. Rex VValdemarus congregato exercitu permaximo, cum mille quingentis longis navibus Eſtoniam intravit. & poſt multa bella totam terram illam ad fidem Chriſti convertit, & Danis ſubdidit uſque in præſens.*

Igitur haud dubito equidem, non alia ratione natum illud novum nomen, quam cepit alterum illud NORDALBINGIÆ DOMINI, poſt ſcilicet bello ſubactam Sclavoniam illam balthico mari proximam. In juſticiam vero armorum ſi inquiras, illa cum Imperij Germanici injuria coniuncta fuiſſe, vix quiſquam negaverit. Omnes illas Slavorum terras vſque ad Vlltulam amnem, jam tum à Carolo Magno in obſequium Francici Imperij redactas, ante oſtendimus Cum ab officio receſſiſſent poſt Ludovici Germanici obitum, Henricus I. Rex vt *Bohemos & Sorabos ab aliis Regibus edomites, ita & cæteros Slavorum populos vno grandi prælio ita percuſſit, vt cæteri (qui perpauci remanſerant) & Regi tributum & Deo Chriſtianitatem vltro promitterent.* Henrico defuncto Slavi nouas res affectantes rebellare moliti ſunt. Otto autem Rex *quos pater eius vno grandi bello domuerat, ipſe tanta deinceps virtute conſtrinxit, vt tributum & Chriſtianitatem pro vita ſimul & patria libenter offerrent victori, baptizatusq; eſt totus gentiliũ populus*, qui quidem ad Oderam vſque habitabat; nam Pomerani trans Oderam armis non Germanicis ſed Polonicis flexi iterum ſunt, eoq; non niſi per Polonos in Imperij Germanici ditionem pervenerunt Hoc obſequium duravit pene per annos ſeptuaginta amplius. Pene inquam, multa enim illos Slavos Ottonis II. ætate etiam molitos, ex Dithmaro conſtat. Tunc vero Theodoricus Marchio Brãdeburgenſis & Dux Saxoniæ Bernhardus, quorum alter orientalem alter occidentalem Slavoniam illam poſſidebat, Venedos illos *tanta crudelitate inſectati ſunt, ut excuſſo tandem ſervitutis iugo libertatem ſuam armis defendere cogerentur.* Id quod ipſis ex ſententia tum ſucceſſit. *Poſtquam autem placuit piiſſimo Cæſari Henrico curiam celebrare in caſtro VVerbene, quod eſt iuxta Albiam ad experiendos animos Slavorum, venerunt omnes Principes VVinithorum in præſentiam Cæſaris, ſeq; Imperio ad bonum pacis & ſubiectionis obtemperaturos proteſtati ſunt.* Qui illi ſucceſſit Conradus *frequentibus præliis VVinithos attrivit*: id quod & VVippo in ejus vita commemorat. Hinc Henrico etiam III. Cæſare in officio

fuerunt. Henrici vero IV. ætate quũ omnia Imperij concuterentur, Venedi quoque & religione deſerta & excuſſo iugo in libertatem ſeſe vindicaverunt. Cũ hujus filius rerum potiretur, quidam Venedicę proſapiæ ſed Chriſtiana religione imbutus præclarus Princeps Henricus Slaviam illam pene omnem debellauit. Duci tamen Saxoniæ *fecit iuramentum fidelitatis ac ſubiectionis.* Hic eſt Henricus ille de quo Helmoldus: *Servierunt Ranorum* ſive Rugiorum *populi ſub tributo, quemadmodum VVagiri, Polabi, Obotriti, Cycini, Circipani, Lutici, Pomerani & univerſæ Slavorum nationes quæ ſunt inter Albiam & mare Balthicum, & longiſſimo tractu protenduntur vſque ad terram Polonorum; Super omnes hos imperavit Henricus, vocatuſq́, eſt Rex in omni Slavorum & Nordalbingorum provincia.* Hæc ſunt initia Regij per Slaviam illam nominis, populari magis acclamatione quam Cæſarum auctoritate: in hunc modum quoque aliquatenus Slavi illi in Imperij ditionem redierunt. Aliquatenus, dico: tantum enim non libera poteſtate Henricus quidem ille rex inter ſuos vſus eſt, niſi quod ad extremum Rugij hujus quoq; dominium excuſſerunt. Defuncto cum filijs Henrico Canutus Dux Danus *adijt Lotharium Imperatorem emitq́, multa pecunia Regnum Obotritorum, omnem ſcilicet poteſtatem qua præditus fuerat Henricus. Et poſuit Imperator coronam in caput eius vt eſſet Rex Obotritorum, recepitque eum in hominiũ.* Paulo aliter id refert Saxo: nos autẽ vt in omni hac narratione, ita & heic maluimus vti verbis Helmoldi, ex l. 1. Chronici Slavorum hinc inde petitis.

Canuto non multo poſt cæſo, ſi Rugiam excipias, (cujus vt & Pomeraniæ nomine Polonus Lothario Cæſari homagiũ præſtitit teſte Ottone Friſing. l. 7. c. 19.) Venedicæ terræ omnes vſque in Pomeraniam ſub graviſſimo tributo Saxoniæ Ducibus ac Marchionibus paruerunt, imo recuſantibus incolis ſacra Chriſtianorum admittere, ijſque propterea partim trucidatis partim fugatis, per aſſidua bella in ſolitudinem redactæ ſunt; donec novis colonijs ex Flandria, Hollandia, Friſia, VVeſtphalia, Saxoniaque omni, Ducum illorum & Marchionum cura accitis, excoli & habitari iterum cœperunt, Friderico I. Cæſare imperante. Ipſe ille Imperator Bogiſlaum & Caſimirum Pomeraniæ Principes, quũ pulſo Henrico Leone Duce, in cujus clientela vixerant, in caſtris ad Lybecam commoraretur, (agebatur annus 1181.) datis ſolenniter aquilis in numerum Ducum imperij adſcivit, coram præſente ipſo Danorum Waldemaro.

Huc igitur vſque, continua pene ſeculorum aliquot poſſeſſione, in iure Imperii Venedorum vtique hi populi fuerunt. Soli Rugij poſſint videri nonnihil præ aliis fuiſſe ſoluti Imperij legibus, diuturna rebellione parta ſibi majore aliqua libertate: non minus tamen iura priſca Imperio ſalva manſere, aut ſi quæ damnum erant paſſa integrum Imperio fuit illa iterum vindicare. Daniæ certe nec in Rugios quidquam fuit vel juris vel poſſeſſionis jam à ſeculis compluribus. Debellavit autem illos & in ſuam ditionem quaſi redegit circa annum demum 1168. Rex VValdemarus primus id nominis. Nec tamen vel ea ratione Rugij Imperio plane ſubducti, in ſolius Daniæ dominium conceſſere. Ipſi enim Daniæ Reges in hominio tum fuerunt Cæſarum, adeoque illa quæ à Regibus illis tum occupantur quaſi in peculium ſimul Imperij venerunt. Adhoc videtur Waldemarus indultu Cæſaris Friderici eiuſq; beneficio arma illa expediviſſe: adeoq; ſalvis indubie Imperii ſummis iuribus. Datum ſane Regi Waldemaro, cum homagium præſtaret, à Friderico Cæſare poteſtatis aliquid in Slavos illos Balthici maris accolas, refert diſerte Saxo l. 14: quod itaque factum fuerit quinquennio ante Rugię illam occupationem. In partem quoq; victoriæ Henricũ Leonem Ducem admiſit Waldemarus, vt ne tota quidem Rugia illa Dano ceſſerit. Helmoldus l. 2. c. 14. *Occurrit Duci Rex Danorum & exhibuit ſe pronũ ad omnem voluntatem Ducis. Et recognovit ei medietatem tributorum & obſidum quæ dederant Rani, & de ærario fani æquam portionem, & ad ſingula quæ Dux indicavit exigenda, devote paruit.*

Non poſſumus non hoc loco animadvertere in Saxonem. Scribit ille, invitatum ad Curiã VValdemarum à Cæſare Friderico, in *præmium itineris vna ex Italiæ provincijs cum totius Slaviæ præfectura,* propoſita. Verba eius etiam hæc ſunt de Friderico Cæſare: *Univerſos Germaniæ Principes ſacramento adactos iurare compulit, ſe eius* (Waldemari ſcil. Regis) *ditioni Slaviam ſubſtraturos.* Idem l. xv. narrat, Cæſarem eundẽ oraſſe Waldemarum Regem, pateretur Pomeraniæ principes Cazimirum & Bogislaum à ſe inter Duces aſciſci, ſe *memorem quod olim VValdemaro de ſubigenda Slavia pollicitus fuerit, profligato Henrico* Saxoniæ Duce, Pomeraniam *ei ſubiicere curaturum.* Ita Saxo. Sed in his multa hominis figmenta haud difficulter deprehendas. Quei poruerit enim Cæſar totius Slaviæ præfecturam Waldemaro Regi aut promittere aut concedere, cum bona eius pars iam multo tempore fuiſſet iuris Ducum Saxoniæ & Marchionum Brandeburgenſium? Quei iurarint illi in Slaviam Waldemaro Dano ſubſtraturos? Qui hoc fecerit Henricus Leo, is qui vt oſtenderet ſe Rege illo nihilo inferiorem, quoties cum illo ad Eidoram colloquium aliquod inſtituit, non niſi in medio ponte illum cõvenit: id quod ipſe Saxo notavit? Quid? quod Saxo ipſe narret, ſtatim à reditu ſuo ex Burgundia & Cæſaris aula Waldemarum *Slavorum orientalium, ſibi virium fiducia rebellantium, defectionem expertũ* cum Henrico *belli ſocietatem* contradixiſſe. Eiuſdem verba ſunt: *Henricus Bugislavi Danorum metu ad ſe decurrentis obſequium pactus, initam cum Rege ſocietatem, tanquam ineptum & ignobile vinculum, diſſicere parvi habuit. Quin etiam apud Crempinum fluvium in colloquium cũ eo deſcendens queſtus eſt, quod militem ſuum Bogislavum coram ſe non accuſatum bello laceſſat: quem ſi iniuriosum exiſtimet, prius accuſationibus quam armis aggredi debeat. Contra Rex negare, ſe vllius potentiæ reſpectu ceſſaturum, quo minus acceptas iniurias mutuis damnis rependere liberum habeat. Ita perſtante cõtroverſia fœdus cum colloquio ſolvitur.* Semel iterumque poſt inter Henricum & Waldemarum ſocietatem bellicam adverſus Slavos æquis conditionibus repetitam, Slavos etiam interdum adverſus vim Danicam ab Henrico Saxoniæ Duce in tutelam ſuſceptos, idem commemorat. Quæ ſi vera ſunt (vera autem eſſe confirmat Helmodi hiſtoria) non vtique ſacramento fuere a ſtricti omnes Principes Germaniæ, Waldemaro Dano Slaviam ſubiicere. Nemo etiam facile crediderit Fridericum Cæſarem Waldemaro adulatũ,

cui

cui herois illius animus magnus ex rebus præclare geſtis non eſt ignotus. Et quare *oraverit* Cæſar Waldemarum, pateretur Pomeranos illos in ſuam fidem adigi, cum illi non eſſent obſtricti Dano, & jam tum hominium Duci Henrico Leoni feciſſent? Nam quod exprobrat Pomeranis Saxo, quaſi Ducum titulis à Cæſare acceptis, *veterem atque hereditariam patria libertatem variis atq; fucoſis dignitatum nominibus venditaverint:* id quā ſit iniquum oſtendunt ipſamet ejus verba l. 14: *Interea Cazimirus & Bugislaus Danicarum virium metu Henrico ſe ſubdunt, regnumq́, ſuum hucuſq; liberum Saxonici muneris faciunt. Ergo dum ex hoſtibus alterum metuunt, alterius iugum ſumpſerunt, auxiliumque petendo antiqua libertatis beneficium amiſerunt.* Imo jam tum ante in militari clientela Ducis hi erant, ceu jam audivimus.

Verum Saxonis contumeliis & figmentis relictis, redeundum ad propoſitum. Clariſſimum vero iam fecimus, ne quidem Rege VValdemaro vllam Slaviæ partem in pleno Daniæ iure fuiſſe: ſed omnem illam ſummo merito in Germanici Imperij obſequio degiſſe. Filius igitur Waldemari Canutus Rex Imperij iura idq; non niſi per vim invaſit, dum non Rugiam duntaxat Daniæ omnino vindicavit, ſed & Pomeranos & Obitritorum Principes in verba ſua ſacramento adegit. Prætextus ipſe belli ineptus fuit. Ita enim Arnoldus l. 3. c. 5. *Canutus multam pacem habens in Regno ſuo, animadvertit quod Slavi in diebus patrum ſuorum multas calamitates terra ſua intuliſſent. Videns etiam eos auxilio Henrici deſtitutos, qui freno dominij ſui maxillas eorum conſtrinxerat, ſuſcepta adverſus eos occaſione, bello eos aggreſſus eſt. Contra quos tamen, conſilio uſus Abſolonis Archiepiſcopi, prudentia magis quam viribus prævalebat.* Fuit τιμωρία ſcil. iniuriæ veteris vltio: quaſi non iamdudum pace conſtituta omnis damni, quondam hinc inde dati, oblivio ſancita ſimul ſit. Merito igitur in Canutum ſuccenſuit Cæſar. Qua de re ita Arnoldus l. 3. c. 7. *Sic humiliata ſunt vires Slavorum & ſervierunt Danis ſub tributo. Hæc autem non ſine indignatione Imperatoris facta ſunt: qui ſe dicebat dupliciter à Canuto Rege iniuriatum, & quod ab eo coronari noluerit, & quod Slavos Imperio ſubditos ſuo dominio per tributum & hominium ſubdiderit.* Merito etiam, vbi licuit, iugo illo iniquo Danico excuſſo Principis in corpus Imperij redierunt. Id quod factum eſt ſtatim poſt prælium illud ad Bornhovedam: quo tempore ſimul & Nordalbingiam vindicatam, ante diximus.

Vnus victorum erat Burevvinus Obotritorum Princeps. Itaque & ſibi ille libertatem peperit, & aliis ſignum extulit ad eam recuperandam. Crantzius cum prælij illius res memoraſſet l. 3. VVandeliæ c. 10. ita ſcribit: *Per qua tempora Demynum oppidum orientalis VVandaliæ, quod tum etiam Danorum regis impoſito paruit præſidio, quum audirent cives, verſa Danorum fortuna Lubecam & omnem Nordalbingiam excuſſiſſe iugum regis, & ipſi de ſua libertate cogitarunt. Interpellavere autem congentiles ſuos, vicinos VVandalos: & facto impetu in præſidium militum quod Rex Daniæ impoſuerat, omnes aut ceciderunt aut abegerunt. Nec manſit ex eo die quisquā in fide regis ex VVandalia præter ſolam Rugiam: quæ virtute Iaromari ſub regis imperio conquievit.* Secuti tamen & Rugiani ſunt ejuſdem ſeculi anno ſexageſimo exemplum aliorum: imo Iaromarus ſecundus ejus nominis non ſatis habens in libertatem ſe aſſerviſſe, claſſe infeſta Dania petita, Selandiam omnem devaſtavit. Qua de re differit Crantzius l. 7. cap. 28. addens. *Per hæc tempora Dania in illum contemptū pervenit vt facile à quovis impugnaretur.* Huius filius Wirzlavus III. hominiū Cæſari Rudolpho præſtitit anno 1283. Neq; poſthæc vnquam in Daniæ ditionem vlla Slaviæ pars rediit, qui regni illius infelix diu fuit ſtatus. Ericus Rex in Chronico: *Anno Domini 1241. obiit inclyta recordationis rex VValdemarus II, in cana Domini: cuius morte vere cecidit corona capitis Danorum. Nam ab illo tempore bellis inteſtinis & deſtructioni mutua vacantes, omnibus in circuitu nationibus facti ſunt in deriſum. Sed terra quas patres eorum gladio ſuo glorioſe acquiſierant, non ſolum ab eorum dominio receſſerunt, verum & plagas maximas regno intulerunt, & illud miſerabiliter confuderunt, principibus regni non reſiſtentibus, ſed ſe invicem lacerantibus & vaſtantibus.* VVitzlavo IV. vltimo Rugiæ Principe defuncto anno 1325. Regi Daniæ iuris priſtini prætextu *maior Rugia pars*, vt loquitur Cranzius l. 8. c. 12 VVandaliæ, *conceſſit:* mox tamen ipſe Rex ius ſuum omne in Rugiam Pomeraniæ Ducibus tradidit. Nec legas ſecuto tempore quidquam à Dano vel tentatum eſſe. Niſi huc trahere velis controverſiam à Chriſtiano III Rege Pomeraniæ Ducibus motam, de bonis quibuſdam ſacris. Nihil enim illa facit ad reipubl. ſummam: ceu liquet ex iis quæ narrat Chytræus Chron. Saxon. l. 16. Vltimus quoque Roſtochij Dominus ſe quidem Dano ſubmiſit: ſed non alicuius veteris iuris ergo, verum quod ſibi à Marchione Brandeburgenſi metueret. Et hoc quoque novum ius ſuum Henrico Meklenburgico ceſſit Rex Chriſtophorus ſecundus: teſte Crantzio lib. 8. VVandal. cap. 6. illum Regem cogitaſſe de revocanda aliquando in Danicum ius Lybeca idem ibidem memorat: ſed eiuſmodi cogitata nihil iuris multo minus dominij quidquam tribuunt.

Vt proinde, iam quadringentorum amplius annorum ſpacio Imperium & Nordalbingiam & Venedicas ſive Slavicas illas terras à Danis ſibi iterum vindicaverit, priſcis limitibus reſtitutis.

CAPVT XVII.

Hungariæ Regnum in obſequio Imperij fuiſſe; ſed non multo poſt aſſeruiſſe ſeſe in libertatem, Reges quoque Cypri & Armeniæ Imperium Germanorum, brevi tamen duntaxat momento, coluiſſe.

Brevis temporis fuit in Daniam dominium. Minus adhuc duravit Hungariæ obſequium: vix momenti ſpacio Reges Cypri & Armeniæ Cæſaris noſtros coluerunt. Eoque pene tædet de hiſce verba facere: ne quid tamen videamur neglexiſſe, pauca in medium adferemus, omnia vno capite comprehendentes.

Arnolphus Cæſar imperabat, quando Hungarorum primum audita ſunt arma. Nomen ipſum

Digitized by Google

ignotum hactenus, niſi ſint Hunugari qui Iornandi *libro de reb. Gethicis* dicuntur, in Attilæ militantes Scythiæ populos: quod mihi ſane per videtur veriſimile. Ab Hunnis Avaribus iis quos Carolus Magnus devicerat, plane alios eſſe, & Arnolphi temporibus demum Pannoniam Daciamque eos occupaſſe, diſertę memorant, qui illi tempeſtati ſunt vicini ſcriptorum noſtrorum præſtantiſſimi. Quibus cum faciunt etiam Regino ad annum 889. & Otto Friſingenſis lib. 6. Chron. cap. 10. Conſentiunt vero & Hungarorum annales, novam tum Scytharum manum duce Cuſala in Daciam & vicinas regiones, per varias regiones, per varia bella incolis exhauſtas, commigraſſe. Vt proinde huic ſententiæ tuto forte liceat accedere. Hi vbi magnam Moraviæ partem Arnolpho non invito occupaſſent, eo defuncto proximam Pannoniam, fertiliſſimam terram, quæ ad Dravum vſque (ſi credimus Aventino lib. 4.) Bajoariæ tum pars erat, ſui iuris fecerunt: unde populabundi Germaniam, Italiam & Galliam multos annos fœde habuerunt, donec ab Henrico Aucupe primum repulſi, ab Ottone Magno penitus fracti, intra Pannonię proximos limites ſe recepere. Aventinus de illa vltima clade l. 5. ita loquitur: *Otto adſerta Germania, populo Chriſtiano liberato, eaque cade perpetrata, ab exercitu Imperator & pater patriæ ſalutatus eſt. Porro Vngri qui domi reliqui erant, tanta ſuorum ruina animo fracti, vallo foſſa ſudibus contra nos ſeſe in locis paluſtribus muniunt, nedum fines alienos invadere (ſicuti per annos quinque & quinquaginta hactenus continenter factitarant) animo poſthac conciperent: contuſi viribus territique potentia Ottonis, ne mutitare quidem de cætero auſi fuere,* Antonius Bonfinius l. 10. dec. 1. *Hoc bello cum innumera multitudo occubuiſſet, Vngarorum vires adeo enervatæ ſunt & exhauſta, vt multis annis in Pānonia ab omni ſe expeditione continuerint.* Itē: *Vngari primi Othonis conflictu enervati, in quiete manſere.*

Idem vero ille Bonfinius Germanis nobis per hic eſt iniurius. *Quin etiam,* inquit, *eo inſolentiæ provecta eſt Germana ſuperbia, vt ob hanc vnam calamitoſam & cruentam Othonis victoriam, ex Vngaro utique fuſo neq; cedente relatam, imperij quoq; Pannonici titulos vſurpet. Blandiri ſibi potius ex re parva quam alienam gloriam recenſere ſtudet,* Num parva res fuerit, quæ *innumera multitudo cecidit,* & *Vngarorum vires ſunt enervatæ,* quilibet judicet. Tantum abeſt vero, vt huius victoriæ ergo titulos Pannonici regni Germania ſibi vſurpaverit, vt iis nunquam ſit vſa. Imo, quod ſciam, repetitur noſtrorū ſcriptorum nemo, qui hac quidem clade Vngariam aſſerat in provinciam eſſe redactam. Factum quidē illud eſt, ſed multo poſt, Henrico III. Cęſare: quo de poſtea.

Non poſſum non in medium heic adferre quæ idem Bonfinius narrat de Auſtria ab Hungaris Rege Guiskone ſive Geiſa occupata & viciſſim Imperio vindicata: quoniam id facit ad rectam limitum notitiam. *Bellum,* ſcribit, *in Auſtriam tantum aliquanto obſtinatius geſſit: quam mortuo Rudigerio tyranno occupavit. Sed Henricus primus Cæſar in Germania declaratus, Leopoldo illuſtri Sueviæ duci, qui ſororem eius uxorem duxerat, Auſtriam Imperio Romano recidentem, ea conditione delegavit, vt ſi Vngaros hinc eiiceret, ea qua quondam Orientalis marchia dicebatur, ducis primus nomine potiretur. Leopoldus expeditionis conditionem accepit, in Geyſam comparato exercitu proficiſcitur. Ad Mellicum oppidum, quod Danubio prominet, cum hoſte congreditur. Cedentibus Vngaris, Geyſa, ne rem alienam vi occupatam pervicatius tenere videretur, Auſtria excedit, & cum Alemannis pacem fecit. Henricus ex cognomento Rebellis, Leopoldi filius, poſt mortem patris in ducatu ſucceſſit: ſed cum Imperio parere recuſaret, dominatu ſuo privatur. Quod vbi ſenſere Vngari, vt armis olim parta recuperarent, regnante Aba (quem Albunum, vel Ovonium Annales plerique nominant) ea validiſſimis copiis repetunt, occupantque. Sed quum Henricus depoſita contumacia, ad Imperij fidem rediiſſet, vt auxilium pro recuperando ducatu imploraret, ex Vngarorum manibus eruere nequivit. Demum Albertus ejus filius & Leopoldi frater, impetrata ab Henrico divo provinciam, paucis menſibus in poteſtatem ſuam redegit: unde de cæteri Auſtriæ duces, ac divus Leopoldus rite profluxere.* Hæc Bonfinius. Quæ tamen omnem Hungariam non attinent, ſed ejus quæ Germaniæ adjacet partem.

Vt autem eo rectius pateat ratio limitis illius omnis, operæ fuerit pretium ex Aventino etiam, accuratiſſimo Bajoaricarum rerum ſcriptore, referre quæ ille l. 4. pag. 34. recitat, vbi Caroli Magni bellū Hunnicum perſequitur. *Arno* (ait) *Archymyſtes Iuvavienſis* (ita appellat Archiepiſcopum Salisburgenſem) *qui iam ex Italia redierat, & Pipinus filius Magni, iuſſu regis cum exercitu in Orientalem Boiariæ limitem, quam maturrime infeſta intentaque acie contendunt, Hunnos ac Avares vlciſcuntur, gentem excindunt, nomen delent, & reiectis Avaribus, fines Boioariæ vſque ad Dravi fluenta promovent: ibi Colonias Boiorum, Venedorumque deducunt. Capere itaque in eo tractu, vnde Hunni extruſi fuerant, multiplicari Boij atq; Venedi: qui adhuc ibi mixti Vgris habitant. Atq; is Boiariæ Orientalis limes firmis præſidiis, vtriuſque gentis munitur. Boiorum præfecti fuere Goteramus, Wernerus, Albericus, & Godofridus. Sed Venedorum ex ipſis rectores fuere Primislaus, Comicas, Stomarus, Otogerion. Poſt hos duces & huiuſmodi Venedorum natio, & qui inter fontes Savi Dravię, conſident cum finitimis gentibus, Boiariæ nobilitati commiſſa eſt. Porro in rebus divinis, religioneq; procurandis, eam omnem provinciam a Dravo flumine Anaſſum verſus, vnde Hunnos & Avares exactos diximus, Arnoni Pontifici Iuvavenſi, eiuſq; ſucceſſoribus perpetuo addixit Carolus. Idcirco ab Arnone rex ſacrificulus creatur Theodericus qui in iſta nuper parta regione, templa quidem dedicet, ſacerdotes cooptet, populum inſtituat, rerum cæleſtium curam gerat, ritus colendi ſummum Deum, eiuſq; voluntatem condoceat. Verum ipſe tamen ſubditus ſit, & pareat Pontificibus Iuvavenſibus. Confectum itaq; eſt octavo tandem anno bellum Avarorum, quod & Hunnorum appellant: non ſine magno (vt verbis D. Ludovici Pij Cæſaris Auguſti, filij Magni, quæ refert Reginerio Batavenſi Epiſcopo, vtar) præliorum labore. Boiariæque regnum vſque ad Dravum flumen, eiuſque oſtia prolatum eſt. Vnde ea regio Oſterricha, Auſtriaque, id eſt, Orientale Boiorum regnum, ac limes poſthac cognominata eſt. Cuius etiam pars nunc ſupra Liham flumen, ad occiduum ſolem vergens, Teutonice Oſterricha, & facto nomine Auſtria Latine vocari ſolet: peculiaribus ſubiecta Principibus, qui iam diu Romano potiuntur Imperio. Infra*

Lihano

Litham nunc pars Vngariæ eſt. D. enim Henricus ſecundus Cæſar Auguſtus, Regulus Boiorum tertius, Stephano Regi, Giſala ſororis ſuæ marito, quo facilius gens effera religionem noſtram reciperet, quaſdam urbes Boiorum, regnique Boiarici, quæ infra Litham ſitæ ſunt, quaſi dotis nomine, tradidiſſe legitur: Nempe Poſenium, Vratiſlaburgium, Sempronium, Oedenburgium, & alia huiuſmodi oppida: aliòquin Vgri, in principio quoque regnum Boiariæ inveſerant, ibique ſedes locarant. Iſthæc omnia ex vetuſtis Imperatorum, & Pontificum noſtrorum diplomatibus & Epiſtolis excepimus.

Idem Aventinus l.5.p.512. cum narraſſet, legatos Vngarorum cum Henrico II. Cæſare pacem & perpetuum fœdus compoſuiſſe, rectori eorum filio Geizonis qui obierat anno 996. Henrici Cæſaris ſororis Giſala deſponſata, ea lege, ut ille exploſa falſorum Deorum ſuperſtitione Chriſti cultum cùm popularibus reciperet: eaque conditione ab Hungaro Principe accepta, illum baptiſmo initiatum Stephani nomen accepiſſe, & A CÆSARE REGEM NVNCVPATVM: Stephanum item ſuos *à pietate Chriſtiana abhorrentes, in obſequio religionis* vi continuiſſe, ſubjungit hæc verba: *Quod ut facilius aſſequeretur, dotis nomine et coloniæ Boiorum, Vratiſlaburgium, Poſenium, infra Phiſcam amnem Oedenburgium, Sempronium, Sabaria & alia pleraque oppida, quondam Boiorum infra Phyſcam, attribuuntur.* Idem porro Aventinus pag.519. narrat Ovonem Regem pacis impetrandæ ergo Henrico tertio Cæſari reddidiſſe, *quicquid intra amnes Litham Phiſcamque continetur, quæ pars quondam D. Stephano amicitiæ cauſſa tradita erat.*

Si Aventinum itaque audimus per Carolum Magnum limites Imperij in Pannonia quidem Dravo ſunt definiti. Vt proinde illo bello Hunnico acceſſerit Baioariæ, omne quod eſt Aniſum inter & Dravum flumina, Hunnis ereptum. Aniſum enim antehac terminum fuiſſe Bajoariæ diſerte teſtantur Annales Francici ad annum 792. *Atque ſic inchoato itinere prima caſtra ſuper Aniſum poſita ſunt. Nam is fluvius inter Baioariorum atque Hunnorum terminos medius currens, certus duorum regnorum limes habebatur.* Hungari porro ſui juris iterum fecerunt & incolis repleverunt omne quod eſt à Dravo uſque ad Litham: ſed viciſſim coacti ſunt recedere ultra Piſcham, donec amicitiæ cauſſa ab Henrico II. Cæſare Hungaris omnia ſunt reddita ad Litham uſque. Hæc ex antiquis tabulis Aventinus cum affirmet ſibi deprompta, nolim equidem in dubium temere vocare. Quum donationem autem illam Henrici non agnoſcant Hungari & parum interſit, non eſt quare nos illam Hungaris moleſte exprobremus. Nec tamen Bonfinio etiam aſſentiri rato poſſimus, Henrico primum Cæſare Auſtriam Hungaris ereptam, etſi forte ſit vindicata. Ducis titulum Leopoldo propoſitum Auſtriæ cauſſa, à vero alienum eſt: Marchiones enim non Duces, agnovit terra hæc ad Friderici I. Cæſaris tempora, eoſque non Imperij proxime ſed Bajoariæ Ducum clientes. Ab Ovone Auſtriam fœde vaſtatam narrat quidem etiam Auentinus l.5. pag 522. ſed cauſam & eventum longe aliter. Verum quum hæc omnem Hungariam non attineant, aut firmam aliquam poſſeſſionem ſive Hungariæ

ſive Germaniæ non dederint, nihil eſt cauſſæ quare illa nos remoretur.

Stephano Hungariæ Regi Conradus Cæſar bellum quidem intulit: ſed nec tum aliquid Hungaricæ maieſtati deceſſit. De illo bello ita Wippo in Conradi vita: *Eodem tempore multæ diſſenſiones inter gentem Pannonicam & Baioarios, culpa tamen Baioariorum factæ ſunt: ita ut Stephanus Rex Vngarorum multas incurſiones & prædas in regno Noricorum, id eſt, Baioariorum faceret: unde commotus Imperator Chuonradus cum grandi exercitu ſuper Vngaros venit. Rex autem Stephanus minime ſufficiens adverſus Imperatorem, orationibus & ieiuniis in univerſo regno ſuo indictis, præſidium Domini tantummodo flagitabat. Imperator tam munitum regnum fluviis & ſylvis intrare non valens, multis tamen prædationibus, incendiis circa terminos regni iniuriam ſuam ſatis ulciſcens, reverſus eſt: volens tempore opportuniore capta ſua peragere. Sed filius ſuus Rex Henricus adhuc puerulus, Egilberto Friſingenſi Epiſcopo creditus, legatione Stephani regis pacem rogantis accepta, unico conſilio Principum regni, patre neſciente, gratiam conciliationis annuit: iuſte & ſapienter agens, qui regem iniuſte iniuriatum, ultro petentem gratiam, recepit in amicitiam.* De hac Conradi expeditione Hermannus Contractus: *Anno 1030. Conradus Imperator Stephanum Regem cum exercitu petit. Anno 1031. Stephanus Rex miſſis legatis cum Imperatore Conrado pacificatus eſt.* Prius illud etiam Lamberto Schafnaburgenſi notatum eſt.

Hactenus igitur ſalva Hungariæ libertas. At qui Conrado ſucceſſit Henricus III. Cæſar, majore vi aliquot per annos repetitis bellis, Hungariæ regnum in provinciam demum redegit, quod ante diximus. Hinc Wippo in vita Conradi Cæſaris: *Vngaria, quam idem Rex Henricus tertius nobili atque admirabili victoria domuit, & poſt victoriam ſapientiſſimo conſilio ſibi & ſucceſſoribus ſuis ſtabilivit, prædicto tempore* (electionis Cunradi Salici) *nec audire nos ſuſtinuit.* Quod ſi ſupereſſet hiſtoria rerum Heinrici ab eodem Wippone conſcripta, conſtaret nobis rectius tota geſti negotij ratio. Otto Friſingenſis l.6. chron. cap.32. ita communius omnium narrat. *Vngaros quoque variis ac diverſis præliis premens, Petrum Regem eorum ab Ovone rege fraudulenter pulſum, interceſſione Alberti Marchionis,* (Auſtriæ ſc.) *cuius levir erat, exulem ſuſcepit ac cum exercitu Pannonias ingreſſus, congreſſu habito, cum paucis incredibilem multitudinem Vngarorum fudit, Petrum regno reſtituit. Vnde eſt illo rithmus Hermanni Contracti de præfato triumpho, qui ſic incipit: Vox hæc melos pangat.* Contracti illud carmen, ut & liber de rebus geſtis Conradi & Henrici cujus meminit Otto Friſingenſis l.6. cap.32. forte periit: ex chronico tamen ejus diſcimus geſta illa bella ab anno 1042. uſque ad 1046. pene quatuor annos continuos.

Haud abs re fuerit ſaltim eventus varios bellorum illorum ex optimæ fidei ſcriptoribus hic adſcribere. De eo quod anno 1042. geſtum eſt ita Aventinus l.5. *Cæſar cum fines hoſtium nemine prohibente intraſſet, delectus agit, exercitum luſtrat, dumque meridionalem Vngariam invadere, munimentum (quod ripa Rabiniſſa ad arcendos noſtros Ovo impoſuerat) confectis iam machinis poſt triduum expugnare parat,*

addit.

E

Ovo miſſis nunciis pacem ſupplex petit, partem Regni ab oſtiis & finibus Maris fluminis, ad fines Chavionum, & quicquid intra amnes Lubam Piſchamq; continetur, quæ pars quondam D. Stephano amicitiæ cauſa tradita erat, Cæſari reddidit: inſuper ſe quadringenta auri talenta Teutonica, totidem ſerica pallia mulctæ nomine tributurum, & tanto auri pondere damnum à ſe datum compenſaturum, captivos omnes, Giſala Regina quæcunque Petrus ademerit, reſtituturum pollicetur: Pezilonem ducem, cum ſeptem aliis optimatibus, in quos animadvertendi more maiorum, ſi pactis non ſtaret, & poſtridie calendas Decembris verba promiſſa, factis non comprobaret, ius foret, obſidem tradit. Vnum poſtremo orat, ut timori ſuo concedatur, ne in conſpectum Cæſaris venire cogatur. Cæſar conſilio habito, conditiones accipit, Heinricum Boiorum & Vratislaum Boiemiæ rectorem ad Ovonem concedere iubet: coram quibus præeunte ſacrificulo Ovo ſacramentum dicit, pacta iuriſiurandi religione ſancit. Hiſce confectis Cæſar regione recepta, eaque in fidem Alberto eiuſque filio commiſſa, in Sueviam ſe confert.

Idem Aventinus paulo poſt pergit: *Interea loci Ovo tanto periculo metuque liberatus, partem quidem regni quam commemoravi, & ut dixi iam Henrico reddiderat, verum cætera omnia mentitus eſt, captives plaroſque at non omnes reddidit, pactam pecuniam die dicto non ſolvit.* Late deinde perſequitur Aventinus, quemadmodum iterum pertractus Ovonis illa perfidia in Pannoniam Henricus, parva manu ingentem Hungarorum multitudinem ſtraverit, inſigni parta victoria anno ſalutis 1043. quarto nonas Iulij, qui dies inde feſtus habitus ſit. Quibus deſcriptis addit Aventinus: *Cæſar ob fœtorem cadaverum triduo diverſo itinere exercitum victorem circumduxit, Albamque regiam Vngariæ caput, ſedemque regni (quamobrem Teutones Stulvveiſſenburg vocant) cum victricibus ſignis intrat. Certatim Epiſcopi, proceres, cives populuſque Vngrorum ad Cæſarem coeunt, ob iam inſignem victoriam gratulantur: Cæſaremque in templum Deiparæ Virginis deducunt, in regio ſolio collocant regem conſalutant, in verba eius iurant. Cæſar Vgros Boiorum iure donat, convocatoque conſilio, Petrum cum popularibus in gratiam redigit, proceres illi ſacramentum dicere, eundem precario regnare iubet, Boiorum, Boiemarumque copias eidem præſidii cauſa permittit. Hiſce peractis in Occidentalem Boiariã revertitur. Reginoburgiique ſupplicatione decreta, per omnia urbis templa quæ complura ſunt) ſacrificia Deo facit, Sacerdotes, Monachi, Virgines, populus, frequentes ſalutatum ſuperos iuere.* Breviter de eadem re Sigebertus Gemblacenſis: *Henricus Imperator iterum Hungariam ingreſſus cum paucis Abbonem Regem de bello fugavit, & lanceam inſignem Regis recepit. Petrum vero quem Abbo expulerat Hungarorum regno reſtituit, & Hungariam ſibi TRIBVTARIAM fecit.* Idem fere habet Contractus: eſt autem & hic & ille rei geſtæ pene ſuppar ætate, eoque non eſt quare audiamus Bonfinium, quaſi in bello illo major Bajoariorum multitudo ceciderit. Etiam ille tamen fatetur victoriam fuiſſe Henrici, tantum diſſimulat Vngariam tributo obnoxiam tum factam. Sub finem addit: *Dum victor Cæſar ex ingenti labore reſpirat, mileſque aut corpora aut vulnera curat, Vngaricæ reipublicæ legati continuo adfuere: vim, prædam, & agri devaſtationem deprecantur. Petrum regem repetunt, quem Aba ſcelere exactum indoluere, proinde veniam exorant, & Cæſaris EDICTA ſervaturos pollicentur. Benigno hilarique vultu hos Cæſar admiſit, omniaque poſtulata ultro præſtiturum ſe recepit. Poſt hæc una cum Legatis ac exercitu universo Albam perventum eſt, ubi in æde divæ Genitricis Petrum regno eiectum his rite reſtituit. Diadema, ſceptrum, cæteraque inſignia reddidit: & regem Vngaris, Vngaroſque regi reconciliavit. Omneſque antiſtites & optimates Cæſaris edicto in regis manus ultro iurarunt, ſe perpetuo eius imperata facturos, neque legitima unquã obſequia detrectaturos. Mox rebus compoſitis, pacataq; Vngaria, Henricus Ratisbonam ſe recepit. Petruſque Alemannorum auxilio recuperato regno potitur.*

Anno 1045. Petrus rex quo ferocientem populum in officio contineret, denuo Cæſarem Henricum invitavit. *Cæſar,* ait Aventinus, *in Vngariam navigat Albamque Regiam petit: ubi honorifice quinquagenalibus excipitur. Ipſo die feſto Petrus regnum cum haſta aurata reddit, faſces regni ad PEDES Cæſaris deponit cum maximo auri pondere, quod militibus ſuis Cæſar diſtribuit. Regio inde luxu convivium initur, cæna dubia apponitur. Cæſar armatus armatiſque ſeptus ob perfidiam inimicorum, epulatur: ſeptem ibi dies commoratur. Abiturus cunctos accerſiri iubet quos idoneos ducebat, eorum conſilium habet. Ita more maiorum ex conſilii decreto Regnum rurſus IN FIDEM Petro tradit, Vngros ſacramenta redintegrare imperat, eos non alium Regem præter Petrum & filium eius recepturos: cæterum poſt horum fata in POTESTATE Cæſarum fore perſancte deierare, ritu ſolenni ſancire præcepit.* Ita Aventinus. Paulo aliter Bonfinius: *Inſequente poſt reſtitutum Petrum anno Henricus Vngariam reviſit. Quem rex Petrus tam mirifice excepit, ut ab eo regnum, ut revera acciderat, ſe recepiſſe oſtenderet: cum omnibus optimatum magiſtratuumque ordinibus obviam prodiit, diadema cum aurata haſta detulit, moxque magnificentiſſime donatum in Germaniam remiſit.* Iterum diſſimulat Bonfinius datam Petro *in fidem* ſive feudum Hungariam. Ex recentioribus quoque Hungariæ ſcriptoribus nonnulli plane id negant: quos inter eſt Petrus à Revva & Reipublicæ Vngaricæ deſcriptor ille in Batavis ab Elzevirio editus pag. 245. Sed cum præter Aventinum optimæ fidei auctores ex ipſo illo ævo, Wippo, Contractus & Sigebertus id narrent, licet, niſi fallor, tuto id credere. Diſerte Contractus in chronico ad annum 1045. *Petrus Rex Henricum Regem in feſtivitate Pentecoſtes ad ſe invitatum magno paratu ſuſcepit, & maximis muneribus donavit, eique regnum Pannoniarum, principibus Hungarorum FIDELITATEM ILLI ET SUCCESSORIBVS EIVS iuramẽto firmãtibus, reddidit.*

Fatemur tamen & nos non ſatis in ſolido fuiſſe collocatum Hungariæ illud obſequium. Nam Petrus ſequente mox anno à ſuis perfide interemptus, electo Andrea Rege, Cæſare in Italia abſente. De illo tamen etiam Andrea Aventinus: *Deinde legatos ad Cæſarem in Italiam proficiſci iubet, qui ipſum muneribus purpuratos donis placarent, docerentque Petrum domeſtica ſeditione interemptum, percuſſores omnes pœnas dediſſe, ſe à popularibus regem ſalutatum. Quod ſi Cæſar auctor fieret, ſe tributum quotannis penſitaturum, redditurumque omnes conſpirationis auctores, pollicetur. Se nihil impenſius cupere quam*

cum

Digitized by Google

cum amicitia & GRATIA Cæſaris regnare. Cæſare jam in Germaniam reverſo, miſſos iterum legatos ab Andrea refert Aventinus. *Eadem*, inquit, *tempeſtate Andreas Ungrorum rector crebro legatos ſupplex mittit: primo de nece Petri ſe purgat: deinde ſe invitum coactumque ab Ungaris regnum ſuſcepiſſe: eos qui adverſus Petrum conjuraren partim à ſe trucidatos, partim in cuſtodia, quos traditurus ſit Imperatori ſervari docet. Poſtremo annuum TRIBVTVM pollicetur, ſe in CLIENTELAM Cæſaris dicat, ſi eius beneficio auctoritate & pace rerum Vngaricarum potiatur.* Etiam hoc in dubium vocat Bonfinius. Sed habet & hoc diſerte Contractus ad annum 47. *Andreas qui regnum Petri obtinuit jam crebro legatos ſupplices miſerat, regnum ab Hungaris coactum ſe ſuſcepiſſe confirmans: de Petri ſeſe injuriis excuſans: quique adverſus eum conſpiraverant partim à ſe trucidatos partim Imperatori tradendos denuncians, ſuamque Imperatori SVBIECTIONEM, annuum cenſum, & devotam SERVITVTEM ſi regnum ſe habere permitteret, mandans. Quibus ex cauſſis dilata expeditio illa.* Etiam alia quam multa de Andreæ hujus cum Henrico Cæſare negotijs aliter Contractus, & hunc ut videtur quam maxime ſecutus Aventinus & alij Germanici ſcriptores, aliter longe Bonfinius & cæteri quidam Hungaricarum partium narrant. Sed nihil attinet illa huc adducere. Non invenio tamen apud noſtros Andream tributum pendiſſe, aut fidem Cæſari juraſſe perinde ut Petrus fecerat: multo minus id fatentur Hungarici. Fortaſſis tamen hoc voluit innuere Contractus ad annum 1059. ſcribens: *Andreas Pannonia Rex cum prius pacem PACTVMQVE per legatos cum Henrico* (loquitur de Henrico IVto) *Rege confirmaſſet, etiam ſororem eius minorem filio ſuo adhuc puero ſponſam obtinuit.* Itaque fortaſſis nec Andrea Rege Vngaria à promiſſo obſequio reſiliit. At non par ſtatus fuit Bela Rege: utpote qui Germanica auxilia adverſum ſe Andreæ miſſa (non tamen ipſum Cæſarem ut fabulantur Hungari) aſtu circumventa fame expugnavit.

At Bela Rege anno 63. defuncto omnihil ad officium Hungaria rediit. Lambertus Schafnaburgenſis ipſa illa ætate ita ſcripſit: *Bel qui regnum invaſerat Vngarorum, obiit. Ioas* (ita appellat quem cæteri Geizam vocant *filium*) *eius ſatius putans moderatis opibus in pace perfrui, quam immoderatas ambiendo calamitatem atque excidium parere genti ſuæ, mandavit regi Heinrico, ſi ſibi apud Salomonem filium Andreæ regis, natalibus & meritis ſuis condignus honor haberetur, ſubditum ſe ei fidelemque futurum, & malle beneficiis cum eo quam armis, fide quam acie dimicare. Eadem Vngari omnes aſſidua legatione pollicebantur. Ita rex Henricus Vngariam cum exercitu ingreſſus, Salomonem in ſolium Patris reſtituit, cuncta eius coniugium ſorore ſua; ablatiſque omnibus qua regi ſcrupulum movere, vel regni ſtatum labefactare poterant, in pace remeavit ad Gallias.* Aliter nonnihil hæc narrat Aventinus. At nec ille nec Schafnaburgenſis nos docet, quibus conditionibus Stephanus in clientelam Cæſaris fuerit receptus. Bonfinius vero l.3. decad.2. longam fingens orationem qua Hungarorum mores Henricus Cæſar perſtrinxerit, inter alia ita locutum illum narrat: *Vos pontifices ac ſatrapa, hunc ex more create Regem, ac ſolemnibus ceremoniis ſacroſanctum facite. Ego vero* addit.

quem vos iuſſeritis eſſe regem, Salomonem, AVGVSTALI AVCTORITATE CONFIRMABO. Addit Bonfinius. *Imperatoris dicta primum à pontificibus & primatibus, deinde ab univerſa multitudine approbata.* Ipſo itaque Bonfinio fatente, Salomon Rex Cæſarea auctoritate regno præfuit. Idem pag. 244. ſcribit, rebellantes Salomoni Geizam & Ladislaum dixiſſe: *Vngaricam gentem à Germanorum ſervitute liberare contendimus.* Quæ verba Germaniæ auctoritatem, quæ tum erat, itidem indicant. Multo maxime vero illa elucet ex querela Salomonis jam regno pulſi, qua uſus eſt apud Henricum IV. Cæſarem: quam hiſce verbis l.4. refert Bonfinius. *Eo vehementius*, inquit, *apud Imperatorem Salomon in querelas exarſit, non tam ſibi quam Imperatoria maieſtati iniuriam illatam eſſe, ſubiiciens: quandoquidem AD IVS ROMANI IMPERII ſpectare dicebat Vngariam. Vbi cum AVGVSTALI AVCTORITATE regnabat, imperata cuncta præſtabantur, ſtatuta vectigalia ſolvebantur, & nil erat quod Cæſarea ditioni non obtemperaret. Nunc poſtquam ipſe regno, à quibus minime decuit, eiectus eſſet, legitima abnegaſſi obſequia referebat, nihilque Cæſareo nomine in Vngaria infeſtius audiri.*

Lambertus Schafnaburgenſis narrat, Salomonem tum, *magnam partem Regni & ſex munitiſſimas Vngaria civitates, ſeque tributarium fore*, ſi regno per Cæſarem reſtitueretur, obtuliſſe. *Hac mercede*, pergit Lambertus, *redemptus Cæſar illico miſſis circumquaque nunciis Principes in expeditionem ſolemni indictione evocavit. Sed alii temporis anguſtias, alii rei familiaris inopiam plerique quod opes ſua bello ſolemnis nimium attrita fuiſſent, item alii aliud excuſationis genus obtendentes, omnes pariter militiam detrectabant. Ipſe tamen, ne tantum reipublica commodum caſu oblatum ſua ignavia corrumperetur, gregario tantum ac privato milite contentus, infeſto exercitu ingreſſus eſt Vngariam, & nonnullas eius regiones hoſtiliter peragravit.* Subjungit tandem peſtilentia & fame compulſum Regem, *nullo inſigni facinore perpetrato Vngaria exceſſiſſe.* Contigit autem illa Salomonis expulſio, & hæc Henrici irrita expeditio anno 1074. ut quidem habet Schafnaburgenſis. Sigebertus tamen ad annum ſequentem demum notat: *Hungari CONTRA IMPERATOREM ſuum rebellant, & Regem ſuum Salomonem ſub diuturna cuſtodia excruciant.* Vtut ſit; breve fuit hoc novum etiam Vngariæ obſequium: ab anno nimirum 1063. ad 74. aut 75. tantum ſpacio undecim circiter annorum exporrectum. Nec vero pereuntem Imperij gloriam, Principum illa ſocordia & civilibus bellis undique impeditus Henricus Cæſar, potuit quoad vixit recuperare.

Non poſſumus hoc loco ſilere inſignem injuriam Hildebrandi ſive Gregorij ſeptimi Papæ: utpote quem, & Salomone illo Rege & poſt Rege Geiza, id operam malis artibus dediſſe, ut Hungariam Germanico Imperio ereptam, ſibi & Pontificibus Romanis ſubijceret, ipſæmet illius literæ loquuntur. In hæc verba enim ad Salomonem quidem epiſtolam dedit, quæ decimatertia eſt libri ſecundi & à Baronio recitatur ad annum 1000. num. 20. & annum 1074. 0.81. *Gregorius ſervus ſervorum Dei Salomoni Regi Vngarorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Litera tua ad nos tarde propter moram nuncii tui, allata ſunt. Quas quidem multo be-*

benignius manus noſtra ſuſcepiſſet ſi tua in cauſſa conditio non adeo B. Petrum offendiſſet. Nam ſicut à maioribus patriæ tuæ cognoſcere potes, regnum Hungariæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ proprium eſt, à Rege Stephano olim beato Petro cum omni iure & poteſtate ſua oblatum, & devote traditum. Propterea Henricus piæ memoriæ Imperator ad honorem S. Petri regnum illud expugnans, victo Rege, & factâ victoriâ, ad corpus B. Petri lanceam coronamque tranſmiſit, & pro gloria triumphi ſui illuc regni direxit inſignia, quo principatum dignitatis eius attinere cognovit. Quæ cum ita ſint, tu tamen in cæteris quoque à regia virtute & moribus longe diſcedens, ius & honorem S. Petri (quantum ad te) imminuiſti & alienaſti, dum eius regnum à Rege Teutonicorum in beneficium (ſicut audivimus) ſuſcepiſti. Quod ſi verum eſt, qualiter gratiam B. Petri, aut noſtram benevolentiam ſperare debeas, tu ipſe ſi iuſtitiam vis attendere, non ignoras: videlicet te non aliter eam habiturum, non ſine Apoſtolica animadverſione diu regnaturum, niſi ſceptrum regni quod tenes, correcto errore tuo, Apoſtolicæ non regiæ maieſtatis beneficium recognoſcas. Neque enim nos timore vel amore, aut aliqua perſonali acceptione (quantum Deo adiuvante poterimus) debitum honorem eius, cuius ſervi ſumus, irrequiſitum relinquimus. Verum ſi hæc emendare, & vitam tuam (ut Regem decet) inſtituere, & Deo miſerante adornare volueris; procul dubio dilectionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſicut matris dilectus filius, & noſtram in Chriſto amicitiam plene habere poteris. Dat. Romæ 5. Kal. Novembr. Indict. 13 Alibi Gregorius ad eundem Salomonem ſcribit. *Noris de hoc regno, quod cum a barbaris Scythis, an Pannonibus non Chriſtianis fuiſſet poſt Conſtantini tempora occupatum, ereptumque Romano Imperio, cui Eccleſia heres ſucceſſit, fuiſſe à Chriſtianis Regibus Eccleſiæ Romanæ, cui debebatur, reſtitutum. Quod de Hiſpania luce clarius eſt, quæ & ipſa à barbaris occupata cum eſſet Eccleſiæ reſtituta a Regibus eſt.* Idem Hildebrandus in epiſtola quadam ad Geizam Regem: *Notum vero tibi eſſe credimus, Regnum Hungariæ & alia nobiliſſima regna in propria libertatis ſtatu debere eſſe, & nulli Regi alterius Regni ſubiici, niſi ſanctæ & univerſali matri Eccleſiæ Romanæ: quæ ſubiectos habet non ut ſervos, ſed ut filios. Quod quia conſanguineus tuus* (Salomon ſcil. Rex) *à Rege Teutonico non à Romano Pontifice uſurpative obtinuit, dominium eius, ut credimus, divinum iudicium impedivit.* In quadam alia ad eundem Geizam epiſtola hæc habentur: *Verum ubi correpto dominio nobili B. Petri Apoſtolorum Principis cuius Regnum eſſe prudentiam tuam non latet, Rex ſubdidit ſe Teutonico Regi, & regale nomen obtinuit, Dominus iniuriam ſuo illatam principi prævidens, poteſtatem regni ſuo ad te iudicio tranſtulit. Et ita conſanguineus tuus* (Rex Salomon ſc.) *quicquid in obtinendo regno iuris prius habuit, à ſe ſacrilega uſurpatione privavit. Petrus enim à firma petra dicitur, quæ portas inferni conſtringit, atque adamantino rigore deſtruit, & diſſipat quicquid obſiſtit.*

Hæc & ſimilia alia tum ſcripſit Hildebrandus. Et Geiziæ quidem rebellionem contra legitimum Regem ac dominum ſuum ut & Imperium Germanicum, eiuſmodi epiſtolis fuiſſe confirmatam, & Imperij iura Hungarorum animis contra pacta iurata, exempta, prudens quiſque facile intelligit. Eandem rebellionem forte haud ſine cauſſa dixeris, ſtatim initio illis epiſtolis ſi non motam ſaltim promotam. Nam prior utique illa ad Salomonem epiſtola ſcripta eſt anno 73.) ut recte notavit Baronius ad annum 1000. non verò 74. ut ſui oblitus ſcribit alibi) qui proxime Geizæ rebellionem anteceſſit. Quid enim ad motus excitandos eſſe potuit promptius, quam ubi fuit perſuaſum populo ab ipſo ſummo Pontifice, Deo inviſam & iniuſtam eſſe beneficiariam illam clientelam qua tum Salomon Rex Cæſari erat devinctus? Quid ad negandum Imperio obſequium efficacius? Haud difficile tamen videre eſt quam inique iſthæc tum Hildebrandus exaraverit. Etenim ſi in omnia accurate inquiras, videas Gregorium nunc hoc nunc illud prætendere ſuo Pontificio in Hungariam iuri ſtabiliendo, & inconſtanter admodum: modo ſcil. hereditarium jus Eccleſiæ Romanæ in omnia Veteris Imperij Romani; modo donationem Stephani & Henrici III. Cæſaris confeſſionem: modo regnorum omnium αὐτοκρατορίαν. Quam ineptum vero eſt illud, regnum omne ſui arbitrij eſſe debere & ſubjectum nulli niſi Romanæ Eccleſiæ? Cui hoc παράδοξον vel auditum unquam fuit, tantum abeſt ut cui unquam fuerit perſuaſum? Hereditarium illud jus porro nititur utique ſola Conſtantini Magni donatione: quam turpiter fictam eſſe jamdudum innotuit, & Baronius ipſemet jam agnovit. A Stephano Rege præterea ejuſmodi donationem aliquam factam S. Petro, nuſquam alibi legas; ne quidem in ſacra Regis illius hiſtoria: etſi benedictionem & coronam Regiam Roma ſibi impertiri, pro more ſeculi illius, voluerit. Qui vitam ejus deſcripſit Gertvitus ita loquitur: *Erat Rex fidelis & integer in omnibus factis ſuis, Deo toto pectore deditus & addictus: ſeipſum quoque & regnum ſuum per votum & oblationem in perpetuæ virginis Mariæ tutelam aſſiduis precibus contulit. Cuius ſacratiſſimæ Virginis honor & gloria tam eſt celebris apud Hungaros, ut feſtum aſſumptionis eius, tacito proprio nomine ſua lingua diem Dominæ appellent. Atque ut Rex piiſſimus propenſiorem tantæ Virginis defenſionem & patrocinium poſſet promereri in ipſa regia ſedis civitate, quam Albam vocant, in eiuſdem perpetuæ Virginis laudem & honorem grandem & inſignem atque imprimis celebrem baſilicam condidit, opere ſane mirifico calatis chori parietibus & pavimento marmore ſtrato.* S. Virgini itaque devotam à Stephano rege Hungariam dixeris forte: Petro Apoſtolo non item. Et vero in alicujus ſingularis erga Deiparam cultus memoriam, ab antiquiſſimis temporibus non S. Petri ſed Virginis imagine ſignat nummos ſuos Hungaria, addita hac inſcriptione: *Patrona Hungariæ.* Henricum III. Cæſarem Ovone devicto lanceam ejus & coronam pio affectu Romam miſiſſe non negaverim: at illum judicaſſe Hungariæ Regnum Papis deberi, hoc profecto omni illi repugnat, quod jam oſtendimus de Hungaria à Cæſare iſto in provinciam redacta. Commenta hæc ſunt hominis, qui hoc ſolum ſibi negocij credebat datum, ut Imperium Germanorum everteret, ſibi vero ſuiſque poſteris dominatum aliquem divinum in omnem mundum compararet; qualia proinde de omnibus pene regnis finxit plurima ſine rubore. Nũ Geizæ illam de Stephano fabulam perſuaſerit Hildebrandus, neſcio. Bodinus l. 1. de republ. cap. 9. nu. 134. ita ſcribit: *In Actis Vaticanis extat intercesſio*

Principum

Principum Hungariæ adverſus Pontificis Romani legatum anno MCCCIIX, eis cum diceret, Stephanum I. Hungariæ Regem à Pontifice Romano coronam regiam accepiſſe, acerrimè reſtiterunt, neque id Romano Pontifici iam eſſe denunciârunt.

Sed noſtra nihil refert quid Hungari poſt admiſerint, nec ne. Satis eſt oſtendiſſe, citra Papæ injuriã potuiſſe & illos in obſequium Imperij venire, & Cæſares noſtros Hungaris imperare. Cæterùm poſt Salomonis illa tempora, non temerè obſerves indiciũ aliquod ſuperſtitis in Hungaros imperij, fractis jam nimium reipubl viribus. De Henrico V. Cæſare tanquam memorabile narrat Otto l. 7. Chron. cap. 13. *Eo tempore Calomannus Vngarorum rex fratrem ſuum Almum de conſortio regni ſuſpectum habens, perſequitur. Qui profugus ad regem Henricum veniens iniuriamque ſuam deplorans, auxilium eius impetrat. Itaque condicta Rex expeditione, Vngaros bello petit, ſed caſtrum quod Poſonium dicitur, inconſultè occupans, parùm proficere potuit, ſicque infecto negotio ad propria redijt.* Idem cap. 14. de Lothario Saxone: *Vngarorum Rege timore perculſo multa & magnifica munera ſuſcepit.* De Friderico I. ita ſcribit idem Otto Friſingenſis l. 2. de geſtis Friderici c. 6. *Ibi etiam Princeps, eo quod omnibus in proprijs Imperij finibus ad eius voluntatem compoſitis, virtutem eam, quam intus gerebat, extra ferre diſponeret, Hungariæ bellum indicere, ipſoſque ad monarchiæ apicem reducere volebat. Sed cum aſſenſum ſuper hoc Principum, quibuſdam de cauſis latentibus, habere non poſſet, ad effectum tunc producere ea, quæ volvebat mente, non valens, ad opportuniora diſtulit.* Huius nepos Fridericus II. Cæſar anno 1248 pulſis Tartaris Vngariam feudi vinculo imperio fecit iterum obnoxiam; ſi ſanè credimus Matthæo Pariſienſi ſcriptori Anglicano συγχρόνῳ. Non poſſumus non huius verba ex hiſtoria Henrici III. Angliæ Regis repetita in medium hìc afferre. *Per eoſdem dies, Rex Hungariæ expulſus de Regno ſuo per Tartaros, ad alas protectionis Imperialis convolavit, ab eodem in tali articulo conſilium efficax & auxilium contra communes hoſtes petiturus. Habito igitur diuturno & ſecretiſſimo conſilio, procuratum eſt, quod Dominus Imperator ab irruptione hoſtili & barbarica potenter Regnum Hungariæ liberaret, ut ſcilicet, dictus Rex Regnum illud liberatum & pacificatum ab ipſo Imperatore & deinceps ab Imperio teneret, quaſi à Domino capitali. Miſſo igitur innumerabili exercitu, Imperator Regnum memoratum, non ſine magnis ſumptibus & periculis ab inhumanis Tartaris liberavit, & eoſdem procul a finibus Regni potenter & prudenter eliminavit. Fuerunt qui dicerent, quod machinante Imperiali aſtutiâ illuc pervenerunt ipſi deteſtandi Tartari, dominatus Imperatoris attendentes & obligati, hæc omnia facientes, ut Imperator Regem & Regnum taliter poteſtati ſuæ ſubiugaret. Sed hæc lividorum ſuſurra fuit, nec credi debet oblocutio hæc. Igitur liberato Regno Hungariæ, & Rege pacificè reſtituto, ſubiecta facta eſt Hungaria Imperio & obligata in trecentis militibus, & eorum ſequela, Imperatori in confinijs pugnaturo fideliter exhibendis.* Hactenus Matthæus ille. Cæterum poſt Fridericum hunc in Hungariam, Imperij quidem Germanici nomine, nihil eſt vel tentatum.

Vt proinde, quicquid fuit juris id jamdudum tot ſeculorum decurſu perierit. Quod ipſum non ſemel etiam ultro profeſſi pridem ſunt, idque in publicis comitiis, Imperij Germanici ordines. Extat ejuſmodi confeſſio in Conſtitutionibus Imperij, quæ anno 1566. Auguſtæ in Comitijs fuerunt promulgatæ. Vbi Maximilianus Cæſar ita loquitur: Ober vorigen haben vns Churfürſten / Fürſten vnd Stände / in ihrer bedencklichen anzeigen / vnter andern auch fürbracht vnd anlangens gethan Dieweil ſie nun etlich mahl mehr gedachtem vnſerm geliebten Herren und Vatter Keyſer *Ferdinando* hochlöblicher Gedächtnüs ihr mitleidenliche Hülffe / zu rettung des Königreichs Hungern / gutwillig erzeigt / vnd ſich mit anſehenlichen *contributionen* des gemeinen Pfenningn / vnd anderer Reichshülffen beladen / an Gelt / vnd Leuten getrewlich zugeſetzt / auch ſeynd vns zu allem Vnterthenigſten gehorſam / in ein mercklich anſehenlich hohe Reichshülff / abermals gedachtem Land fürnemlich zu gutem einlaſſen / Da doch ſolche Landſchafft dem heiligen Reich Teutſcher *Nation*, in nichts nicht verwand / oder zugethan etc. Non negavit hoc Cæſar: tantùm cenſuit non iniquum videri; ut aliquando Hungaria in ſignum gratitudinis propius cum Imperio coeat in unum corpus. Daß es nicht vnziemlich vnd vnbillich daß zu einer Danckbarkeit gemelt Lande zu Hungern / da es durch Göttliche milde Gnade / von dem Feind errettet / in etwas auffnehmen gedeihe vnd zu Kräfften keme / es dem heiligen Reich auch zugewant / verbunden vnd zugethan / auch gegen andern Feinden / wo ſichs zutrüge / vnd als Römiſcher Keyſer / Churfürſten / Fürſten vnd Ständen / behülfflich beyſtändig ſein / auch gleichsfals mit in gemeine Reichs *contributionen* eingezogen werden ſolte.

Cæterùm de brevi illo Hungariæ obſequio forte juſto prolixius jam diſſeruimus. De cultu quo Imperium & CYPRI & ARMENIÆ Reges aliquando ſunt proſequuti, quum ille momentaneus fuerit, erimus eò ſtrictiores. Igitur quo tempore expeditionem ſacram in Palæſtinam inſtituebat Henricus VI. Imperator, quaſi in clientelam Occidentalis Imperij ſe dedit Rex CYPRI, coronam à Cæſare noſtro imponi ſibi expetens. Eam rem ita narrat Arnoldus Lybecenſis l. 5. cap. 2. *Circa feſtum B. Ægidij de Meſſana civitate profecti ad portum Accon in feſto B. Mauricii, cum ſumma tranquillitate & ſalute integroque navium numero applicuerunt. Cancellarius tamen* Cæſaris Conradus *cum Comite Adolfo aliiſque amicis apud Cyprum adlittavit, Regem eiuſdem inſulæ coronaturus diademate à Domino Imperatore tranſmiſſo. Sanè idem Rex ſub ditione Conſtantinopolitani Imperatoris prius ſubſiſtens, ad maiorem gloriæ ſuæ dignitatem à glorioſiſſimo Romanorum Auguſto coronari deſideratiſſimè expetiit. Illuc itaque glorioſè veniens glorioſius excipitur, lautiſſimè detinetur, expletiſque inſtantis negotii rebus, exquiſitiſſimis ditatus muneribus, omnibuſque ſuis prout cuiuſque exigebat magnificentia, repedatis navibus Accon proſperè velificabat.*

Eadem expeditione & ARMENIÆ Rex in clientelam Imperij pari ratione conceſſit. Narrat etiam hoc idem Arnoldus cap. 5. idque factum refert, jam increbreſcente famâ de morte Cæſaris, eoque plæriſque jam domum redeuntibus. *Remanſit*, inquit, *Dominus Moguntinus & Dominus Verdenſis, & quidam de nobilioribus cum populo Dei, miſericordiam ipſius & conſolationem expectantes. Moguntinus tamen tunc aberat, in Armenia conſtitutus pro coronando rege eiuſdem terræ, ad quod tamen negotium*

Digitized by Google

Cancellarius deputatus fuerat, qui, ut dictum eſt, in Cypro ſimilia perpetraverat. Sed cum eſſet apud Baruth, viſum eſt Principibus, ut remanente Cancellario Moguntinus vicem ejus ſuppleret, & ipſum Regem diademate impoſito ad titulum Romani Imperii coronaret. Ipſe enim Rex omnimodis hoc affectans, audita fama virtutis populi Dei, & quia Dominus ad ipſorū introitum omnes inimicos eorum terruiſſet, & quia glorioſè multa loca munita obtinuiſſent, miſſis nunciis honoratis cum muneribus non paucis, ipſos Principes devotè ſalutavit, & quanto deſiderio ipſorum adventum expectaverit, per ſcripta ſimul & verba ampliſſima intimavit: paratiſſimum ſe dicens Romano ſubdi Imperio, ſi coronam diu deſideratam ab ipſius mereretur ſuſcipere nuncio. Glorietur Eccleſia Romana, quæ non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam favente Chriſto dilatatur in temporalibus, ut etiam reges tranſmarini hoc titulo affectent inſigniri. Viderint tamen illi, qui hac dignitate neglecta, plus diminutionem quam Romani orbis attendunt dilatationem. Moguntinus igitur, ut diximus, glorioſè expleto hoc negotio, ipſum regem Armeniæ & Principem Antiochiæ ad pacis concordiam reformavit, quorum diſſenſione non modicum Eccleſia Dei in partibus illis turbata fuerat.

Hæc ita tum geſta. Num & poſt repetita per occaſionem, aut alia obſequij edita ſint indicia, ignoro. Nec fortaſſis refert ſcire illa an ignorare.

CAP. XIIX.

Poloniam ab Ottonis Magni ævo ad Friderici II. tempora, pene ſemper, & ſubiectam & tributariam fuiſſe Imperio Germanico.

POlonorum, quorum erga Imperium diuturnam ſatis reverentiam nunc dicturi ſumus, gentem jam illo ſuo nomine cognitam, videor mihi obſervare primo omnium apud Iornandem l. de reb. Gothicis c. 4. ubi ille ſcribit, Gothos trajecto Viſtula amne ex Germania in Scythiæ terras perveniſſe *quæ lingua eorum Oium vocabantur*, & illico ad gentem SPALORVM profectos, conſerto prælio victoriam adeptos, ad extremam Scythiæ partem quæ Pontico mari vicina eſt, properaſſe. Habitaverant ſcil. hactenus Gothi littora maris Balthici, inter Oderam fere & Viſtulam. Circa Dantiſcum igitur præter propter trajecto Viſtula pervenêre in Maſoviam: quæ omnis terra frequentia admodum nomina in Oju aut Oui terminantia habet. Inde Poli aut Spali Gothis occurrerunt, prout hodieq; ex parte occurrunt. Quibus emenſis ad Ponticum mare jam facilius deſcenditur.

Cæterum huic conjecturæ meæ pro ſe quiſque addat ſive demat fidem. Inſtituti noſtri eſt duntaxat videre, quid in gentem illam juris Imperium aut habuerit olim aut habeat hodieque. Qua in re multum profecto intererit noſtra an Polonica monumenta ſequaris: uſque adeo à ſe invicem diſſident. Noſtris tamen, ijs præſertim quæ rei geſtæ ævo ſunt ſcripta, ab hominibus pijs & fidei alias haud ſuſpectæ, niſi vehementer fallor præ Polonicis fidendum potius. Vtpote quum Polonica omnia recentia admodum ſint, ceu Poloni ipſi fatentur, & excuſſo jam Germaniæ obſequio ſcripta, cum puderet vel memoriam priſtini ſtatus ſupereſſe: noſtra ex adverſo, præterquam quod antiquitate veneranda ſunt, aliorum quoque teſtimonijs corroborentur.

Prima cum Polonis bella Ottonis Magni Cæſaris auſpicijs memorantur geſta. Quo tempore ſola Sileſia Polonia major minorq; & Maſovia fortaſſis rempublicam gentis conſtituerunt, præerat certe rector Miſico. Dithmarus, quem Merſburgenſem cōſtat Epiſcopum nobili genere natum & inſigni probitate fuiſſe Henrico II. Cæſare, ita loquitur l. 2. pag. 28. *Garo orientalium Marchio, Luſiizi & Selpuli, MISICONEM quoque cum ſibi ſubiectis IMPERIALI SVBDIDIT DITIONI.* Miſiconem hunc Miecziſlai nomine etiam Polonorum annales celebrant, reliqua pene omnia cum noſtris conſentientes, niſi quod hanc gentis ſuæ ſubjectionem diſſimulent. At tributarium illum fuiſſe diſerte idē prodit Dithmarus pag. 22. *Vdo Marchio Miſiconem Imperatori fidelem, tributumque uſque Vurta fluviū ſolventem, exercitu petivit collecto.* Hæc niſi fallor ita accipienda ſunt: tributariam tum fuiſſe omnem Miſiconis regionem ad Wartam uſque à Bohemiæ & Luſatiæ finibus. Idem Dithmarus l. 4. teſtatur, Ottone II. mortuo cum Henricus Bavarus Imperium ambiret, advolaſſe inter alios & Miſiconem. *Huc Miſeco, & Miſtius* Obotritus, *& Boleſlaus* Bohemus, *Duces cum cæteris ineffabilibus confluebant, auxilium ſibi deinceps ut REGI & DOMINO cum juramentis affirmantes.* Ipſomet rerum potiente Ottone III. huic ſeſe Miſico dedit. Dithmarus lib. cit. pag. 36. *In diebus illis Miſeco ſemetipſum Regi dedit, & cum muneribus aliis camelum præſentavit, & duas expeditiones cum eo fecit.* Hoc eſt illud quod Lambertus notat ad annum 886. *Otto rex puer Miſchonem cum muneribus obvium ſuſcepit.* Quam reverenter idem Miſico ipſos Germanicos Marchiones habuerit, liquet ex hiſce verbis ejuſdem Dithmari ex l. 5. pag. 54. *Vivente egregio Vdone Marchione, pater iſtius Boleſlai Miſeco, domum in qua eum eſſe ſciebat, intrare, vel eo aſſurgente numquam præſumpſit ſedere.* Hic eſt ille, quem Witikindus amicum & fidelem Ottonis Magni Cæſaris laudat: defunctus *anno 992. regni tertii Ottonis octavo*, ut quidem diſerte refert Dithmarus l. 4. pag. 46. ubi multa alia de illo narrat. Polonorum annales mortem ejus referunt in 999. annum.

Non in alias leges initio quidem patri ſucceſſit indubie Boliſlaus; quem Poloni Chrobri cognominant, Cæſarum in Poloniam quod tum erat jus, loquitur, inſtitutus ab Ottone III. qui anno 999. religionis ergo ſepulchrum S. Adalberti martyris miraculis claru viſitaturus, in Poloniā ad Boliſlaum profectus erat, Archiepiſcopatus Gneſnenſis. *Fecit*, inquit Dithmarus l. 4. pag 43 *ibi Archiepiſcopatum, committens eundem prædicti martyris fratri Kadimo, eidemq; ſubjiciens Reinbernum ſanctæ Cholbergenſis Eccleſiæ Epiſcopum, Popponem Cracuenſem, Ioannem Wrotiſlaenſem,* (forte Wratiſlaenſem) *Vngero Poſnanienſe excepto, factāq; ibi altari ſanctas in eo honorificè cōdidit reliquias.* Nō habent hoc Polonici ſcriptores: indubiè vero meretur fidē Dithmarus auctor pene αὐτόπτης, eoque & Baronius ad annum 999. n. 12. Dithmari fidem ſequi non dubitavit. Poloni vulgo ſic ſatis conſtanter referunt ab Ottone Cæ-

ſtre tū corona donatum & in ordinē Regium cooptatum Boliſlaum. Hinc jam ævo barbaro Gneſnæ Boliſlai ſepulchro inter alia hoc inſcriptum eſt.

Ob famam bonam tibi contulit Otto coronam.

Argueret etiam hoc Cæſaream auctoritatem, ſi eſſet verum, deberet Polonia beneficio huic Germanici Cæſaris gratias immortales. At vero nuſquam Dithmaro Boliſlaus Regio nomine nuncupatur ſed Dux? & tamen perſecutus ille eſt Boliſlai omnia ſic ſatis accurate ad annum uſque 1018. Paulo poſt etiam audiemus Wipponem narrantem, à Boliſlao aſſumptum Regium nomen demum defuncto jam Henrico II. Baronius ad annum 1000 n. 18. ex hiſtoria Romualdi à Petro Damiano deſcripta præclare notat, Boliſlaum à Romano Pontifice coronam ſibi petiiſſe, ſed fuiſſe impeditum ab Henrico Cæſare: recte hinc colligens, ab Ottone III. Boliſlaum illum regium titulum non obtinuiſſe. Cartuitus Hungarus in vita S. Stephani narrat, anno regni quarto Stephanum Roma coronam adeptum, quæ Miſicæ Polono erat deſtinata. Incidit autem ille quartus annus in Chriſti milleſimum: adeoque ſi vera eſſet Cartuiri narratio, vel hinc appareret fabulæ illius de donato ab Ottone Regio titulo vanitas. Sed etiam illam fabuloſam eſſe, patet ex eo, quod Miſicam Polonum in tempora illa referat, qui jamdudum erat mortuus, rerum iam potiente per annos complures Boliſlao filio. Sed non eſt quare eiuſmodi teſtimonia in clara veritatis luce advocemus in medium.

Non poſſumus hoc loco non, levi ſaltim brachio, tangere & Baronium & Bzovium, quanquam hic ſcuticam pene meruerit. Baronius ad annum 999 cum narraſſet ex Dithmaro iter illud Polonicum, & Archiepiſcopatus Gneſnenſis ab Ottone inſtituti primordia ? ſubiungit de ſuo n.13. hæc verba: *Porro cum audis tot ſacra munia exhibita ab Imperatore, ſcias male ipſi ut auctori eſſe tributa, quæ Legatus à latere cum eo miſſus Archidiaconus Cardinalis S. R. E. ſua auctoritate facienda curavit.* At legatum aliquem à latere Cæſarem in Poloniam uſque comitatum eſſe incertum eſt: & Epiſcopatus Archiepiſcopatuſque illo ævo à Regibus eſſe inſtitutos, tantum Papali confirmatione requiſita docent utrique multæ ad nos uſque tranſlatæ Cæſarum Regumque illius argumenti tabulæ. Bzovius ad eundem annum, licet epitomatorem ſe Baronij profiteatur, in maius figmenta auxit & corrupit. *Otto*, inquit n.3. *præſente adeoque conſentiente Sedis Apoſtolicæ legato S. R. E. Archidiacono Cardinali tum Regium diadema Boliſlao dedit, tum Archiepiſcopalem dignitatem Gneſnenſi Eccleſiæ conceſſam non irritavit, Namque eo tempore Gneſnenſis Eccleſia metropolitana dignitate ornata non fuit.* Nova hæc ſunt vanius Bzovij commenta. Adfuiſſe aliquem à latere legatum & circa Archiepiſcopen Gneſnenſem aliquid actum, à Baronio acceperat à ſuis, Boliſlao datum diadema ab Ottone. Conſenſum Legati acceſſiſſe ad Regij diadematis collationem, item non irritam reddidiſſe Ottonem Archiepiſcopalem dignitatem: hæc jam ſunt Bzoviana. Illa vero Eccleſiam Gneſnenſem fuiſſe tum ornatam metropolitana dignitate, & dignitatem tamen illam iam anno 65. cæpiſſe, quod idem prodit, vel ut hic loquitur fuiſſe iam Eccleſiæ Gneſnenſi *commiſſam*, ſibi mutuo adverſantur & falſimoniæ ſeſe coarguunt. Sa

addit.

admittas tamen vel illud quod ait Bzovius, Ottonem dignitatem Archiepiſcopalem non removiſſe, argumento id fuerit Ottonianæ per Poloniam auctoritatis: quippe quum in beneficio numerandum fuerit, quod Otto dignitatē iſtam non loco moverit.

Stephanus Neugebaverus l.3. Hiſtor. Polonicæ cap 53. de eodem negocio ſcribit: *Volens* Otto *tam ſplendido hoſpiti & amico parem referre gratiam, Regem eum appellat ſociumque & amicum Romani Imperii, à tributo & omni iuriſdictione Imperatorum immunem: ac diadema ſuum, Gaudentio Archiepiſcopo ſolemnes ceremonias peragente, ipſe imponit, eumque honorem ſempiternum ipſi ac poſteris eius in Polonia regnaturis eſſe iubet.* Etiam heic multa deprehendere eſt nunquam à quoquam ante hac prodita. Eiuſmodi ſunt: Ottonem voluiſſe parem Boliſlao referre gratiam: Boliſlaum ſocium & amicum Imperii appellatum: Boliſlaum immunem ab omni juriſdictione Imperatorum pronunciatum: diadema Ottonis Boliſlao impoſitum. Immunem à tributis redditum Boliſlaum Ottonis beneficio, haud negaverim. Multum ipſi indultum apparet ex Dithemaro, qui ubi dixiſſet, quam humili cultu Miſico Vdonem Marchionem fuerit proſequutus, addit: *Dominus indulgeat Imperatori, quod tributarium faciens dominum, ad hoc elevavit, ut oblita ſui genitoris regula ſemper ſibi prepoſitis auderet in ſubiectione paulatim detrahere, viliſſimoque pecuniæ tranſeuntis ineſcato hamo, in ſervitutis libertatiſque detrimentum, capere.* De Ottone enim Imperatore videtur loqui de Henrico. Utut ſit, ſi immunis à tributo & omni Cæſarea iuriſdictione factus eſt Boliſlaus Ottonis beneficio, obnoxius ille fuerit ante neceſſum eſt. Adeoque ipſomet Neuiobaujeri indicio intelligimus ſubiectum antehac fuiſſe Boliſlaum Cæſari: quod tamen ipſe cum Polonicis ſcriptoribus aliis unice ſtudet diſſimulare.

Henrico II. Cæſare idem ille Boliſlaus hoſtilia etiam auſus vicinam Germaniam & Bohemiam latrociniis atque excurſionibus infeſtam ſæpe habuit: ſubinde tamen domitus rediit ad officium. Quæ omnia quemadmodum geſta ſint ad annum quidem uſque 1018. nemo diligentius & maiore fide perſequutus eſt, ac Dithmarus Epiſcopus ſanctimonia vitæ clarus, qui rebus iſtis frequenter ipſe interfuit. Legi cum primis meretur liber ſextus, quo narrat expeditionem ſanctiſſimi Cæſaris adverſus Boliſlaum, qua ille anno 1005. & Bohemia omni quam occupaverat pulſus, & Poſnaniam uſque fugatus, aliorum interceſſione gratiam Cæſaris denique impetravit, pace iterum conſtituta. Ibidem legas, cum denuo contra fidem datam rebellaret Boliſlaus, & Cæſar rurſum in illum ducturus eſſet, metu coactum pacem rurſus petiiſſe Cæſarique reconciliatum. *Pentecoſtem*, ſcribit Dithmarus pag. 11. *nobiſcum*, i.e. Merſeburgi egit Rex Henricus. *In cuius vigilia Boliziaus cum ſecuritate obſidum apud ſe relictorum, venit & optime ſuſcipitur. In die ſancto manibus applicatis MILES efficitur, & poſt ſacramenta Regi ad Eccleſiam ornato incedentis ARMIGER habetur. In ſecunda feria Regē magnis muneribus à ſe & contectali ſua oblatis placavit. Deindeque Regia largitate his meliora ac multis maiora, cum BENEFICIO diu deſiderato ſuſcepit, & obſides ſuos cum honore & lætitia remiſit.* Ex quibus verbis liquet, Boliſlaum Henrico Regi ſacramento

militari & feudali tum obſtrictum. Huius ſacramenti vi debuiſſe Boliſlaum Cæſarem io Italiam euntem comitari, liquet ex querela Dithmari, qvam non multo poſt addit. *Ad ſupplementum huius itineris Boliſzlaus antea invitatus nil aſſpiravit, & in bene promiſſis more ſolito mendax apparuit.*

Victoriæ illius de Boliſlao reportatæ meminit ad annum 1004. Marianus Scotus: *Henricus Rex Italiam, Bohemiam & Boliſlaum Ducem cum omni Slavorum gente ſubiugavit.* Totidem verbis viſus eſt Hermannus Contractus, quorum uterque non multo poſt floruit. Ottonem Friſingenſem, Albertum Stadenſem alioque in teſtimonium vocare nunc nolo, cum unus Dithmarus omni ſit exceptione maior. Et tamē ea eſt impudentia Bzovius Polonus, ut Dithmarum dicat hæc ſomniaſſe. Ipſe ex adverſo affirmat, Boliſlaum ſemper & vbique de Bohemis & Saxonibus trophæa retuliſſe? & mira mox narrat de omni Venedorum terra, uſque ad Albim & Salam fluvios & Cimbricam Cherſoneſum, per Boliſlaum in ditionem redacta, Magdeburgo item & Hildeshemo urbibus incenſis. Verum hanc hominis inſolentiam egregiæ excepit Hervvartus in Mantiſſa pag. 130. Et ſane non diſſimulat quidem etiam Dithmarus hoſtiles Boleſlai excurſiones: plane alia vero tradit & de amplitudine & de eventu conatuum. Vt proinde ad annum vſque 1018. nihil tale contigerit, qualia Bzovius narrat poſt Cromerum aut Dlugoſſum (cujus hiſtoria *quod pleraque ſine reſpectu ſcripſerit, in lucem prodire haud permittitur*, teſte ipſo Simone Starovolſcio) cæteroſque alios ſuos, homines nuperos. Nihil etiam tale in omnibus aliis Saxoniæ monumentis reperias, quæ damna ab hoſte aliquo accepta ſumma cura referunt. Fabulæ itaque ſunt, non minus atque illæ de Lechi ampliſſimis victoriis, quæ itidem ſine vllo idoneo teſte contra fidem Francicorum annalium jactitantur.

Haud negaverim tamen Henrico etiam vivo conatum tandem Boliſlaum excuſſa omni Imperij reverentia, Regium nomen coronamque Roma petere: quod iam tum ex vita Romualdi attulimus. Conrado vero demum Cæſare Regem ſe dixiſſe, diſerte teſtatur VVippo hiſce verbis: *Eodem anno quem ſupra notavimus* (i. e. anno primo Conradi qui eſt Chriſti 1025.) *Boliſlaus Sclavigena Dux Polonorum inſignia regalia & Regium nomen in iniuriam Regis Chuonradi ſibi aptavit, cuius temeritatem cita mors exinanivit.* Pergit VVippo: *Filius autem eius Miſico ſimiliter rebellis fratrem ſuum Ottonem, quoniam Regis partibus favebat, in Ruhbiam* (Ruſſiam forte) *pepulit. Qualiter vero eiuſdem Miſiconis protervitatem, & cuiuſdam Vdalrici Ducis Bremiæ perfidiam, Rex Chuonradus poſtea compeſcuerit, in loco ſuo dicam.* Albertus Stadenſis ad annum 1027 de Miſicone hoc Boliſlai filio ita ſcribit: *Conradus Imperator Polenos & Regem eorum Miſingum cum virtute perdomuit, & auxiliatores eorum Bohemos ceteroſque Sclavorum populos ſub tributum miſit.* Ita ille. VVippo vero Bohemicum Sclavicumque illud bellum in annum demum 1034. Polonicum in 1032. reiicit: cui potius ut ſcriptori συγχρόνῳ credendum, cum præſertim Albertus ille in obſervandis geſtarum rerum annis perſit negligens. De Polonico vero bello ita loquitur ipſemet VVippo: *Boliſlaus Dux Polonorum mortuus reliquit duos filios Miſiconem & Ottonem. Miſico dum fratrem ſuum Ottonem perſequeretur, expulerat eum in Ruſſiam. Dum ibi aliquantum tempus miſerabiliter viveret, cœpit rogare gratiam Imperatoris Conradi, ut ipſo imperante & iuvante reſtitueretur patriæ ſuæ. Quod dum Imperator facere vellet, decrevit ut ipſe cum copiis ex una parte, ex altera frater Otto Miſiconem aggrederentur. Hunc impetum Miſico ferre non valens fugit in Boëmiam ad Vdalricum Ducem, cui tunc temporis Imperator iratus fuerat. Sed ille ut ſic placaret Imperatorem, voluit ſibi reddere Miſiconem. Quod factum ſceleratum renuit Cæſar, dicens, ſe nolle inimicum emere ab inimico. Otto reſtitutus patriæ & Dux factus à Cæſare, dum poſt aliquod tempus minus caute ageret, à quodam familiari ſuo clam interfectus eſt. Tum Miſico omnibus modis quærebat gratiam Imperatricis Giſalæ & reliquorum Principum, ut mereretur redire ad gratiam Imperatoris. Cæſar miſericordia motus dedit ſibi veniam, & diviſa provincia Polonorum in tres partes, Miſiconem fecit Tetrarcham: reliquas duas duobus aliis commendavit. Sic imminuta poteſtate minor facta eſt temeritas. Defuncto Miſicone Caſimirus filius eius fideliter ſerviebat uſque huc Imperatoribus noſtris.*

Hactenus VVippo. Eandem plane rem ita narrat Otto Friſingenſis l. 6. chronici c. 28. *In primordio regni eius* (ſcil. Conradi II.) *Boleſlaus Polonorum Dux, qui ab anteceſſore ſuo Henrico pariter ſubiectus fuerat, ab Regno* (Teutonico) *dividi, Rexque per ſe vocari molitur. Qui non multo poſt moriens, Miſiconem filium ſuum ſucceſſorem reliquit. Is dum patrem imitari cogitaret, inſuperque fratrem ſuum Ottonem expuliſſet, rex Conradus tam profugum in patriam reducturus, quam de contumace Miſicone regni Germanici iniuriam vindicaturus, in Poloniam procinctum movet. Miſico regis impetum ferre non valens fractis quibuſdam regni inſignibus ad Vlricum Bohemenſium Ducem, qui & ipſe tum temporis hoſtis regni erat, fugit.* Paulo poſt: *Otto vero libere Ducatu potitus, diadema quod pater eius ad ignominiam regni Germanici illicite fecerat, Regi Conrado miſit, ſeque per omnia ditioni eius ſubiecit. Ipſe vero Otto non multo poſt fraude armigeri ſui vita privatus eſt. At Miſico ab rege exul factus, ad ipſum ſupplex venit, interventuque regina, diviſa in tres partes provincia, tertiam partem ipſe obtinuit. Ex tunc provincia illa Polonia Regibus noſtris ſub tributo ſervire cognoſcitur.* Hæc omnia Otto, deſumpta fortaſſis ex hiſtoria vitæ Conradi, ab Hermanno Contracto conſcripta, quam alibi Otto laudat.

Nihil horum habent Polonici annales, ſi excipias Boliſlai & Miſeconis nomina, huiuſque infeliciorem ſtatum: Sed non eſt quod eos moremur. Ipſi tamen etiam narrant, Ducatum Maſoviæ per hæc tempora cæpiſſe, primo Duce Maſlao expocillatore Miecizlai ſive Miſeconis: & Regiam coronam in Germaniam delatam per Rixam Miſeconis viduam. Quæ omnia quemadmodum ſint geſta, rectius ex noſtris diſcimus. Cæpit ſcilicet Ducatus Maſoviæ ex inſtituto Cæſaris Conradi, eſtque ille unus illorum trium in quos diviſa tum fuit vetus Poloniæ prouincia, longa ſeculorum ſerie exinde à Poloniæ κατ' ἐξοχὴν ſic dictæ republica ſeparatus. De ſubiectione & tributo quod ea tempeſtate pendit Polonia Imperio, extat memoria in Vngaro-

rum

rum etiam hiſtoriis apud Bonfinium l. 2. decad 2. *Henricus tertius*, inquit, *graviter indignatus quod Poloniam iniuſſu ſuo devaſtaſſet, Vdalrico Bohemo filioque bellum indixit. Quia Romano Imperio Ducatus ille ſubiectus erat, quotannisque boves centum & viginti, item argenti puſtulati quinquaginta pondo pendere cogebatur.* Sermo autem Bonfinio eſt de bello quod Bohemo intulit Henricus tertius anno 1041. quo anno Caſimirum ſexcentorum equitum præſidio ab Henrico munitum, ſimulque facta ſpe Bohemum in officium redigendi & ab illius iniuria Poloniam vindicandi, rempublicam monaſterio relicto aggreſſum iterum, ipſimet Poloni referunt. Vt proinde accedente hoc Vngarorum teſtimonio, de ſubiectione & tributo Poloniæ minus fas ſit amplius dubitare.

Is rerum ſtatus manſit ad annum uſque 1077. Nam Caſimirum quidem ſervaſſe fidem Henrico etiam III. Cæſare, jam audivimus affirmantem VVipponem. De eodem Contractus loquitur ad annum 1051: *Imperator contra Gazmarum Ducem Polonorum rebellionem molientem expeditionem parat, gravique infirmitate detentus pacem PACTVMQVE cum petenem ſuſcipiens diſceſſit.* Huic autem anno demum 1059. ſucceſſit filius Bolislaus quem ſui Audacem cognominant. Ad annum 1071. Lambertus Schafnaburgenſis qui rum adeo floruit, de hoc Polono eiuſque adverſario Bohemo hæc notavit: *Inter Ducem Polonorum & Ducem Bohemorum infeſtiſſima diſſenſio erat, Propter quod eos Rex Henricus quartus in civitatem Miſina autumnali tempore evocatos, durius corripuit, & ut deinceps ſuis ſinguli terminis contenti eſſent, nec ſe viciſſim temerariis incurſionibus laceſſerent, ſub obtentu Regiæ maieſtatis præcepit, alioquin ſe hoſtem & vindicem experturus foret, qui prior alteri arma tuliſſet.* Subiectum itaque fuiſſe tum Polonum non minus atque Bohemum clariſſimum eſt. Anno 1075. non niſi Ducis titulo fuiſſe inſignem adhuc Bolislaum, docet epiſtola Gregorij VII. Papæ, quæ eſt libri tertij ſeptuageſima tertia. Hactenus itaque per Poloniam integra ſuperfuerunt Imperij Germanici jura.

Biennio demum poſt Audax ille Bolislaus altiora ſpirare cæpit. Ea de re cum primis notatu digna ſunt Lamberti Schafnaburgenſis, ſcriptoris ſane ſupra ſeculi captum prudentis, verba. *Anno* 1077. *Dux*, inquit, *Polonorum qui permultos iam annos Regibus Teutonicis tributarius fuerat, cuiusque regnum iam olim Teutonicorum virtute ſubactum, atque in provinciam redactum fuerat repente in ſuperbiam elatus, propterea quod Principes Teutonices cerneret domeſticis ſeditionibus occupatos, nequaquam ad inferenda cæteris gentibus arma vacare, regiam dignitatem regiumque nomen ſibi uſurpavit, diadema impoſuit, atque ipſo die natalis Domini à 15. Epiſcopis in regem eſt conſecratus. Quæ brevi poſt comperta Principes Teutonicos, quibus reip. dignitas curæ fuit, graviter affecere, ſibique invicem ſuccenſebant, quod dum inteſtinis in ſe atque ſua viſcera odiis ſævirent & digladiarentur, potentiam opesque barbarorum inτantum aluiſſent, ut iam tertio Dux Bohemicus Regnum Teutonicum ferro & igne populabundus peragraſſet, & nunc Dux Polonorum in ignominiam Regni Teutonici contra leges & iura maiorum regum nomen regiumque diadema affectaſſet.* Mirari ſe ſatis non poſſe, ſcribit Cromerus, hæc ita à Lamberto memoriæ eſſe prodita. *At qui*, inquit, *plus ſeptuaginta annis ante hoc tempus Polônia regem cum habuiſſet, & quidem Ottonis Ruffi Germanici Imperatoris beneficio, per hoc tempus habere deſiit? Iam vero quindecim epiſcopos Poloniam non modo tunc ſed vnquam omnino habuiſſe, ipſa rei evidentia falſum eſſe convincitur.* At vero fabuloſa eſſe illa ab Ottone III. vſque repetita tituli Regij Polonici exordia, jam probavimus. Et cum in exprimendo Epiſcoporum numero zifris quas appellant fuerit uſus Lambertus, facile error ſurrepere potuit citra Lamberti culpam.

Hanc Bolislai vero furtim raptam dignitatem Regiam brevi interiiſſe, ipſimet Poloni commemurant. Cum ſceleribus, libidinibus, crudelitate, tandem & cæde immani Stanislai Cracovienſis Epiſcopi, omnium ſibi odium conciliaſſet, ferunt ipſi regno pulſum anno 1039. in Vngariam aufugiſſe, ſibique furore correptum mortem ſibi ipſi conſciviſſe, fratre Vladislao Hermanno jam tum à fuga vſque Bolislai rerum potiente, & à regio nomine cum illo tum omnibus ad Præmislum abſtinentibus. Tradunt vero ſimul, à Gregorio ſeptimo Papa toti Poloniæ, ob cædem Stanislai, ſacris interdictum, Bolislao regnum abrogatum, & edictum pariter, ne quem Epiſcopi Regem injuſſu ſuo ungerent & coronarent. Nec ego negaverim, Gregorij illius facta intuens alia, tale quid contigiſſe: dubito tamen, propterea quod nec in antiquis ævi illius monumentis hiſtoricis nec in Gregorij epiſtolis veſtigium eius reperiatur. Religione illa ductos Polonos Regium nomen haud vſurpaſſe veroſimile non eſt: utpote quum Vladislaus ille ſtatim initio regiminis interdicti relaxationem impetraverit à Papa, & tamen Rex audire noluerit. Cauſſa verior eſt, quod & Vladislaus ille & ſucceſſores eius ad Præmislum vſque reverenter coluerint Imperij vim, & iniuſſu Cæſarum haud fuerint auſi nomen illud oſtentare. Et vero Vladislaus ille duxit in vxorem Sophiam Henrici IV. Cæſaris ſororem viduam Stephani Hungarici, eoque in gratia illius fuit. In eius filium Bolislaum tertium movit tamen Henricus Vanno 1109. Abbas Stadenſis de bello iſthoc ita ſcribit: *Henricus Rex Poloniam cum exercitu ingreditur, eaque vaſtata revertitur.* Vrſpergenſis in hunc modum: *Poſt hæc ad Polonicam gentem longinquam movit exercitum, multoque ibi diutino deſudans labore, diu negatum à terra illa tributi exegit debitum.* Cromerus aliique illum ſecuti Poloni latius bellum hoc deſcribunt, haud auſi negare exactum ab Henrico tributum: at æquis conditionibus pacem ajunt compoſitam cum ſequente anno Bolislaus ad Cæſarem Bambergam proficiſceretur. Sed per illas novas etiam pacis leges non remiſſum tributum, imo bona illud fide à Bolislao expenſum vſque ad annum ſeculi illius viceſimum ſecundum; haud difficile collectu eſt ex iis, quæ de Lothario Cæſare narrat Otto Friſingenſis l. 7. Chronici ſui cap. 19. de reditu Lotharij ex Italia, qui contigit anno 1134. verba faciens. *Inde*, inquit, *in Saxoniam divertent Polonorum Ducem cum multis muneribus obviam*

habuit; quem tamen non ante dignatus eſt ſuo conſpectus præſentari, quam tributum duodecim annorum, hoc eſt, quingentas libras ad ſingulos annos perſolveret, & de Pomeranis & Rugis (quos ſc. ille occupaverat) *homagium ſibi faceret, ſubiectionemque perpetuam ſacramento ſibi firmaret.*

Contado Cæſare quid acciderit circa Polonos in noſtris monumentis haud clare legas. At Poloni fatentur illum anno circiter 50. ab Vladislao, uno Poloniæ Ducum, permotum, Bolislao Criſpo qui fratrem expulerat, bellum minitatum; deſiiſſe tamen, excuſatione Bolislai in caſtris cum ampliſſimis muneribus accepta. Quod argumentum eſt nondum exutæ tunc reverentiæ Imperio debitæ. Imo & tributum non fuiſſe tum negatum, indicat utique Otto Friſingenſis in chronici ſui l.6. c. 28. ſcribens, Poloniam Regibus noſtris ſub tributo ſervire? ceu jam audivimus. Eſt autem chronicon illud conſcriptum anno 1146. ut ipſe teſtatur l. 7. c. 36. Videtur tamen ſenſim Bolislaus ille Criſpus ad libertatem aſpiraſſe, eoque imperata minus cum feciſſe, quantum colligere eſt ex iis quæ de cauſſis belli Polonici à Friderico Cæſare anno 1157. geſti, diſſerit Radevicus l.1. c.2. Vbi poſt multa ſub finem capitis ita loquitur. *Acceſſit ad hæc, quod vel debitum fidelitatis ſacramentum offerre, vel ſolitum ſingulis annis tributum quingentarum marcarum publico ærario inferre iam deſueverant. Talibusque indiciis aperte ſe ab Imperio deſcivisse, & non clanculariam ſed evidentem rebellionem moliti proteſtabantur* Guntherus l.6. ſcribit.

Nec iurare fidem, nec priſco more tributa
Annua, quingentas curabant pendere marcas.

Hiſtoriam belli perſequitur Radevicus cap. 2 & illum ſecutus Guntherus: ſed non eſt huius loci illam referre. De illius autem belli eventu quæ idem Radevicus diſſerit c.4. & 5: digna ſunt quæ huc afferantur. *Boleſlaus*, inquit, *Dux rebus ſuis ultimum fatum cernens imminere, cum totam terram populumque ſuum periclitari & prope eſſe ad interitum cerneret, Barones & Principes noſtros tum per nuncios, tum in propria perſona conveniens, multis precibus, multis lachrymis, multis quoque promiſſionibus, ut ſub IVGVM ROMANÆ DITIONIS, & in gratiam Principis recipi mereretur, poſtulavit. Salutare ſecutus conſilium, ante intolerabilem calamitatem rebellionis mutare ſententiam: debere autem dedignari dominos humiliores, non cum cuius in poteſtate ſit Romanum Imperium. Imperator iamdudum edoctus hanc nobilitatem, Parcere proſtratis & debellare ſuperbos, præmaturam, ſubitam, & à Deo datam nolens cruentare victoriam, Ducem ad deditionem recipiendum decrevit. Itaque in prædicto territorio Epiſcopatus Boſnanienſis circa partes Criſguva, præfatus Dux pedibus Imperatoris provolutus, interventu Principum hoc tenore in gratiam receptus eſt. Primo iuravit pro ſe & pro omnibus Polonis, quod frater ſuus exul ad ignominiam Romani Imperii non fuerit expulſus. Deinde pollicitus eſt dare duo millia marcarum Imperatori & Principibus mille, Imperatrici 20. marcas auri, Curiæ 200. marcas argenti, ob eam negligentiam quod ad Curiam non venerat, nec de terra debitam fecerat fidelitatem. Iuravit quoque Italicam expeditionem Deinde iuravit ut in proxima Nativitate Domini ad Curiam Magdeburgi celebrandam venire deberet iuxta iudicium & ſententiam Bohemorum & Polonorum ſuper querimonia fratris ſui expulſi plenarie reſponſurus Sicque iurata Principi fidelitate ſicut mos eſt, & de ſupra dictis omnibus fideliter adimplendis acceptis obſidibus, Gazimiro videlicet fratre Ducis & aliis nobilibus, glorioſam adeptus victoriam, feliciter Deo duce Auguſtus revertitur. Ipſe tamen Dux dolis plenus & acerbam dominationis cupidinem mente ferens, iam ſuis promiſſionibus moliebatur inſidias. Nam nec ad Curiam venit, nec ſufficientes pro ſe procuratores miſit, Italicam quoque expeditionem violate ſacramento mentitus eſt.* Hæc omnia Radevicus. Ex quibus quænam fuerint jura Germaniæ iſta quidem ætate in Polonos, pulcherrime eſt perſpicere.

Fatetur Cromerus, tributum poſtulaſſe Fridericum & negatum à Bolislao? addit vero inepte, tributum forte pollicitum fuiſſe exulem Vladislaum, qui per Cæſarem volebat reſtitui. Adeo invitum homini eſt, tributum ex more & lege ſolere Imperio pendere Poloniam. Non memorant Annales noſtri Bolislaum plene ad officium rediiſſe. Ego tamen non dubito: quum videam à Friderico Cæſare omni ſecuto tempore nihil in Poloniam tentatum eſſe; quem tamen injuriarum impatientiſſimum, ſtudioſiſſimumque iurium Imperii, ſimul vero & à viribus inſtructiſſimum fuiſſe ſatis conſtat. Sed & tradunt Poloni, pacem tandem hiſce legibus conſtitutam: ut Vladislaus exul ad Sileſiæ modo dominatum reſtituatur, cæteris ſe abſtineat: & ut Bolislaus una cum fratribus trecentos haſtatos equites Friderico Imperatori in auxilium ad Mediolanenſe ſive Langobardicum bellum mittat. Et quo firmior pax eſſet Adleidam Imperatoris ſororis filiam à Miecizlao ductam: Cæſarem vero in bello Italico adiutum fuiſſe Polonorum auxiliis. Quæ ſi vera ſunt, nova utique conventio quædam facta, & Bolislaus in gratiam receptus eſt. Iidem Poloni memorant; anno 1163. inſtante apud Bolislaum Friderico, cum is ab Italica expeditione capto Mediolano reverti iſſet, Vladislai jam defuncti filios ab exilio revocatos, Sileſiam omnem quæ continentibus ſylvis à reliqua Polonia dirimitur, uſque ad Bohemorum Miſnenſiumque fines in ditionem ſuam accepiſſe, & hac adeo origine Sileſiæ Duces cæpiſſe. Id quod magnum iterum eſt argumentum, ſalvæ in Polonos Cæſareæ auctoritatis. Per eadem tempora ſolito more ſoluta etiam tributa eſſe, ſignificat Helmodus, quem circa annum 1170. ſua ſcripſiſſe, ex ultimis duobus capitibus l.2. ſatis perſpicuum eſt. Is enim de Polonia ita loquitur cap. 1. l.1. *Polonia magna Slavorum provincia, cuius terminum in Ruzia regnum dicunt connecti: & dividitur in octo Epiſcopatus. Quondam habuit Regem, nunc autem DVCIBVS* (diviſa ſcilicet in partes) *gubernatur, SERVIT & ipſa, ſicut Boemia, SVB TRIBVTO Imperatoria Maieſtatis.* Totidem pene verbis hoc habet Auctor chr. Slavor. Lindenbrogianus cap. 2. Feruntur tamen Friderici I. Cæſaris tabulæ Reginoburgi anno 1159. conſcriptæ de Regia Bohemo collata dignitate, in quibus tributum, quod hactenus ex Polonia Fiſcus Cæſaris acceperat, Bohemiæ Regibus tribuitur. Germanice verſas exhibet illas Goldaſtus parte 2. Reichſſatzungen pag. 13.

Ne

Digitized by Google

Ne cum Friderico quidem extinctam Imperii auctoritatem, argumento mihi eſt quod Poloni non ſecus atque Bohemi Ottone IV. Cæſare anno 1209. ad Comitia Imperij vocati venerint. Luculente id teſtatur Arnoldus Lybecenſis ſcriptor σύγχρονος & forte αὐτόπτης l. 7. cap. 18. *Sequente anno* (is erat ille quem diximus) *indicta eſt curia in Aldenburg. Illuc convenerunt Myſnenſes & Ciſnenſes, POLONI quoque, Boemi, & Vngari: ibique multis negotiis determinatis & pace iurata, qua in omnibus curiis firmata eſt, Dominus Rex faciem ſuam convertit in Brunſvvich.* Ipſe Cæſar Fridericus in iis tabulis, quibus Regnum Bohemiæ anno 1212. plurimum ornavit, ita verbis conſtituit: *De noſtra liberalitatis munificentia ſtatuimus: quod illuſtris Rex Bohemiæ prædictus vel heredes ſui ad nullam curiam noſtram venire teneantur, niſi quam nos apud Bamberg vel Nurnberc celebrandam indixerimus, vel ſi apud Merſeburc curiam celebrare decreverimus, ipſi ſic venire teneantur. Quod ſi DVX POLONIÆ VOCATVS acceſſerit, ipſi* Reges (ſcil. Bohemiæ) *ſibi ducatum præſtare debeant, ſicut anteceſſores ſui quondam Bohemiæ Reges facere conſueverunt, ſic tamen ut ſpacium ſex hebdomadarum veniendi ad prædictas eis ante præfigatur.*

Saltim itaque comis reverentia Imperij ſuperfuit in Polonia vſque ad infelicia illa tempora, quando cum Friderico II. Cæſare priſca Cæſarum auctoritas & Germanici Imperii decus concidit. Et vero poſtea demum auſa eſt Polonia Præmislo auctore Regiam ſibi dignitatem vindicare. Hinc Matthæus Pariſienſis ſcriptor Anglicanus ſive eius continuator, Richardi Angli Cæſaream electionem narrans, in hiſtoria anni 1257 inter Germaniæ magnates recenſet Ducem Poloniæ. Vt proinde iure affirmaveris, Poloniam ab Ottonis Magni ævo vſque ad Fridericum illum ſecundum, tantum non ſemper & ſubjectam fuiſſe & tributariam Imperio Germanico. Nec enim illam obſequij originem ab Henrico demum III. repetendam eſſe, quod facere videtur Otto Friſingenſis, ſatis oſtendimus.

Prius hinc quam abeamus, adferemus Radevici verba ex l. 1. de limitibus Poloniæ, qui tum fuerunt. *Eſt*, inquit, *Polonia quam habitu modo Slavi inhabitant, ſicut placet his qui ſitus terrarum deſcriptionibus notant, in finibus ſuperioris Germaniæ, habens ab occidente Oderam fluvium, ab oriente Viſtulam, à ſeptemtrione Ruthenos & mare Scythicum, à meridie ſylvas Bohemorum.* Vnde liquet Pomeranos ut & partem novæ Marchiæ Poloniæ tum accenſita. Mare enim Sythicum eſt illud quod hodie Orientale aut Balthicum audit. Rutheni ſi Ruſſi ſunt haud apparet qui illi à ſeptemtrione Polonos clauſerint. Sed videtur Radevico non ſatis nota fuiſſe terræ illius omnis ratio? quin ipſe id indicat: eoque non etiam eſt, cur illi vt & illum ſecuto Gunthero, hac in re tuto credamus.

CAP. XIX.

Facta digreſſione ſternuntur fundamenta diiudicandi iuris amiſſarum Imperii poſſeſſionum.

HActenus fines Imperij Germanici ita deſcripſimus, ut quemadmodum quidem illi ſeſe habuerint ad Friderici II. Cæſaris tempora uſque, ſimus proſequuti: ibi vero quaſi ſubſiſtentes ſecutorum temporum nullam pene rationem habuimus. Fecimus vero illud haud temere, aut arbitremur ſatis iam factum officio noſtro. Nam vtique id maxime nobis expediendum cenſemus, quæ hodie demum ſit conditio Imperij finium, & hac fini potiſſimum à prima uſque origine omnia arceſſivimus, quod ſcilicet ita denique noſtri temporis jura clare omnibus pateant, ſi quibus illa exordiis ceperint, ex tenebris quibus involuta ſunt in apertam lucem fuerit protractum. Deſijmus autem in Friderico illo Cæſare, quod ad illum uſque priſca Imperij Germanici facies, priſcique adeo limites ſibi ſic ſatis recte conſtiterint. Exinde vero non gradu, non curſu, ſed præcipite quodam lapſu corruens propemodum reſpublica ſimul & fines vehementer turbauit pene ubiuis, alibi confudit, alibi tantum non perdidit. Sane & ſi quos acquiſivit iterum perdidit. Vt longe ſit difficillimum eos hodie citra cuiuſquam iniuriam diſcernere.

Ea res nos cogit, prius reliqua quam pertexamus; in parte operis præfari nonnihil, & hiſtoriæ filo quaſi abrupto, in publici iuris philoſophiam non multis tamen, ut ita loquamur, paſſibus (nec enim id fas fuerit) aliquantulum digredi. Enim vero multis in locis limitum priſcorum poſſeſſione excidiſſe Imperium, id quidem vacat controverſia: num vero non ſuperſint recuperandi jura, adeoque liceatne jure illa vindicare rurſum, merito dubites. Iubet vero inſtitutum noſtrum, vt non tantum de poſſeſſione ſed & de ipſis illis poſſidendi juribus ſimus ſolliciti. Eſt autem hoc expeditu nonnihil difficilius: quandoquidem quid in ejuſmodi negotijs juſtum ſit æquumve, præclariſſimorum virorum diſſidentibus ſententijs perquam dubium ancepſque redditum eſt. Operæ itaque pretium facturi videmur, ſi antea quam pergamus brevibus indicemus, quid ipſimet nos juri æquitative omnibus in univerſum iis in rebus conſentaneum exiſtimemus: ut ad illa directis oculis, procul amore, procul odio, Imperij limites deinceps expromptius conſtituamus.

1. Principio igitur vt acquirendæ ita & amittendæ poſſeſſionis jura inter liberas civitates ac reſpublicas non alia arbitramur intercedere, quam illa quæ vel natura omnibus hominibus injunxit, vel mutuo quodam conſenſu gentes moratiores pepigêre. Argumento eſt, ipſamet omnium qui ſui ſunt juris populorum αὐτονομία. quæ vtique ſignificat omnes illos nullis teneri civilibus legibus niſi inquantum velint. Eoque ne quidem etſi inter ſuos cives populi plures eaſdem obſervent

civiles

ciuiles leges non tenentur tamen ijdem inter ſe mutuo eaſdem obſervare, niſi ita placeat: utpote cum meri ſit arbitrij inquantum populus aliquis liber civilibus iuribus adſtringi velit nec ne. Vnde porro conſequens eſt, nec Romana iura, (quæ quidem eorum mere ſunt civilia & à naturæ ac gentium aliena inſtitutis,) quanquam in variis ſint rebuſpublicis ad civium uſus recepta, illas ipſas tamen reſpublicas haud obligare ad controverſias, ſi quæ inter eas ortæ fuerint, decidendas. Nec vero Romana iura in vniverſum omnia, etſi haud adverſentur naturæ legibus, pari cum legibus illis ſunt auctoritate, plurima quippe eorum ideo iuſta ſunt quod non ſint iniuſta reipubl. vero Romanæ utilia, non autem quaſi quæ ab illis abeunt iniuſta ſint: ut iuſti vox eſt πολιτικῶς Nec eadem illa pro gentium iuribus haberi merentur, ut ridicule nonnulli cenſent. Vtique enim multæ gentes moratiores ipſiumet Europæ noſtræ illa in ſuas reſpublicas haud admiſerunt: aliæ omnes non niſi quædam eorum approbavere & quidem alia atque alia, longe maximam partem reiecerunt, omnes item ſui arbitrii fecerunt mutare admiſſa in uſum ſi ratio poſtulet? ac proinde nulla omnino gens hactenus legibus Romanis in univerſum ſeſe obſtrinxit, tantum abeſt ut in earum obſervantiam gentes omnes conſenſerint. Haud me latet, poſſe hæc videri nonnullis παραδοξότερα: longe tamen eſſe veriſſima pridem obſervatum eſt à longe præclariſſimis ſcriptoribus haud paucis: quos inter honoris cauſſa Ferdinandum Vaſquium & Hugonem Grotium viros ſummos, nunc laudare ſatis eſt pro inſtituto.

II. Non minus porro quam res alias, integras quoque regiones & populos ſubditos (ſi quidem vere in ditione ſint,) ab eo penes quem civitatis alicuius ſumma eſt poteſtas, libere per donationes, per venditiones, per ſimplices permutationes, alioſque receptos modos transferri poſſe exiſtimamus. Haud deſunt, fateor, qui id iniquum cenſent, propterea quod liberos homines in commercium venire ipſi repugnet libertati. Nonnulli cauſantur, quod omnis reſpublica in populi uſum conſtituta ſit, eiuſmodi vero alienationes populo ſumme ſint noxiæ? adeoque nulli poteſtati fas eſſe transferre ita populorum regionumque dominia in eorum detrimentum. Cæterum pro nobis facere omni ævo & paſſim terrarum receptos mores, manifeſtum eſt. Nec vero latere id poteſt quenquam hiſtoriæ humanarum rerum peritum: imperitiorem ubertime doceant ſaltim quæ congeſſit Grotius l. 1. de iure belli ac pacis cap. 3. n. 12. & ad locum illum in Annotatis. Quod, ſaltim iuri gentium conſentaneam eſſe transferendi illam facultatem, certo eſt indicio. Iuri vero naturæ etiam haud illam adverſari, ſignificat Salomonis factum, qui viginti urbes omnemque adeo terram Chabul & à ſocero Ægypti Rege dotales accipere & Hiromo Phœnici donare haud dubitavit, non improbante id ipſum divino numine, haud connivere ſolito ad inhoneſta vel, quod perinde eſt, naturali iuri repugnantia facinora. Sed & ratio iuris illius haud obſcura eſt, ſi attendas quod vere in ditione imperantium eſſe ſit idem atque eſſe in patrimonio eorum aut in plena proprietate? quæ liberam utique alienandi facultatem concedit. Et vero plane ſicut homines ſinguli aut pauci ita & integer aliquis populus in dominio alterius eſſe poteſt: nulla ſane eſt ratio quare illud liceat hoc non liceat.

Quod obiicitur, liberos homines in commercio non eſſe, fatemur: at omnem populum liberum eſſe & ſui iuris longe eſt falſiſſimum. Liber non eſt is qui in alterius eſt ditione: de quo ſolo tamen nobis ſermo eſt. Etſi enim ille omnis non ſeruiat infimam ſeruitutem, inquantum tamen caret iuribus maieſtatis quadamtenus ſervit, atque in iure & in poteſtate eſt imperantium. Variæ nimirum libertatis & ſeruitutis gradus ſunt ſpecieſque. Falſiſſima etiam illa ſunt etſi πολυθρύλλητα, omnem rempublicam ſubiecti populi uſum ſpectare, aut omnem eiuſmodi alienationem populo detrimentoſam eſſe. Datur enim civitatis aliquod genus idque haud iniuſtum, quod nonniſi per accidens populi commodum quærit, per ſe vero & potiſſimum ad imperantium, ſive unius ſive paucorum ſive complurium facit utilitatem. Imo rempublicam nullam reperias quamvis maxime popularem, quæ non alat huius conditionis homines, eoſque inſigni ſæpe multitudine. Nihil item prohibet, quo minus per alienationem populi alienati res non ſemper fiat deterior. Imo fieri poteſt ut reddatur melior: perinde atque ſervus aliquis dum venditur dominum durum ſæpe mutat benigno & molli. Qua de cauſſa nonnunquam ſpe meliorum populi integri in aliorum ditionem ſponte ſua concedunt & quaſi in voluntariam ſe tradunt ſervitutem puta quod vel ſibi ab hoſte defendendis non ſufficiant, vel diſcordiis civilibus defatigatis interſit ab aliis potius parere, vel preſſi egeſtate ſpontanea ſervitute emere quaſi ſibi cogantur copiam qua ſe ſuſtentent. Vtque interdum noceat eiuſmodi alienatio, non propterea etiam iniqua eſt, quoniam non ſemper qui imperant tenentur unice ſubiecti populi commodum quærere. Licet igitur populi illi qui huius ſunt conditionis ab alienationibus diſpendij aliquid patiantur, non minus tamen hoc æquo illis animo venit tolerandum atque ſingulari alicui ſervo, ſi domino vendatur plagoſo aut iniquo. Nec vero alienantium is ſemper animus eſt, ut ægre faciant populo quem alienant. Sæpe neceſſitas iubet alienare & imperat invitis. Eoque etſi haud ſit fas ultro & ſine cauſſa vel ſervum aliquem unum vel populum aliquem in damnum conijcere: ſi aliter tamen non poſſis ſaluti tuæ conſulere, citra tuam culpam damnum illud eſt, præſertim ſi iure non tenearis noxam populi tuæ anteferre, quod omnibus in vniverſum herilibus imperiis eſt commune. Imo in eiuſmodi dominiis licet imperantibus commodum ſuum quærere, etiam cum aliquo incommodo ſubiectorum: utpote quum non teneantur illorum utilitatem ſpectare niſi per accidens & proprium, adeoque ſubditi iſti ſint iure obſtricti in uſum imperantium perinde atque ſervi dominis. Non idem tamen licet in civitatibus, quæ inſtitutæ ſunt cauſſa eorum qui reguntur non autem eorum qui regunt. Heic enim primario utilitas quæritur populi, ſecundario autem duntaxat & per accidens imperantium. Eoque heic non eſt fas imperantibus cum populi incommodo ſibi aliquid lucrari. Ne defendere quidem ita li-

cebit

cebit ſua: injuſtum enim fuerit, id quod per accidens duntaxat quæri poterat, eius quod per ſe & primario petendum eſt, damno parare.

III. Hiſce probe expenſis facilior jam eſt definitu illa etiam quæſtio, num talem aliquam alienationem fas ſit inſtituere populo inconſulto, aut etiam non probante. Nam qui alienationem admittunt illorum plærique tamen conſenſum populi requirunt. Quo & Vaſquius propendet *l. 1. controverſ. illuſtr. cap. 5. n. 5.* & Gailius *l. 2. de pace publ. c. 15. n. 13. & 14.* & quod mireris Grotius ipſe *l. 2. de iure belli ac pac. c. 6. n. 4.* At vero cum in herilibus quidem rebuſpublicis ea fere ſit imperantium ratio quæ dominorum in ſervos, haud videtur in ijs quidem conſenſum populi poſtulari. In ijs ſane ne quidem ſpeciem aliquam invenit Grotij argumentatio: voluntarie ſcilicet rempublicam coijſſe perpetui boni gratia, eoque nec niſi voluntate eorum quorum intereſt dirumpendam ſocietatem. Ipſemet ſane agnoſcit illud herilium rerumpublicar. genus *l. 1. c. 3. n. 8.* quas omnes non ita coire, ſed plæraſque ſi non omnes longe alijs legibus, certum eſt. Suſpenſum eſſe ex conſenſu ſubjecti populi, adverſatur ſane ei juri, quo poteſt imperans primario ſibi conſulere, & non niſi per accidens tenetur commodum quærere ſubditorum. Si herile itaque imperiorum genus juſtum eſt, conſenſum illum negligere etiam haud fuerit injuſtum. Vazquius enim in ipſa quod ajunt janua aberrat: utpote qui pro fundamento quaſi omnium diſputationum ſuarum habet, quod reſpublica omnis coierit ſpontaneo arbitratu civium in communem utilitatem: quo nihil eſt falſius.

Attamen nec in rebuſpublicis illis melioris ordinis quæ potiſſimum eorum qui parent utilitatem ſibi habent propoſitam, videtur requiri vel prævia cum populo conſultatio vel ejus conſenſio, niſi in ſola democratia. Habent enim & in ijs civitatibus hi penes quos eſt τὸ κῦρος liberam agendi facultatem circa omnia quæ ſalus exigit publica. Si hæc itaque poſtulaverit partis alienationem, inſtituere illam potuerunt imperantes ex ſuo arbitratu. Perinde ſcilicet atque pater & oppignorare & vendere filium poteſt, ubi alia ratio illum alendi non ſuppetit: quod apud ipſos Hebræos olim licuit divino jure: & tamen pater filij commodum prius habere debet, ſuum poſtponere, & ex filio ſibi nihil utilitatis niſi per accidens quærere. Quod ſi tamen alienatio non vergat in ſalutem publicam, in illam nihil juris eſt hiſce quidem imperantibus; ideoque ſi quid tale moliantur, conſenſus ante populi captandus fuerit: cum cives invitos in damnum conjicere haud liceat. Nec vero etſi in perpetuam ſocietatem coierint populi, quidquam huic rei obeſt: perpetuum enim omne in his quidem negotijs moraliter accipiendum eſt, cui ſcilicet non obeſt moralis quædam impoſſibilitas, qualis oritur à neceſſitate pereundi niſi ſocietate diſſoluta patiatur pars populi ſeſe alienari. In democratico ſtatu ipſe populus αὐτοκρατορίαν habet, qui quidem vere conſtituit civium ordinem, itaque injuſſu illius nihil effici jure poteſt: incolæ tamē omnes iſthuc haud pertinent, eoque nec horum conſenſio opus eſt ut impetretur.

Quorum autem conſenſione non eſt opus ad contractum, illorum diſſenſio etiam non poteſt contractum reddere irritum. Eapropter non poſſumus Vazquio & Grotio ſubſcribere, qui ſi in contrarium populi voluntas manifeſta ſit nihil actum exiſtimant. Nec huic obſtat quod regimen civile debeat eſſe in volentes. Intelligendum enim id eſt de voluntate reipublicæ ſcopo conſentanea. Alioquin enim & invitis jure imperat poteſtas publica: perinde ut immorigeris & refractarijs liberis bonus & æquus pater.

Perperam idem Vazquius negat, ob neceſſitatem & ſalutem publicam poſſe partem aliquam alienari: quaſi injuſtum ſit ut univerſitatis cauſa pars damnum faciat. Præterquam enim quod etiam heic non diſtinguat herilia imperia ab alteris illis magis civilibus: utique in omni ſocietate, etiam maxime civili, quilibet ſaluti publicæ eſt obſtrictus & re & corpore. Sarcit quidem acceptum damnum reſpublica ſi poteſt, aſt magis in præmium quam ex debito: itaque ſi non poteſt, neceſſum eſt ut pars quæque ferat quod mutari non poteſt, ob reliqui corporis ſalutem.

IV. Quamvis vero ea ſit libera alienandi facultas aut penes unum aut penes paucos aut penes multitudinem, ſi in manu aliqui horum rempublicam teneant: ſi quaſi diviſa tamen fuerit majeſtatis ratio, ut pars ejus ſit penes populum pars penes unum aut multos, aut ſi illi qui in dignitate ſunt non niſi magiſtratu fungantur, nulla tum injuſſu populi & aliorum quorum intereſt fieri alienatio poterit, quippe quum τὸ κῦρος ad illos quoque pertineat. Quicquid igitur contra fit, ut & quicquid non fit in rebuſpubl. meliorib. ad communem uſum id omne ipſo jure nullum & irritum eſt, adeoque populum omnino non obligat.

V. Per impeditum præterea videtur, num ut expreſſo ita tacito quodam conſenſu eorum quorum eſt ſumma in republ. poteſtas, bona & jura civitatis amitti queant, ita ut illa jure tandem fiant aliorum: præcipue vero quibus indicijs ille tacitus conſenſus ſignificetur. Cæterum id quidem quod derelictum eſt tacite concedi occupantibus, videtur natura omnibus notum. Atque hactenus tacite amittere poſſe & ſummas poteſtates varia publica bona, non potes negare; niſi ejuſmodi bona naturalibus amittendi juribus obnoxia non eſſe dixeris; quod ſane pronunciatu nimis fuerit abſurdum. Obſervandum vero eſt, nos loqui diſerte, de tacito conſenſu eorum quorum vere eſt ſumma poteſtas, non eorum quibus titulo tenus forte ea dignitas tribuitur. Sunt autem illi plane ijdem cum ijs, qui in ditione atque adeo quaſi in patrimonio rempublicam tenent; quales non ſemper eſſe illos, qui Reges aut Principes audiunt, ultro fatemur. Poſſe autem imperia in homines imo populum & urbem regionemque aliquam derelinqui, fatendum utique venit, niſi eadem occupari & acquiri poſſe velis negare. Et vero aperto conſenſu ſæpe integra regna regioneſque latiſſimas ditiſſimaſque alijs relinqui, idque nunc ſponte ac ultro mera interdum donatione, nunc majoris mali evitandi cauſa, omnium ſeculorum gentiumque hiſtorijs & uſu paſſim etiamnum recepto uſque eſt adeo compertum, ut neminem arbitrer ſupereſſe qui vocet in dubium. Poſſe autem & tacendo nos ita in aliquid conſentire, itidem natura omnibus eſt notum. Conſequens proinde eſt, etiam imperia in populos tacendo alijs relinqui interdum poſſe, nec ad

eorum derelictionem expreſſum conſenſum ſemper requiri.

Verum hactenus quidem expedita ſatis res eſt: difficilius definitu eſt, quemadmodum fiat illa tacita conſenſio, & unde ac qua ratione de illa certo nobis queat conſtare. Nec vero id uno ut ita dicam verbo licet pronunciare: nec à magiſtris fortaſſe ſatis tuto & ſecure omnia ſunt tradita. Nos nonnullis quaſi fundamenti loco poſitis, intricatum negocium brevibus exponere tentabimus. *Primo* igitur notandum, nonnulla quæ poſſidentur niſi ijs utaris perire ſtatim, alia non item. Illius generis ſunt imperia omnia ſaltim civilia quæ dixeris h. e. ea quæ inſtituta ſunt commodo imprimis eorum qui obtemperant. Anima enim quaſi talis civitatis eſt is qui imperat: itaque illo ſublato civitas corruit. At nec herile quidem imperium niſi curante domino poteſt conſiſtere: ſed & ipſum in partes dilabitur peritque. *Secundo.* In rebuſpublicis illis civilioribus cum merito quæratur potius utilitas populi quam dominantis, ſi utrumque ſervari nequeat jure tenetur dominantis commodum cedere commodo populi. Ex duobus enim malis id quod minimum eſt majori cedere, natura juſtum eſt. Ex adverſo igitur ſeſe res habet in civitatibus herilibus, ubi dominantium utilitas quam maxime attenditur. *Tertio.* Iure naturæ obſtrictus eſt imperans omnis, quoad licet, curare ſive per ſe ſive per alios tantundem valentes rempublicam ſuam. In rebuſpubl. illis melioribus ipſum earum ſcopum tale officium imponere imperantibus, eſt ſole clarius. Cum ſinguli domini etiam debeant ſuis ſervis aliquam curam (nec vero arbitrarium aliquod jus vitæ ac necis in ſervos, niſi illi capital commiſerunt, natura dominis permittit) quam niſi præſtent in ſervos injurij ſunt; multo magis tenentur imperantes domini ſubditorum rationem habere, utpote quum rariſſime civitas aliqua infimam ſervitutem ſerviat; ſed earum plæræque io liberaliores leges dominos patiantur, prout varij ſunt ſubjectionis libertatiſque gradus. *Quarto.* Id credendum eſt, hominem nolle, quod vir bonus ac prudens nolit, non quod improbus aliquis ac ſtultus. Etenim viri demum boni & prudentis voluntas naturæ eſt juri conſentanea: quæ illi adverſatur cupiditas iniqua eſt, eoque jure merito haud attendenda. At vir bonus non vult quidquam cum injuria alterius: nec vir prudens aliquid cum ſuo majore damno conjunctum. *Quinto.* In re dubia exiſtimandum eſt, quemlibet id velle aut non nolle quod vir bonus & prudens velit. Hic vero velit utiq; ſibi tribui quod ſuum eſt. Eoq; nec quis temere exiſtimandus eſt res ſuas jactare velle, niſi neceſſitate coactus aut alio aliquo commodo inductus: ſecus enim agere minus prudentis fuerit.

Hiſce poſitis conſequens eſt *principio* quidem, imperium illarum civitatum, quæ ſalutis publicæ omnium cauſa coierunt, quando amiſſum fuerit, recuperari jure non poſſe, ſi id fieri nequeat abſque civitatum illarum ſummo detrimento, adeoque teneri quemvis illarum recuperandarum curam dimittere, imo exiſtimandum eſt illam dimiſſam eſſe. Alioquin enim commodum dominantis præferretur uſui populi: quod eſt contra naturam illarum civitatum, nec à viro bono probatum. At non licet ita colligere, factam derelictionem in civitatibus herilibus. In ijs enim etiam cum incommodo ſubditorum licet dominantium jura tueri. Atq; ea propter licet illa amiſſa etiam cum eorum noxa recuperare. Si noxa tamen illa conjuncta fuerit cum manifeſto periculo extremi damni omnium ſubditorum, merito derelinquendum eſt imperium illud: nec enim hoc vir bonus ac prudens egerit. *Secundo.* derelinquit ille imperium in civitatem quamvis, qui ſciens volenſque patitur illam perire aut in ſummum diſcrimen adduci, nec in ſalutem ejus quidquam movet dignum memoratu. Nec enim ita ſe gerit erga rem quam pro ſua vendicat vir bonus aut prudens, ſed erga rem alienam. Multo maxime hoc locum habet in civitatibus illis melioribus: utpote cum earum curam diligentiſſimam ſuo etiam cum incommodo gerat princeps bonus ac prudens. Quod ſi vero & in herilibus cura, qualem dominus prudens & bonus adhibet, plane omittatur, etiam ibi id pro argumento poteſt eſſe derelictæ dominationis. Etiamſi igitur fortaſſis longo poſt tempore curam velis denuo ſuſcipere: id nimis ſero eſt: utpote cum ratio rerumpublicarum non patiatur ejuſmodi (ut ita loquar) ſomnolentiam. *Tertio.* illud imperium eſt derelictum, quod ab alio exercetur te nullo modo adverſante. Nec enim profecto vir prudens aut bonus vel rem levem ita curaverit, quam ſui juris credit, longe maxima vero cura debetur civitatibus. Sunt qui requirant in illo ita tacente ſcientiam rei & liberam voluntatem. At vero nec ſupina quidem inſcitia tolerabitur in viro prudente. Ideoque ſi neſcias cum poſſis & deberes ſcire, etiam illud pro indicio eſt inſuper habiti adeoque derelicti imperij. Nec vir prudens ac bonus omnino tacebit ad ſuarum rerum occupationem alienam, niſi in eam conſentiat. Et vero ſatis eſt ut conſenſio ſit mixtæ ut loquuntur voluntatis, quamque expreſſit majoris vel mali metus, vel boni expectatio. Niſi enim illæ actiones habeantur pro voluntarijs, plærique hominum contractus fuerint irriti, & evertetur ſocietas humana. Si pro derelicto autem habendum eſt imperium quod penes alium eſt te haud adverſante, multo magis eo cenſu habendum eſt illud, ſuper quo inter poſſeſſorem & te contractus ineuntur nulla omnino juris tui mentione facta. Nec enim hoc commiſerit vir bonus & prudens in rebus exigui momenti; tantum abeſt ut id fecerit in ijs, quorum curatio perpetua exacte ipſa quaſi naturæ lege imperatur. *Quarto* quod ita derelictum eſt imperium, id tametſi initio bona fide non fuerit occupatum, tamen poſteaquam innotuit jam derelictio illa, bona fide poteſt teneri. Acceſſit ſcilicet novus titulus iſque bonus. Perinde enim ferme eſt, atque ſi illud quod furto fortaſſis eſt ſubductum poſtea furi dones. Illud enim quod dicitur: *quod ab initio non valet ex poſt facto convaleſcere non poſſe:* verum demum eſt ſi nova cauſa juris haud acceſſerit. *Sexto.* denique manifeſtum ex ſuperioribus eſt, non requiri ad indicium derelicti imperij tempus aliquod perlongum: utpote quum reſpublicæ omnes curam & ſedulam poſtulent curationem naturali inſtituto, quæ ſi negligatur ipſa rerumpubl. natura illam ad alium quaſi devolvit. Cumprimis ſane id verum eſt de rebuſpublicis illis melioribus. Nec vero centum

annis

armis videtur opus ad indicandum illas derelictas eſſe.

In hunc modum videtur mihi per tacitam derelictionem, jure æquiſſimo & quaſi naturæ lege, ut alias res ita & imperia ad illos transferri. Nec enim poſſum adſentiri illis, qui omnem uſucapionem vel naturali æquitati adverſari, vel ſolo civili Romanorum jure introductam exiſtimant. Et vero cum prius tum poſterius illud neſcio an ulli populo unquam fuerit perſuaſum. Videre enim utique; eſt illam moribus gentium quarumvis optimarum approbatam & receptam, idque in ipſiſmet imperiorum controuerſiis ceu innumeris teſtimonijs facile eſt oſtenſu. Vſque adeo ſane illud eſt manifeſtum, ut hinc tuto colligere ſit, ſi non naturali ſaltem gentium arbitrario jure, ejuſmodi neglectorum imperiorum juſtam occupationem conſtitutam & ratam eſſe redditam. Et ſane vt ad cujus libet civitatis ita etiam ad gentium quietem pertinet, *ne quarumdam rerum diu & fere ſemper incerta dominia, ſint, & ut aliquis litium ſit finis:* id quod unice præſtare poteſt ejuſmodi quædam uſucapio. Haud ignoro à Romanorum Iuriſconſultis, & quidem ab Vlpiano ipſo, uſucapionem inter civiles acquirendi dominij modos relatam: verum pari ratione ac Donatio in eum ordinem computata eſt. Nempe non quaſi naturali æquitati adverſetur, aut quaſi natura non permiſerit uſucapiendi vel donandi facultatem, ſed quod Romani hos modos acquirendi peregrinis inviderint, & ſuis Quiritibus voluerint eſſe proprios: perinde ut in multis alijs duros ſeſe præbuerunt erga peregrinos, vetita ipſis omni teſtamenti factione, & hereditatis aditione. Vſucapione profecto & præſcriptione Romani ipſi multorum imperiorum poſſeſſionem adverſus alios tutati unice ſunt: quod nequaquam potuiſſent, ſi tantum à civitatis ſuę inſtituto omne illud jus profectum exiſtimaſſent. In ſua vero civitate naturalem illam libertatem multum & varie reſtrinxerunt, pro commodo ſuæ reipubl. ſuorumque civium, quos præ alijs prærogatiuis multis ornari publice intereſſe arbitrati ſunt. Eoq; non eſt etiam, quare ex Romanorum ciuilibus inſtitutis jura hæc, populis omnibus ex naturæ & gentium arbitrio communia, æſtimemus. Id ſane cum injuria liberarum gentium fuerit conjunctum, ſi uſucapionem & præſcriptionem contra Romanos neges valere, qua Romani in ſuam utilitatem contra alios populos uſi ſunt. Id quod tamen multi nimium doctores non dubitarunt profiteri. At vero nobiſcum nata non ex edicto Prætoris orta eſt naturæ illa lex, Romanis quoque prudentibus prodita: *Quod quiſq; iuris in alium ſtatuerit, vt ipſe eodem iure vtatur.*

VI. Sed de his ſatis ex propoſito. Nonnihil dicendum etiam venit de conceſſionibus à ſumma poteſtate ſubdito factis, quam vim habeant, num ita obligent ut revocari jure queant, idque vel ab eo qui conceſſit vel à ſucceſſore. Sunt enim qui nihil non ejus generis revocabile eſſe cenſeant; propterea quod ſumma quævis poteſtas ſoluta ſit legibus, eaſque figere & refigere poſſit, conceſſiones autem ejuſmodi non niſi vim legum, aut privilegiorum potius, habeant. Sunt qui negent: quia ſumma poteſtas obligatur naturæ juribus, quæ mandant ſervare contractus. Videtur pro perperam

addit.

ita, nullo facto diſcrimine, pronunciari. Multum diverſa enim ratio eſt & ejus qui concedit, & ejus cui conceditur, & eius quod conceditur, & deniq; modi concedendi: eoque diſtinctio multiplex venit obſervanda. *Primum* itaque, ſi diſerte additum ſit conceſſioni revocādi arbitrium, ſive ſimpliciter ſive ſub conditione, indubiè revocatio juſte inſtitui poteſt. Imo etiamſi illa clauſula addita non ſit, ſi tamen aut lege aut uſu permiſſa ſit arbitria revocatio ſaltim ſucceſſori, perinde id fuerit quaſi diſerte ſit addita; niſi nova concepta clauſula legi & vſui ſit derogatum. Si lex aut conſuetudo certa non vetet irrevocabilem alienationem, tum ex ipſo concedendi modo quid juſtum ſit decidi non poteſt, ſed aliunde deciſio petenda eſt. Ita alibi lege publica cuivis ſucceſſori permittitur jus revocandi ea quæ ab anteceſſore conceſſa ſunt: ceu apparet in Legibus Suedicis collectis per Ragualdum Ingemundi l. 2. c. 2. Alibi incertum jus eſt. Vt Romæ Tiberius & eum ſecuti non aliter rata habuerunt ab anteceſſoribus conceſſa, niſi & ipſi in eadem diſerte conſenſiſſent Titus & Nerva plane aliter ſe geſſerunt. *Deinde* ſi is qui ſumma poteſtate fungitur non pleno jure dominij poſſidet quæ concedit, utique illa conceſſio, tanquam vitio facta, per ſe nulla, ac proinde revocabilis eſt ab eo cujus intereſt. Sic ubi in commodum populi unice adminiſtranda venit reſpubl. nulli ſubditorum ſeorſim in damnum reliquorum ab imperante poteſt aliquid concedi, quin populo reliquo id liberum ſit reſcindere: nec enim imperanti in tali quidem republica, ſumma licet poteſtate fungatur, fas eſt quidquam concedere cum publico damno. Diverſa herilium civitatum ratio: itaque in his illud etiam quod cum populi noxa conceſſum eſt vni vel alteri, non poteſt tamen à populo revocari. Quæ feudi jure tenentur, illa ſi alijs conceſſa num poſſint revocari à ſucceſſore, non poteſt ex ſolis naturæ inſtitutis recte decidi; quoniam omne feudale vinculum eſt civilis poſitivi juris; quod obſervandum eſſe, ab eo qui eo tenetur, naturalis eſt æquitatis. Variant autem feudalia inſtituta plurimum. Itaq; nunc quidem ſufficit monuiſſe, legibus illis, prout ratio exigit, conſentanee vivendum eſſe. *Tertio* quæ ſumma poteſtas, cum haberet in pleno patrimonio, ſubditis ſive omnibus ſive aliquibus concedit, ſi lex aut uſus nonprohibeant, illa irrevocabiliter poſſunt concedi. Nec enim reſcindi ea poſſunt à populo, utpote cujus jus non pertingat ad talia, non à ſucceſſore, quum nihil habeat juris aliud quam quantum ejus à ſuperioribus relinquitur: non à ſeipſo, quoniam dominio jam privavit ſeſe. Maximus tamen Grotius *l. 2. de iure bell. ac pac. c. 14. n. 7.* ſtatuit, poſſe ſubditis jus etiam quæſitum auferri duplici modo: aut in pęnam, aut ex vi ſupereminentis dominij. Verumenimvero ipſo etiam ſupereminente dominio poteſt à Principe ſubditus ſolvi. Saltim itaque tum non habebit locum poſterior ille modus. Adhoc, ea quæ ita conceſſa ſunt non aliter Principi amplius obligantur quam aliunde quæſita bona. Si in pœnam itaque aut vi ſupereminentis dominij aliquid petatur non proprie conceſſæ rei ſit revocatio, ſed per accidens, per ſe vero tantum ſubtractio aliqua, qualis etiā jure poſſit fieri rerum aliarū. Si in alia bona Principi tantum juris non ſit, nec in hæc fuerit: utpote quum hæc in eandem cum reliquis conditionem abjerint,

Vi ſupereminentis dominij autem publicæ utilitatis cauſſa poteſt aliquid in publicum revocari ex privata poſſeſſione, in rebuſpublicis duntaxat melioribus; in herilibus non item, vbi nulla attenditur publica ſalus niſi ex accidente.

Igitur revera aliter atque aliter ſeſe habet vis conceſſionum facta ſubditis à ſumma poteſtate. Falſum enim eſt quod nonnulli ponunt: omnes conceſſiones habere tantum vim legum poſitivarum. Hæ enim ſubditos tantum adſtringunt: at conceſſiones ſive liberaliter ex dono ſive ex contractu factæ obligant quoque ipſum regem; eoque non eſt regij arbitrij ita libere mutare conceſſiones atque mutat leges poſititias. Ex adverſo jus naturæ obligat quidem quamvis etiam ſummam poteſtatem humanam: non tamen omnes ejus conceſſiones irrevocabiles pronunciat, ac proinde nec jubet omnes illas ſtricte obſervare.

VII. Non indiget quidem prolixa refutatione, rejicienda tamen verbo hic etiam eſt Ferdinandi Vazquij illa ſententia, quam defendendam ſuſcepit, *l.2.quæſt.illuſtr.cap.*82. ſubditis quibuſque, ſive illi ſponte ſive vi adacti in ditionem alterius conceſſerint, licere in libertatem ſeſe aſſerere modo velint & poſſint, quamvis tempore memoriam omnem excedente in obſequio vixerint. Et ſane ſatis pene eſt illi rejiciendæ unum illud, quod id qui docuerit præter Vazquium nemo forte repetiatur. Fatetur id ipſemet n.7. inquiens. *Nullum vnquam in cuius ſcripta inciderim ſic declarare.* quamquam juſtis de cauſis interdum & raro poſſe imperium excuti, multi affirmaverint, neque nos id negemus. Nec vero id poteſt rectum eſſe quod omnibus ſapientibus, uno forte excepto, diſplicet. Adeo levia porro ſunt argumenta quibus innititur Vazquius, ut ijs nihil ſit ſolutu facilius. Homines ſcilicet omnes natura liberos natos, eoque fas eſſe recuperare illam libertatem naturalem, idque vel vi vel mutata ſubditorum voluntate. Etenim natura non quidem juſſit, ſi aliud nullum hominum factum acceſſerit vel me vel alium in numero parentium eſſe; attamen permiſit obſequium, & ſi promiſſum ſit juſſit promiſſis ſtare. Perinde ut de alijs contractibus omnibus nihil eſt naturali lege juſſum, niſi poſito quod ſint initi: hos nimirum ſanctos ſervandoſq; jubet naturæ lex, nondum initos permittit iniri, antehac nihil jubet nihil vetat. *Nihil tam naturale eſſe, quam unumquodq; eo modo diſſolvi quo colligatum eſt*, fatemur cum Vazquio & nos. Hinc vero ſequitur, quæ mutuo conſenſu imperantium & parentium conſtituta ſunt imperia, non niſi utriuſque partis conſenſu, nequaquam vero ex arbitratu unius diſſolvi poſſe: atque adeo plane ab eo, quod Vazquius vult, quid diverſiſſimum. Certe etiam illa quæ ſponte à populo deferuntur obſequia, non ante imperium aliquod pariunt, quam is cui deferuntur conſenſerit, & inter utramque partem contractus fuerit ratus ac ſtabilitus. Nam & delata ejuſmodi obſequia poſſunt rejici: quod & vetuſti & noſtri temporis exemplo non ſemel eſt factum. Etiam quæ vi quadam in bello victos conſtituuntur imperia, conſenſione ſubſecuta populi, mutuo tandem contractu roborantur. Taceo nunc, quod ſevere omnis injuſta rebellio divina lege ſit prohibita: quodque ſaltim gentium moratiorum communi conſenſu ſtabilitis imperijs, arbitraria ejuſmodi dominantiũ rejectio inter deteſtanda numeretur. Quo patet, Vazquij illam ſententiam non tantum naturæ ſed & divino & gentium juri adverſari, evertendiſque omnibus rebuſpublicis idoneam eſſe. In civitatibus quæ populi commodum unice ſpectant, ſi imperans plane aliud agat, iniquum jugum excuti jure poſſe: In herilibus rebuſpubl. ſi omnem omnino ſubditorum ſalutem quaſi exciſam velit dominus, à populo utut minus libero fieri idem poſſe, haud diffitemur. At ſi cauſæ etiam illæ deſint, tantum ex arbitrio ſubducere ſe ſubditos ſuis Principibus poſſe, nova eſt & impia doctrina, eoque nec toleranda.

VIII. De reſtitutione denique in integrum, verbo aliquid annectendum eſt, num illa inter liberos populos aliquando debeat admitti. Et vero ipſe Grotius l. 2. cap. 14. n. 1. Ioanni Bodino ſeſe opponit, cenſenti, *iiſdem ex cauſis Regem ſive aliena fraude ac dolo ſive errore circumventum, ſive metu, reſtitui poſſe ex quibus ſubditus reſtitueretur tum in iis quæ ad iura maieſtatis imminuta, tum in iis quæ ad privata commoda pertinent.* Negat igitur in actibus Regum vere regijs, non autem privatis, reſtitutionem locum invenire; idque propterea, quod reſtitutio veniat ex jure civili nec à ſuperiore inſtitui poſſit. Cæterum ſi quidem reſtitutio mere civilis eſſet juris, fatemur eam inter liberos populos non intercedere, quoniam illi talibus inſtitutis non obligantur. At ipſa naturalis æquitas poſtulat, ut fraude ac dolo circumventus in negotijs ubi bona fide agendum erat, reſtituatur in integrum, præſertim cum ejuſmodi circumventiones jure ipſo actus irritos reddant. Par ratio eſt quorundam aliorum, quæ reſtitutioni ſolent cauſam dare. Quorundam ajo. Nec enim diffitebor Romano aliarumque gentium civili jure inter reſtitutionis cauſis putari quædam, quæ non adeo *evidens æquitas poſtulat*, quum tamen ipſi Romano Prætori ſola hæc in vniverſum credita olim ſit reſtitutionem promovens ratio: quod diſputare hujus loci non eſt. Nos illam ſolam reſtitutionem profitemur locum inter liberos populos reperire, quam *æquitas evidens* exigit: hæc enim tota ab ipſa natura eſt. Quapropter etiam tempus intra quod reſtitutio hæc inſtitui debet non definimus ex civilibus inſtitutis, ſed ſimpliciter eo, intra quod & potuit & debuit publicæ rei accurata cognitio ab eo cui cura reipubl. incumbit comparari: de quo jam tum aliquid dictum eſt. Si enim illud tempus patiatur quis effluere, indicat is eo ipſo negligenter ſe habere rempublicam & quæ amiſſa ſunt dereliquiſſe. Quo ipſo poſſeſſori etiam fraudulento ac malæ fidei novum jus conceditur. Non eſt vero quare quem turbet, quod reſtitutio debeat fieri à ſuperiore, qualis rege nemo datur in republ. Id enim non ſimpliciter, ſed tantum inter cives obtinet. Perinde ut inter cives nemo poteſt eſſe judex in cauſa propria. At ſi ſuperior deſit, tum quiſque *αὐτοδίκως* ſibi jus dicit, ſeſe vindicat, ſeſe reſtituit. Nonnemo hæc omnia vult præſtari ab viro, cui exiſtimat jure naturæ totius humani generis *μονάρχην* competere. Sed inepte. Fac enim (quo tamen nihil eſt ſtultius) talem aliquem à natura inſtitutum; ſi & ipſe afficiatur injuriâ: quem inveniet ille judicem, vindicem aut reſtitutorem? Utique aut nullum aut ſeipſum.

VERVM

VERVM hæc & alia id genus pro dignitate perſequi, ejus philoſophiæ eſt quæ juſtum omne naturale exponit. Quod tametſi fortaſſis haud ſatis ſit factum hactenus, tamen à nobis hoc ſane loco nequaquam eſt exſpectandum. Sufficit nunc pauca tantum hæc produxiſſe; propterea quod argumentum noſtrum propius attingant & tamen impeditorla ſint. Duo hiſce adjicienda ſunt ad publicum jus Imperij pertinentia, ſic ſatis quidem difficilia explicatu, nec itidem hujus loci; quæ tamen non minus atque illa quæ jam attulimus ſumme ſunt neceſſaria ad argumentum noſtrum expediendum, ac proinde ſaltim paucis præmittenda, ut ijs tanquam firmis hypotheſibus impoſterum uti liceat. Alterum eſt, quem penes ſit τὸ κῦρος, adeoque alienandarum Imperij partium juriumque poteſtas ſuprema. Alterum, an illa ſumma poteſtas obligetur, provincias Imperij omnes ad populi vel vnice vel maxime commodum adminiſtrare.

I. Prius quod attinet, nonnulli quidem exiſtimant omnem ſummam Imperij poteſtatem penes Cæſarem eſſe: hunc vero propterea quod ſit mundi dominus habere omnia in liberrima poſſeſſione ac proinde & alienandi facultate eſſe præditum. Ex adverſo complures, utut Cæſari omnium tribuant plenum dominium, alienandi tamen poteſtatem ipſi denegant, idque eo argumento quod cuncta alienatio cedat in Imperij detrimentum, cum Cæſar omniſq; adeo ſumma poteſtas unice obligetur ad commodum reipublicæ quærendum. Cæterum hæc quidem ratio levis eſt, & jam ante à nobis falſi convicta ac rejecta. Æque elumbe eſt argumentum paulo ante adductum pro Cæſarea alienandi poteſtate. Etenim potiſſimæ Imperij parti cum Ciſalpinæ tum Tranſalpinæ Cæſar imperat, non tam ut Cæſar quam ut Rex aliquis Germanicus; ſi ſane velimus exacte rem omnem definire. Id quod late oſtenſum eſt à nobis libro de Germanorum Imperio Romano. Igitur quamvis Cæſari, in ea quæ ipſi Cæſareo jure proprie ita dicto competunt, dominium plenum fuerit, minime tamen hinc ſequitur in reliqua omnia par illi jus eſſe. Sed nec facile probaveris, Cæſari hodie titulo Cæſareo ullum tale plenum dominium convenire. Eſto enim, fuerit illa Cæſarum olim poteſtas: hinc tamen colligere non licet, hodieque illa ſupereſſe, etſi ita argumentari videas ſic ſatis multos. Nam utique ut Romanorum omnia, ita etiam Cæſarum jura mutationibus ſunt obnoxia. Nihil in his æternum, perinde ut nec in alijs humanis rebus. Eadem ſane veriſimilitudine collegeris ex eo, quod Germanicorum regum perexigua olim ætate Cornelij Taciti fuerit exiſtimatio, nunc itidem eos duntaxat valere ſuadendi magis auctoritate quam imperandi. Atqui tanto temporis ſpatio, etiam hoc mutari potuit.

Certioribus igitur rationibus innixi, *primum* id quidem dubio credimus carere, ſaltim poſt Maximilianum primum nullam alienandi bona Imperij poteſtatem Cæſaribus ſuperfuiſſe. Diſerte enim id vetitum eſt ijs legibus, in quas ſecuti omnes ſunt ad Cæſaream dignitatem admiſſi. Nonus Capitulationis, ut vocant, cum Carolo *Vto* initæ paragraphus noſtrate Germanica lingua ita ſeſe habet. Zu dem vnd inſonderheit ſollen vnd wollen wir dem heiligen Römiſchen Reich vnd deſſen zugehörigen nicht allein ohn vnſſeren wiſſen vnd zulaſſen gemelter Churfürſten ſämptlich / nichts hingeben / verſchreiben / verpfänden / verſetzen / noch in andere wege veräuſſeren oder beſchweren / ſondern vns auch auffs höchſte bearbeiten / vnd allen müglichen fleiß vnd ernſt fürwenden / das jenige ſo davon kommen / als verfallen Fürſtenthumben Herſchafften etc. zum förderligſten wieder darzu bringen zueignen auch dabey bleiben laſſen / doch männiglich an ſeinen gegebenen *privilegien* rechten vnd gerechtigkeiten vnſchädlichen. In eandem ſententiam aliquid legitur in Capitulationibus omnibus eorum qui Carolo ſucceſſerunt.

Etiam vero dudum ante, etſi non ſcripta lege, tamen recepta conſuetudine id fuiſſe Imperio probatum, ſaltim à Caroli IV. ævo, manifeſtum fit ex eo libello quo Wenceſlao Caroli filio dignitas Cæſarea detracta fuit ab Electoribus. Inter alias enim abdicandi illum cauſas juſtas etiam hoc afferunt Electores: *complures vrbes terraſq; tam in Germania quam Italia ad Imperium pertinentes alienavit, parum penſi habens ut eas retineret.* Ijdem inſimulant Wencellaum, *quod perniciose mutilaſſet Imperium & mutilum reddi permiſiſſet, dum ex Vicario Imperij creaverat Ducem Mediolanenſem.* Patrem Wenceſlai Carolum ob alienationes, *alterum Craſſum, Imperij vitricum & diſſipatorem* appellare non dubitavit Maximilianus primus; indubie non ita dicturus ſi liberum alienandi jus Cæſaribus competere judicaſſet.

Iam ſeculo tertiodecimo ſacramento adſtringi ſolere Cæſares, ne quid patiantur Imperio decedere, indicat Ottonis IV. hiſtoria. De illo enim ita narrat Matthæus Paris ad annum MCCX. *Circa dies feſtos iſtos Otto Romanorum Imperator memor iuramenti, quod fecerat, cum à Papa ad Imperium fuerat ſublimatus, quod videlicet DIGNITATES IMPERII CONSERVARET, ET IVRA DISPERSA PRO POSSIBILITATE SVA REVOCARET, ficit per ſacramentum legalium hominum Imperij, dominica caſtella ſua ad dignitatem Imperialem ſpectantia perquiri, & quæcunq; per recognitionem ad ius Imperij ſpectare didicerat, in uſus ſuos convertere laborabat. Hac autem de cauſa orta eſt diſſenſio graviſſima inter dominum Papam & Imperatorem memoratum.* Idem non multo poſt addit: *Imperator nunciis Domini Papa tale perhibetur dediſſe reſponſum. Si, inquit, ſummus Pontifex Imperij iura iniuſte poſſidere deſiderat, à ſacramento, quod tempore conſecrationis mea ad dignitatem Imperialem, me iurare compulit, me abſolvat, quod videlicet DISPERSA IMPERII IVRA REVOCAREM. Denique cum Papa ipſum Imperatorem à præſtito iuramento, quod omnes Imperatores in ſua conſecratione, inſpectis ſacroſanctis Evangelijs iurare tenentur, abſolvere noluit, & Imperator e contra Imperij iura, quæ iam parte maxima in manu potenti revocaverat, reddere contempſit, idem Papa in ipſum Imperatorem ſententiam excommunicationis tulit, & univerſos tam Alemanniæ quam Imperij Romani magnates ab eius fidelitate abſolvit.* Hæc omnia Paris, cui tuto poſſumus credere, quoniam & ævo illo floruerit, & valuerit multum prudentia induſtriaque. Diſcimus vero hinc præter illud de Ottone, in vulgari juramenti Cæſarei formula Romæ tunc uſitata, fuiſſe tum illa quæ Otto juraverat. Ottonem vero tale quid juraſſe, ex Gervaſij quoque Tilbérienſis, quem Otto Regno Arelatenſi præfecerat, admonitione ad

Ottonem haud difficile eſt collectu. Ita enim ille loquitur: *Si times conſcientiam tuam, quaſi iniuſtitiam propter ſacramentum Auguſtale patiatur, conſule famam publicam quæ tibi impinget criminationem de ingratitudine.* Simili ſi non eodem ſacramento devinctum fuiſſe ab ipſo Papa Fridericum etiam ſecundum Ottonis æmulum & hoſtem, patet ex eo, quod cum Sardiniam occupaſſet, Papæ ex vi iuriſiurandi de Romanæ Eccleſiæ bonis defendendis ſibi facti, illam repetenti reſponderit, *prius ſe iuraſſe ad repetendas res Imperij, à quibus cum Sardinia iniuſte eſſet abalienata, priori iuramento ſe fortius vrgeri.* Quæ omnia plenius narrat Sigonius *octavo decimo lib. Hiſt. Ital.* Hodie taleq́ quid à Cæſaribus coronandis Romæ non exigitur, ceu conſtat ex Ceremoniali Romano. Forte etiam poſt Fridericum illum ſecundum ſtatim id exigi deſiit, quod experimento non vno didiciſſent Pontifices ſuis, rebus id non ſatis aptum eſſe. Videtur vero & in Germania iam tum in ſimile iusiurandũ noviter quemque electum Regem admiſſum eſſe. In Speculi ſane Saxonici (quod illa ætate conſcriptum eſſe alibi demonſtravimus) l.3, art.54. ita legitur: *Cum rex eligitur iureiurando Imperio homagium præſtet, & iurare debet ſe velle iuſtitiam conformare & deſtruere iniuſtitiam, & Imperii ſecundũ ſuum poſſe* IVRA DEFENDERE. Qui ſacramento adſtrictus eſt defendere iura, illius arbitrio non relinquitur alienatio; itaque ſi & in Germania obtinuit tum illud ſacramentum cujus meminit Auctor Speculi, liquido patet diſerta lege alienandi poteſtatem Cæſaribus fuiſſe prohibitam. Pertinet quadamtenus ad morem hunc id quod de Guilielmo Hollando in Cæſarem electo narrat Ioannes à Beka *chronico Epiſcoporum Vltraiectinor. pag. 77. edit. Traiectina*, dum militaris dignitas more illius ævi ante Cæſaream inaugurationem ipſi conferretur, inter regulas illius diſciplinæ hanc etiam ipſi ſacramento firmandam propoſitam: *Rempublicam illibatam in vigore permittere, feudalia bona Regni vel Imperij* NEQVAQVAM ALIENARE. Quod ſi in has leges juraverunt tum omnes militaris ordinis, vtique & Cęſares vel hoc iuramento fuerunt alienare quidquam prohibiti. Sed non eſt fortaſſe cur huic quidem argumento multum innitamur, cum de iuramento Cæſareo ipſo abunde conſtet, ſaltim ab exordio vſque ſeculi tertiæ decimi.

Nec vero eſt cur heic quidem ſimus ſolliciti de Cæſarum poteſtate quę ante illud ęvum obtinuit, quoniam de ſolis alienationibus, quę forte poſt contigere, nobis agendum veniat, nec huius ſit inſtituti arduum hunc locum, prout alias fieri par eſt, nunc aggredi. Hinc ne vtemur quidem nunc operoſis aliis argumentis, vt oſtendamus, nullam fuiſſe jam ab aliquot ſeculis Cęſaribus poteſtatem alienandorum Imperij bonorum: qualia cœteroquin nõ pauca poſſunt peti ex illa ſummę poteſtatis ratione, quę in Imperio jamdudum obtinvit. Illam enim nequaquam & jam olim fviſſe & hodie eſſe in vnius Cęſaris manu, ſed Imperij Ordines illam ſemper participaſſe, pene more antiquitus omnibus Germanicis populis recepto, liquido eſt manifeſtum. Non multum ante vero demonſtravimus, ſi quando diviſa ita eſt ſumma poteſtas, vt ex parte quidem ſit penes vnum, ex parte vero & penes populum, tum alienationem iniuſſu populi inſtitui nõ poſſe. Verumenimvero, ſeu ante diximus, nõ eſt neceſſum vt illis ſimilibuſq; argumentis nunc vtamur, cum ſeorſim oſtenderimus, ipſo ſacramento hac in re Cęſaris poteſtatem ab aliquot ſeculis fuiſſe circumſcriptam, & ab inſtituto ſit alienum operoſe id nunc agere. Omnino tamen explicatius definiendum eſt, ſi non vni Cęſari, cuinam ergo aut quibus alienandi pręter Cęſarẽ illud ius cõpetat.

Itaque hoc vt expediatur, ante omnia accipiendum eſt nullam alienationem fieri poſſe, niſi accedente Cęſaris auctoritate Cuius rei ratio eſt, quoniam ille caput eſt reipublicę ſive Imperij: cuius proinde auctoritas vt ad aliam omnem reipubl. adminiſtrationem, ita indubie ad hanc etiam quę magni adeo eſt momenti, requiratur. Penes Cęſarem igitur omne omnino alienandi jus potiore ex parte eſt. Ex alia parte vero & penes Electores eſſe, ſaltim à Carolo Vto vſque, liquido patet etiam vel ex illis verbis Capitulationis quam vocant à nobis productis: quæ pene omnia repetita etiam ſunt in Capitulatiunibus Cæſaris reliquis. Non cœpiſſe vero hoc juris demum cum Carolo quinto, ſed iam ante, & quidem ab illo tempore quo à Carolo quarto Aurea quæ dicitur bulla eſt condita, argumento eſt magna illa & prope æmula Cæſareæ Electorum in republ. poteſtas, quę exinde vſque invaluit. Summæ enim poteſtatis pars eximia inde vſque penes Electores fuit vtique, ac proinde ad illus non potuit non ex parte alienandi quoq; poteſtas pertinere. Ad hoc vero certum eſt, Electores illos inter Principes Germaniæ etiam dudum ante & quidem etjam tum, quum illis ſolis nondum eſſet electio Cæſarea commiſſa, primario fuiſſe loco: Principes vero illos Germaniæ nunquam non in partem veniſſe non ſollicitudinis duntaxat ſed auctoritatis etiam Regiæ, cum primis à ſeculo vſque duodecimo vim auctoritatemque eorum multum creuiſſe, vt nihil magnæ rei potuerit agi in republ. niſi de illorum conſenſu. Quamobrem vel hoc titulo ad Electores & quidem ſemper non levi ex parte jus illud alienandi fuit.

De Electoribus quidem igitur non eſt quod dubitemus, ſaltim à Friderici II. Cæſaris ævo vſque, ſine ipſorum conſenſu nihil rite alienari potuiſſe. Incertius eſt, num hoc jus etiam aliis Principibus atque Ordinibus ſit commune; & ſi aliis, num pari jure Italici cum Tranſalpinis & inprimis cũ Germanicis gaudeant. Non ſolis Electoribus id juris cõpetere, haud injuria forte ex eo collegeris; quod à primis vſq; reipubl. noſtræ exordijs, ad omnia pariter ſummæ poteſtatis munia in publicis comitijs proceres omnes ſint tracti, nulla Officialibus qui appellantur aut Electoribus conceſſa prærogativa vſq; ad ſeculum tertium decimũ Exinde hi prælati quidem ſunt alijs, attamen quamvis maximarum rerum conſultatio comitijs Imperij publica & communis permanſit. Inter maxima autem omnino numeranda eſt alienandi licentia. Nec vero huic juri ſuo reliqui proceres vnquam renunciaverunt, aperte quidem. Ne agitatum quidem vnquam fuit palam, vt illo cederent. Imo ſicubi ab exteris alijſque violata fuerunt Imperij jura, Cæſares identidem injuriam illam conqueſti ſunt non apud ſolos Electores, ſed Ordines Imperij vniverſos, Quo

ipſo

ipſo videntur indicaſſe, ad omnium judicium pertinere, ſi quæ fiat Imperii bonis detractio. Quin etiam non adeo pridem cum de alienandis quibuſdam fuit actum inter Cæſarem & Gallum alioſq; delatum id negotium eſt ad conventum publicum, definitumque conſenſu non Electorum duntaxat ſed omnino omnium Ordinum, cum Monaſterij tum Oſnabrugæ. Non ſane exteri Reges ſatis ſibi cautum exiſtimaverunt, niſi ubi & aliorum Ordinum probatio acceſſiſſet.

Ex adverſo dixeris, Electoribus hoc quoque præcipuum deberi; quoniam in Capitulationibus quas appellant, nulla aliorum Principum Ordinumque facta mentione, Electorum conſenſionem ſe ſectaturum Cæſar promittit. Sed fortaſſis non ea mens eſt illarum legum, quaſi *ſoli* Electores à Cæſare ſint compellandi, ſed quod hi primario conveniri debeant, ut facta ab his præconſultatione, ex omnium denique arbitrio aliquid conſtituatur. In quem ſenſum & Capitulationum ejuſdem notæ alia ſolent accipi. Si ſane aliunde conſtet, auctoritatem alienandi alijs quoque Principibus communem eſſe, non poteſt alius ſenſus Capitulationis admitti. Nec enim Electores, quorum eſt lex illa, Principibus alijs jura ſua ereptum iveret nec ſi vellent, ejuſmodi quidem legibus potuere illis quidquam præjudicare. Vtut ſit, cum in Capitulationes ſero demum hoc receptum ſit non licet hinc petere argumentum ejus, quod ante Carolum Vtum obtinuit.

Et vero olim promiſcue ad omnes Principes jus illud pertinuiſſe, non eſt forte quod multum dubitemus. De hodierno tamen ſtatu malo ipſe in re dubia nunc ἐπέχειν, arbitrandi facultate alijs relicta. Quod ſi vero ad Principes alios etiam jus illud vel hodieque pertinet, vel olim pertinuerit, tutius definieris illud, quod itidem conſultandum propoſuimus, non ſcil. & inquantum ad Italicos Germanicoſque Principes jus illud ſpectet. Etenim ſaltim prærogativam deberi Germanicis, & ad hos ex parte ſpectare omnium omnino etiam Italicarum rerum curationem, juſtum utique eſt, vtpote quum horum ſanguine & ſtudio omnia, quæ vel in Gallia vel in Italia Imperialis ſunt juris, fuerint acquiſita & in commune reipubl. corpus pertracta. Accedit, quod omni ſecuro ævo, quotieſcunque de rebus etiam Italicis conſtituendum aliquid fuit majoris momenti, ſemper ex conſilio & auctoritate Germanicorum etiam Principum omnia geſta fuerint: quod infinitis exemplis facile oſtenſu eſt. Huc facit, quod Italia omnem pene poteſtatem Cæſaris aut Regis conſtituendi, adeoque ejus qui & Italis omnibus imperandi jus habeat, uni Germaniæ citra omnem controverſiam nunquam non conceſſerit, ex quo ab Othone fuit devicta. Hinc jam olim Friderico I. Cæſare Mediolanenſibus ſuis Comes Blandratenſis objecit illa, quæ refert Guntherus l. 8.

Reges Alemannia nobis
Vrbibus Italicis leges & jura daturos
Mittere rite ſolet: poſtquam de partibus illis
Carolus, & magni Regnum ſurrexit Othonis,
Auſoniaq́; ſuos Reges capere corona
Teutonici.

Apud eundem Guntherum l. 1. ita neſcio quis alloquitur Germaniæ proceres.

Ex quo Romanum NOSTRA virtute redemptum,
Hoſtibus expulſis, AD NOS juſtiſſimus ordo
Tranſtulit Imperium; Romani gloria Regni
Nos penes eſt. Quemcunq́; ſibi Germania Regem
Præficit, hunc dives ſubmiſſo vertice Roma
Suſcipit, & verſo Tiberim regit ordine Rhenus.

Nunquam tamen ita Germaniæ Ciſalpina illa fuerunt unita, ut omne omnino reipubl. ſuæ arbitrium uni Germaniæ commiſerint. Semper enim & illis ſua comitia fuerunt, in quibus res majores componerentur: quamdiu quidem priſco more unum reipublicæ corpus unamque rempubl. aluerunt. Ita ſcilicet illa cum Germanicis alijſque Tranſalpinis fuerunt unita, ut hiſce quidem præcipuum aliquod jus in omnia datum, illis tamen in ſua & proprium aliquod ſemper ſuperſtites manſerit. Quod fide ac teſtimonio optimorum monumentorum haud adeo difficile probatu eſt. Verum Italici aliquamdiu nulla communia comitia inſtituerunt, huc illuc in partes diviſi, adeoque communis reipubl. nulla ipſis curatio fuit. Germanicis jura ſua integra manſerunt, niſi illa ad ſolos Electores tranſire paſſi ſint. Quicquid vero hujus ſit hodie quidem; non videtur citra Germaniæ conſenſum ullam omnino hactenus Imperij partem potuiſſe abalienari, ubicunque illa fuerit locorum ſita: videtur tamen & Italicorum conſenſu opus ſi quid in Italico Regno fuerit alienandum. Burgundici & Lotharingici Regni diſpar ratio eſt; quoniam hæc cum Germanico arctius coaluerunt, & quidem ita ut ſingularia ſibi comitia publica ad modum Italici haud ſervavorint.

II. Hiſce ſic pro ratione inſtituti expoſitis, licet jam & ***Alterum*** illud quod expediendum ſupereſt, ***Num*** ſcilicet ***uſum publicum ſpectet Imperij adminiſtratio, an vero Imperantis commodum***, verbo abſolvere. Etenim ubicunque ſua eſt comitijs auctoritas, non ſolet neque poteſt reſpublica ad eorum uſum, qui magiſtratus officio etiam ſummo funguntur, vel unice, vel etiam potiſſimum inſtitui: ſed ſaltim illorum ſalus quæritur, qui comitijs interſunt, ſi non & aliorum. Igitur cum non uni Germaniæ locus fuerit in comitijs, ſed ad ſua omnia ſemper admiſerit Burgundici & Lotharingici regni proceres, & quidem ex æquo admiſerit, facile patet, horum non minus atque Germaniæ Ordinum ſalutem, nequaquam vero ſolius Cæſaris commodum, Imperio Tranſalpino propoſitam eſſe. Non diſpar ratio eſt Italici regni: quippe quod magna propriorum etiam comitiorum cum libertate tum auctoritate ſemper floruerit. Nec vero eſt, quare velis Germaniæ tribuere in reliqua omnia herile aliquod jus propterea quod illa victricibus ſuis armis reliqua ſubegerit. Non enim victoriæ ſemper idem ſcopus aut eventus eſt. Alij domiti ſunt ut ſeruiant, alij ut pareant, alij ut in communia ſocietatis jura tranſeant. Quibus nullum in Comitijs Imperij ſuffragiorum jus eſt, qua illi viuant conditione, non eſt hujus loci ut vel moneamus, utpote quum ad noſtrum inſtitutum non attineat. Et vero de omni ſtatu populorum Imperij Germanici ut & de legibus in quas illi uniti ſunt, proprius diſputandi locus eſt, ubi de Ordinibus & Comitijs Imperij agitur: quod argumentum ampliſſimum quidem eſt ſed à propoſito alienum. Nobis in viam redeundum unde digreſſi ſumus.

CAPVT XX.

Bona Pontificibus Romanis donata non omnino Imperij limitibus excidiſſe per Cæſarum dona.

IN diverſas forte reprehenſiones incurrimus apud eos qui legerunt quæ modo attulimus. Alijs enim illa juſto breviora, alijs prolixiora debito queant videri. Cæterum fatemur vltro, longe exactius illa & poſſe & debere tractari, ſed alibi, & loco ſuo. Hic vero nec omitti plane potuerunt, ne ſalebræ paſſim remorentur inſtitutum noſtrum ſermonem: nec plenius tradi debuere, πάρεργον ipſo ἔργῳ fiat majus, quo nobis quidem nihil magis inviſum eſt. Fatemur etiam, potuiſſe multa brevius proponi, imo & omitti potuiſſe omnia, modo lectores plærique ſatis jam tum ab iis inſtructi eſſent. At quoniam in quam multis multa merito deſideres, deſcandum fuit illorum iudiciũ ſaltim aliqua ex parte, prius reliqua illi quam aggrediantur. Quod ſi qui tamen iam inſtructi ſatis acceſſerint, (quales vtinam fuerint omnes!) poterunt illi ſine damno ſuo illa prætermittere; modo nobis non ſuccenſeant quod & imperitiorum aliquam rationem habuerimus.

Igitur quod ſupereſt expedituri, definiemus deinceps limites Imperij, quales illi ab ævo Friderici II. Cæſaris ad nos vſque ſeſe habuere. Exordium vero novi operis nobis Italia, & in hac ea pars quæ Papæ ceſſit, merito præbet, quod hanc dignitatem quaſi exigat ſibi Vrbs Roma, nullumque aliud regnum perinde ſit controverſi iuris. Principio igitur videndum fuerit, num ea quæ dono Cæſarum poſſidet Papa per Italiam, ſint adhuc intra limites Imperii comprehenſa. Exempta illa eſſe, & vnius Pontificii iuris, à quamplurimis hodie creditur, &, vt ita loquar: γυμνῇ κεφαλῇ aſſeritur. Imo iam tum ab aliquot ſeculis id qui docerent haud defuerunt, iiq; non infimæ dignitatis aut eruditionis doctores, cum paſſim terrarum alibi tum in Italia præcipue & curia Papali. Quorum cum magnus ſplendidusque numerus poſſit produci, vel illo vno tot illuſtrium ſcriptorum teſtimonio videtur illa ſententia iure poſſe adſtrui. Afferuntur vero præterea ad eandem confirmandam & donationes Cæſarum, & longi temporis ſcriptio, & alia denique nonnulla: Quæ nunc ordine examinabimus.

Igitur ad Fridericum quidem II. Cæſarem vſq; non vlla donatione, non vlla præſcriptione, regiones illas Imperii fuiſſe iuribus ſubductas, ſed in eius manſiſſe ditione & finibus ſatis eſt à nobis integro capite decimo iam oſtenſum. RVDOLPHO Habſpurgico Cæſare quoniam primum poſt Fridericum illum reperita aliqua eſt donatio, illa ante omnes excutienda venit. De illo narrat Bzovius ad ann. 1274. num. 13. ex neſcio quo Codice Vaticano, quod per Legatũ Epiſcopum Spirenſem in Concilio Lugdunenſi, *omnia iura, privilegia, immunitates, libertates, bona, poſſeſſiones, civitates & provincias Apoſtolica Sedi a prædeceſſoribus Imperatoribus, præſertim Ottone IV. & Friderico II. datas conceſſaſque nec non iuramentis & tabulis publicis confirmatas, Gregorio X. Pontifici confirmaverit & renovaverit.* Narrat idem ad annum 1275. numer. 13. ipſummet Rudolphum illi Gregorio Lauſannæ tum degenti coram omnia illa per tabulas quæ hodie in caſtro S. Angeli ſerventur, promiſiſſe, cereo addito ſigillo, donec poſt coronationem aurea bulla omnia ſignarentur. Idem repetitum eſſe Romæ anno 1278. per legatum ad Nicolaum III. Papam miſſum, narrat Bzovius in hiſtoria illius anni num. X. In ſequentis anni commentario num. 1. tradit Bzovius, in conventu publico Ordinum Imperij Viennæ tabulis aurea bulla obſignatis, quæ extent in caſtro S. Angeli, à Rudolpho omnia denique confirmata. Tabularum ipſa verba non exhibet Bzovius, ſummam tamen earum deſcribit, quam huc non poſſumus non adducere rei magnitudine id flagitante, præſertim quum ad hoc exemplum formatæ dicantur Tabulæ ſecuta ætate à Cæſaribus exaratæ. *Satis*, inquit, *ſuperq; diſertis verbis confitebatur*, Rudolphus, *quia ad magnificentiam munerum & gratioſam quodammodo ineffabilem largitatem, qua Imperatores Romani & prædeceſſores ſui Reges Romanorum de Romana matris Eccleſia uberibus ſuſceperunt, ſpectare videbatur, vt & ipſi velut devoti filij faciem gratitudinis erga matrem Eccleſiam converterint: maxime quod eadem Eccleſia ipſos in dulcedine benedictionis prævenerit, Imperiumque de Græcis in Germanos transferens, iiſdem quod illorum fuerat dederit: vt iſti quoque nonnulla eidem Eccl. grati animi cauſa conceſſerint, donaverint confirmaverint: ſcilicet totam terram quæ eſt Radicoſano vſq; Ceperanum, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, Terram Comitiſſæ Mathildis, Comitatum Brettenorij. Exarchatum Ravennæ, Pentapolim, & Maſſam Trebariam cum adiacentibus terris. poſſeſſionibus ac locis, deſcriptis in privilegijs Imperatorum, a temporibus Ludovici vſque ad præſens. Quamobrem & ad ſe quoque pertinere teſtabatur, eadem omnia Sedi Apoſtol. non tantum confirmare, verum quantum opus fuiſſet, de novo concedere, & vt eius regales actus in omni claritate procederent, & omnis obſcuritas, quam frequenter generalitas conſuevit inducere, Imperiali expreſſione tolleretur, & iura Sedis Apoſtolicæ per Imperatoriam declarationẽ, quam perpetuam fore decernebat Rudolphus, ſolidarentur: recognoſcebat, fatebatur, & oraculo præſentis edicti ad æternam memoriam declarabat, præter omnia ſupra numerata, civitatem Ravennatem, Æmiliam, Bobium, Ceſenam, Forum Populi, Forum Livium, Faventiam, Immolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adriam, Gabellum, Ariminum, Vrbinum, Montem fereti, & territorium Balnenſe, Provincias, Civitates & loca cum omnibus finibus, territoriis, atque inſulis, in terra marique ad prædictas civitates, territoria, & loca ſupra dicta, quoquomodo pertinentibus, ad B. Petrum Principem Apoſtolorũ & ad eundem Nicolaum III. Pontif. Max. ſucceſſoreſque ipſius atq; ad ipſam Romanam Eccleſiam PLENO IVRE AC INTEGRE, non ſolum in ſpiritualibus, verum etiam in temporalibus ſpectare, ac ipſorum PLENI IVRIS, ditionis ac principatus exiſtere. Inſuper ad omnem dubitationis ſcrupulum inpoſterum abolendum, vt & ipſius Imperialis devotio erga matrem Eccleſ. Rom. innoteſceret, prædicta omnia & ſingula, tam propriis ſeu ſpecialibus provinciarum, terrarum, civitatum, & locorum expreſſa vocabulis, quã etiam non expreſſa, prout melius valere, & efficacius intelligi potuiſſet, B. Petro & ipſi ſummo Pont. Nicolao III.*

Digitized by Google

lao III. ac Succeſſoribus illius, nec non Rem. Eccl. libere & PLENARIE, quantum opus erat, de novo conceſſit, contulit & donavit: vt ſublata omni diſſenſionis & contentionis materia, firma pax, & plena cõcordia, inter Eccleſiam & Imperium iugiter perſeveraret. Actum & datum Viennæ XVII. Cal. Mart. an. 1279. Indict. 7. Regni VI. præſentibus conſentientibus & diplomati ſubſcribentibus Friderico Archiepiſcopo Saltzburg. Ioan. Chimen. & Bernard. Segonen. Epiſcopis, Rudolpho regiæ Curiæ Cancellario, Magiſtro Gothofrede Præpoſito Solienſi Regio Protonotario, Abbate Monton. Archidiac. Tredentino, Alberto & Hermanno fratribus Comitibus & Chiburgen. Comitibus filiis Landgravij Holſatiæ, Friderico Burgravio Nurenbergen. Marchione Otbergen. & compluribus aliis. Subjungit mox Bzovius: omnia illa in tabulis Rudolphinis enumerata *pleno iure ad Sedem Apoſtolicã ſpectare*, decreviſſe, ſuiſq; literis teſtatos eſſe Principes Imperii, Henricum Trevirenſem, Suffridũ Coloniensem, Wernerum Moguntinum Archiepiſcopos, Ludovicum Comitem Palatinum Rheni, Ioannem & Albertũ Duces Saxoniæ, Ioannem & duos Ottones Marchiones Braudenburgenſes. *Diplomata*, ait, *ſingulorum cereis ſigillis, eodem anno ſignata extant in archiuo molis Hadriani.* Addit deinde ipſa diplomatis Principum verba. Vbi poſt alia complura, cumprimis ad antiquam Cęſarum & novam Rudolphi conceſſionem pertinentia hæc digna notatu occurrunt: *Nos noſtri nomine Principatus in omnibus ac per omnia approbamus & ratificamus, ac iiſdem omnibus & ſingulis, & quibuſcunq; aliis ſuper eiſdem, per eundem Regem quoquomodo factis, & impoſterũ faciendis, voluntatem noſtram, aſſenſum, atq; conſenſũ vnanimiter & cõcorditer exhibemus; & promittimus, quod contra præmiſſa vel aliquid præmiſſorum nulle vnquam tempore veniemus. Sed ea omnia & ſingula pro poſſe noſtro procurabimus inviolabiliter obſervari. Et vt hæc noſtra voluntas, approbatio, ratificatio, aſſenſus atque promiſſio, à nobis eiſdem Romanis Pontificibus & Eccleſiæ in perpetuum obſerventur, hoc præſens ſcriptum inde fieri fecimus, & noſtrorum ſigillorum munimine roboravimus.*

Hæc omnia ita quidem Bzovius. Verumenimvero cum illo quidem non eſt vt tuto liceat in tenebris micare. Fidem hominis dubiam pridem reddidit doctiſſimus Hervvartus, ne de aliis nunc dicam. Et vero, vtiq; tabulas illas Rudolphi, quas ita confidenter aſſervari in archivo ille affirmat, non vidit: alioquin illas produxiſſet. Subſcriptiones ipſæ corruptis nominibus & titulis ſatis indicant, non deſcriptas illas ex autographo aliquo. Tabulas Principũ itidem non vidit ipſe: ſed eas iam Baronius recitaverat *tomo x. anno 996. n. 44. & ſeq.* Cuius verba de literis illis hæc ſunt n, 43: *Extant literæ Marchionis Brandeburgenſis vnius ex Electoribus, quarum hic eſt titulus. Otto Marchio Brandẽburgenſis vniuerſis præſentem paginam inſpecturis. Data autem, vt in fine, habetur, Anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono, pridie Id. Septembr. anno 6. Rudolphi Imperatoris. Aliæ Ioannis & Adalberti Ducum Saxoniæ, eodem titulo, dataque eodem anno, die vero & menſe diverſo, nempe decimoquarto Kalendas Aprilis. Aliæ Comitis Palatini Rheni, eodem die data & anno. Iuxta quã præſcriptam ab iſtis formam & reliqui Electores ſcripſere. Quibus omnibus pariter confirmant donationes factas, vel innovatas à Rudolpho Romanorum Rege & aliis prædeceſſoribus Imperatoribus Romanæ Eccleſiæ. Extant ipſa in ſcripto codice eodem tempore vna cum aliis monumentis, de donationibus & privilegiis à diverſis Eccleſiæ Romanæ factis, quæ aſſequantur ſeorſim a Vaticana Bibliotheca Romæ in caſtello S. Angeli, loco tutiore, vbi ſelecta maioris momenti monumenta recondita habentur, ne pereant.* Hęc Baronius ex quo vno tabulas illas in dubio Bzovius deprompſit. Vbi notandum primo occurrit, Baronium fateri deſcriptas illas ex codice quondam Vaticano, Bzovium id diſſimulare: deinde Baronium memorare vnum tantum Ottonem Brandenburgicum, Bzovium duos & Ioannem Marchionem: tertio Baronium non meminiſſe diſertis quidem verbis triũ Electorum Archiepiſcoporum, quod facit Bzovius: quarto cum expreſſe fateatur Baronius ſeorſum & diverſo tempore ſcriptas Brandenburgici & Saxonicorum literas, diſtinctas quoq; fuiſſe literas Palatini, Bzovius itidem affirmet *ſingulorum* diplomata aſſervari, vterque tamen non dubitavit ita illas producere quaſi multi ſimul eaſdem condiderint. Nam Baronius ita illas orditur: *Ludovicus Dei gratia Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Ioannes & Adelbertus Duces Saxoniæ, Otto Marchio Brandenburgenſis, vniuerſis præſentem paginam inſpecturis ſalutem in auctore ſalutis. Complectens, &c.* Bzovius ita: *Nos Principes Imperij vniuerſis præſentem paginam inſpecturis, Complectens,* Vterque porrò, Bzovius pariter & Baronius, illas producunt loquentes ſemper in plurali numero: quod non eſt conueniẽs literis, ſi quidem ſinguli ſingulas miſerunt. Quę vtraque falſimoniæ luculentiſſima ſunt teſtimonia.

Cæterum eſto. Admittantur vt genuinæ. *Primum* id certum eſt, probari non poſſe, omnes Imperij Ordines iſthac ætate conſenſiſſe in ciuſmodi donationem. Horum autem, non vero ſolorum Electorum, conſilio & approbatione fuiſſe tum opus ad donationis robur jam oſtendimus. Narrat quidem Bzovius, *Conſenſu publico* illas Rudolphi literas exaratas, item *præſentibus conſentientibus & diplomati ſubſcribentibus Friderico Archiepiſcopo &c.* At vero ipſa illa paucarum manuum ſubſcriptio ſignificat, vel non veniſſe negotium ad omnium noticiam, vel non omnes conſenſiſſe. Deſideratur enim vtique plerorumque & maximorum Principum manus. Nec in ipſis tabulis fit mentio impetrati Principum conſenſus, cum tamen in Friderici II. tabulis apud Bzovium ad annum 1213. n. 2. ita legatur: *Omnia ſupradicta, & quæcunque alia pertinent ad Romanam Eccleſiam, de voluntate & conſcientia conſilio & conſenſu Principum Romani Imperij, libere illa dimittimus, renunciamus & reſtituimus.*

Secundo, nihil ad Papam hac quoque donatione pervenit præter vtile dominium: ſummi vero Imperij auctoritas translata non eſt. Habetur quidem in illa Tabularum Rudolphinarum Bzoviana Summa, quaſi *plenum ius* ſit conceſſum. Sed incertum eſt num illa verba tabulis ſint inſerta. Nam Bzovius quoque narrat in tabulis etiam Principum decretum, *pleno iure ad Sedem Apoſtolicam omnia pertinere:* & tamen illa in Tabulis iſtis haud occurrunt. Vtut vero illa verba ibi habeantur, tamen multis modis patet, non vltra dominij vtilis limites plenum illud ius extendendum eſſe.

Principio enim cum à Rudolpho nihil aliud flagitaverit antehac Papa quam confirmationem

tabularum Ottonis IV.& Friderici IIdi, nec ille aliud promiſerit, ex horum tabulis etiam hæ interpretandæ veniunt. Iam vero Ottonis quidem ad annum 1209.num.2. Friderici autem ad annum 1213. n 3 & 4. recitat Bzovius:& in vtriſque conferuntur Papæ illa bona *cum omni iuriſdictione diſtrictu & honore ſuo*, illa tamen etiam verba ad ſolum vtile dominium pertinere produnt, quæ ſtatim ſemper ſubiunguntur: *Veruntamen cum ad recipiendam coronam Imperij vel pro neceſſitatibus Eccleſiæ ab Apoſtolicâ Sede vocati venerimus, de mandato Summi Pontificis recipiemus procurationes ſiue fodrum ab ipſis.* Fodri enim exactio dominij vtilis pars eſt: eamque ſolam Cæſares exceptam voluerunt recepturi coronam aut Pontificis rogatu venientes. Hactenus ſcilicet magna pars bonorum iſtorum, etiam vtili dominio & juriſdictione omni, poſſidebatur à Cæſaribus, reliquum omne, nō minus ac aliorum Principum Eccleſiaſticorum terra aliqua, exactionibus Cæſariis promiſcue omnibus obnoxium erat. Quum illo ſolo onere itaque levare ſeſe hactenus ſtatuiſſent Papæ nonnulli, ſed fruſtra, pacis cauſſa tandem in indultum ipſis eſt, primum ab Ottone mox à Friderico. Quorum ille aliter à Ceſarei iuris peritis iuſtitutus, paulo poſt dominium vtile multorum locorum repetiit: hic terram Mathildis & multa alia demū anno 1221. in manus nuncij Pōtificij reſignavit, teſte ipſo Bzovio, & deinde tamē ſibi recuperavit. Denuo itaq; cavit Rudolphus Pōtifici, nonnullis in eadem iura additis. Idem vero ex eo quam maxime liquet, quod in Tabulis illis, vt nec in recentis alijs, ſummo Imperij juri numquā ſit diſertis verbis renunciatum, ex adverſo autem ipſi Pōtifices ſummā illā auctoritatē ſemper cōfeſſi ſint; vt infra pluribus adſtruetur. Huc facit quod Rudolphus anno 1278. Carolo Siculo Regi Senatoris titulo Vrbem Romam gubernanti, dignitate illa interdixerit, idque Pontifice Nicolao approbante, quod late narrat Bzovius ad annum illum n.9. Non potuiſſet autem hoc vllo jure Rudolphus, niſi ſumma Imperatoria auctoritate ſalva. Neque obſtat huic, quod Rudolphus Cancellarij ſui factum, qui in verba Cæſaris iurare fecerat complures vrbes Pontificii iuris, irritum pronunciaverit, teſte eodem Bzovio *n.*12. Iuramentum enim illud pertinuit ad dominium vtile & iuriſdictionem, quo vtroque Cæſares hactenus fuerant vſi.

Tertio, quamuis nulla clauſula dominio vtili aliqua ex parte videatur Imperio conſuluiſſe Rudolphus, illud tamen de fodri exactione ab Ottone & Friderico in Imperij vſum publicum reſervatum, non eſſe remiſſum docet vſus ſequentis ævi: vtpote quum Papæ non gravati fuerint coronandis Cæſaribus fodrum illud ſuppeditare. Quamvis etiam Rudolphus multa præter morem poſſidenda Pontifici tradiderit, eoque opima Imperij bona fiſco regio fuerint ſubducta, ſi tamen ſcriptoribus aliis credimus, factum id eſt certis additis conditionibus. Diſerte Aventinus *l.7.Annal.* cum narraſſet, prætextu belli ſacri gerendi Gregorium Decimum Papam à clero omni & monachis decimas extorſiſſe, niſi quod eas nonnulli redemiſſent, ita pergit: *A cæteris omnibus decima ſuperbe atque avare exacta: & licet Decimus eodem anno animam efflaſſet, nihilo ſecius tamen Romani flamines decimas per ſex annos, cæteris per vim pecunia, à Germanis emunxerunt. Rumore diſſipabant ſe ſū opiculo atq; ſtipendio Palæſtinam, Ægyptum, Aſiam, Africam erepturos Turcis Sarracenis Tartaris. Quamobrem & Rudolphus, ILLA LEGE atque omine, primario ſacerdoti dono Romam præfecturas, Ducatus, Urbes, Regiones Italiæ hactenus Imperatoribus parentes (Romaniolam Martinus vocat) quæ quotannis millia drachmarum auri ſeptingenties penſitarant, conceſſit. Quemadmodum & Imperator Maximilianus anno abhinc decimo Principibus aperuit, edictoque dato ex Oenobriga 13. Kal. Aug. anno Chriſti 1511. conqueſtus eſt. Dum eodem anno ad Calendas Septembris Piſam adverſus Julium ſecundum Pontific. Max. ſenatum Chriſtianum, novem Romani flamines, idem Maximilianus, atque Ludovicus Franciæ Occidentalis Rex, convocarent pro reformatione morum (vt eorum verbis vtar) univerſalis Eccleſiæ in capite & membris plurimum collapſorum, ac emendationi criminum graviſſimorum, interiorum, continuorum ac incorrigibilium, univerſalem Eccleſiam enervantium. Sed ego heic miſſa faciam: extant huiuſmodi diplomata; qui curioſus & ea legere velit, inquirat & ipſe.* Hæc Aventinus. Quæ ſi ita ſeſe habent, ne vtile quidem dominium Bononiæ & Romandiolæ acceperit Pontifex aliter quam titulo oneroſo, idque in commodum inſigne totius Imperij.

Nihil hujus habet quidem Bzovius in ſua ſumma: ſed eius ſilentium non meretur opponi Maximiliani laudatiſſimi Cæſaris voci & querelæ. Indubiè non niſi gravi cauſſa permotus, vltra Ottonis & Friderici liberalitatem, bonorum Imperij prodigus adeo fuit Rudolphus. Bzovius tamen tomo 19. in hiſtoria anni 1530. acta coronationis Caroli quinti deſcribens, non dubitavit ea de re num. 3. ita referre: *Rudolphus primus ex Auſtriaca ſtirpe Habsburgia Imperator, accepti gratus beneficij à Gregorio X. collati; videlicet quod Paulum Caſtellum Principem Nabarteum, habitu Franciſcano (vt res occultior ſecuriorve eſſet) indutum ad ſe miſerit, deque futura electione admonuerit, operamque ſuam omnem ad eam dignitatem conſequendam obtulerit, vt Ioannes Baptiſta Collecipelius in Faſtis ſuis memorat; quod, audiens congregatos eſſe Imperij Principes, & petierit & mandaverit, vt ſincera puraque electioni intenderent, ac tam Eccleſiæ quam Imperio providerent, adeoque Rudolphum imperatorem elegerent, vt Cuſpinianus ſcripſit quod denique audita electione ipſius, vt res illius conſilio ſuo & opera conſtabiliret, nonniſi eodem Paulo Caſtello ſocio & conſcio privatim ad fines Germaniæ vſq;, occultata aliena habitu maieſtate Pontificia proceſſerit, eique animum ad res præclare ſuſcipiendas, vt Petrus Meſſias inſinuat, addiderit, adeoq; Imperatorem fecerit. Hinc, tanquam, beneficij memor Rudolphus, ex Tabula confirmationum ſeu donationum, quas ante ſe cum certis oneribus Romanæ Eccleſiæ Cæſares offerebant, omnibus his abrogatis, pure, ſimpliciter, abſolute, ſine vllis conditionibus aut oneribus, eadem concepis dedit obtulit confirmavit: ſuadente Paulo Caſtello Romanæ Sedis ſtudioſiſſimo.* Ita quidem Bzovius. At non eſt veriſimile, Rudolphum vnius priuati commodi cauſſa voluiſſe reipubl. iuribus multū adeo detrahere: aut in Rudolphi gratiam Electores Principes in illud facinus conſenſiſſe, quo haud aliud temere magis iniquum & venia nulla dignum invenias. Sed &

non-

nonnulla eorum, quæ de Gregorii ſtudio in Rudolphum narrantur à Bzovio, fabulis per ſunt ſimilia; carent ſane teſtimonio fide digno. Nec vero quiſquam forte ante Bzovium de Rudolpho impiæ adeo ſuſpicatus eſt. Itaq; totum hoc videtur deberi Bzovianis commentis. Tutius vtique credi poteſt Maximiliano Cæſari, allectum Rudolphum promiſſis illis (etſi vana fuiſſe eventus docuerit) à Papa in ſacrum bellum ſubſidiis, affirmanti. Acceſſit indubiè petentis Papæ importunitas, & memoriæ tot funeſtorum tumultuum, qui inter Cæſares & Papas de bonis hiſce fuerunt ab aliquot ſeculis, cumprimis Ottone IVto & Friderico II. regnantibus, exorti. Illa certa anteacti tempus memoria non potuit non terrere in futurum. Vt tranquillitatis publicæ interfuerit, iacturam facere eorum quæ ſervari non poterant contra vim Papalem, niſi cum ſummo reipubl. periculo. Vtut ſit, nec donatio illa vim habet, vtpote quæ ab Imperii Principibus non eſſe confirmara: nec Imperii ſummæ auctoritati per eam quidquam deceſſit.

Poſt Rudolphum etiam ALBERTVS tabulas aliquas Pontifici Bonifacio IIX. fertur dediſſe anno 1303. Meminit quidem illarum Bzovius in illius anni hiſtoria: ſed non niſi paucis verbis earum ſummam attigit. Baronius partem illarum recitat ad annum 996. n. 4. vnde eam tranſcripſit in ſua Goldaſtus: ſed illa nihil facit ad noſtrum negotium. Baronius addit: *Confirmat iiſdem privilegia ab eodem Rudolpho & aliis Imperatoribus eidem Eccleſiæ Romanæ conceſſa. Ratificat quæ ſtatuta fuerant per Ludovicum Imperatorem Paſchali Papæ, & per Ottonẽ Joanni Pontifici. Et poſt reverentiam Patri exhibitã, & filialem amorem inſinuatum, Eccleſiæ iura defendit, & libertatẽ eiuſdem Eccleſiæ defenſurum adverſus quoſcunq; eiuſdem perturbatores, adverſus quos bella movere, ſi opus ſit, pollicetur, ſpondens ſuum cum exercitu in Italiam adventum, ſi placeret.* Hæc Baronius. Vnde diſcimus nihil novi ab Alberto datũ, ſed vetera tantum & patris dona ratihabita. Antiqua autem illa Cæſaream auctoritatem plane confirmant: & Rudolphi donum vtut omnis ſit pingue, ſummo Cæſareo juri nihil detrahit: itaque nec per Albertum quidquam illi deceſſit.

HENRICI Septimi tabulas ſuo quidem loco itidem non habet Bzovius: at vero recitat ille ad annum 1336. prolixas Ludovici IV. Cæſaris literas ad Benedictum XII. Papam, quibus reconciliationem ſuam expetiit, & ad 1355. annum Caroli IV. tabulas Papæ tranſmiſſas, quæ vtræque inſertas illas Henrici complectuntur. Ne fraudare velle videamur quemquam rerum eiuſmodi æquum & veri cupidũ judicem, recitabimus illas hoc loco quales à Bzovio accepimus. Licet enim nonnihil poſſint videri prolixiores, tamen vitandæ ſuſpicionis omnis cauſſa, ne verbulum quidem detrahemus.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri & Domino ſuo, Domino Clementi Sacroſanctæ Romanæ ac Vniverſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Henricus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, cum Reverentia debita, devota pedum oſcula beatorum. Ferventi deſiderio cupientes Sanctitatis veſtræ pedibus, & Apoſtolicæ Sedi toto corde & animo zelum noſtræ reverentiæ, fidei, & devotionis offerre; veſtris ſanctis monitis, exhortationibus & mandatis, nos pro viribus coaptando, & honorem veſtrum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & aliarum Eccleſiarum iura diligere, & pro poſſe protegere & ſervare: attendentes propenſius, quod nihil eſt, quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in Principe, nihilq; eſt, quod ita nequeat occaſui ſubiicere, quam vera religio, & quod ad Dei timorem ſervandum, mandataque eius cuſtodienda factus eſt omnis homo: ſed præcipue Imperialis & Regalis poteſtas, quæ à Domino Deo eſt & ad eius miniſterium exequendum, & ad fidem & reverentiam ſui nominis dilatandam in omnes regiones & regna: promittimus & obligamus nos cum omni efficacia Deo omnipotenti, Vobiſque Domino noſtro Clementi ſummo Pontifici, veſtriſque ſucceſſoribus, & Sacroſanctæ Sedi Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ, quæ Eccleſiarum omnium eſt caput & magiſtra, quod ſacroſanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, Fidemque Catholicam fundatam ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſcilicet angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, in cuius nomine omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium & inferorum, nec eſt nomen aliud ſub cœlo in quo ſalvari oporteat credentes, toto corde & animo, pura fide & ſancta intentione conſervabimus, reverebimur, atque defendemus totis viribus, & toto poſſe: ac omnem hæreſin & ſchiſma, extollentem ſe contra ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam exterminabimus pro viribus: ac omnes hæreticos cuiuſcunque ſectæ & conditionis exiſtant, facies quidem habentes diverſas, ſed caudas ad invicem colligatas, quibus vineam Domini Dei Sabaoth perdere & vaſtare nituntur, omneſque fautores, adiutores, valitores, & receptatores, ac defenſores eorum; & quod nullo tempore coniungemur, confœderabimur parentela vel fœdere, vel vnione quacunque cum quocunque Sarraceno, vel pagano, vel ſchiſmatico Rege vel Principe, vel quocunque alio, fidei Catholicæ communionem non habente; neque cum aliquo rebelli vel inimico ipſius Romanæ Eccleſiæ, vel eidem manifeſte ſuſpecto. Item promittimus & obligamus nos omni efficacia & effectu, quod perſonam veſtram, ſtatum & honorem, & ſucceſſorum veſtrorum contra quemcunque ſeu quoſcunque homines cuiuſcunque ſtatus, præeminentiæ, vel dignitatis exiſtant, conſervabimus, defendemus, manutenebimus: nec non omnia privilegia Regum & Principum, & Imperatorum Romanorum prædeceſſorum noſtrorum, cuiuſcunque tenoris vel continentiæ exiſtant, quocunque tempore, conceſſa Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Romanis Pontificibus & Sedi Apoſtolicæ, & quibuſcunque Eccleſiaſticis Prælatis & Miniſtris ipſorum, conſervabimus & manutenebimus, nec in aliquo vnquam tempore contra veniemus, vel aliquem quãtum in nobis erit, venire permittemus, quacunque occaſione, vel titulo allegato iuris vel facti. Imo ad perpetuam rei memoriam, & ſanctæ Eccleſiæ ſecuritatem & atque cautelam, ipſa privilegia omnia, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris ratificamus, confirmamus, recognoſcimus, innovamus, & denuo concedimus, prout melius & plenius poſſumus ex certa ſcientia, ac omni efficacia, & effectu: volentes, ac etiam decernentes, quod ipſa generalis ratificatio confirmatio, recognitio, innovatio, & de novo conceſſio perinde robur obtineat perpetuæ firmitatis, ac ſi omnia & ſingula privilegiorum verba ſingulariter, & expreſſe, ac de verbo ad verbum præſentibus inſerta fuiſſent. Specialiter autem & expreſſe, cum omni efficacia & effectu ſupradictis,

Digitized by Google

ratificamus, confirmamus, recognoſcimus, innovamus & denuo concedimus omnia privilegia Conſtantini, Caroli, Henrici, Ottonis quarti, Friderici ſecundi, atque Rudolphi Regum & Principum ſeu Imperatorum Romanorum quocunque tempore conceſſa ſuper quibuſcunque cuiuſcunque continentia vel tenoris exiſtant, Sancta Romana Eccleſia Romaniſque Pontificibus & Apoſtolica ſedi. Promittimus etiam & obligamus nos eam omni efficacia & effectu, omni modo & forma, quo melius & efficacius fieri poteſt, manutere, & conſervare omnia privilegia cuiuſcunq; conditionis, vel tenoris exiſtant; & nullo unquam tempore contraveaire, vel aliquem quantum in nobis eſt venire permittere quacunq; occaſione, vel cauſa, vel titulo allegato iuris vel facti, per quoſcunq; Reges, vel Principes, ſeu Imperatores Romanos, & præcipue per ſupra dictos Conſtantinum, Carolum, Henricum, Ottonem quartum, Fridericum ſecundum, atq; Rudolphum cõceſſa Sancta Romana Eccleſia, ac Romanis Pontificibus & Apoſtolica ſedi, ſuper recognitione, invocatione, adnotatione, conceſſione, quietatione, renunciatione, & libera dimiſſione Terrarum & Provinciarum Sancta Romana Eccleſia ubicunq; poſitarum, præcipue Marchia Anconitana, cum omnibus civitatibus, Terris, limitibus, terminis & confinibus ſuis, integraliter cum omnibus iuribus, & iuriſdictionibus earundem. Exarchatus Ravenna & Pentapolis ac Romandiola & Bertenorij Comitatus, cum civitate Bononienſi & cum omnibus Civitatibus, Terris, limitibus terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earundem, Vallis quoq; qua Spoletana dicitur ſive Ducatus cum Civitatibus, Peruſij atque Caſtelli, & cum omnibus Civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earundem: Maſſa quoque qua Trebaria nuncupatur, cum omnibus civitatibus, terris, limitibus & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earundem: Patrimonium etiam beati Petri in Tuſcia, cum civitatibus Tuderti, Narnia, Urbis veteris, & Reata & cũ omnibus civitatibus, Terris, limitibus, terminis & cõfinibus integraliter, cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earundem: Comitatibus quoque Sabina, civitate interamnenſi: & cum arce Caſaris & terra qua dicitur Arnulphorum, cum omnibus Civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cũ omnibus iuribus & iuriſdictionibus earundem: Comitatus quoque Campania atque Maritima, cum omnibus Civitatibus, Terris, limitibus, terminis & confinibus ſuis integraliter, & cum omnibus, iuribus & iuriſdictionibus eorundem. Et ex abundanti, de novo, & ad maiorem cautelam ſupradictas omnes terras atque Provincias cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus, terminis, limitibus & confinibus eorundem, & ius, & poſſeſſionem, & proprietatem ipſorum, cum omni plenitudine recognoſcimus, iure pleniſſimo ad ius & proprietatem ſancta Romana Eccleſia ſpectare & omnimodo pertinere. Ac ipſas omnes terras atque Provincias adnotamus, innovamus, atque concedimus, quietamus libere & dimittimus reſtituimus & renunciamus. Nec non ad omnem ſcrupulum removendum, & ut pax & quies, atq; tranquillitas inter Eccleſiam & Imperium iugiter vigeat, & futuris dante Domino temporibus feliciter augeatur, & omnis contētionis & diſſenſionis cuiuslibet materia præcidatur, prout melius & efficacius fieri & intelligi poteſt, concedimus ipſas, conferimus & donamus de novo. Promittentes, & obligantes nos, prout plenius & efficacius poſſumus, quod nullo unquam tempore occupabimus, vel occupare quantum in nobis eſt permittemus, Civitates, loca, caſtra, Terras & Provincias ſupradictas, vel aliquam ipſarum, vel earum partem, nec in ipſis vel aliqua ipſarum, vel earum parte, iuriſdictionem aliquam per nos, vel per alium geremus, vel exercebimus, nec iura aliqua, poſſeſſiones, vel tenutas habebimus, vel poſſidebimus in eiſdem Terris vel Provincijs, vel aliqua ipſarum, ſeu parte earum, nec officium aliquod geremus per nos, vel per alios Poteſtariæ vel Capitania ſeu quocunq; nomine cenſeantur in ipſis, vel aliqua ipſarum vel earum parte: & quod tanquam Princeps Catholicus, Advocatus & Defenſor S. Romana Eccleſia iuvabimus ipſam, ſibiq; aſſiſtemus contra quoſcunque occupantes, invadentes, vel turbantes Provincias ipſas, Civitates, loca, caſtra & Terras, vel aliquas ipſarum vel earum partem: & quoſcunq; inobedientes ſeu rebelles Eccleſia, præcipue in Provincijs, Civitatibus, locis, Caſtris, & Terris eiſdem in nullo fovebimus, vel manutenebimus, ſeu per quoſcunq; foveri, ſeu manuteneri quãtum in nobis eſt, permittemus; ſed contra ipſos aſſiſtemus, conſilijs, & favoribus opportunis Sancta Romana Eccleſia, ac Romanis Pontificibus & Apoſtolica Sedi, quouſq; rebelles & ſubditi ad plenam reverentiam & obedientiam reducantur. Promittentes quoque Sanctam Romanam Eccleſiam, & Eccleſias alias, & libertatem Eccleſiaſticam, & bona, iura, Prelatos & Miniſtros ipſarũ manutenere, conſervare, & pro viribus defenſare: Vaſallos quoque Romana Eccleſia contra iuſtitiam non offendere; & quod devotos, & fideles Eccleſia, etiam in Imperio cõſtitutos benigne tractabimus, & contra iuſtitiã non opprimemus, nec per alium, quantum in nobis eſt, opprimi permittemus ſed conſervabimus in iuribus & iuſtitijs eorundem, Prædicta autem omnia & ſingula inviolabiliter obſervare & obſervare facere; & nullo unquã tempore contra venire, iuramus ad ſancta Dei Evangelia, facto libro in manibus diſcreti viri Ioannis de Malans Scholaſtici Eccleſia Tullenſis, veſtri Capellani, nomine Romana Eccleſia Sedis Apoſtolica ac veſtro, ac de veſtro mandato ſpecialiter recipientis, de qua etiam receptione tam per noſtras præſentes quam per ipſius recipientis literas ſeu publicum inſtrumentum plane conſtat. Et ad prædictorum omnium perpetuam rei memoriam & ſancta Romana Eccleſia, ac Sedis Apoſtolica, & Romanorum Pontificum ſecuritatem atque cautelam, præſentes literas Regis Maieſtatis Sigillo munitas fecimus communiri. Promittentes & obligantes nos cum omni efficacia & effectu, quod poſt Imperialis diadematis coronationem ſuſceptam, prædicta omnia ratificabimus, confirmabimus, & recognoſcemus, & faciemus, ſeruabimus atque iurabimus, & de ſupradictis omnibus infra octo dies noſtras patentes dabimus literas quadruplicatas, harum ſeriem continentes, ad perpetuam rei memoriam, & ad ſecuritatem, & cautelam veſtram, & ſucceſſorum veſtrorum, & Sacra Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sedis, Imperialis Maieſtatis typario communitas Datum Luſanna, V Idus Octobris, Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Decimo, Regni vero noſtri anno ſecundo.

Hæ ſunt tabulæ Henrici illius Luxelburgici Cæſaris,

Cæſaris, per ſane liberales in Romanum Pontificem, & bonorum Imperij multum prodigæ. Verumenim vero parum in iis roboris invenitur, nec Imperium illæ obligant. Non enim Electorum multo minus reliquorum Imperij Principum conſenſu probatæ ſunt: quod ad robur earum unice requiritur. Adhoc certum eſt Imperatori fuiſſe impoſitum à Legatis Pontificiis, quaſi tantum iuris Papæ competeret antecedentium Cæſarum liberales donationes. Bzovius utiq; in hiſtoria anni 1304. n. 1. notat ex ore Cardinalis Neapolionis Clementis Papæ nomine, Legatos Henrici Avenione *formulam inaugurationis Henrici audiſſe & ſcriptam accepiſſe, in ſe recipientes, ut Henricus futurus Imperator verba quædam in præiudicium Apoſtolicæ Sedis & omnium Eccleſiarum prolata antiquaret.* Et tamen in formulis donationum anteacti ævi tale quid inveniri, nemo docuerit: præſertim cum & ipſarum plæræque indubie ex præſcripto Romanæ curiæ fuerint confectæ. Quid eſt notius præterea, quam donationem Conſtantini merum eſſe curæ Papalis commentum? & tamen Cæſar inductus eſt eam hiſce ſuis tabulis, contra morem omnis retro ævi, confirmare. Non tangam fraudulentas doloſaſque perſuaſiones reliquas in clariſſima luce. Itaque cum mala adeo fide cum Cæſare fuerit actum, ſummo merito reſtitui in integrum jura Imperij debuerunt? ſi illa imprudente iſthac donatione aliquid detrimenti cœpiſſent. Et vero vix illas tabulas curaverat confici Henricus, cum meliora edoctus, itinere in Italiam ſuſcepto, minime omnium ex præſcripto illarum vivendum ſibi exiſtimavit: ſi Bzovio hoſti jurium Imperij credimus illa narranti n. 4. 5. & 6. Quamvis ampliſſima porro ſit donatio iſthæc, tamen ſummam auctoritatem Cæſarum per eam non eſſe extinctam, argumento luculentiſſimo eſt, quod ipſemet Clemens Papa in eam mitem ſententiam tabulas illas fuerit interpretatus. Etenim ipſi Vrbi Romæ Henricus uſque in adventum ſuū, Senatorem ſive Præfectum ſummum dedit Ludovicum Sabaudum quingentis equitibus armatum: ubi adveniſſet, primores Romanos in fidem ſuam ſacramento adegit, obſides imperauit: hiſce inter alia verbis Romanos cives affatus eſt: *Non longi itineris laborem ſibi fuiſſe gravem, conſiderantı SVOS ſe Romanos, amantiſſimum SIBI populum viſurum, cum quo lætos iucundoſq; dies perageret.* Nihil horum latuit Clementem jam ante coronationem: & tamen per delectos Cardinales Henricum ungi & Imperatorem renunciari curavit, nullo verbo iniuriam aliquam conqueſtus. Cum peracta coronatione Henricus grauiſſime tuliſſet ſcriptum ſibi à Clemente, quaſi *ſacramentum fidelitatis* præſtitiſſet: Clemens hoc quidem ad animum revocavit, edita in Concilio Viennenſi illa proteſtatione quam l. 2. tit. 9. Clementinarum edidit Ioannes XXII: at ne tum quidem inclementer quidquam in Henricum jam defunctum dixit, quaſi Pontificum jura Romæ invaſiſſet. Non profecto ſilentio præteriiſſet talia Clemens & quidem offenſus, niſi rite & iure facta illa ab Henrico exiſtimaſſet. Habet hæc omnia ipſe Bzovius ad annum 1310. n. 2. & ſequentibus, multum quidem conquerens de Cæſare, ſed ex ſuo perverſo ingenio, non autem quaſi idem fecerint Clemens & delecti ab illo Cardinales.

Henrico defuncto qui ſucceſſit LVDOVICVS IV. Cæſar, cum iniquiſſimis Pontificibus omnem vitam colluctatus, tabulas donationis nullas edidit. Nam etſi in iis literis, quas anno 1336. ad Benedictum XII. datas, recitat Bzovius atque ex illo Hervvartus, longe ampliſſimorum munerum ſpem fecerit, pacis ergo: effectu tamen caruit negotium per inſolentiam ipſiuſmet Papæ. Ex adverſo iura vetera Imperij multis modis Ludovicus fortiſſimè aſſerta quaſi poſtliminio recuperaſſe poſſit videri: quod ſequente capite fiet clariſſimum.

Omnibus Cæſaribus qui anteceſſerant magis benignum ſe Papis exhibuit CAROLVS quartus. Huius autem binæ donationum tabulæ feruntur, alteræ anno 1355. Innocentio ſexto, alteræ 1368. Vrbano VIto datæ. Priores ipſas recitat Bzovius num. 8. earum argumentum num. VII. poſteriorum ſummam nu 1. ſuo utrimque anno. Nimis prolixæ ſunt tabulæ ipſæ: ergo ſatis videtur eſſe, ſi ſummas ambarum adferamus, & quidem quales eas produxit ipſe Bzovius. Priorem hiſce verbis auctor ille una cum coronationis Cæſareæ hiſtoria proponit. *Inter Miſſarum ſolennia, Petrus Oſtienſis Epiſcopus, & Ægidius S. Clementis Cardinales Legati, poſtquam Sacramentum ab eo ex præſcripta formula Eccleſiæ & Summo Pontifici dictum audiviſſent, ſacro oleo iunxerunt, & Imperatorem conſecratum, diademate, ac reliquis inſignibus Imperii ornarunt: cum is omnia, quæ olim V. Cal. Maii, anno 1347. Tridenti, in manibus Gerardi Archidiaconi Sedis Apoſtolicæ Nuncii, nunc Epiſcopi Tridentini, ad inſtar Henrici VII. promiſerat* (de quibus videatur Bzovius ad annum illum) *tum ante, tum poſt coronationem confirmaſſet, innovaſſet, conceſſiſſetque Romanæ Eccleſiæ; datis litteris, in quibus Henrici VII. diploma datum Lauſannæ V. Idus Octob. inſeruit, & ad cuius inſtar, Romanum Ducatum, Marchiam Anconitanam, Exarchatum Ravennæ, Pentapolim, Romandiolam, Comitatum Bretenorij, Civitatem Bononienſem, Vallem Spoletanam cum toto Ducatu, Comitatum Peruſii & Caſtelli, Maſſam Trebariam, Patrimonium Beati Petri in Thuſcia cum civitatibus Tuderti, Narniæ, Vrbis veteris, & Reatæ, Comitatum Sabinæ, Civitatem Interamnem, Arcem Cæſarum cum terra Arnulphorum, Campaniam & Maritimam cum omnibus civitatibus, Romam & Ferrariam cum omnibus ad eam ſpectantibus, Regnum Siciliæ cis & ultra Pharum, Sardiniam & Corſicam, Comitatum Venniſinum, civitatem Avinionem, & omnia alia bona ac iura Eccleſiæ, Pontifici Romano ab Imperatoribus olim data approbavit, & aurea bulla quatuor diplomata eius approbationis, innovationis & conceſſionis ſignata, Legato Sedis Apoſtolicæ dedit Laterani Nonis Aprilis. Anno Domini MCCC. LV. Regnorum IX. Imperii I. Inter alia Carolus iuravit, quod 1. In Italia, nullos Vicarios Vrbibus Imperialibus præficeret, ſine ſcitu Pontificis. 2. Vicariis quos urbibus præficeret, neceſſitatem iuriſiurandi imponeret, ut Eccleſiam Romanam adverſus quoſvis hoſtes tuerentur. 3. Ipſe pro Eccleſiæ bonis ac iuribus, propriis ſumptibus tādiu militaret, quoad illa ab iniquis poſſeſſoribus vindicaret. 4. Pontificiarum partium homines, à Gibellinis tueretur, neq; illos opprimi ſineret. 5. Ægidium Cardinalem Legatum*

adverſus tyrannos laborantem iuvaret. 6. Proceſſus ab Henrico avo contra Florentinos & Robertum Siciliæ Regem factos abrogaret. 7. Vniverſitatibus, communitatibus, ac ſingulis perſonis in Italia omnes iniurias antecceſſoribus Imperatoribus & ſibi quoquo modo factas remitteret. 8. Ex eo, quod propter abſentiam Pontificis, formula antiqua inaugurationis Imperatorum, in eius conſecratione ſervata non fuit, nihil contra recens in litteris Legatorum præſcriptam opponeret, aut privilegiis Apoſtolicæ Sedis derogaret; quominus eius inpoſterum ſucceſſor, aut non poſſit à Romano Pontifice coronari, aut eidem Romano Pontifici ea omnia obſequia præſtare, quæ in antiqua formula præſcripta ſunt. 9. Romana urbe ſtatim à coronatione diſcederet, ne, quo invito Pontifice reverteretur. Extat in libr. 3. privileg. Rom. Eccl pag. 132. 234. 328. & autographum in mole Hadriani. De poſterioribus Bzovius ita loquitur. *Carolus antequam Italiam intraret, Gerardum Naumburgenſem Epiſcopum Oratorem miſit: qui Pontifici adventum Imperatoris inprimis renunciaret deinde ſolitum diploma Imperiale confirmationis iurium Eccleſiæ Romanæ, & obedientia debita deferret. In eo, ad 3. Idus Aprilis, bulla aurea ſignato, & iureiurando affirmat, ſe pro dignitate Sedis Apoſtolica in Italiam venire: neque velle iuribus & libertatibus illius quicquam detrahere: quin potius tyrannos adverſus eam ſævientes, bonaque illius uſurpantes & occupantes reprimere, neque vel minimum ei eripere, quod exemplo antecedentium Imperatorum, & præſertim HENRICI avi (cuius diploma ſuo diplomati inſeruit) præſenti inſtrumento, conſentientibus Imperii Principibus, Romanæ Eccleſiæ confirmaret omnia iura, privilegia, bona, urbes, terras, provincias, regna olim ab Imperatoribus Chriſtianis, Conſtantino Magno, Ottone, Carolo, & reliquis ſeu donata ſeu probata: & præcipue Marchiam Anconitanam Exarchatum Ravennæ, Pentapolim, Romandiolam, Comitatum Brettenorii, Civitatem Bononienſem, Vallem Spoletanam cum toto Ducatu, Comitatum Peruſii & Caſtelli, Maſſam Trebariam, Patrimonium B. PETRI in Tuſcia, cum civitatibus Tuderti, Narniæ, Vrbis veteris & Reate, Comitatum Sabinæ, Civitatem Interamnenſem, Arcem Cæſarum cum terra Arnulphorum, Campaniam & Maritimam cum omnibus civitatibus, Romam & Ferrariam cum omnibus ad eam ſpectantibus, Regnum Siciliæ cis & ultra Pharum, Sardiniam & Corſicam, Civitatem Beneventi, Comitatum Venuſinum, Civitatem Avinionenſem cum omnibus pertinentibus. Hæc Carolus quartus Romanæ Eccleſiæ inſtrumento publico, & Sacramento confirmabat, inſertis literis Henrici VII. Imperatoris datis Lauſannæ. Præſentibus teſtibus, quorum hæc ſunt nomina. Albertus Pataavienſis, Lambertus Spirenſis, Ioan. Brixienſis, Gerardus Naumburgenſis, & Otto Mindenſis Eccleſiarum Epiſcopi. Illuſtres, Albertus & Leopoldus fratres, Auſtriæ, Stiriæ & Carinthiæ Duces: Iohannes & Iodocus, Imperatoris filii, Marchiones Moraviæ. Spectabiles, Ioannes de Habesbarg: Burchardus Burgravius Magdeburgenſis, Ioannes & Burchardus de Retz Comites, Nobiles Vlricus de Bockzvicz, Sdenco & Albertus fratres de Sterenbergh, Rudolphus de Eckertſon, Stephanus de Lembergh, Conradus de Baccendorff, & alii quamplures Comites, Nobiles, Imperatores & Imperii Sacri fideles. Extat diploma autographum in mole Adriani.*

Hæc ita Bzovius. Cuius fides licet multum ſit ſuſpecta, nunc tamen in dubium non vocabimus, quum a moribus Caroli illius nihil alienum hic deprehendamus. Obſervandum autem venit priores tabulas à poſterioribus longe diverſas eſſe. Nam in prioribus quidem fœda multa & indigna promiſit Carolus: quorum in poſterioribus memoria nulla repetitur. Nec tamen in ulla earum alia bona Papæ donantur, præter illa quæ præcedentium Cæſarum tabulis jam continebantur: ſi Comitatum Venuſinum & Avenionenſem urbem excipias, de quibus infra agendum erit in Regni Burgundici rebus. Laborant vero utræque tabulæ hæ non minus quam illæ Henrici. Nec enim ulla harum conſenſu Electorum, multo minus aliorum Principum roborata eſt. Hinc in prioribus nulla omnino fit conſenſus illius mentio. In poſterioribus legas quidem illa: *conſentientibus Imperii Principibus*: ſed Principum nomine non Electores aut omnium Principum ordo intelligitur, ſed ſoli, hi, qui teſtes ſcribendo adfuerunt, pauci illi & minime primatij. In fœda certe illa priorum tabularum promiſſa nemo Principum conſenſit. Eoque neutræ harum tabularum magni momenti: priores plane nauci ſunt. Nec tamen hiſce etiam tabulis exhauſta eſt univerſa Imperij in Papalia bona auctoritas: ſed omnia reſtringenda ſunt intra limites dominij utilis pleni. Hinc ſtatim à coronatione, ſimulac Tibur conceſſiſſet Cæſar, *Severiſſimum MANDATVM dedit, ut finem tandem Romani mutandis novandiſq; rebus imponerent, memores ſacramenti apud Romanum Pontificem ſemel depoſiti; quod ſi violatum iverint, aut ſi Legato etiam Pontificis rebelles fuerint, perfidiam illorum ſe armis vindicaturum:* quæ ipſiſſima ſunt verba Bzovij n. 9. ad annum 1355. Nihil vero mandare ille potuiſſet Romanis, & quidem Papa non repugnante, (ut hoc ſane fecit ipſo petente) niſi aliquam Cæſaream auctoritatem crediſſet Cæſar in Romanos ſibi ſupereſſe. Quod enim noluerit Romanis illis aſſentiri, *qui urgebant ut Vrbis poſſeſſionem invaderet, & Romanos in antiquum ſtatum reſtitueret*, (quod heic refert Bzovius) id pro indicio omnis Cæſareæ auctoritatis depoſitæ, minime accipi debet (ut pote quum Romanorum illud deſiderium tenderit ad exuendam omnem Papalem juriſdictionem, quam tollere non ſane fas erat, & licebat integram tueri ſalvis Imperij iuribus.

Qui Carolum ſecuti ſunt Cæſares, num & ipſi omnes confectis tabulis aut vetera confirmaverint Pontificibus, aut dederint nova, non ſatis compertum habeo. Nec enim tabulæ illæ hactenus quod ſciam prodierunt in lucem. Ex Bzovij Annalium tomis viginti tamen deprehendere eſt, non tantum ab iis qui à Papis coronati ſunt, ſed etiam ab aliis ad Ferdinandum primum uſque tabulas aliquas profectas eſſe, in confirmationem donationum priorum. Num quid à nonnullis ſit additum demptumve, me, fateor, latet. Additum nihil eſſe, videtur ſignificare juramenti à Sigiſmundo Cæſare præſtiti formula, quam in hiſtoria anni 1433. recitat Bzovius. Inſeremus illam heic etiam nos in maiorem fidem. *Hoc ipſo die, tum ante tum peracta inauguratione, Sigiſmundus, iuramenta, quæ per literas & Oratores Eugenio & Sedi Apoſtolicæ*

ſtolicæ

Digitized by Google

ſtolica aliquoties ſcripſerat, feceratque tum voce in coram omnibus quorum intererat, tactis Evangeliis, Cruce, & Sanctorum Reliquiis innovavit, tum datis ſignatiſque ex more quatuor diplomatibus confirmavit iuravitque ſcil. Eccleſiam & Fidem Catholicam, pura fide totis viribus conſervare reverenter ac etiam defendere? omnem hæreſin, & ſchiſma & hæreticos quoslibet, fautoreſque & receptatores, ac etiam defenſores eorum exterminare pro poſſe? nunquam cum Saraceno, pagano, hæretico, ſchiſmatico, ſeu alio quolibet communionem Catholicæ Fidei non habente: aut cum aliquo alio Romanæ & univerſalis Eccleſiæ inimico, vel rebelli, ſeu eidem manifeſte ſuſpecto, unionem quamlibet, parentelam, aut confœderationem inire? ſed tam Eugenii quam eius ſucceſſorum Rom. Pont. perſonas, honorem, & ſtatum manutenere, defendere, ac conſervare contra omnes homines, cuiuſcunque exiſterent præeminentiæ, dignitatis, aut ſtatus: privilegia omnia per prædeceſſores ſuos Reges & Imperatores Romanorum, Romanæ Eccleſiæ ac aliis quibuslibet Eccleſiis, quocunque tempore conceſſa, & cuiuſcunque continentiæ, ſpecialiter per Conſtantinum, & Carolum Magnos, per Henricum, Ottonem IV. VVenceslaum & Rupertum prædeceſſores ipſius, præſertim ſuper conceſſione, advocatione, recognitione, quietatione, & libera admiſſione terrarum & provinciarum Romanæ Eccleſiæ ubilibet poſitarum, præcipue Marchiæ Anconitanæ cum omnibus civitatibus, terris, limitibus terminis & confinibus ſuis integraliter, cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earundem: Exarchatus Ravenna & Pentapolis, ac Romandiola, & Bertonorii Comitatus, cum Civitate Bononienſi, & cum omnibus Civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earundem, vallis quoque quæ Spoletana dicitur, ſive Ducatus, cum Civitatibus Perusii atque Caſtelli, & cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus integraliter, & cum omnibus, iuribus & iuriſdictionibus earundem: Maſſæ quoque quæ Trebaria nuncupatur, cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earundem: Patrimonii etiam Beati Petri in Thuſcia, cum civitatibus Tuderti, Narnia, Vrbis veteris, & Reata cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus earundem. Comitatus quoque Sabina, cum Civitate Interamnenſi, & cum arce Cæſaris & cum arce Cæſaris & terra quæ dicitur Arnulphorum, cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus & cum omnibus iuribus & iuriſdictionibus eorundem. Comitatus quoque Campaniæ atque Maritimæ, urbis Romæ, Ferrariæ, regnorum Siciliæ, Sardiniæ & Corſicæ, Comitatus Venayſini, cum omnibus Provinciis, Ducatibus, Comitatibus, Civitatibus, oppidis, caſtris, locis, terris, limitibus, & territoriis ubilibet poſitis, Sedi Apoſtolicæ Romaniſque Pontificibus ſub quocunque tenore conceſſis confirmare, & ex certa ſcientia innovare, ac etiam quatenus opus eſt, de novo concedere, ea que omnia ad proprietatem ipſius Eccleſiæ pertinentia eſſe recognoſcere; quemadmodum de facto per diplomata data, ſignataque, recognovit, conceſſit, innovavit, confirmavitque, addito iureiurando, quod ipſas, nullo, inquit, unquam tempore occupabimus vel occupari, addit.

quantam in nobis eſt permittemus, civitates, loca, caſtra, terras, regna, & provincias ſupra dictas, vel aliquas ipſarum, vel earum partem; nec in ipſis, vel aliqua ipſarum vel earum parte iuriſdictionem aliquam per nos, vel per alium geremus, vel exercebimus: nec iura aliqua, poſſeſſiones, vel tenutas habebimus, vel poſſidebimus in eiſdem terris, vel provinciis, vel aliqua ipſarum, ſeu parte earum: nec officium aliquod geremus per nos, vel per alios, Poteſtariæ, vel Capitaniæ, ſeu quocunque nomine cenſeatur, in ipſis vel aliqua ipſarum, vel earum parte: & quod tanquam Princeps Catholicus, Advocatus, & Defenſor Sanctæ Romanæ Eccleſiæ iuvabimus ipſam, ſibique aſſiſtemus, contra quoſcunque occupantes, invadentes vel turbantes, provincias ipſas, civitates, loca, caſtra & terras, vel aliquas ipſarum, vel earum partem: & quoſcunque inobedientes, ſeu rebelles Eccleſiæ, præcipue in provinciis, civitatibus, locis, caſtris, & terris eiſdem in nullo fovebimus, vel manutenebimus, ſeu per quoſcunque foveri, ſeu manuteneri, quantum in nobis eſt permittemus; ſed contra ipſos aſſiſtemus, conſiliis, auxiliis, & favoribus opportunis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Romanis Pontificibus, & Apoſtolicæ Sedi, quouſque rebelles & ſubditi, ad plenam reverentiam & obedientiam reducantur. Promittentes quoque, Sanctam Romanam Eccleſiam, & Eccleſias, & libertatem Eccleſiaſticam, & bona, iura, prælatos, & miniſtros ipſarum manutenere, conſervare, & pro viribus defenſare, Vaſallos quoque Romanæ Eccleſiæ; contra iuſtitiam non offendere: & quod devotos, & fideles Eccleſiæ, etiam in Imperio conſtitutos benigne tractabimus, & contra iuſtitiam non opprimemus, nec per alium quantam in nobis eſt opprimi permittemus, ſed conſervabimus in iuribus & iuſtitiis eorundem. Prædicta autem omnia & ſingula inviolabiliter obſervare, & obſervari facere, & nullo unquam tempore contra venire iuravimus ad Sancta Dei Evangelia, &c. Datum Romæ pridie Kalend. Iunii. anno Domini M. CCCC. XXXIII.

Heic nihil additum obſervare eſt, imo Avenionis nulla fit mentio præter morem, vitio tamen forte deſcriptoris. Carolo V. Cæſare Parmam & Placentiam novo dono Pontificibus acceſſiſſe ſunt qui memorent. Et vero Cæſar ipſe in literis ex Hiſpania ad Cardinales anno 36. miſſis, in quibus de Papa Clemente VI vehementer conqueritur, hiſce inter alia verbis utitur: *Parmam & Placentiam à Romani Imperii feudo disiunctas, Sedi Romanæ nullo iure coacti, poſſidendas reſtituimus.* Id quando & quemadmodum ſit factum, haud conſtat: niſi quod ſuſpicer, quo tempore Carolus primum Cæſar dictus eſt, inductum illum ad hæc donanda. Iam tum ſcilicet anno 1512. quum Gallis Mediolano pulſis utraque urbs illa Iulio Pontifici ultro ſeſe dedidiſſet, hic illas ut partem Exarchatus Ravennatenſis Pontificio iuri aſſerere niſus eſt, ſed vehementer conatibus illis adverſante Maximiliano primo Cæſare: quod ex Guicciardini libro decimo & undecimo manifeſtum eſt. An noviter electo itaque Cæſari Carolo, nondum ſatis Imperij iurium perito, per malas artes aliquid extortum eſt? In iis tabulis quas Bononiæ in ſolennibus coronationis ſuæ Clementi exhibuit, idem

G 2

Digitized by Google

eſſe repetitum, ab omni eſt veroſimilitudine alienum. Plane alio animo fuiſſe, quando Bononiam Carolus tenderet, teſtis eſt Surius in hiſtoria anni 1529. *Hoc etiam*, inquit ille, *anno Clemens Pontifex adventanti è Genua Cæſari, & Placentiam contendenti tres legatos obviam miſit, qui à Pontificiæ ditionis fines intrante ſolitum iuriſiurandum acciperent, nunquam ipſum Pontificis libertatem violaturum. Iuravit Cæſar verbis rite conceptis, ſed ita tamen ut ſe de ſuo iure nihil remiſſurum teſtaretur. Quod putant quidam ideo eum feciſſe, quod Placentiam & Parmam Mediolanenſi Imperio antiquitus attributas repeteret, quandoquidem Mediolanenſe dominium Imperatorum ſemper beneficiarium fuiſſet.* Hæc Surius: aut potius Paulus Iovius, qui hæc totidem pene verbis narrat *l.* 27. Quinimo jam tum anno 1526. Carolus ad ipſum Clementem VII. Papam hiſce verbis uſus eſt in literis illis apologeticis ex Hiſpania, tum quando aliæ ad Cardinales mitterentur, curatis, §. 39. *In quem uſum non tam exaggerandum videretur, ſi noſtri duces & milites, qui ſua virtute ac viribus Parmam & Placentiam Eccleſiæ reddidere, ac ab hoſtium finibus evulſere tutenſque tutati ſunt, ut illi victum quærerent, ac de his, prout de reliquis ab hoſtibus recuperatis diſponendum cenſerent. Potiſſimum cum ita hæ civitates eſſent ex fœdere Leonis conſignata, tenendæ duntaxat eo iure quo ante per ipſum Leonem tentæ fuerant. Quod ius tamen nullum erat quandoquidem ad feudum pertinerent Imperii, eſſentque pars Ducatus Mediolani: & illis nullum Eccleſia Romana titulum validum, nec ab Imperio, nec ab eo qui dare poſſet obtinuerit.* Utcumque vero hæc ſeſe habeant, id certum eſt, Cæſarem Carolum diu poſt, utramque urbem illam, ſumme licet indignante Paulo III. Farneſio, qui illas filio ſuo Petro Aloiſio Romanæ Eccleſiæ nomine dederat, tanquam Cæſarii iuris urbes & partes Mediolanenſis Ducatus, vindicaſſe: imo Placentiam à Cæſare occupatam, ſero demum & poſt graviſſimum bellum Farneſiis redditam. Quam rem cum alii tum inprimis præclare perſecutus eſt hiſtoricorum ævi noſtri princeps Iacobus Auguſtus Thuanus libris quarto ſexto & octavo. Non diſputabo heic, utrum urbes illæ ad Ravennatem Exarchatum, an ad Ducatum Mediolanenſem jure pertineant, quamvis alias non fuerit probatu difficile, ſaltim illarum non fuiſſe antehac Pontificii juris: Ex iis tamen quæ modo attulimus id patet, ægre Cæſarem Carolum tandem illas urbes Pontifici conceſſiſſe: nec id quidem factum prævio Ordinum Imperii conſilio: quod fieri par erat, ſi robore aliquo valere debeat Cæſaris ceſſio. Papam certe Paulum III. propriis juribus diffiſum & Carolum agnoviſſe non competere ſibi alienandi arbitrium, argumento eſt quod donationem filio ſuo factam Papa à Cæſare ratihaberi petierit: Cæſar vero id recuſaverit, eo prætextu, *ſi illæ civitates ad Imperium pertinerent, non poſſe ſe in ditionis ac dignitatis Imperialis præiudicium eas alienare.* Quæ cum narret Thuanus l. 4. non equidem dubito ita tandem conceſſiſſe illas urbes Carolum, ut juribus Imperii ſatis caverit. Et vero indubie non in aliud jus tranſierunt illæ urbes, quam quo tenentur à Pontificibus reliqua omnia: hoc eſt ſalva ſumma auctoritate Imperii: quam ſalutarem clauſulam omni donationi Cæſarum tacite ſubeſſe, ſæpius jam tum monuimus.

Poſt Carolum num quid novatum ſit in tabulis Cæſarum, equidem neſcio: Id conſtat, Ordinum Imperii conſenſu nihil præter ſolitum Pontificibus acceſſiſſe. Ex quibus omnibus liquido patet id quod probandum initio ſuſcepimus: aperto aliquo & expreſſis verbis concepto dono, Imperii limitibus Pontificum bona hactenus ſubducta non eſſe.

Claudemus hunc omnem ſermonem verbis magni Iuriſconſulti Antonii de Roſellis, deſumptis ex libro cui fecit quondam titulum *de Monarchia.* Etſi enim liber ille per ſacrum indicem prohibitorum librorum patrum memoria proſcribi cœperit, quoniam tamen ætatem habet, & multa eſt doctrina refertus, nec alia qua culpa ſævam illam meruerit Pontificiam pœnam, quam quod juribus Cæſarum plus juſto viſus ſit favere, non eſt fortaſſe quod nunc quidem illa cenſura moti, omnem verbis eius auctoritatem detrahamus. *Pontifex*, inquit, *in dictis bonis donatis ſummi Principis exequitur poteſtatem, quaſi ſignificet, quod exercitium habet iuriſdictionis & poteſtatis. Et ſic utile dominium iuriſdictionis habet: quia directum eſt penes Cæſarem, quod non poterat nec poteſt in perpetuum ab eius oſſibus ſeparari. Habet ergo Papa executionem poteſtatis, & non dominium poteſtatis, id eſt, iuriſdictionis, quia iuriſdictio eſt poteſtas de publico introducta, lib. 1. ff. de iur. omn. iud. Unde infero quod quoad directum & utile dominium ipſarum rerum donatio tenuit, ſicut tenuiſſet alia particularis alienatio rerum particularium: ſed quoad iuriſdictionem, dico quod quantum ad utilem iuriſdictionem, non directam, adhuc tenent alienatio. Sicut videmus quod cottidie Principes Ducatus, Comitatus, & Regna elargiuntur, & tamen retinent in habitu & directo dominio ipſam iuriſdictionem & ius Imperii in bonis aliis commiſſis. Ut in cap. 1. de feud. Marth. Ducat. & Comit. & in iuribus ſupra illis. Ita & in his bonis Eccleſiæ donatis ius Imperii & iuriſdictionem retinuit atque retinet, quamvis utile dominium eius, etiam exercitium Pontifici commiſerit.*

CAPUT XXI.

Terras Pontificum Romanorum, non præſcriptione vel alio aliquo titulo, Imperii ditione & iuribus excidiſſe.

CUm dono Cæſarum non ſublata ſumma Imperii iura in Paparum bona, iam pateat; conſequens eſt, uti videamus num id factum ſit titulo quodam alio: aut ſi nondum ſit factum num merito id fieri debeat. Et quidem præſcriptione longi temporis amiſſa illa ſumma iura ſunt qui cenſeant. Quos ab aliis fateor minus recte confutari eo argumento, quaſi præſcriptio adverſus Imperii auctoritatem locum non inveniat, propterea quod unice illa valeat ex arbitrio legum civilium Romanarum. Etenim iam tum aſſeruimus, ut uſucapionem ita & præſcriptionem aliquam ex ipſo naturæ inſtituto vim habere. Ergo non omnino improbanda ſunt illa Bellarmini l. 5. de Rom.

Digitized by Google

Rom. Pontif. c. 9. de bonis Pontificum: *Etiamſi nihil horum* (donationum Cæſarearum ſcil.) *exſtaret, abunde ſufficeret præſcriptio DCCC. annorum. Nam etiam regna & imperia per latrocinium acquiſita, tandem longo tempore fiunt legitima. Alioquin enim quo iure Iulius Cæſar occupavit Romanorum Imperium? & tamen tempore Tiberii Chriſtus ait Matth. 22. reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari. Quo iure Franci Galliam, Saxones Britanniam, Gothi Hiſpaniam invaſerunt? & tamen quis hoc tempore Regna ab illis conſtituta illegitima eſſe diceret?* Vt ingenue etiam ita non omnino male Paulus III. *cum de ſumma ipſius poteſtate aliquando inter familiares mentio incideret, ridere ſolitus eſt ut ſcholaſticos & rerum rudes, qui à Chriſto eam tam anxie repeterent, cuius ſe poſſeſſionem vel ſolam optimum & firmiſſimum titulum habere dicebat. quam viribus opibuſque ſummis, civitatibus munitiſſimis, & potentiſſimorum Principum ſibi coniurantium auxilio tueri ac defendere poſſit.* Quæ alicubi refert Petrus Pithœus. Hæc inquam non omnino reiicula ſunt, ſi de poteſtate ſermo ſit non illa divinarum rerum & quæ creditur cælitus collata, quam ſcilicet nulla uſucapio poteſt tueri, ut quæ in rebus mere humanis tantum valeat: nec de omni exceptione maiore aliqua vi in bona Pontificia, quæ Imperatoriam excludat: huic enim nondum eſſe præſcriptum, jam demonſtrabimus. Admittimus igitur & nos, ſi dudum nemine Imperij cauſam agente, Pontifices in terris ſuis omnem excluſerunt Imperij auctoritatem, illum unum tacitum conſenſum ſufficere Pontificibus poſſe ad plenam bonorum ſuorum poſſeſſionem, nullo licet alio jure ſuffultam. Verum enim vero aliter ſe rem habere, niſi fallor, liquido probabimus.

Principio enim conſtat apud omnes, ad hæc uſque tempora Regibus Germaniæ nomen Cæſarum Romanorum illibatum manſiſſe. Idque non tantum quod ipſi ſoli hoc ſibi nominis fortaſſis dederint, ſed quia & omnes populi reges ac principes extra Imperij limites poſiti, & ipſimet Romani Pontifices ultro ac communi quodam conſenſu idipſum nemine diſſentiente, hactenus ſemper approbaverint. Nec vero cuiquam alij in omni orbe Chriſtiano Auguſtum illud nomen à quoquam tribuitur. Involavit quidem barbara ambitione Ruſſorum Princeps in Cæſareum nomen, eoque Czar vult audire, quaſi major Regia dignitate: non Romanorum tamen ſed Ruſſorum Czar, cupit ipſemet cenſeri. Hiſpanorum etiam nonnulli Reges Imperatorium titulum affectaverunt inani quadam arrogantia: ſed à prudentioribus caſtigata ſuperbia, intra juſtos modeſtiæ fines titulus illorum dudum reddit. Nec quiſquam tamen eo vecordiæ proceſſit ut Romanorum ſe Imperatorem diceret: Hiſpaniæ vel ſimpliciter Imperatorio nomine, quamvis faſtu turgidi, fuere contenti. Quum Ferdinandus id nominis primus Caſtellæ rex Imperatorem ſe feciſſet appellari, & Cæſar noſter Henricus III. & Victor Papa, acriter eum perſtrinxerunt: quam rem late perſequutus eſt Ioannes Mariana accuratiſſimus omnium Hiſpaniæ hiſtoricorum *l. 9. cap. 5.* Ipſemet Mariana de Alfonſo VI. ita loquitur: *Omnino ex hoc tempore Alfonſus Rex Imperatoris (IVRE AN INIVRIA non diſputo) ſed nomen tamen deſumpſit Imperii.* Idem de Alfonſo Arragonio l. x. cap. 8. *Alfonſus ſoceri exemplo ſe Hiſpaniæ Imperatorem dicit, ſi amplitudinem ditionis conſideres haud temere, eum Regum potentiſſimus evaſiſſet omnium qui poſt Hiſpaniæ cladem extiterunt: IMPRVDENTER tamen, cum ex alieni iuris ditione atque temperario imperio tantos ſumeret ſpiritus.* Ex quibus diſcimus, non Reges tantum Hiſpaniæ ſed & alios quoſque Hiſpanos prudentiores ipſos arrogantem temere nomen improbaſſe. Certe Romani Imperatoris nomen etiam ipſi illi Regibus noſtris Germaniæ non fecere controverſum. At vero non eſt Romanus Imperator niſi cui ſummum ſaltim jus competit in Vrbem Romam. Recte enim jam olim Fridericus I. Cæſar legatis Adriani Papæ reſpondit: *Cum divina ordinatione ego Romanus Imperator dicar & ſim, ſpeciem tantum dominantis effingo, & inane utique porto nomen ac ſine re, ſi Vrbis Romæ de manu noſtra poteſtas fuerit excuſſa.* Non negaverim regalia quæ appellantur Pontifici competere, nec hactenus bene argumentatum Fridericum Cæſarem, quaſi regalia illa ſi ſint Pontificis, ipſe non ſit Romanus Imperator: ſatis enim eſt ad Cæſareum nomen tuendum ſumma poteſtas, unde regalia illa Pontificum dependeant. Hac vero etiam ſublata, inane fore nomen illud, ultro fatemur. Cum iure igitur & merito nomen illud convenire Regibus noſtris fateantur ipſi Pontifices, apertiſſimum eſt, ſummam poteſtatem hodieque Cæſaribus noſtris ſupereſſe. Quoniam ipſius Vrbis autem illa eſt conditio, multo magis & reliqua in ditione eſſe Imperij, vel uno illo titulo Cæſareo innuitur, atque extra omnem controverſiam collocatur.

Illius ſummæ poteſtatis perpetuo ſuperſtitem poſſeſſionem, indicat quam maxime præterea, ius illud Regum noſtrorum coronæ Romani Imperij in ipſa Vrbe ſibi ſumendæ, idque itidem omni carens controverſia. Nec enim alicui fas fuerit coronam capere, niſi ubi eidem ſumma poteſtas competit. Etſi vero non omnes Cæſares noſtri patiantur Romæ ſe coronari, in omnium tamen arbitrio id fuiſſe poſitum & poſitum eſſe hodieq; longe eſt certiſſimum. Haud fuerit abſque pretio operæ recitare heic nonnullas ſacras preces, quibus ipſe Pontifex Cæſarem coronaturus Deum obteſtatur, repetitas ex opere illo ſacrarum ceremoniarum Romanæ Eccleſiæ, quod Chriſtophorus Marcellus Corcyrenſis Archiepiſcopus Leoni X. inſcriptum publicavit. *Oremus. Deus regnorum omnium & Chriſtiani maxime protector Imperii, da ſervo tuo N IMPERATORI NOSTRO triumphum virtutis tuæ ſcienter recolere, ut qui tua conſtitutione ſit Princeps, tuo ſemper munere ſit potens.* Poſt communionem ante ſolennia coronationis: *Deus qui ad prædicandum æterni regni Evangelium Romanum Imperium præparaſti, prætende famulo tuo IMPERATORI NOSTRO N. arma cæleſtia, ut pax Eccleſiæ nulla turbetur tempeſtate bellorum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Finita jam coronatione: *Benedic quæſumus Domine hunc PRINCIPEM NOSTRVM N. quem ad ſalutem POPVLI NOBIS à te credimus eſſe conceſſum. Fac annis eſſe multiplicem, ſalubri corporis*

addit.

eſſe repetitum, ab omni eſt veroſimilitudine alienum. Plane alio animo fuiſſe, quando Bononiam Carolus renderet, teſtis eſt Surius in hiſtoria anni 1529. *Hoc etiam*, inquit ille, *anno Clemens Pontifex adventanti è Genua Cæſari, & Placentiam contendenti tres legatos obviam miſit, qui à Pontificiæ ditionis fines intrante ſolitum iuriſiurandum acciperent, nunquam ipſum Pontificis libertatem violaturum. Iuravit Cæſar verbis rite conceptis, ſed ita tamen ut ſe de ſuo iure nihil remiſſurum teſtaretur. Quod putant quidam ideo eum feciſſe, quod Placentiam & Parmam Mediolanenſi Imperio antiquitus attributas repeteret, quandoquidem Mediolanenſe dominium Imperatorum ſemper beneficiarium fuiſſet.* Hæc Surius: aut potius Paulus Iovius, qui hæc totidem pene verbis narrat *l.27.* Quinimo jam tum anno 1526. Carolus ad ipſum Clementem VII. Papam hiſce verbis uſus eſt in literis illis apologeticis ex Hiſpania, tum quando aliæ ad Cardinales mitterentur, curatis, §.39. *In quem uſum non tam exagitandum videretur, ſi noſtri duces & milites, qui ſua virtute ac viribus Parmam & Placentiam Eccleſiæ reddidere, ac ab hoſtium finibus evulſere totienſque tutati ſunt, ut illis victum quærerent, ac de his, prout de reliquis ab hoſtibus recuperatis diſponendum cenſerent. Potiſſimum cum ita hæ civitates eſſent ex fœdere Leonis conſignatæ, tenendæ duntaxat eo iure quo ante per ipſum Leonem tentæ fuerant. Quod ius tamen nullum erat quandoquidem ad feudum pertinerent Imperii, eſſentque pars Ducatus Mediolani: & illis nullum Eccleſia Romana titulum validum, nec ab Imperio, nec ab eo qui dare poſſet obtinuerit.* Vtcumque vero hæc ſeſe habeant, id certum eſt, Cæſarem Carolum diu poſt, utramque urbem illam, ſumme licet indignante Paulo III. Farneſio, qui illas filio ſuo Petro Aloiſio Romanæ Eccleſiæ nomine dederat, tanquam Cæſarij iuris urbes & partes Mediolanenſis Ducatus, vindicaſſe: imo Placentiam à Cæſare occupatam, ſero demum & poſt graviſſimum bellum Farneſiis redditam. Quam rem cum alij tum inprimis præclare perſecutus eſt hiſtoricorum ævi noſtri princeps Iacobus Auguſtus Thuanus libris quarto ſexto & octavo. Non diſputabo heic, utrum urbes illæ ad Ravennatem Exarchatum, an ad Ducatum Mediolanenſem jure pertineant, quamvis alias non fuerit probatu difficile, ſaltim illarum non fuiſſe antehac Pontificij juris: Ex ijs tamen quæ modo attulimus id patet, ægre Cæſarem Carolum tandem illas urbes Pontifici conceſſiſſe: nec id quidem factum prævio Ordinum Imperij conſilio: quod fieri par erat, ſi cohoæe aliquo valere debeat Cæſaris ceſſio. Papam certe Paulum III. proprijs juribus diffiſum & Carolum agnoviſſe non competere ſibi alienandi arbitrium, argumento eſt quod donationem filio ſuo factam Papa à Cæſare ratihaberi petierit: Cæſar vero id recuſaverit, eo prætextu, *ſi illæ civitates ad Imperium pertinerent, non poſſe ſe in ditionis ac dignitatis Imperialis præiudicium eas alienare.* Quæ cum narret Thuanus l.4. non equidem dubito ita tandem conceſſiſſe illas urbes Carolum, ut juribus Imperij ſatis caverit. Et vero indubie non in aliud jus transierunt illæ urbes, quam quo tenentur à Pontificibus reliqua omnia: hoc eſt ſalva ſumma auctoritate Imperij: quam ſalutarem clauſulam omni donationi Cæſarum tacite ſubeſſe, ſæpius jam tum monuimus.

Poſt Carolum num quid novatum ſit in tabulis Cæſarum, equidem neſcio: Id conſtat, Ordinum Imperij conſenſu nihil præter ſolitum Pontificibus acceſſiſſe. Ex quibus omnibus liquido patet id quod probandum initio ſuſcepimus: aperto aliquo & expreſſis verbis concepto dono, Imperij limitibus Pontificum bona hactenus ſubducta non eſſe.

Claudemus hunc omnem ſermonem verbis magni Iuriſconſulti Antonij de Roſellis, deſumptis ex libro cui fecit quondam titulum *de Monarchia.* Etſi enim liber ille per ſacrum indicem prohibitorum librorum patrum memoria proſcribi cœperit: quoniam tamen ætatem habet, & multa eſt doctrina refertus, nec alia qua culpa ſævam illam meruerit Pontificiam pœnam, quam quod juribus Cæſarum plus juſto viſus ſit favere, non eſt fortaſſe quod nunc quidem illa cenſura moti, omnem verbis eius auctoritatem detrahamus. *Pontifex*, inquit, *in dictis bonis donatis ſummi Principis exequitur poteſtatem, quaſi ſignificet, quod exercitium habet iuriſdictionis & poteſtatis. Et ſic utile dominium iuriſdictionis habet: quia directum eſt penes Cæſarem, quod non poterat nec poteſt in perpetuum ab eius oſſibus ſeparari. Habet ergo Papa executionem poteſtatis, & non dominium poteſtatis, id eſt, iuriſdictionis, quia iuriſdictio eſt poteſtas de publico introducta, lib.1. ff. de iur. omn. iud. Unde infero quod quoad directum & utile dominium ipſarum rerum donatio tenuit, ſicut tenuiſſet alia particularis alienatio rerum particularium: ſed quoad iuriſdictionem, dico quod quantum ad utilem iuriſdictionem, non directam, adhuc teneat alienatio. Sicut videmus quod cottidie Princeps Ducatus, Comitatus, & Regna elargitur, & tamen retinet in habitu & directo dominio ipſam iuriſdictionem & ius Imperii in bonis aliis commiſſis. Ut in cap.1. de feud. March. Ducat. & Comit. & in iuribus ſupra illis. Ita & in his bonis Eccleſiæ donatis ius Imperii & iuriſdictionem retinuit atque retinet, quamvis utile dominium eius, etiam exercitium Pontifici commiſerit.*

CAPVT XXI.

Terras Pontificum Romanorum, non præſcriptione vel alio aliquo titulo, Imperii ditione & iuribus excidiſſe.

CVm dono Cæſarum non ſublata ſumma Imperij iura in Paparum bona, iam pateat; conſequens eſt, uti videamus num id factum ſit titulo quodam alio: aut ſi nondum ſit factum num merito id fieri debeat. Et quidem præſcriptione longi temporis amiſſa illa ſumma iura ſunt qui cenſeant. Quos ab aliis fateor minus recte confutari eo argumento, quaſi præſcriptio adverſus Imperii auctoritatem locum non inveniat, propterea quod unice illa valeat ex arbitrio legum civilium Romanarum. Etenim iam tum aſſeruimus, ut uſucapionem ita & præſcriptionem aliquam ex ipſo naturæ inſtituto vim habere. Ergo non omnino improbanda ſunt illa Bellarmini l.5. de Rom.

Digitized by Google

Rom. Pontif. c. 9. de bonis Pontificum: *Etiamſi nihil horum* (donationum Cæſarearum ſcil.) *exſtaret, abunde ſufficeret præſcriptio DCCC. annorum. Nam etiam regna & imperia per latrocinium acquiſita, tandem longo tempore fiunt legitima. Alioquin enim quo iure Iulius Cæſar occupavit Romanorum Imperium? & tamen tempore Tiberii Chriſtus ait Matth. 22. reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari. Quo iure Franci Galliam, Saxones Britanniam, Gothi Hiſpaniam invaſerunt? & tamen quis hoc tempore Regna ab illis conſtituta illegitima eſſe diceret?* Vt ingenue etiam ita non omnino male Paulus III. *cum de ſumma ipſius poteſtate aliquando inter familiares mentio incideret, ridere ſolitus eſt ut ſcholaſticos & rerum rudes, qui à Chriſto eam tam anxie repeterent, cuius ſe poſſeſſionem vel ſolam optimum & firmiſſimum titulum habere dicebat. quam viribus opibuſque ſummis, civitatibus muniſſimis, & potentiſſimorum Principum ſibi coniurantium auxilio tueri ac defendere poſſet.* Quæ alicubi refert Petrus Pithœus. Hæc inquam non omnino reijcula ſunt, ſi de poteſtate ſermo ſit non illa divinarum rerum & quæ creditur cælitus collata, quam ſcilicet nulla uſucapio poteſt tueri, ut quæ in rebus mere humanis tantum valeat: nec de omni exceptione maiore aliqua vi in bona Pontificia, quæ Imperatoriam excludat, huic enim nondum eſſe præſcriptum, jam demonſtrabimus. Admittimus igitur & nos, ſi dudum nemine Imperij cauſam agente, Pontifices in terris ſuis omnem excluſerunt Imperij auctoritatem, illum unum tacitum conſenſum ſufficere Pontificibus poſſ. ad plenam bonorum ſuorum poſſeſſionem, nullo licet alio jure ſuffultam. Verum enim vero aliter ſe rem habere, niſi fallor, liquido probabimus.

Principio enim conſtat apud omnes, ad hæc uſque tempora Regibus Germaniæ nomen Cæſarum Romanorum illibatum manſiſſe. Idque non tantum quod ipſi ſoli hoc ſibi nominis fortaſſis dederint, ſed quia & omnes populi reges ac principes extra Imperij limites poſiti, & ipſimet Romani Pontifices ultro ac communi quodam conſenſu idipſum nemine diſſentiente, hactenus ſemper approbaverint. Nec vero cuiquam alij in omni orbe Chriſtiano Auguſtum illud nomen à quoquam tribuitur. Involavit quidem barbara ambitione Ruſſorum Princeps in Cæſareum nomen, eoque Czar vult audire, quaſi major Regia dignitate: non Romanorum tamen ſed Ruſſorum Czar, cupit ipſemet cenſeri. Hiſpanorum etiam nonnulli Reges Imperatorium titulum affectaverunt inani quadam arrogantia: ſed à prudentioribus caſtigata ſuperbia, intra juſtos modeſtiæ fines titulus illorum dudum reddit. Nec quiſquam tamen eo vecordiæ proceſſit ut Romanorum ſe Imperatorem diceret: Hiſpaniæ vel ſimpliciter Imperatorio nomine, quamvis faſtu turgidi, fuere contenti. Quum Ferdinandus id nominis primus Caſtellæ rex Imperatorem ſe feciſſet appellari, & Cæſar noſter Henricus III. & Victor Papa, acriter eum perſtrinxerunt: quam rem late perſequutus eſt Ioannes Mariana accuratiſſimus omnium Hiſpaniæ hiſtoricorum *l. 9. cap. 5.* Ipſemet Mariana de Alfonſo VI. ita loquitur: *Omnino ex hoc tempore Alfonſus Rex Imperatoris (IVRE AN INIVRIA non diſputo) ſed nomen tamen deſumpſit Imperii.* Idem de Alfonſo Arragonio l. x. cap. 8. *Alfonſus ſoceri exemplo ſe Hiſpaniæ Imperatorem dicit, ſi amplitudinem ditionis conſideres haud temere, cum Regum potentiſſimus evaſiſſet omnium qui poſt Hiſpaniæ cladem extiterunt: IMPRVDENTER tamen, cum ex alieni iuris ditione atque temperario imperio tantos ſumeret ſpiritus.* Ex quibus diſcimus, non Reges tantum Hiſpaniæ ſed & alios quoſque Hiſpanos prudentiores ipſos arrogatum temere nomen improbaſſe. Certe Romani Imperatoris nomen etiam ipſi illi Regibus noſtris Germaniæ non fecere controverſum. At vero non eſt Romanus Imperator niſi cui ſummum ſaltim jus competit in Vrbem Romam. Recte enim jam olim Fridericus I. Cæſar legatis Adriani Papæ reſpondit: *Cum divina ordinatione ego Romanus Imperator dicar & ſim, ſpeciem tantum dominantis effingo, & inane utique porto nomen ac ſine re, ſi Vrbis Romæ de manu noſtra poteſtas fuerit excuſſa.* Non negaverim regalia quæ appellantur Pontifici competere, nec hactenus bene argumentatum Fridericum Cæſarem, quaſi regalia illa ſi ſint Pontificis, ipſe non ſit Romanus Imperator: ſatis enim eſt ad Cæſareum nomen nondum ſumma poteſtas, unde regalia illa Pontificum dependeant. Hac vero etiam ſublata, inane fore nomen illud, ultro fatemur. Cum iure igitur & merito nomen illud convenire Regibus noſtris fateantur ipſi Pontifices, apertiſſimum eſt, ſummam poteſtatem hodieque Cæſaribus noſtris ſupereſſe. Quoniam ipſius Vrbis autem illa eſt conditio, multo magis & reliqua in ditione eſſe Imperij, vel uno illo titulo Cæſareo innuitur, atque extra omnem controverſiam collocatur.

Illius ſummæ poteſtatis perpetuo ſuperſtitem poſſeſſionem, indicat quam maxime præterea, ius illud Regum noſtrorum coronæ Romani Imperij in ipſa Vrbe ſibi ſumendæ, idque itidem omni carens controverſia. Nec enim alicui fas fuerit coronam capere, niſi ubi eidem ſumma poteſtas competit. Etſi vero non omnes Cæſares noſtri patiantur Romæ ſe coronari, in omnium tamen arbitrio id fuiſſe poſitum & poſitum eſſe hodieq; longe eſt certiſſimum. Haud fuerit abſque pretio operæ recitare heic nonnullas ſacras preces, quibus ipſe Pontifex Cæſarem coronaturus Deum obteſtatur, repetitas ex opere illo ſacrarum ceremoniarum Romanæ Eccleſiæ, quod Chriſtophorus Marcellus Corcyrenſis Archiepiſcopus Leoni X. inſcriptum publicavit. *Oremus. Deus regnorum omnium & Chriſtiani maxime protector Imperii, da ſervo tuo N IMPERATORI NOSTRO triumphum virtutis tuæ ſcienter recolere. ut qui tua conſtitutione ſit Princeps, tuo ſemper munere ſit potens.* Poſt communionem ante ſolennia coronationis: *Deus qui ad prædicandum æterni regni Evangelium Romanum Imperium præparaſti, prætende famulo tuo IMPERATORI NOSTRO N. arma cæleſtia, ut pax Eccleſiæ nulla turbetur tempeſtate bellorum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Finita jam coronatione: *Benedic quæſumus Domine hunc PRINCIPEM NOSTRVM N. quem ad ſalutem POPVLI NOBIS à te credimus eſſe conceſſum. Fac annis eſſe multiplicem, ſalubri corporis*

Google

robore vigentem, ad ſenectutem optatam pervenire felicem. Sit nobis fiducia obtinere gratiam populo, quam Aaron in tabernaculo. Similes preces & in libro iſto & in Pontificali vt & Ceremoniali Romano, etiam illis quæ ex Clementis IIX. recenſione prodierunt, habentur paſſim ? in quibus identidem legas illud IMPERATORI NOSTRO. Non adferam huc verba quibus Papa utitur gladium, pomum, ſceptrum & coronam Cæſari tradens: ne videar quaſi pulviſculum congerere velle. Obſervatu tamen unice dignum eſt, pene eadem eſſe cum iis, quibus in Pontificali iubentur Archiepiſcopi uti in ſolemnibus coronationum Regiarum, per orbem Chriſtianum. Cum hæc vero omnia peragantur à Papa in conſpectu quaſi Dei Opt. Maximi, indubiè non ludicrus aliquis, ſed ſerius ſenſus ſubeſt & dicto & facto omni uſque adeo ſancto. Conſequens proinde eſt, agnoſci ab ipſo Papa ſupremum illud Cæſaris jus in Romam & reliqua veteris Imperij Romani bona, quæ à Romanis Pontificibus hodie poſſidentur. Sane id niſi ponas, fateatis neceſſum eſt in ipſis ſacris ludum ab illo agi: quod vel dictu nefas eſt. Non me latet in Pontificali Romano, dum præſcribitur *ordo ad recipiendum proceſſionaliter regem aut principem magnæ potentiæ*, itidem in formulis precum haberi illud *Regi noſtro*, & *Principi noſtro:* ſed niſi vehementer fallor, illa verba pronuncianda ſunt in locis Regibus aut Principibus iſtis ſubditis. Et vero in opere Chriſtophori Marcelli, ubi l.1.ſect.3. cap.2. accuratè deſcribitur, quibus ritibus rex ad Vrbem veniens excipi ſoleat, in omnib. precum formulis vox illa NOSTRI regio nomini haud additur. Vtcumque ſit? ſaltim omnis reliqua benedictionis & coronationis Cæſareæ cerimonia, ſummam Cæſarum auctoritatem in Romam & alias Romani Imperij provincias ſatis indicat.

Arguit porro confeſſionem ſummæ Cæſareæ poteſtatis etiam id, quod Papæ curent à Cæſaribus recens electis aut ad Vrbem proficiſcentibus, novis ſibi tabulis demortuorum Cæſarum donationes confirmari: perinde vt alij ſibi de privilegiis antiquis caveri faciunt. Nec enim iis opus foret, ſi illa bona nullo amplius nexu Imperatoribus devincta eſſent. Certe id ſi exiſtimarent Pontifices, non ſollicitè adeo caveri ſibi curarent. Huc pertinet etiam fides, quam Romanis civibus dat coronandus Cæſar, Vrbem mox introiturus. Ea de re ita legitur in libro Marcelli. *conſueverunt etiam electi Imperatores hac die* (pridie ſc. adventus) *antequam ponticulum, qui primus ante ingreſſum Vrbis poſt deſcenſum montem occurrit, pertranſeant, præſtare iuramentum Romanis in hanc formam: Ego Carolus Rex Romanorum futurus Imperator, iuro me ſervaturum Romanis bonas conſuetudines ſuas: ſic me Deus adiuvet.* Nec vero Regum aliquis cui in Vrbem nihil eſt iuris, tali ſacramento Vrbano populo ſolet cavere.

Indicium ſuperſtitis & à Pontificibus ipſis confeſſi ſummi juris præſtat quoque illa Equitum auratorum creatio, quam Cæſares, Romæ & aliis in locis Papali iuriſdictioni ſubditis degentes, ſolent inſtituere ipſis Papis applaudentibus. Imo dum Comites ſacri Palatij Lateranenſis inſtituunt, produnt eo ipſo ſitam in media Roma ſuperſtitem auctoritatem: Pontificibus itidem tamen annuentibus. Eodem facit quod Cæſares, Pontificibus minime reclamantibus, privilegia & immunitates terris Papalibus ſoleant nonnunquam concedere. Sic de Eccleſia & Schola Bononienſi in hiſtoria anni 1365.n.13. ſcribit Bzovius: *Eodem anno Vrbanus à Carolo Imperatore impetravit confirmationem privilegiorum Eccleſiæ & Studii Bononienſis, quæ alii Imperatores & præſertim Fridericus IIdus conceſſerat. Dedit ea de re diploma Pragæ 4. Id Februarii anno Domini 1365. Imperii anno X. Regnorum XIX.* De eadem ſchola Middendorpius l. 4. *Carolus Vtus Romanorum Imperator ad bene merendum de republ. Chriſtiana natus Princeps, cum à Clemente Pontifice Bononiæ coronaretur, optimis eam privilegiis, ne quidquam eius gloriæ deeſſe videretur, ornavit.* Et vero Bononienſes illi Caroli V tabulas hodieque maxime jactant, tanquam ille ſcholam illam vera demum libertate atque immunitate ornaverit. Ad ſignum eiuſdem iuris Cæſarij merito referas, quod Præfectus Vrbis Cæſari creato en im præferat? imo ipſa illa Præfectura ex parte credatur Cæſarij juris. Quamplures actus ſummæ poteſtatis, exercitos ab Rudolpho, Henrico, Carolo IV.to & aliis iam memoravimus capite præcedente. Quibus omnibus nullus Paparum itidem interceſſit.

Ludovico IV. Cæſari cum ſui ævi Papis plus fuit litium: eoque eius actibus reclamatum quidem à curia fuit pontificia? interim & ipſum Cæſarem illum nunquam ſatis laudandum, & proceres cum Germaniæ omnis tum Italiæ, imo tantum non populum univerſum Imperij, cum cis tum trans Alpes, illa ætate judicaſſe, Cæſari Romano in omnia Pontificum bona illa integrum ſuperesse jus ſummum, plurima utique ſignificant, quæ cum applauſu publico & auxilio Epiſcoporum & Principum præcipuorum à Cæſare illo Romæ & alibi geſta ſunt, quæ heic recenſere nimis prolixum fuerit. Cumprimis verò lectu & accurata obſervatione digna ſunt geſta anni 1326. & duorum ſequentium, ut & anni 1342. qualia illa ad nos per eius ævi ſcriptores devenêre, & non ita pridem accurato apologetico contra Bzovium defenſa ab Ioanne Georgio Hervvarto, prudentis ſtili facundia ornata ſunt à Nicolao Burgundio, viris longe præclariſſimis, idque cura & auſpiciis Maximiliani Sereniſſimi Bavariæ Ducis & Imperij Electoris potentiſſimi. Bzovius fatetur in hiſtoria anni 1327.n.2. perſuaſum Cæſari & aliis tum fuiſſe: *Chriſtum adeoque etiam ſummum Pontificem & reliquos Eccleſiaſticos Imperatori terreno ſubiectos: Imperatorem poſſe Papam inſtituere & deſtituere ſeu deponere: Papam & Epiſcopos amplitudinem iuriſdictionis non à Chriſto ſed ab Imperatore obtinere: Papam in Imperatorem nullam poteſtatem habere: Papam nullum dominium in Imperio in temporalibus poſſidere*, quod ſcilicet non ſit legibus Imperij obnoxium ad inſtar bonorum aliorum: *Imperialem dignitatem immediate ab ipſo ſolo Deo eſſe, neque quicquam in eam Pontificem Romanum aut Eccleſiam poſſe: Ioannem Pontificem notorium hæreticum debere cenſeri.* Vt proinde non ſit mirum, auctoritatem Cæſaream præclare adeo

adeo à Ludovico illo Cæſare tum fuiſſe aſſertam. Hinc ſane ille & Præfectum Vrbi dedit Caſtrucium, ijs tabulis, quas notis ad Petrum de Andlo inſeruit Marquardus Freberus. Hinc multis alijs Pontificiæ ditionis oppidis Principes Cæſarum vicarios præfecit: idqoe quoniam Papæ ſuis inſanis motibus donata ſibi à Cæſaribus jura in illa loca perdidiſſeot. Et vero uſque eſt adeo illud juſtum tunc viſum, ut nullis minis aut cenſuris paſſi illi ſint, à Papis iterum arrepta poſſeſſione ſe excuti: donec novis tabulis juſſi ſunt Pontificia auctoritate oppida illa retinere. Nec vero hos inviſos ſibi Principatus tollere licuit Pontificibus, prius quam Alexandri ſexti & Cæſaris Borgiæ ſcelere vi illorum fracta, Iulio tandem ſecundo integrum fuit Papalem omnem illam ditionem uoum in corpus revocare; ijs artibus, quas Nicolaus Machiavellus *l. de Principe cap.* xi prudenter & ſic accuratè ſatis prodidit. Hinc porro idem ille Ludovicus Ioannem viceſimum ſecundum Papam, ceu multis facinoribus & hæreſi infamem, dignitate exui, & Petrum de Corbonia nomine Nicolai Vti curavit Pontificio in media Roma ornari. Haud fuerit abſque operæ pretio, recitare hoc loco, quæ de illa Ioannis Cæſarea abdicatione, ipſe Bzovius, hoſtis Ludovici pariter & Pontificum adulator maximus, narrat in hiſtoria anni 1328. n. 5. quamvis nonnihil poſſint videri juſto prolixiora. *Ludovicus inde quatuor poſt diebus, omnibus qui Ioannem Pontificem oderant, quique eum ſtudio partium diverſarum ſequebantur, comitatus, Imperatorio cultu ſupra gradus Baſilicæ Vaticanæ in throno ſuperius elevato reſplendens, impoſito omnibus ſilentio, Fratri Nicolao Fabrianenſi Ordinem D. Auguſtini Eremitarum profeſſo, trina vociferatione inquirere & percunctari iuſſit, num aliquis in tanto numero eſſet, qui Iacobum Cadurcenſem (ita Ioannem per contumeliam nominabat) ſummi Pontificatus uſurpatorem defendere proponeret. Nullo uſquam reſpondente, Abbas aliquis ex Germanis, omnibus cæteris procacior, propoſitis illis verbis ſacræ ſcripturæ, Hæc eſt dies boni nuncii, multa in ſummum Pontificem Ioannem dicteria, ſcommata & maledicta evomuit: deinde ſententiam depoſitionis omnium iniquiſſimam, cuius initium eſt, Glorioſus Deus ſublimis Dominantium Dominus, impudentiſſima temeritate adverſus eundem Ioannem ſummum Antiſtitem divulgavit: nec non Robertum Siciliæ Regem una cum eo inter Patarenos hæreticos prædamnatum, multis cum deriſionibus & contumeliis per calumniam & impoſturas ignibus utrumque addixit ſecularique poteſtati tradidit puniendos. Summa criminationum fuerat in ſententia convitiorum & maledictorum plena. Fingebat Ludovicus, quaſi Ioannem Pontificem clerus populuſque Romanus miſſis Syndicis & literis accuſaret, quod is 1. Romanam ſedem, à Chriſto principe paſtorum, maximis Pontificibus Romæ erectum, deſereret, neque præcepto Chriſti, neque Petri Principis Apoſtolorum exemplo, de reſidentia Romana ſatisfaceret, aut unquam Avinione Romam reverti, quanquam ab univerſis & ſingulis interpellaretur, cogitaret. 2. Pecuniarum acervos per impoſitiones ſeu decimationes iniquas non tantum à clero, verum etiam ab univerſo Chriſtiano populo per ſpeciem belli ſacri extorqueret. 3. Sacra pecunia, non adverſus Saracenos, ſed adverſum ipſos Chriſti fideles, recens adverſus Gibellinos in Italia ſuſcepto bello, abuteretur.*

addit.

4. Crucem ſanctam, indulgentias & remiſſiones peccatorum, gratias & theſauros ſpirituales in ſtipendia homicidiorum, ſchiſmatum, & ſacri Romani Imperii rebellionum, tum prædicaret, tum largiretur. 5. Romanos, Mediolanenſes, & reliquos utroque gladio ob id ſolum perſequeretur; quod Romano Imperio fideles eſſent. 6. Copias à Rege Gallorum & reliquis Principibus Chriſtianis in ſubſidia Regis Armeniorum contra Saracenos miſſa, pars in Romanos, pars in Genuenſes, pars in Brandeburgicos ſubmiſerit, unde tanta cædes, ſtupra, & rerum Deo ſacratarum violatio, ut Saraceni inter cætera Crucem Chriſti configentes improperarent: Ecce Deus Chriſtianorum. *7. Preces & gemitus Armeniorum Chriſti fidelium totis quinque annis auxilia implorantium, tanquam aſpis ſurda non exaudierit, adeoque illos gladiis barbarorum obiecerit. 8. Cathedrales Eccleſias nullo iure aut merito, iure electionis privaverit. 9. Beneficiorum Eccleſiaſticorum diſtributionem, præter ius & fas ſibi de facto reſervet, ſeu uſurpet. 10. Dignitates Eccleſiaſticas perſonis, nec ætate, nec moribus, nec doctrina præſtantibus, ſed prorſus immeritis ac indignis conferat ac concedat. 11. Per Simoniacam pravitatem beneficia & bona Eccleſiaſtica vendat atque largiatur. 12. Potentia, auxilio & conſilio novi Ioab Principis militiæ, & novi Abiathar ſacerdotis, ſcilicet Roberti Regis Siciliæ & Vrſini Cardinalis Legato fretus, ſchiſmata peſtifera in Eccleſia Dei ſuſcitet, dum aſtutiis ac doloſis utens inventionibus, rebellionem in ſacro Imperio, contra Imperatorem legitimum commovet, & in effuſionem ſanguinis ovium Chriſti ſceleratos armat: & velut ille in Apocal. præſignatus, equo ruſo inſidens, gladioque ancipiti præcinctus pacem tollit de terra, cruoremque innocentem miſcet ac bibit: duobus uſus Antichriſti præcurſoribus, Roberto & Neapoleone. 13. Patriarchas, Cardinales, Archiep. Epiſc. & cæteros Eccleſiæ prælatos, poteſtate ſua & ſuorum premat, ut ſub iugo ſervitutis gemant, & voluntati eius in omnibus dictis & factis mancipati, neque verbum muttire audeant aut valeant. 14. Non ad ſeriem Evangelicæ veritatis aut Apoſtolicæ traditionis, ſed ad ſuum reprobum (ita reprobus Bavarus pronunciabat) ſenſum tanquam magiſter erroris & hæreſiarcha notorius doctrinam Chriſti & Apoſtolorum verba de ſuperioritate ac dominio temporali Imperatorum ſuper omnes traditam ſubvertat, adeoque contra illa verba:* Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, *prævaricetur, ac prævaricationem coloratis verbis & ſententiis excuſans, Evangelicæ veritatis & poteſtatis impugnator & ſubverſor, inter hæreſiarchas cenſeatur. 15. Imperialem ſimul cum ſacerdotali poteſtate dignitateque à Chriſto & Apoſtolis in diverſa ſuppoſita diſtinctam confundat, ſibique uſurpet: cum tamen Chriſtus & fugeret eo tempore, quo turba illum voluiſſent facere Regem; & regnum ſuum dixerit non eſſe de hoc mundo, & recuſaverit ſimul regia ac ſacerdotali auctoritate præſtare. 16. Ius & adminiſtrationem temporalium, quod ſoli Imperatori, à ſolo Deo immediatè collatum eſt, ſibi arroget, temereque Vicarios Imperii inſtituat. 17. Præter officium & æquitatem Romanos & Romano Imperio fideles proceſſibus infamet, anathemate percellat, ſacrorum interdicto affligat, ac non niſi impudenter & cognitionem ſibi de electione Imperatoris, & auctoritatem in confirmatione*

aut reprobatione electi, & poteſtatem in diſſolvendis juramentis fidelitatis, ac reliquis in proceſſibus contra Bavarum expreſſis attribuat. 18. *De paupertate Chriſti & Apoſtolorum, non ex ſenſu Catholicæ definitionem evulgarit ſed inter hæreticos notorios, propter eam opinionem ſe retecerit, adeoque ſe ipſum is ipſe lapſus pontificatu maximo privum fecerit.*

Hactenus Bzovius. Iure an injuria tot nominibus accuſatus damnatuſque fuerit Ioannes Papa, jam non diſputo. Nihil pro defendendo illo adfert Bzovius præter convitia & querelas: Hervvartus vero omnium pene illum reum convincit. A me uni illi ſui illhæc allata jam ſunt, quo liquidum omnibus fiat, illa etiam ætate, qua ſuperſtitioſius Paparũ cultus religionis ſpecie tantum non omnibus impoſuerat & Imperij excuſſerat veterem reverentiam, vera & antiqua Cæſarum in ipſos Papas jura exemplo ad omnem poſteritatẽ memorabili, fuiſſe exercita: multumque adeo abeſſe, ut in hac ætate Cæſares omnes tacito & ignavo quodam conſenſu Cæſaream in bona Paparum vim auctoritatemque remiſerint. Vbi non poſſumus non & hoc monere, quum defuncto Ludovico excommunicatos ejus fautores, Vlbium Imperialium cives, Papa illhoc vinculo ſolvi non niſi his conditionibus juſſiſſerat ut jurarent 1. *ſe credere, quod non ſpectat ad Imperatorem Papam deponere: & oppoſitum eſſe hæreticum.* 2. *Nulli deinceps ut Imperatori ſe velle obedire, niſi prius per Eccleſiam approbatus*, quod ex Rebdorfio ad annum 1347 narrat Bzovius: nuſquam fuiſſe in id abſolutionem admiſſam: ceu præclare in hiſtoria ejuſdem anni oſtendit Hervvartus. Vſque adeo ſcil. plane aliud tum paſſim fuit perſuaſum de Cæſarum juribus. Sed de Ludovici Cæſare ſatis.

Ante hoſce centum annos avorum memoria, quemadmodum occupata per vim ipſamet Vrbe Roma, & Papa Clemente ſeptimo quaſi in cuſtodiam dato, Cæſaream auctoritatem vindicaverit Carolus quintus Cæſar: nemini eſt ignotum. Quid alij fecerint dignum memoratu, præter ea quorum jam tum meminimus, non attinet recenſere: quandoquidem jam tum, probe expenſis ijs quæ modo attulimus, ſatis nemini non liqueat, nequaquam Cęſaribus fuiſſe hactenus animo, Imperij jura omnia Pontificibus concedere, ſed uſque huc illos ſupremam ſaltem poteſtatem integram illibatamque ſtudio eximio conſervaſſe.

ERGO id quidem jam evicimus, pleni & à Cæſaribus omnino liberi dominij poſſeſſione nondum reapſe potitos Pontifices. Non deberi idipſum etiam illis ullo aliquo titulo, ſed Cæſares ac Imperij Ordines, jure meritoque nixos id quod reliquum eſt auctoritatis Cæſareæ tueri, minus operoſa indiget probatione. Sufficit unum illud pro argumento, quod nullus titulus queat produci, quo illimitata illa poteſtas Pontificibus adſeratur. Etſi enim alia atque alia ſoleant in id adferri, ea tamen ſunt, ut ne quidem digna cenſeas recitatione. Omnia collimãt ad illam quæ divinitus creditur commiſſa Pontificibus ſummi numinis vicariam in terris poteſtatem. Quæ dignitas videtur tanta, ut ab omni obſequij vilitate Pontificem eximat: perinde atque moribus Romanis antiquis magiſtratus ſervo conceſſus, illum ſervitutis nexu liberabat. Vt habetur *l. Barbarius ff. de off. prætor. l. 2. cod. de interdict. omn. judic.* Verumenimvero ut admittas, illam dignitatem Papæ divini eſſe inſtituti, non tamen ſequitur omnia Papæ bona eſſe nemini obſtricta. Tum demum id ſequeretur, ſi omnia bona ab eodem illo divino inſtituto Papæ eſſent conceſſa ad dignitatem iſtam tuendam. Sic ſi Princeps jubeat ſervum ſuum magiſtratum gerere, quem ſolis liberis licet aſſequi, eo ipſo illum tacite manumittit. Si ſervo alieno illum committat, diſpar eſt ratio: niſi dominus conſentiat. Nec enim moribus Romanis antiquis de aliena libertate ſive Principi ſive populo fas fuit ſtatuere *l. quæ religioſ. in finib. de rei vindicatione*, eoque & Barbarius ille à domino eſt vindicatus & in priſtinam ſervitutem redactus, teſte Suida *in voce Barbarius*. Quod ſi omnia ſane Paparum bona illius divinæ dignitatis cauſſa ab omni ſunt nexu libera, nullum Papæ æs alienum contrahere, nihil ſolvere cuiquam teneantur. At vero nulla omnino bona Papæ illhoc quidem titulo poſſident: ne quidem id illi præ ſe ferunt. Certe iſta de quibus modo nobis ſermo eſt, ipſimet Papæ liberalitati Cæſarum ferunt accepta. Et in univerſum *omnia quæ ad vitam terrenam ſpectant ſubjecta ſunt terrenæ poteſtati*, ut dicebat Hugo de S. Victore. Scite Ambroſius: *Non vis obnoxius eſſe Cæſari, noli habere quæ ſunt mundi.* & Auguſtinus: *Noli dicere, quid mihi & Regi? quid tibi ergo & poſſeſſioni?* Ipſi Pontifices Clericos quidem juriſdictioni civili divina quadam benignitate volunt exemptos; ſi quod tamen feudum poſſident patiuntur eos ſectari forum laicorum: idque paſſim terrarum ſolet obſervari. Et vero ex communi Doctorum ſententia, etiam ipſi Papæ tenentur feudalibus juribus, & ſi feudum velint ſibi acquirere tenentur præſtare ea ad quę alij adſtringuntur, niſi dominus jure ſuo velit cedere.

Veroſimilius pro Pontificibus forte adferas, quod Papæ cum habeant jus Cęſares confirmandi, etiam in bona Imperij ſummam quaſi habeant poteſtatem. Cæterum illa confirmandi auctoritas per eſt controverſa, imo, ut alibi demonſtratur, fictitia & nulla. Vtque ſe competat Papæ, atque adeo quadantenus illi jus aliquod ſit in bona Imperij, non tamen hinc jure colligas, illa bona Cęſarum juriſdictioni eſſe exempta. Habent enim & Electores inſtituendi Cæſares poteſtatem, nec minus tamen bona Electorum ſubſunt Cæſarum legibus. Et poſſit Papa aliquis in Regno Neapolitano quædam poſſidere obnoxia regni legibus, etſi regnum ipſum feudum ſit Papale. Et vero in libera republica conſtituendorum magiſtratuum jus penes cives eſt, qui tamen legibus reipubl. propterea ſoluti non ſunt: poteſtque unus idemque ratione una eſſe ſui juris altera ſubditus.

Nec vero eſt quod quem terreat & à vero ſeducat, multitudo doctorum Pontificibus adulantium, & nihil non ijs tribuentium. Fatemur enim eorum numerum ſat magnum eſſe. At vero totidem, ſi non plures, ex ipſa Italia, in facili eſt adducere, qui Cæſari in omnem mundum æternum aliquod & nullo tempore, nulla alienatione, nulla uſucapione aut præſcriptione, violabile jus adſcribant. Firmis hos rationibus pugnare non dixerim: imo illos, jam alibi affirmavi, minus bene niti dictis nonnullis, petitis ex Iuris Romani Corpore Iuſtinianeo. Æque infirmæ vero ſunt Canoniſtarum ratiocinationes & perinde ridiculæ, ex

Decre-

Decretalibus Pontificum plerumque deſumptæ: quaſi jactabundæ hominum voces in propria cauſſa argumentum juris præbeant. Et vero ipſa illa Pontificia volumina de Cæſarum auctoritate non ſatis ſibi conſtant. Eoque jam Ludovico IV. Cæſare prudentiores, teſte Burgundio l.2. Hiſtoriæ Bavaricæ, *aiebant, maieſtatis Cæſareæ magnitudinem non æſtimandam eſſe ex Pontificum Decretis: nihil enim illis hac in parte inconſtantius, nihil incertius: modo ſupra Pontificem Imperatores extollere, modo longe infra deprimere, prout expediſſet tempori ſervientibus: Recentiores conſtitutiones ambitu pleniſſimas tum maxime illuſiſſe Imperio, cum adverſus publicas iniurias nemo ſe auderet invidiæ offerre: nihil tamen faſtigio potuiſſe detrahi inconſultis & invitis Ordinibus.* Hoc in primis dignum eſt obſervatu, quod in ipſis Pontificum Decretalibus nuſquam diſertis verbis, bona illa Paparum omnimodæ juriſdictioni Cæſarum ſubducta eſſe, affirmetur: quantumvis multa in ijs deprehendere ſit Cæſarum & Imperij juribus periniqua. Ne quidem derogat, diſerte quidem, juribus Cæſarijs illa excommunicatio quæ *l.6. De elect. cap. fundamenta* detonatur in uſurpatores dignitatum ſeu officiorum Vrbis Romæ, *abſque licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, per ipſius Sedis literas conceſſionem licentiæ huiuſmodi ſpecialiter exprimentes.* Fatemur enim, niſi Papa indignum ſe præbeat conceſſis privilegijs, haud par eſſe Cæſari Romæ invito Papa obtrudere magiſtratus Vrbanos. Nec in Proceſſu Cœnæ Dominicæ fulmen intenditur in Cæſarem ſuprema jura ſibi vindicantem, ſed alios omnino. Verba ipſa id indicant. *Excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui per ſe vel alium ſeu alios directe vel indirecte, ſub quoque titulo vel colore occupant, detinent, vel hoſtiliter deſtruunt ſeu invadunt, aut occupare, detinere vel deſtruere, aut invadere hoſtiliter præſumunt in totum vel in partem, almam Vrbem, regna Siciliæ ſeu Trinacriæ, inſulas Sardiniæ & Corſicæ, terram citra Pharum, patrimonium Beati Petri in Tuſcia, ducatum Spoletanum, Comitatum Venayſinum, Sabinenſem, Marchiæ Anchonitanæ, Maſſæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimæ provincias, ac terras ſpecialis commiſſionis Arnulforum, civitateſque noſtras, Bononiam, Ferrariam, Beneventum, Peruſinum, Avinionem, civitatem Caſtelli, Tudertum, & alias civitates, terras & loca, vel iura ad ipſam Rom. Eccleſiam ſpectantia & adhærentia, ac fautores & defenſores eorum, ſeu in his dantes auxilium, conſilium, vel fauorem.*

Quum omnia ergo hæc ita ſeſe habeant, jam amplius nihil ſupereſt, quare non aperte ac libere pronunciemus, omnes Romani Pontificis terras, ſaltim Italicas, eſſe limitibus Imperij adhuc comprehenſas, adeoque ipſum Papam, ratione utique illorum bonorum, ſubditum Cæſaris eſſe. Subditum inquam: nec enim cum Ioanne Bodino auſim illum Vaſallum Cæſaris appellare: quod ille non dubitavit *l.1. de Republ. cap. 10. n. 136.* profiteri. Ratione etiam dico bonorum illorum: quoniam hujus loci non eſt diſputare, num etiam Papa ipſe inquantum eſt Romanus Epiſcopus Cæſaris ſit legibus obnoxius: multo minus idipſum hæc à nobis demonſtratum eſt.

CAP. XXII.

Terras Italicas Pontificum Romanorum beneficiarias, videri hodieque pertinere ad ditionem Imperij.

Pontificum Romanorum terras, & reapſe & ſummo jure, hodieque intra limites Imperij contineri, oſtendimus. Proximum eſt, uti inveſtigemus, quemadmodum habeant ſeſe Italiæ reliqua. Horum autem quædam à Pontificibus beneficiaria lege alijs ſunt conceſſa: quædam diverſis conditionibus tenentur. Quæ citra controverſiam ſemper in Tabulis Cæſarijs nominatim traduntur conceſſa Papis, (cujuſmodi ſunt ipſa etiam Sardinia & Corſica) illa tametſi ab alijs feudi aliquo jure poſſideantur, omnino & ipſa non excidiſſe Imperij juribus, exiſtimandum eſt. Cum enim non diverſa conditione ſeſe habeant, atque alia Pontificibus donata, utique non minus hæc atque illa finibus imperij nequaquam exempta ſunt. Nec vero exemptionis alicujus ſingularis ullum licet iudicium obſervare.

Terras omnes, quæ (ſi Calabriam inferiorem excipias) uno Regni Neapolitani nomine veniunt, juris Cæſarij fuiſſe, & Cæſarum dono ad Pontifices cœpiſſe pertinere, idque ad ſeculum uſque tertiumdecimum, Normannorum vero nullum fuiſſe in eas jus recte quidem partum, prolixe demonſtravimus capite XI. Etiam ſequente tempeſtate omni, jus ſuum in terras iſtas a Cæſaribus per Tabulas publicas curaſſe Pontifices ſibi confirmari, manifeſtum eſt ex ijs quæ cap. 20. in medium allata ſunt. Quamobrem non fortaſſis etiam licet dubitare, de ſuperſtite in illa quidem loca, ut in Pontificia alia, Imperij ſumma auctoritate. In quibuſdam vero Tabularum illarum comparet nomen ſimpliciter Regni Siciliæ, imo diſerte memoratur, *Regnum Siciliæ cis & ultra pharum:* ceu jam vidimus. Et tamen Inſula Siciliæ qui ſit juris Imperij Occidentalis Francici quod penes Germanos eſt, non facile apparet: ut nec illud, qui Regnum quod Siciliæ & Neapolitanum dicitur, omnibus ſuis partibus ſit itidem intra Imperij limites, cum Calabria inferior ab ipſius Caroli Magni ævo uſque extra fines illos cenſita ſit. Nec tamen eſt cur credas, temere illa nomina in Tabulas nonnullas irrepſiſſe, utpote quum omnes illæ ex præſcripto curiæ Pontificiæ ſint exaratæ. Papas hoc ipſo ſibi aliquid quæſiviſſe, quis dubitaverit? At & partum aliquid veri & ſolidi juris ipſimet Imperio, haud videtur. Sane in Siciliæ inſulam Reges Arragoniæ ne Pontifici quidem hodie quidquam concedunt, fruſtra illo ringente. Notum eſt, quam acriter Pontificiam cauſam egerit Cardinalis Baronius undecimo Annalium tomo, quantumque illi ſeſe oppoſuerit Hiſpanus. Nos ut incertis rationibus Imperio quidquam arrogemus, adduci non poſſumus.

At non poſſumus ſilentio prætereire; Cæſares noſtros dudum poſt Fridericum non ſemel vi ſummæ ſuæ poteſtatis uſos in Neapolitanos Reges Imperij rebus adverſos. A Ludouico IV. Cæſare anno 1328. non minus Robertum Regem proſcriptum eſſe

noſtri Imperii damnum tenderent, & ad eamodis omnibus, quibus poterat intendebatur. Hæc ſiquidem creſcente clamore notorio, & in pluribus rerum experientia edocente, licet ipſa tam publica & notoria eſſent, quod nulla poſſent tergiverſatione celari, & nos qui ſubiecti non ſumus, contra dictum Robertum propter præmiſſa eo irrequiſito potuiſſemus procedere: tamen ex auguſta clementia (quæ libentius emendat in ſubditis pœnas, quam puniat, nec exercet ferrum in eos quos ſanare poteſt lenitas medicina) poſt receſſum noſtrum de Vrbe prædicta, ſuper dicto notorio, & prædictis per ipſum Robertum contra noſtram Maieſtatem commiſſis ad inquiſitionem deſcendimus, quam, ut fides vel amoris ſcintilla (ſi qua forſitan remanſit in eo) ipſius viſcera tangeret, & ipſe interim ſpatium ad corrigendum haberet, uſque in præſens deliberationibus rationis duximus protrahendam, Robertum prædictum citari legitime fecimus, ut comparere curaret, ſuam (ſi poſſet) innocentiam oſtenſurus. Verum idem Robertus in ſua protervia perſeverans, intermimis ſibi ad hoc præfixis, vel eorum aliquo, vel per ſe, vel per alium comparere contumaciter non curavit. Quare nos ſuper præmiſſis in ipſius Roberti contumacia fide dignis & ſufficientibus receptis teſtibus, & eorum dictis in ſcriptis redactis, & per nos ſolemniter publicatis, & de mandato noſtro à proceribus noſtri Palatii cum diligentia recenſitis, & factis nobis de ipſis, & per ipſos relatione fideli, per ea quæ probata fuerunt prædicta omnia & ſingula publica & notoria eſſe, in ſcriptis interloquendo pronunciavimus & declaravimus exigente iuſtitia, & poſtmodum eum requiri & citari ſufficienter, & peremptorie fecimus, ut certo termino iam elapſo coram nobis (ubicumque eſſemus) ad hanc noſtram ſententiam audiendam comparere curaret. Quod ipſe præſumens, & diffiſus iniuriis & offenſis in ſua obſtinatione & contumacia & fraudibus pernicioſis indurateus, facere prætermiſit.

Quia igitur de præmiſſis omnibus & ſingulis (prout apertius in inquiſitione continetur) ſpecialiter per dictos teſtes plenarie nobis conſtat, nos prædictos & alios prædicti Roberti exceſſus nefarios & opera deteſtanda iniuste & iuſto librantes examine, ac illud noviſſimum nullatenus omittentes, quod ipſe Robertus, dum in Vrbe prædicta cauſa prædictæ coronationis eſſemus, dilectiſſimi noſtri Piſani (qui inter cæteros noſtros ſubditos fidelitatis ac opinionis ſinceritate, galeas ac gentes ad noſtrum ſervitium & honorem Romam miſerant) galeas ipſas in noſtræ Maieſtatis iniuriam invadi, ſpoliari & gentes prædictas capi & incarcerari & in carcere detineri mandavit & fecit; & nihilominus in huiuſmodi continuationis terminis perſeverando mala malis addendo, & peiora continue committendo, dum contra rebelles noſtros direximus ſigna Cæſarea, rebellibus ipſis (ſicut publicum & notorium eſt, & facti evidentia docebat & docet) miſit plures armatorum in ſubſidium, ut eos dictius in eorum rebellionis erroribus confoveret, & intendens, quod dum ipſe poterit pacem & quietem habere, dum debuit tranquillitatem expectare, ad noſtram benevolentiam & dilectionem, quam ſibi ex animi ſinceritate paraveramus obtinere noluit, bellum quæſivit, iniquitates exercuit, & pro poſſe curavit, ſicut etiam procurare non ceſſat, in Imperij populos ſeminare zizania, ſuſcitare odia, immittere ſcandala, concitare tumultus, nutrire ſchiſmata, & fovere diſcordias; & ſine intermiſſione in actu committendi conſignandique perſtare contra noſtrum Imperium non omiſit, non ſolum in noſtri Imperii contemptum, Reique publicæ detrimentum, ſed etiam in perturbationem proſperitatis Eccleſiaſticæ, quæ ad Imperii ſtatum plurimum dignoſcitur tendere, & in retardationem negotii Terræ ſanctæ, ad quod (teſte Deo qui omnia novit) totis conatibus & affectibus anhelamus, & videntes aperte, quod dictus Robertus irrevocabiliter in ſignum erroris prolapſus, & obſtinatus in delis, viam veritatis expiavit omnino, & tanquam aſpis ſurda non obtinens auditum, nec mandata noſtra, nec legis pœnam, in quam ſuis culpis (nam omne quod eſt ex Deo vincit mundum, & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum fides noſtra) incidiſſe ac incidere noſcitur, nec etiam Imperatoriæ plenitudinem poteſtatis veretur, ſed quotidie cervicis durioris efficitur, & quantum ipſum ad pœnitudinem expectamus, tanto maiorem aſſumit audaciam malignandi. Conſiderantes etiam, quod ipſe Robertus, de Imperii crapulatus pinguedine dilatatur, & ex illicitis ſibi laxatis habenis furit, & nobis pro obedientia rebellionem, & pro fidelitatis debito iniurias refert, noſque ac quoſcumque fideles Imperii nobis obedientes præ poſſe impugnare conatur, eiuſque pravitas non in ædificationem, ſed in deſtructionem, non ad fructum & iuvamen, ſed ad peſtem eſſe dignoſcitur: & volentes præmiſſis iniuriis & ipſius fraudibus obviare, & Evangelicam ſequi doctrinam, quæ nos monet, quod omnis arbor quæ fructum non fert bonum, abſcindatur & mittatur in ignem, licet fideles Reges & Principes in ſuorum dignitatis eminentiam libenter condignis honoribus & gratioſis favoribus proſequamur, tamen ut culpa ſupplicium timeat, & virtus retributionem expectet: Robertum prædictum, cuius elegimus domare ſuperbiam, & præſumptionem erectam conterere, ipſumque à ſtatu ſuo quantumcunque ſublimi deponere, cum propter præmiſſa Maieſtatis criminis reus ſit, univerſis & ſingulis dignitatibus quocumque titulo comprehenſis, quibus ſe inſtitutus & decoratus, auctoritatibus, honoribus, libertatibus, immunitatibus & privilegiis, provinciis, comitatibus, caſtris, terris, villis & aliis feudis, vaſallis, bonis, rebus, iuribus & iuriſdictionibus univerſis tam perpetuis quam temporalibus, quos, quas & quæ habet, tenet & poſſidet, vel quaſi, ſeu habuerunt & poſſederunt hactenus quomodolibet ipſe vel ſui prædeceſſores, privamus: eundem Robertum rebellem, proditorem & hoſtem Imperii, dictæque Maieſtatis crimine reum, de toto prædicto Imperio exbannimus, & diffidamus: Ipſum, ſi quo tempore in noſtram & Imperii fortiam pervenerit, vita, per capitis mutilationem privandum, in his ſcriptis ſententialiter condemnamus: ſtatuentes & mandantes, quod nulla perſona cuiuſcumque nobilitatis, excellentia, ſtatus, vel conditionis exiſtat, nullaque civitas, caſtrum, villa, vel univerſitas eidem contra nos & Imperium præbeant publice vel occulte conſilium, auxilium, vel favorem, ſub pœna centum librarum auri, pro qualibet civitate libras 50. pro qualibet caſtro, villa, Marchione, Duce, Comite, Barone & qualibet nobili, viginti librarum auri, & pro qualibet ſingulari alia perſona, ore vice qualibet qua contra fecerint, committenda: quodque cuilibet liceat impune, Cives, Incolas, habitatores Civitatum, Caſtrorum, Villarum, & quaslibet alias ſingulares perſonas, cuiuſcunque ſtatus vel conditionis exiſtant, qui contra noſtrum honorem obedierit ei, vel dederit conſilium, auxilium vel favorem,

Digitized by Google

publicè vel occultè offendere in perſona rebus & iuribus; & ipſos, & ea capere, & arreſtare, & retinere: Inhibentes etiam & præcipientes expreſsè ne aliqui debitores ipſius Roberti, de bonis in quibus ei tenentur in aliquo ſatisfaciant, vel reddere quomodolibet præſumant, ſed alioquin tantundem Cameræ noſtræ perſolvant, & ad hæc ſine ſtrepitu & figura iudicii compellantur. Adhæc univerſitates & provincias noſtras, Civitates, Villas & ſingulares perſonas cuiuſcunque præeminentiæ vel excellentiæ, etiamſi Regia dignitate, vel cuiuſcunque alterius dignitatis, conditionis vel ſtatus exiſtant, quæ ex aliquo pacto vel promiſſione ſeu obligatione dicto Roberto, aut prædeceſſoris ſui facto pacto, vel pœna ſub qualicunque forma comprehenſo, vel comprehenſi ſint ratione, cauſa vel titulo, & ſpecialiter de aliquo ſervitio faciendo, vel hominum armatorum aliudque ſubſidium dando per mare vel per terram, tenerentur eidem Roberto: ab ipſis, pacto, promiſſione, obligatione & pœna appoſita Vaſallos quoque & feudatarios, omnes & ſingulos, qui eidem fidelitatis vinculo, vel alia quacunque ratione vel cauſa, ad aliqua ſervitia realia vel perſonalia tenerentur, ab omni vinculo fidelitatis, ſubiectionis & obedientiæ ei vel ſuis heredibus faciendis abſolvimus penitus & in totum, ita quod nec civitates, caſtra, villa, univerſitates & perſonæ prædicta, pacto vel obligatione prædictorum, aut Vaſalli, aut feudatarii præfati cives, fidelitatis, ſubiectionis & obedientiæ, ratione, cauſa vel titulo, ſibi vel ſuis heredibus quomodolibet teneantur. Ipſas etiam Contratas Civitates, Caſtra Villas, feudatarios, Vaſalles, bona, res, iuriſdictiones, ſervitia & iura, & quæcunque alia ſub noſtra contenta privatione & abſolutione huiuſmodi confiſcamus. Demum omnibus & ſingulis militibus, Auditoribus, Iudicibus, Iuriſperitis & Notariis, qui eiuſdem Roberti domeſtici ſeu familiares exiſtunt, ſive aliis qui in eius ſervitio eſſe noſcuntur, & quibuſvis aliis diſtricte præcipiendo mandamus, quod ab ipſius Roberti familiaritate, conſiliis, directione, & obſequiis quibuſcunque infra duorum menſium ſpatium ab hodie computandum, cum effectu recedant, & nunquam ad eius ſervitium vel conſilium accedere publicè vel occultè præſumant: alioqui ipſos milites honore ac dignitate militia, iudices adiudicandi & aſſidendi omnibus & ſingulis privilegiis & immunitatibus, ac Notarios Notariatus officio: eos videlicet ex dictis militibus, Auditoribus, Iudicibus, Iuriſperitis, Notariis, qui huiuſmodi mandato noſtro non paruerint cum effectu, ex nunc prout ex tunc privamus termino ſupra ſcripto, & inhabiles & infames reddimus: ita quod elapſis menſibus ſupradictis, ad nullos actus legitimos quocunque tempore poſtmodum admittantur. Huiuſmodi autem privationis, confiſcationis, exbannitionis, diffidationis, condemnationis & abſolutionis ſententias in his ſcriptis fecimus, & omnia alia ſingula facta & inceria facimus exiſtente iuſtitia, & bono Reipublica requirente, ac ex certa ſcientia & plenitudine poteſtatis, ſupplentes omnem defectum, ſi quis forſan in inquiſitione prædicta, de quibuſcunque proceſſibus propterea habitis, ob aliquam iuris ſolennitatem omiſſam eſſet habitus. Non obſtantibus aliquibus legibus, conſtitutionibus contrariis, vel privilegiis ſub quacunque forma verborum conceſſis: etiamſi oporteret de ipſis de verbum in præſentibus fieri mentionem: quæ contra præmiſſa vel præmiſſorum aliquid poſſent quomodolibet aliquid obſtet, ſeu opponi, quibus ſpecialiter derogamus.

Actum Piſis in præſentia noſtrorum, Principum & Baronum, ac populi multitudine copioſa 7. Kal. Maii, Regni noſtri anno quinto, Imperii vero anno primo.

CAPVT XXIII.

Quod reliquum eſt Italiæ, præter bona Pontificia, pauciſſimis exceptis, hodieque ad Regni Italici, adeoque Imperii, ditionem pertinere.

VIndicata ea Italiæ parte quæ Romano Pontifici paret, aut ejus beneficio poſſidetur, fortaſſis haud adeo difficile fuerit Imperij jura in id quod Italiæ reliquum eſt, ab interitu quem minatur, defendere. Etiam hic tamen vehementer turbatur à ſcriptoribus non Italicis ſolum ſed Germanicis etiam, quod mireris. In id enim quaſi ex compacto videas multos eorum eoſque longe præclariſſimos conſentire, quaſi cum Friderico II. regnum omne Italiæ, quod primus Otto felicibus armis Germaniæ aſſeruerat, conciderit; illum ſcilicet Italiæ Regum fuiſſe ultimum, qui ſucceſſerunt vero in Italiam nihil habuiſſe juris, ſaltim nunc ejus nihil quicquam ſupereſſe. Hinc ſane politiſſimus ſcriptor Carolus Sigonius ſuum de Regno Italiæ opus Friderici illius temporibus fere definivit. *Oportunam*, ait poſtumorum operis illius librorum editor Alexander Caprara, *claudendæ hiſtoriæ rationem adinveni. cum enim poſt perniciosum & Eccleſiæ Romanæ infeſtum Friderici II. principatum, per viginti circiter annos Imperium inter regno laboraſſet, ita Regni Italiæ poteſtas delibata eſt, ut ſequentes Imperatores eius poſſeſſionem aut omiſiſſe, aut amiſiſſe viſi fuerint; vix certe eius Regni in Italia nomen adhuc extat. ad hoc igitur uſque tempus hiſtoriam perduci placuit, ad quod, unius quaſi auſpiciis, in Italia dominante Imperatore, omnia gerebantur.* Iiſdem de cauſſis Fridericus idem Cæſarum ultimus audit Onuphrio Panvinio, magni ſane judicij viro,

Cæterum etſi non abnuam ſplendorem Regiæ dignitatis cum Friderico fere extinctum: ipſam tamen illam ne nunc quidem omnino interijſſe, ſuperſtite ſcil. etiamnum ſaltim ſumma Regiorum jurium, liquidum facere jam conabor: idque illo argumento, quod nec aperte nec tacite juribus illis Germania hactenus renunciaverit, eoque ne quidem longi temporis aliqua præſcrip[tio]ne integram libertatem ſibi Italia pepererit.

APERTE id factum non eſſe ex eo colligo, quoniam ſi excipias id quod pacis publicæ tabulis nupere Gallo eſt conceſſum, nihil reperire licet ſolenni quodam contractu alienatum. Rudolphum tamen Habſpurgicum Cæſarem pretio accepto Italiæ Vrbes potentiores quaſque plena donaſſe libertate, non deſunt qui memorent. Carolus Sigonius *l. 20. de Regno Italiæ* colophonem toti illi operi impoſiturus quæ hac de re adfert, digna ſunt quæ heic legantur. *Huius*, inquit, *Regni iura ſuperioribus temporibus conſtanti populorum contumacia imminuta, ut primus ultro alienaſſe Rodulphus Cæſar dicitur ſic primus etiam viam aperuiſſe ipſius Regni excidio exiſtimatur. Etenim Guelfas civitates ad obſequium redigere priſtinum cupiens, ut in Italiam ad coronam Imperii accipiendam non venire opportunis viribus deſtitutus*

ſtitutus decrevit, quod diceret, ſe ineuntium Italiam veſtigia cernere, exeuntium non videre; ſequenti anno Princivallem Fliſcum Genuenſem, Vicarium Imperij generalem à ſe conſtitutum huius officij gratia deſtinavit: cum eius adventus omnium in ſe animos convertiſſet, ipſe in Etruriam progreſſus Florentiæ trans Arnum ad S. Gregorij ædem conſedit, ac magiſtratus ad ſe civitatum publico edicto vocavit. Qui ubi venerunt, Rodulfi nomine antiquum, ac regibus præberi ſolitum fidelitatis ab eis ſacramentum popoſcit. Quod illa, vetere iam pridem uſurpata libertate prælata, diſertiſſime præſtituras eſſe negarunt. Qua re audita ira incenſus, extemplo Florentia ſe proripuit, atq; Aretium profectus, Florentinos, Senenſes, Lucenſes, Piſtorienſes, cæteroſq; populos contumaces pronunciavit, ac ſolemni edicto proſcripſit. Inde cum ſe a Guelphis deſertum, Gibellinis vere ſuſpectum eſſe, quia cum Guelfis aliquando ſenſerat, ac propterea parum rei ulli adminiſtrandæ idoneum eſſe videret; protinus ad Rodulfum in Germaniam ſe recepit, ac difficultates oblatas revocandæ ad regiam auctoritatem Etruriæ retulit. Quibus Rodulfus permotus, atq; opibus ſuis, ſi arma vellet adhibere, diffiſus; vetus eorum obſequium remittere, atq; integram Italiæ libertatem concedere ſtatuit, ſi certam qua maxime egebat, pecuniam pependiſſet; atq; eundem cum his mandatis in Italiam ſe referre præcepit. Is profectus populos, regia voluntatis ac gratiæ ſtatim admonuit, quaq; ipſe poteſtate inſtructus rediſſet, edocuit. Quod ubi illi cognoverunt, confeſtim ſinguli, qui luce libertatis aliqua fruebantur, indictam pecuniæ ſummam ſolverunt, ac libertate redempta, præcipua ad eam rem privilegia elicuerunt. Hoc vero non ſolum Italici ſed etiam Germanici ſcriptores memoriæ commendarunt.

Hæc quidem Sigonius. At illis fidem nemo prudens adhibuerit. Etenim id *primo* obſervandum, cum tantæ res ſoleant in robur & memoriam tabulis publicis comprehendi, in vniuerſa Italia tamen nullas reperiri hujus argumenti, & proinde vel hinc fabulæ incerto rumori ſubnixæ ineptias non poſſe non patere. Tabulas ſe nullas nanciſci potuiſſe, diſertis verbis ac ingenue ipſe ille fatetur mox Sigonius, eoque in teſtimonium rei maximi ponderis pro tabulis verba adfert Blondi, Platinæ, Tritthemij, Cuſpiniani, Crantzij & Naucleri. Is vero eſt Sigonius, qui epiſtola qua ad Iacobum Boncompagnum in opus illud ſuum eſt præfatus, non dubitavit affirmare, *ſeſe vetera Italiæ & maxime Lombardiæ tabularia perluſtraſſe, atq; omnia fere quæ apud civitates, eccleſias, monaſteria Pontificum Regum atq; Imperatorum diplomata reſidebant, aut præſentem inſpexiſſe, aut certe abſentem beneficio amicorum, hoſpitumq; cognoviſſe.* Etſi etiam controverſiæ de libertate & privilegijs motæ ſint florentiſſimis Italiæ Vrbibus, à ſequentium ſeculorum Imperatoribus, nulla tamen illarum tabulam aliquam Rudolphi pro cauſa ſua adduxit, certiſſimo indicio nullam ejuſmodi tabulam reperiri. In graviſſima illa lite cum Marchione Finalienſi, ipſamet Genua provocare tantum potuit ad Caroli V. aliquod diploma.

Obſtat *Secundo* multum, quo minus Sigonianæ illi narrationi credas, quod nemo etiam hiſtoricorum ætati Rudolphinæ propinquorum tale quid memoriæ prodiderit. Antiquiſſimus enim eorum quos in teſtes citare potuit Sigonius, eſt Flavius Blondus ducentis amplius annis Rudolpho junior. Et tamen Sigonius ad ſcribendam hiſtoriam ſuam *ſingularum etiam Chronica civitatum, quæ poſt milleſimum à Chriſto annum confici in Italia cœpta: apud privatas nunc etiam familias aſſervantur, adiunxiſſe* ſeſe, gloriatur nec vane. Quid quod ex Blondo Sabellicus & Platina, ex Italis iſtis Germani noſtri, aucta, ut ſolet, nonnihil fama narrationem hanc omnem deſumpſerint, ipſomet Sigonio obſervante? vt merito dixeris omnẽ eius fidẽ vnius Blondi auctoritate niti: vt qui primus hanc fabulam terrarum orbi paſſim prodidit. Quod itidem magnum eſt indicium incertitudinis, ſi non falſitatis.

Id *Tertiò* loco etiam venit cumprimis notandum, quod Sigonius affirmet quidem à Rudolpho *integram Italiæ libertatem conceſſam*, Platina item & hunc ſecuti Sabellicus, Tritthemius, Nauclerus, dicant Lucenſes, Florentinoſque *ſtatim omnino liberos* factos eſſe: Blondus tamen & qui hunc deſcripſere Cuſpinianus & Crantzius caute teſtentur pretio accepto Lucenſes Florentinos alioſque *in libertate quidem dimiſſos*, ſimul tamen *Imperij fideles*, à Cæſare iſthoc eſſe *pronunciatos*. Vt proinde ipſomet primo narratore Blondo fatente, nequaquam in plenam aut integram libertatem Italici qui populi ſint aſſerti, per Cæſarem Rudolphum. Nec enim qui fidelis Imperij eſſe cogitur is integram libertatem nactus eſt. Porro diſerte dicit Platina: *Rodolphus Imperator comparandæ pecuniæ ſtudioſus, Cancellarium ſuum è gente Fliſca in Etruriam miſit, qui populos omnes liberos faceret.* Nauclerus idem ijſdem verbis repetit, niſi quod explicatius dicat miſſum Cancellarium: *qui populos in Etruria omnes liberos faceret.* Verba etiam Blondi ſunt: *Princivallis in Italiam remiſſus omnes qui pecuniam attribuerunt, in libertate dimiſſos IMPERII FIDELES pronunciavit.* Nec vel Blondus, vel Platina, vel Sabellicus, vel Tritthemius, vel Crantzius, vel Nauclerus, nominatim quidem alios quam Lucenſes & Florentinos memorant, qui libertatem ita ſint conſequuti. Solus Cuſpinianus addit Bononienſes & Genuenſes: quem falli certum eſt: vtpote quum ſaltim Bononia Rudolphi auctoritate in Pontificum ditionem conceſſerit; ceu jam tum præcedente eſt capite dictum. Igitur ſi audiendi etiam fuerint Blondus & qui eum ſunt ſecuti, ipſis illis teſtibus conſtabit, non Italiç omni ſed ſolis Hetruriæ aliquot populis, nec integram ſed minutam aliquam libertatem à Rudolpho impetratam: atq; adeo ſeſe rem habere, ferme prout de Rudolpho *l. de Comit. Imperialib. cap. 6.* loquitur Onuphrius: Rudolphus omnibus *Vrbibus, quæ iuris Imperij in Tuſcia erant, libertatem multis aureorum millibus vendidit: quo mercatu eis paulatim ab Imperio deſciſcendi occaſionem dedit.* Quibus verbis judicio præſtantiſſimus Onuphrius indicat, ſolas Hetruriæ vrbes beneficiò quodam libertatis, ſolito quidem maioris & quæ anſam dederit ſibi captandi pleniorem, affectas, tum temporis tamen Imperij omnibus juribus ſolutas non fuiſſe.

Quartò ex hiſtoria omnis ſecuti ævi conſtat liquido, nullam Italici vrbium regni omne obſequium, ſtatim à Rudolphi ævo, negaſſe Cæſaribus; ſed non comiter tantum verum etiam humili modeſtia Dominos illos obſeruaſſe, aperuiſſe adventantibus pleriſque portas, obtuliſſe claves,

imperatam pecuniam miniſtraſſe, detuliſſe illis ſæpenumero ſuas controverſias, & ſententiæ dictæ paruiſſe: modo ad clavum urbium ſederent Gibellini qui appellabantur. Si quid enim ſecius interdum accidit, uni Guelphicæ factioni adſcribendum eſt, quæ nonnunquam prævalebat. Omnes certe cives nunquam obedientiam Cæſaribus denegavere, etſi & ipſi libertatis eſſent ſtudioſiſſimi: neq; temere patriam Cæſaribus iterum ſubjeciſſent, ſi quidem illis de omnimoda quadam libertate à Rudolpho conceſſa conſtitiſſet. Repugnant ſcil. hæc omnia Sigonianæ iſti narrationi: atque adeo ſole clarius indicant, ſi quid datum fuit libertatis à Rudolpho, id omne exigui fuiſſe momenti. Quid quod ipſe Sigonius eodem libro viceſimo ita loquatur de Cæſare illo, anni ſeptuageſimi ſeptimi decimitertij ſeculi hiſtoriam deſcribens: *Rudolphus Cæſar Rudolphum Vicarium Imperij in Hetruriam miſit, qui ſacramenta ab amicis & in fide manentibus civitatibus poſceret, ac iura quæ relinquebantur Regni ſive Imperij retineret. A quo Gerardus præfectus monachorum Camaldulenſium XV. Kal. Septembr. confirmationem privilegiorum veterum impetravit.* Ad hoc certum eſt, vel ex ijs quæ Bzovius narrat, & jam ante Rudolphum ægerrime tuliſſe Carolo Siculo tributum à Pontificibus Vicariatus Imperij per Etruriam titulum, & demum ipſomet curante Nicolao III. Papa anno 1278. armorum minis Carolo invito principatum illum Imperij majeſtati adverſum extorſiſſe. Antoninus Florentinus ſummæ hiſtorial. tit. 20. cap. 4. §. 4. in hæc verba ſcribit: *Anno Domini MCCLXXXI. Rudolphus Rex Romanorum, a pluribus annis electus etſi non coronatus, in Alemannia moram trahens, ad requiſitionem Gibellinorum Tuſciæ, deſtinavit ex Alemannia quendam Comitem cum trecentis militibus in Etruriam, ut Tuſcos iuraret fidelitatem Imperatori & ſibi obedirent. Sed nulla civitas ei obedivit* (prævalente ſc. factione Guelphica) *aut ſe ſubiecit. exceptis Piſanis & Caſtro S. Miniatis, quod vulgariter dicitur Altedeſcho. Et reſidentiam dictus Comes faciens in S. Miniate, cum copiis ſuis & adiutorio Piſanorum bellare cœpit contra Florentinos & Lucenſes & alias civitates adhærentes parti Guelphæ. Demum compoſitione facta & pace cum Florentinis, reverſus eſt in regionem ſuam.* Hæc Antonius, quæ tantum non totidem verbis repetiit Sigonius ante recitato ejuſdem anni commentario. Quæ omnia cum item multum ſint diverſa ab altera illa Sigoniana narratione, utique illam ſi non manifeſti arguunt erroris ſaltim ſuſpectam reddunt.

Advertendum *denique* eſt ipſummet Sigonium ijs verbis uti, quæ oſtendant illum non ſatis ſibi fiſum. Subdubitandis enim utique verba illa ſunt: *Regni iura primus vltro alienaſſe Rudolfus Cæſar DICITVR, primus etiam viam aperuiſſe Regni excidio EXISTIMATVR.*

Quibus omnibus probe, ut par eſt, expenſis, haud temere ſane prudentior aliquis amplius perſuaderi ſibi patietur, illam vulgo receptam hodie fabulam de vendita Italis à Rudolfo integra libertate. Datum aliquid pertinacibus illis Vrbibus, in ea virium Imperij debilitate, haud equidem negaverim: non ignarus tenues Rudolphi res, etiam in Germania eum adegiſſe, ad ſolito majora privilegia Vrbibus paſſim ſpe pretij concedenda. Refert ſane Spigelius Cæſaris hujus epiſtolam, qua in gratiam Principum de injuria ſibi facta conqueſtorum, revocavit & irrita reddidit nimis prodige de alieno facta beneficia. At vero quidnam tandem Hetruriæ illis urbibus conceſſum ſit, ignoramus. Nec vero vel id ſatis conſtat, quod Blondus, Platina & alij videntur dicere, auctoritate recenter ita parta libertatis, Florentinos novam regiminis formam inſtituiſſe, opificum plebi loco in ea conceſſo. Id enim jam ante ibi factum Manfredo Rege, notat Machiavellus *l. 2. Hiſtor. Florentinæ.* Leonardus Aretinus l. 4. & hunc ſecutus Antonius illa quidem Rudolfi ætate id inſtitutum narrat, at de aliqua nova per Rodulphum accepta libertate altum apud utrumque, ut & apud Machiavellum, eſt ſilentium. Bodino ſi liceret credere, res expedita fortaſſis eſſet, is enim *l. 1 de Republ. cap. 10. n. 123.* teſtatur, quo tempore Maximilianus Cæſar junctis Ludovici Galliæ Regis legionibus Italiæ Vrbes terruit, *Florentinos legatos ad Cæſarem miſiſſe, ut obſequium præſtarent, & imperata facerent. Ille,* inquit, *acceptis aureorum quadraginta millibus, beneficia à Rudolpho indulta confirmavit, ut ſcil. ſua reipubl. ſtatum gubernare ac regere ſibi PRECARIO liceret.* Verum meminit quidem legationis miſſæ à Florentinis, & privilegiorum juriumq; confirmationis à Cæſare factæ etiam Guicciardinus l. 8. Rudolfinarum tamen donationum nulla facta mentione. Eſt proinde etiam id incertum, num quam pecuniam Lucenſes aut Florentini Rodolfo dederint aut quem in finem dederint ſi quam dedere. Nec vero inanis fortaſſe an eſt Ioannis Bodini eodem quem ante laudavimus loco perſcripta ſuſpicio: *eas pecunias quæ à civitatibus Italiæ pro libertate adipiſcenda exactæ fuerunt, tributi aut penſionis nomine ſolutas fuiſſe.* Nihil tamen in re dubia certi definimus.

Cæterum fac ita eſſe. Vendiderit ita Italicis quibuſdam Vrbibus imo Italiæ univerſæ libertatem integram Rudolfus: omni tamen jure & omni proinde vi deſtituitur contractus, quoniam is utique non ex conſenſu Imperij ordinum eſt initus, quo uno alienandi ſtat arbitrium. Bene enim Bodinus: *Iura maieſtatis Imperij Germanici venalia non ſunt; nec ſi eſſent, ab Imperatoribus ſine Principum Germanicorum conſenſione diſtrahi potuerunt.* Et vero magna Imperium injuria affeciſſet Rudolfus, ſi pretio inductus jura Imperij, quæ tueri ſarta recta debebat, prodidiſſet. Eoque non ſine cauſſa effuſæ à ſuſpicacibus animis in illum eſſent duræ & aſperæ increpationes. Merito ſcilicet factum illud Rodolfi Platina, *rem tanto Principe indignam:* Tritthemius *rem Principi turpem:* Cuſpinianus *gravem Imperij iacturam,* appellaſſent. Recte etiam in hæc verba erupiſſet Albertus Crantzius l. 8. Metropol. *Hic noſtrorũ Imperatorum primus Italiam pro deſerta videtur habuiſſe. Quamvis nonnulli ex ſucceſſoribus ſint illis colluctati, nullus tamen hanc civitatibus vendidit libertatem. Fecit quod ſolent qui rebus melioribus deſperatis, non quod volunt ſed quod velle coguntur faciunt. Aliquanto tamen melius erat ſi nihil ille armorum pro recuperandis Imperij iuribus intentare voluit, cauſam tamen ipſam integram ſervare ſucceſſoribus.* Cæterum nos & Rudolphum Cæſarem & ſimul Imperij Ordines hactenus, niſi fallor, ab ejuſmodi malignis ſuſpicionibus ſatis vindicavimus.

Non deſunt porro, qui & Henricum Lucelburgium

Digitized by Google

gium & Carolum IV. Cæſares ejuſdem criminis inſimulent. Hinc Bodinus cum de Rudolfo egiſſet addit: *Lucenſes ac Senenſes eadem libertate donati ſunt; cum Henrico V.* (ſcribendum vero VI. aut VII. *Cæſari pretium libertatis, hi decem, illi duodecim florenorum millibus ſolviſſent. Totidem Petrus Gambacurtius Carolo IV. Cæſari numeravit, ut ſummam in Piſanos poteſtatem adipiſceretur.* At vero Lucenſibus Blondus, Platina, Sabellicus, Tritthemius, Cuſpinianus, Crantzius, à Rudolfo iſthoc pretio libertatem emptam tradunt. Nec eſt alius antiquior fide dignus ſcriptor, qui tanto facinore Henricum magnanimum Cæſarem ſeſe maculaſſe affirmet. Carolum Imperij jurium prodigum fuiſſe modo ſuis rebus ſtuderet, notum quidem eſt. At nec illum quis omnia Imperij in Piſanos jura Gambacurtio ceſſiſſe memorat. In fabulis igitur etiam hæc numeranda, aut mitius certè interpretanda ſunt Vtq; indignum ejuſmodi quod facinus horum aliquis commiſerit, ſalva nihilominus manent Imperij jura, Cæſarum ejuſmodi venditionibus nequaquam obnoxia.

Poſt illos Cæſares aliorum nemini aliquid vel tribuitur quidem. Vt proinde jam appareat verum eſſe id quod diximus, aperta quidem alienatione nihil Regni Italici veteris omni Imperij ditioni eſſe ſubductum, præter id quod nuper admodum in Galli poteſtatem communi auctoritate Cæſaris & Ordinum devenit. Quid vero tranſlatum nuper ſit in Gallum, non aliunde quam ex ipſis Tabulis pacis publicæ cum Gallo initæ rectius poteſt peti. Verba earum quæ huc faciunt, ita ſeſe habent: *Secundo Imperator & Imperium cedunt transferuntq́; in Regem Chriſtianiſſimum eiuſq́; in Regno ſucceſſores, ius directi dominij, ſuperioritatis, & quodcunq́; aliud ſibi & S. Romano Imperio hactenus in Pinarolum competebat, & competere poterat.* Alibi in iiſdem Tabulis, de Montisferratenſis Ducatus locis inter Sabaudum & Mantuanum controverſis, facto ſermone, ita legas: *Conventum eſt, quod Tractatus Cheraſci 6. April. 1609. cum ſubſecuta ſuper eodem Ducatu Montisferratenſi executione, firmus ſtabilisq́; in omnibus ſuis articulis in perpetuum manebit, excepto tamen Pinarolo ac pertinentiis, inter Suam Maieſtatem Chriſtianiſſimam ac Dominum Ducem Sabaudiæ definitis, & Chriſtianiſſimo Regi Regnoq́; Galliæ acquiſitis per peculiares tractatus, qui eadem ſtabilitate & firmitate conſiſtent in iis omnibus quæ tranſlationem aut ceſſionem Pinaroli & pertinentium concernunt.* Hactenus Tabulæ. Ex quibus de alienato Pinarolo quidem ſatis liquet: num vero & in alia illa, de quibus convenit inter Sabaudum & Gallum, perdiderit Imperium ſuperioritatis jura, multum dubito. Imo illa manſiſſe integra, & Gallo confirmatum duntaxat eſſe per Tabulas dominium locorum illorum utile, per fit veroſimile ex eo, quod diſertis verbis de ſolo Pinarolo id ſit expreſſum, nec fas ſit prodiga quadam interpretatione uti in negotiis minus favorabilibus, ubi literæ, ut ajunt, ſtricte eſt inhærendum.

Aperte quidem igitur & rite Cæſar ac Imperij Ordines nihil Regni Italici præter unum Pinarolum alienavere. Quid TACITO conſenſu in aliorum jura tranſierit, proximum jam eſt, videamus. Vbi initio obſervandum venit, ut ante ita & poſt Fridericum II. complures Cæſarum corona Regni Italici inſigniri ſe curaſſe, aliis omnibus id integrum fuiſſe hactenus & eſſe hodieque. Id quod unum certo eſt argumento, & ſupereſſe etiamnum Regnum illud, & eſſe illud juris Cæſarum Germanicorum. Eoq; nec Germaniam ſua in Regnum illud jura tacito quidem conſenſu perire paſſam, nec Italiam non agnoſcere amplius id quod debet obſequium. Quod ſi excutiantur monumenta geſtarum in Italia rerum poſt Fridericum illum, jam etiam haud difficulter perſpicere fuerit, quemadmodum perpetuo quodam tractu ad noſtra uſq; tempora, Regia in Italiam vis & auctoritas Germanicorum Cæſarum perduraverit. Verum operoſius id eſt quam inſtituti ferat ratio. Itaq; nunc duntaxat paucis oſtendemus, quemadmodum hodie Regni illius res ſeſe habeant, initio facto à Principatibus, interque hos à MAGNO qui appellatur HETRVRIÆ DVCATV.

Atque hic quidem binas in partes vulgo ſolet dividi, Dominium vetus ſcil. & novum: quorum illud Florentinæ Piſanæque urbis omnia, hoc Senenſem urbem aliaque noviter Magnis Ducibus acquiſita comprehendit. Iam vero inter nova illa Filaterra & alij Marchionatus, olim à Malaſpinis poſſeſſi, citra controverſiam feuda ſunt Imperij, & hactenus vaſallum ſe Imperij Magnus Dux ultro profitetur, paſſim recepta ſcilicet vaſallagij lege Cæſari ea in re obſtrictus. Radicofanum & Burgum S. Sepulchri in Vmbria, à Pontifice accepit cum pignori tum beneficio. Itaque cum Pontificia omnia ſint ſummæ poteſtati Cæſarum obnoxia, ut proxime quidem Magnus ille Dux horum ergo in Pontificis ſit clientela, tamen hactenus etiam Imperij legibus tenetur. Regis Hiſpaniæ beneficio jure poſſidetur Senenſium reſpublica & illius dominium. Vtriuſque vero nomine Hiſpanus ipſe agnoſcit ſeſe Imperij vaſallum: ut proinde etſi non proxime, ſubvaſallus (liceat ſic loqui) tamen ſit Imperij horum etiam locorum ergo Magnus ille Dux. Et vero Senas quod attinet, notiſſimum eſt conſtanti fama ſi non aliunde, ſemper eam urbem fuiſſe Cæſarij juris, morigeram etiam, niſi ſi quando rebelles Guelphi prævalerent. Non alio etiam prætextu præſidium in eam induxit, mutavitq; ejus rempublicam, iterumq; cepit eam aut in filium Philippum Hiſpaniarum Regem tranſtulit Cæſar Carolus Vtus. Inter conditiones, in quas anno 1555. poſt gravem obſidionem dedita urbs eſt, prima fuit (verba ſunt Thuani l. 15.) *Ut Cæſar civitatem ac Rempubl. Senenſium in fidem ſuam & Imperij acciperet.* Eodem anno cum miſſus à Cæſare Toletanus Senenſibus perſuaſiſſet, ut ſe & omnia ſua Cæſaris & Philippi arbitrio aut voluntati ſine conditione & exceptione permitterent, *novum Cæſar inſtrumentum confici mandavit, quo ditionem Senenſium* (verba iterum ſunt Thuani) *iure Imperij ad ſe devolutam Philippo filio conceſſit.* Iam ante, cum Cæſareum Hiſpanorum præſidium urbe ejeciſſent arce diruta, Senenſes *inſtigante Cæſare & Imperiali Camera proſcripti erant:* ceu apud eundem Thuanum refert Monlucius. Par eſt illius ratio: *quam ad Cæſaream iuriſdictionem pertinere, non ambigitur*, ut idem Thuanus loquitur l. 5. quo loco prolixe perſequitur, quemadmodum eam cum Plombino Carolus V. ſui juris reddere cœperit Apianis ereptam.

Vetus dominium quod vocant abſolutam

& liberum à quam multis creditur, nullique obnoxium, libertate illa à pluribus Imperatoribus jam olim impetrata. At vero jam ante à nobis oſtenſum eſt, fabuloſum eſſe id omne quod refertur vulgò, de empta à Rudolpho Cæſare Florentinæ urbis integra libertate, certè momenti nullius; & tamen huic fabulæ unicè innititur illa quorundam perſuaſio. Vt propioris temporis acta nunc tantum expendamus, nemini non conſtat, Vrbem illam à Cæſare Carolo Vto acri bello ad officium revocatam, anno ſeculi ſuperioris triceſimo. Quo in bello Cæſarem uſum eſſe non alio quam Cæſareo jure, idque ultro petente & conſentiente Clemente VII. Papa, adeoq; omni Medicea familia, negari non poteſt. Vtemur nunc tantum teſtimonio fere unius Pauli Iovij quo nemo alius omnem hanc rem majore eſt diligentia perſequutus. Ille l. 27. leges fœderis inter Clementem & Carolum initi recens, *Adiectum eſt*, inquit, *ut poſtquam Florentini adverſum Cæſarem, confiſi incerta Gallorum victoria, arma tuliſſent, majeſtatis rei facti, libertate & antiquis ſuperiorum Cæſarum conceſſis immunitatibus ſeverè privarentur, obiterq́; civitati Principem Alexandrum adoleſcentem imponeret.* Florentinorum legatis imperata omnia cives facturos promittentibus, *modo urbem vetere conſuetudine liberam, ſua qua poſtri erant libertate frui pateretur*, eoque *ut civitati parcendum duceret demiſſe poſtulantibus*, reſpondiſſe Cæſarem, narrat idem, *Florentinos inexpiabili delicto ſuperiorum Cæſarum conceſſas libertates immunitates vel ingratè vel perfidioſe corrupiſſe. ſe tamen noxam & totum eorum majeſtatis crimen pro ſua humanitate magnitudineq́; animi remiſſurum, ſi Pontificem eundemq́; civem ſuum, quem imprudenter patria ejeciſſent, converſis voluntatibus reciperent.* Guicciardinus l. 19. itidem ſcribit reſponſum à Cæſare Legatis: *Civitatem ob fœdus cum Cæſaris hoſtibus initum & copias contra ipſum miſſas, privilegia amiſiſſe, atq́; ad Imperium recidiſſe, ideoq́; Cæſarem de ea quicquid vellet ſtatuendi poteſtatem habere.* Inter leges porro deditionis prima fuit teſte Iovio l. 29. *Ante omnia conſtituendæ atq́; ordinandæ reipubl. facultas arbitrio Cæſaris permittitor.* Guicciardinus l. 20. habet: *Pontifex & civitas Cæſari, quanam eſſe debeat reipubl. forma, intra menſes tres conſtituendi poteſtatem dato.*

Cumprimis vero digna memoratu & expenſione ſunt, quæ Iovius ille narrat de Cæſareo diplomate, quo reſpublica in futurum fuit tum ordinata, & Mediceæ familiæ Principatui ſubjecta, ſimul addens quemadmodum diploma illud Florentiæ exceptum, & ad illam formulam omnia inſtituta fuerint. Quamvis enim nonnihil poſſint videri prolixiora; quoniam tamen ad hoc argumentum noſtrum unicè pertinent, & clariſſimè oſtendunt, ſola Cæſarea auctoritate illum, qui hodie Florentiæ obtinet Mediceæ familiæ Principatum, & cepiſſe & in univerſum niti, operæ facturi pretium videmur ſi illa omnia huc adducamus. *Per hunc modū temperata ſeveritatis urbe perniciosis civibus repurgata, advenere ab Auguſta Vindelicia decreti Cæſarei diplomata, ſolennibus lata membrana codicillis perſcripta, obſignataq́; aureo ſigillo. Quibus Cæſar diſertè explicabat, ſe idcirco ab Hiſpania veniſſe in Italiam, ut ſublatis bellis certam atque optimam pacem afflictis Italiæ rebus apportaret, contentiones tolleret, partaq́; cum omnibus, quibuſcum antea armis contendiſſet, concordia, ſacrum bellum contra barbaros Turcas indiceret, quo nihil ſibi antiquius atq́; nobilius, vel Chriſtianis utilius fore exiſtimaret. Vnos omnium verò repertos eſſe Florentinos, qui pacis & tranquillitatis nomen odiſſent, animos feroces iniquiſſimè retinerent, & cum privato tum publico commodo obſtinatius adverſarentur. Utpote qui antea rebelles animos induerint: Mediceam familiam, à qua privatim & publicè commoda atq́; ornamenta ingentia omnibus temporibus accepiſſent, patria pepulerint: obliti q́; prorſus beneficiorum, & immunitatum, quas ſuperiorum Cæſarum indulgentia liberalitateq́; retuliſſent, ab ipſius demum autoritate deſciverint: ipſorum copias & duces adverſum ſe Neapolim miſerint: advenientiq́; exercitui ſuo portas occluſerint. Quas multiplicis iniuriæ contumelias, quum pati non poſſet, & ſuæ dignitatis eſſe ſtatueret rebellem civitatem perdomare, coactum fuiſſe inferre arma: poſtquam tentata ſæpe concordia, atq́; æquiſſimis oblatis conditionibus, vel vitio temporum, vel pertinacium quorundam civium malignitate corrupta, à pace ſe prorſus alienam oſtendiſſet, proptereaq́; integrum ferè annum obſederit. Se tamen quum armis fameq́; perdomitam iure optimo expugnare, atq́; militibus diripiendam tradere poſſet: nihilo ſecius Cæſareæ clementiæ nunquam oblitum, populi reſipiſcentis pœnitentia fuiſſe contentum: atq́; ipſam Pontificis maximè precibus adductum conſervare voluiſſe. Quum verò, ſicuti ex deditionis conditionibus liqueret, ipſius Auguſtæ poteſtatis Imperatoriiq́; arbitrij ſit leges condere, & Rempub. ordinare: ideo optimum fore exiſtimabat, quod perpetuam civitatis tranquillitatem reſpicere videatur, Mediceam familiam reduci, atq́; reſtitui in priſtinam dignitatem. Et quoniam præclare manifeſteq́; conſtat, in liberis civitatibus nunquam vigere concordiam propter diverſa diſſidentium facile civium ſtudia eaſq́; improſpere ſemper atq́; infeliciter regi, niſi ſtabili perpetuoq́; reipub. capite gubernentur, declarat Alexandrum Medicem, quem ſibi generum aſciverit, Reip. caput: cuius ſinguli magiſtratus authoritatem ſequantur: eaq́; dignitas ad liberos eius legitimos pertineat: atq́; his deficientibus, ad proximiores Medicææ ſtirpis totius eius præeminentia & dignitatis iura devolvantur. Subindeq́; Cæſar cuncta veterum beneficiorum atq́; immunitatum privilegia quæ alias promeruerint, ſincero affectu confirmat. Hæc ut perpetuo ſerventur imperat, & his qui violaverint decem myriadum puri auri mulctam indicit. Huius diplomatis ſententias, quæ Latine præſcripta erant, Italica loquutus lingua, ut ab omnibus intelligeretur, vertit, & promulgavit Antonius Muſettola Neapolitanus iureconſultus, qui tum Cæſaris legati munere fungebatur: membranam explicatam, aureoq́; ſigillo & manu Cæſaris ſubſcriptam ſæpe oſtendens, & legendam his qui vellent libentiſſimè præbens. Ipſo autem Muſettola perorante aſſurrexit dictator Benedictus Bondelmontes, qui nuper eductus fuerat è Volaterranæ turris carcere, in quem antea populares relegarant. Is iuxta aſſidebat, hiſq́; verbis reſpondit. Grata nobis atq́; lætiſſima erit hodiernæ diei recordatio in omnem aui poſteritatiſq́; memoriam: quandoquidē præclaro magni numinis munere, & invictiſſimi Cæſaris beneficio, optimè cōſtituta reſpub. ac diuturnæ tranquillitatis initium auſpicamur. Quod igitur felix fauſtūq́; ſit Florētino populo, leges nobis latas a Cæſare, ad non dubium huius rectè atq́; appoſitè ordinati ſtatus incrementum ſuſcipio, veneror q́;, ſervaturumq́; polliceor.*

pollicetor, ac pari ſtudio atq; obſequio magiſtratus, cunctiq; civitatis ordines qui præſentes adſunt, ſuſcipient, atq; optima fide ſervabunt. Tum vero ad dictatorem, legatumq; ſimul à dextris aſſidentem ſinguli magiſtratus viritim acceſſerunt, tactoq; diplomate, atq; honoris cauſa inclinatis capitibus, quæ dixerat dictator approbarunt. Primi fuere decuriones, octoviri, & decemviri, qui ab integritate iudicij, famaq; probitatis boniviri vocantur. Ad hos tres Guelpharum partium duces defenſoresq;, qui magiſtratus in urbe vetuſtiſſimus habetur: itemq; octoviri qui belli & pacis negotio præſunt, ideoq; practici nuncupantur. Hos ſubſequuti ſunt octoviri, qui ſummam vitæ & necis habent poteſtatem. Cum his tere quinqueviri, qui ærario præſunt: itemq; ſemptemviri, conſervatores legum appellati. Poſt hos triumviri fiſco præpoſiti, & ſecundum hos mercaturæ ſextumviratus, & quartumviri urbis muniendæ curatores. Poſtremo duodecemviri, quibus ab initio ordinandæ Reſp. munus fuerat demandatum. His acceſſerunt ex Mediceorũ amiciſſimis viginti & ſeptem primores. Ita ut univerſim centũ & viginti primatium civium numerum implerent.

Hæc omnia Iovius. Guicciardinus notat, Cæſareo illo diplomate Carolum *civitati omnia privilegia, alias à ſe atq; alijs Cæſaribus conceſſa, reſtituiſſe, ſed ea lege, ut quotieſcunq; aliquid contra Mediceæ familiæ amplitudinem molirentur, ea privilegia amitterent.* Addit de ſuo, ſed quaſi ægro animo: *In hac autem conſtitutione huiuſmodi verba, quæ ipſorum iura non modo poteſtate ſibi à partibus conceſſa, verum etiam Cæſarea auctoritate dignitateq; niti oſtenderẽt, paſſim inſeruit.* Teſtatur Thuanus l.1. Alexandrum primum Ducem *accuſatum à civibus apud Cæſarem*, fruſtra tamen, *quod contra præſcriptum ab ipſo ordinem rempubl. adminiſtraret.*

Quibus omnibus probe expenſis haud ſane video, quî poſſit ullo amplius juris prætextu aſſeri, dominium antiquum Cęſaribus obnoxium non eſſe. Eſto enim, fuerit Florentia in libertatem plenam extinctis Cæſarum juribus antehac aſſerta, (quod probari tamen non poteſt:) utiq; & familia omnis Medicea & ipſi cives Florentini, falſi ſunt excidiſſe Florentiam illo priſtino ſtatu, & Cæſari licuiſſe rempublicam ex arbitrio ordinare, & nunc adeo pœnis obnoxios cives niſi præſcriptis à Cæſare legibus pareant: falſi imo ſunt, etiam olim non niſi ex Cæſarum privilegio immunitatibus ornatos fuiſſe Florentinos, & quidem mutabili ob admiſſam culpam. Adhoc nemini non apparet, Mediceos novum illum Principatum ſuum non urbi & civibus ſuis ſed ſoli Cæſari debere, atq; auctoritate Cæſarea cum Alexandrum tum omnes ſucceſſores Florentinis præeſſe.

Hæc quum ſint clariſſimæ veritatis, mirum ſane, ſtatim Alexandri ſucceſſorem Coſmum, à Pontifice creari ſe Magnum Hetruriæ Ducem, addita regali corona, paſſum anno 1569. idq; cauſatum, *quod Florentina reſpublica ſui iuris eſſet, neq; ad Imperium pertineret: adminiſtratio ipſius ex fœdere cum Carolo V. inito à Clemente VII. ordinata eſſet; Mediceos illius Principes Ducum titulum à ſe non Cæſarum auctoritate ſibi ſumpſiſſe*: ceu loquitur Thuanus l.46. Sed bene eſt, quod illam ignominiam Imperij juribus fieri, nequaquam permiſerit Cæſar Maximilianus Secundus, & ad meliorem ſententiam redierit Coſmi ſucceſſor Ferdinandus. Nam Cæſar quidem primum ipſi ceremonijs illis Pontificijs per oratores ſuos interceſſit: deinde lite Coſmo intentata ab Alphonſo Ferrarienſe Duce, nihil motus vel Pontificis legationibus vel proteſtatione Florentini, Coſmum *tanquam Imperij beneficiarium* (verba ſunt Thuani l. 54.) citavit ad dicendam cauſam, Coſmo judicio ſe ſiſtere coacto, eo eventu quem his verbis narrat Thuanus l. 60. ad annum 1575: *Ioannes Baptiſta Concinus iam multoties ad Maximilianum Cæſarem, ob conceſſum à Pio V. Magni Hetruriæ Ducis titulum, Coſmo & Franciſco, qui ſororem ipſius in matrimonio habebat, ſuccenſentem, miſſus, tandem obtinuit, ut hi Franciſco tituli TANQVAM IMPERII BENEFICIARIO confirmarentur, eaq; de re ampliſſimum à Cæſare diploma impetravit.* Quæ faciunt, ut nunc quidem amplius, de jure Imperij in Magnum illum Ducatum, non liceat ſine aliqua ſive inſcitiæ ſive malitiæ nota dubitare.

Multo minus fas eſt quempiam ambigere de MVTINÆ & REGII Principatu. Sigonius l.20. de Regno Italiæ ſub finem, cum diſſeruiſſet de illa à Rudolpho Urbibus Italiæ conceſſa libertate: *Triennio poſt*, inquit, *Opizo Marchio Ateſtinus Mutinam & Regium ſibi, eodem permittente* Rodulpho, *ſubiecit.* Tradit idem Ioan Baptiſta Pigna l. 3. Hiſtoriæ Ateſtinæ. Ex quo diſcere etiam eſt: Anno 1312. Franciſcum Picum Mirandulanum ab Henrico VII. Imperatore Vicarium Mutinæ eſſe conſtitutum, *ſic tamen ut integrum Urbis ius Imperator ſibi reſervaret:* inde Paſsarinum & Butironem Boneculſium tyrannos Mutinam invaſiſse ad annum 1327: quadriennio poſt Manfredum Pium à Iohanne Boliemiæ Rege Vicarium Imperij conſtitutum Principis nomine aſsumpto: ab hoc urbem Opizoni ſecundo Ferrariæ Marchioni conceſsam anno 1336. & in familiæ illius Ateſtinæ ditione permanſiſse, donec anno 1510. Iulius II. Papa à ſe captam Maximiliano ceſſit: hunc vero illam quarto poſt anno Leoni X. decem [Guicciardinus l. 12. ſcribit *quadraginta*] aureorum millibus pignori dediſse, ſed iterum ab Alfonſo Ateſtino illam recuperatam anno 1527 poſſeſſione per auctoritatem & ſententiam Caroli V. Cæſaris confirmata, multum licet fremente Clemente VII. Papa & ex ſententia Cæſaris oblatam à Ferrarienſe pecuniam repudiante. Per idem tempus Carolus Cæſar *ſexcentis* [verba ſunt Guicciardini l. 20) *auri libris à Ferrarienſium Duce acceptis, ei Carporum oppidum in perpetuum beneficium conceſſit.* Iovius in vita Alfonſi Ferrarienſis ita refert. *Alio quoq; ingenti Cæſaris beneficio Alfonſus cumulate eſt auctus: nam Carpum oppidum, de quo diuturna lite cum Alberto Pio contenderat, ei ceſſit legitimaq; poſſeſſionis iura peramplis Cæſaris codicillis eſt conſecutus; quoniam Albertus Gallicis addictus partibus, proptereaq; maieſtatis reus factus, de iure totius fere decidiſſet. Ex hac benignitate centum millia aureorum nummum, honorarij muneris nomine, ab Alfonſo perſoluta ſunt, ut in ærarium Cæſaris pervenirent.* Hæc proinde Imperialis juris opida, cum Alfonſo II. Duce Ferrarienſe ſine liberis anno 1597. mortuo, cætera Clemens IIX. Papali ditioni reddidiſset, Cęſari Eſtenſi ejuſque poſteris à Maximiliano II. primum, deinde & à Rudolfo Cæſaribus facta gratia, remanſerunt ſed jure fiduciario. Auctor Commentarij de Principatibus Italiæ à Thoma Segetho editi

teſtatur, pro jure illo impetrando numerata Imperatori ducenta millia ſcutatorum, fœneri à Genuatibus ſumpta, ut hodieque cogatur Dux ſedecim millia ſcutatorum quotannis in uſuram pendere.

De PARMA & PLACENTIA, quam hodie Farneſij Principes tenent, complura pro juribus Cæſarijs, jam cap. viceſimo diximus: eoq; nunc nihil addimus quam hoc tantum, quum Placentia à Cæſare redderetur Octavio Farneſio, diſerte adjectum, *manerent Imperio ſalva rationes, quas in Parmenſi ditione habet.* Vt vero etiam Principatus illius omnia à Pontifice dependeant proxime, fuerit tamen Cæſarei juris ſaltem remote, prout omnia Pontificum clientibus poſſeſſa.

Citra controverſiam MANTVÆ & MONTIS FERRATI Ducatus clientelari jure Imperio obſtricti ſunt idque fatentur utriuſque poſſeſſores Gonzagæ. Primus ejus familiæ Mantuæ capitaneus dominuſque, & Vicarius Romani Imperij perpetuus, auctoritate publica inſtitutus eſt Ludovicus, qui anno 1369. rerum potiri cœpit. Ejus nepotem Ioannem Franciſcum Sigiſmundus Imperator anno 1432. Marchionem dixit: quemadmodum Carolus V. Fridericum Gonzagam, anno ſeculi ſuperioris triceſimo, Ducem nominavit, quum Cæſarem Bononiæ coronatum Gonzaga ſplendidiſſimo hoſpitio excepiſſet. Ducatus hujus quondam partes fuere, quæ ceſſerunt minoribus natu; ut Guaſtella, Novellaria, S. Martino, Berrolo, Guazzado, alia cum opidis & caſtellis. Sed qui illa tenent *non agnoſcant Ducem ſuperiorem: quin & dicant directe ſe Cæſaris eſſe vaſallos*, quod etiam in Commentario Sigethiano eſt annotatum.

Mantuano MONTISFERRATENSIS Ducatus junctus eſt, idque primum beneficio Caroli V. Cæſaris. *Nam cum Ioan. Georgius Palæologus* (verba ſunt Thuani l. 1.) *qui Bonifacio Montisferrati Marchioni Wilelmi fratris filio ſucceſſerat, ſine liberis deceſſiſſet, & Fridericus qui Margaritam Bonifacij ſororem in matrimonio habebat, hereditatem adire vellet, contra Sabaudo & Saluciarum Principe tendentibus, Cæſar oppida & arces impoſita præſidio ſequeſtrio iure occupavit, & poſtea tradita poſſeſſione ſecundum Fridericum pronunciavit.* Alibi Thuanus ſcribit: *Cum poſtea Gulielmus Gonzaga Friderici fil. idem ſibi ius à Ferdinando Cæſare confirmari peteret, non primo tenuit, obreptum Carolo fratri contendentibus qui circa eum erant.* At vero idem ille Guilielmus à Maximiliano II. Imperatore ex Marchione in Ducem Montisferrati electus, & magnis privilegijs eſt ornatus anno 1573. Pertinet huc Caſale S. Evaſij *Id quondam* (verba iterum ſunt Thuani) *variis & amplis privilegiis & immunitatibus ab Imperatoribus ornatum ac poſtremo meri ac mixti imperij iuriſdictione donatum fuit à Friderico I. anno ſalutis ſexto ſupra milleſimum octogeſimum: quam & gratiam illis CXXVII. annis poſt confirmavit Henricus. Sed cum poſtea Caſalenſes tanti beneficij immemores cum Ticino, Alba Pompeia, Vercellis & Valentia contra Henricum ipſum conſpiraſſent, univerſa illa urbes privilegiis & gratia à Cæſaribus conceſſa exciderunt, indicto etiam imperiali exilio, ut Albericus Roſatenſis illius temporis ICtus loquitur, h. e. tanquam perduelles edicto Cæſareo proſcripta ſunt. Huius edicti ſeveritatem veriti Caſalenſes in patrocinium Andronici Palæologi Orientis Imperatoris confugerunt, cuius filius Theodorus Montisferrati Principatum tenebat.* Hoc Theodoro natus Ioannes Palæologus à Carolo IV. Cæſare in fidem publico inſtrumento tanquam Montisferrati & Caſalij Marchio acceptus eſt, eique ac ſucceſſoribus Caſalenſes annuum tributum pacti, juxta diploma Cæſareum, jurejurando fidem obſtrinxerunt. Itaque cum Caſalenſes in libertatem ſe aſſeri peterent à Cæſaribus Carolo, Ferdinando & Maximiliano II, non auditi primum, denique Montisferrati Principatui per ſententiam Cæſaream addicti ſunt.

Igitur non obſequij tantum ſed etiam beneficiario jure, utrumque Ducatum illum, Mantuanum inquam & Montisferratenſem, Imperio obnoxium eſſe manifeſtum eſt. Et vero uſq; id adeo eſt certum, ut cum non adeo pridem Sabaudus, Gallicis armis adjutus, partem Montisferratenſis provinciæ tanquam ſibi debitam occupaſſet, per leges tranſactionis Cheraſci anno 1631. inſtitutæ & poſt Tabulis pacis cum Gallo initæ confirmatæ, Sabaudus feudali vinculo ſeſe Cæſari obſtringere horum quoque locorum ergo, ſit adactus. Adducam huc tantum verba Tabularum iſtarum quæ huc faciunt. *Cæſarea Maieſtas decenter requiſita concedet Domino Duci Sabaudiæ, una cum inveſtitura antiquorum Feudorum & ſtatuum, qualem inclyta memoria Ferdinandus II. Duci Sabaudiæ Victori Amedeo conceſſerat, Inveſtituram quoque locorum, ditionum, ſtatuum, omniumq; iurium Montisferrati, cum appertinentiis, quæ illi vigore prædicti Tractatus Cheraſcenſis, nec non executionis inde ſubſecutæ, decreta & remiſſa fuerunt, ſicuti quoque feudorum Novelli Monfortis, Siny, Moncheri, & Caſtelletti cũ appertinentiis, iuxta tenorem Inſtrumenti acquiſitionis, ab eodem Duce Victore Amedeo facta ſub decimo tertio Octobris Anni Milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi quarti, & congruenter conceſſionibus ſeu permiſſionibus, nec non approbationibus Cæſareæ Majeſtatis, cum confirmatione queq; omnium & quorumcunque privilegiorum, quæ Sabaudiæ Ducibus hactenus indulta fuerunt, quotieſcunq; à Domino Duce Sabaudiæ requirentur & poſtulabantur.* In iiſdem Tabulis cautum aliquid eſt ad feudum Mantuanum pertinens, quod proinde itidem adſcribemus. *Similiter declarabit Imperator in Inveſtitura Ducatus Mantuæ comprehendi Caſtra Reggioli & Luzzara cum ſuis territorijs & dependentijs, quorum poſſeſſionem Dux Guaſtallæ Duci Mantuæ reſtituere tenentur, reſervatis tamen eidem iuribus pro ſex millibus ſcutatorum annuorum quæ prætendit; de quibus agere & iudicio experiri coram ſua Cæſarea Majeſtate valeat adverſus Ducem Mantuæ.*

Pervenimus ad Ducatum MEDIOLANENSEM. Rudolphus Cæſar *Napum ſuo Auguſtali iure præſidem procuratoremque in Inſubribus conſtituit, alamque Germanorum equitem mirificam ad eum præſidij cauſa miſit*: ut loquitur Iovius in vita Othonis Vicecomitis. Adolphus Naſſavius Cæſar Matthæũ Vicecomitem vicaria poteſtate iiſdẽ Mediolanenſibus præfecit: eundemq; loco à Turrianis pulſum Henricus Lucelburgius Imperii nomine reſtituit. Succeſſit patri in eaſdem leges Galeacius: ſed quum ad Pontificias partes Cæſari inimicas inclinaret, à Marco fratre accuſatus, cũ Actio filio & duobus fratribus in carcerẽ cõiectus eſt à Ludovico Bavaro Cæſare. Iovius in *Galeacio* teſtatur, Canem Scaligerũ, *oblata ingenti pecunia petiiſſe iũ à Cæſare, ut Me-*

Digitized by Google

vt Mediolani Auguſtali iure princeps diceretur. Marcum item Galeacij fratrem dixiſſe, *ſi Cæſar impetrari à miſeris civibus aquo iuris libertatem pateretur, Mediolanenſes quantum oporteret in ſtipendium pecuniam prabituros, nec à fide atq; amicitia Cæſarum vllo vnquam tempore diſceſſuros.* Cæſaris conſilio viros inſignes viginti quatuor à ſingulis tribubus regendæ reipubl. creatos, imperata pecunia honorarij ſubſidij nomine: nec multo poſt qui ſummæ rerum præeſſet cum Germanorum manu delectum Guilielmum Monfortium: Galeacium denique cum ſuis iuſſu Ludovici Cæſaris à Caſtruccio exorati carcere liberatum. Volunt alij eundem priſtino loco reſtitutum, ſed id Iovius non habet. Galeacij filius *Actius* (verba iterum ſunt Iovii in actio) *ad Cæſarem Piſas profectus, poſt multa colloquia, egregie navante operam Marco patruo, Cæſaris animum inflexit, promiſſaq; pecunia ad ſummam quindecim myriadum, vt paterni imperij princeps appellaretur, impetravit.* Erat autem nomen dignitatis illud, vt Vicarius Imperij audiret: iſque titulus manſit ad Wenceslai (Iovius perperam Ladislaum vocat) Cæſaris ætatem, qui Ioannem Galeacium ſceptro pileoque tranſmiſſis Ducem nuncupavit. Id quod ægre adeo tulerunt tum Electores, vt inter alia hoc quoq; juſtam crediderint cauſam Wenceslai abdicandi. In tabulis abdicationis, *Mutilaſti*, inquiunt Electores, *Imperium Mediolano & provincia Langobardia, qua iuris ſacri Romani Imperij fuerant, redeuntibus inde ad Imperium ampliſſimis emolumentis, in qua ditione Mediolanenſis veluti miniſter Sacri Imperij partibus fungebatur; cum tu, contra quam tuam ſublimitatem & dignitatem decebat, accepta pecunia Mediolani Ducem & Comitem Papienſem creaſti.* Et vero illis quidem verbis ſubindicari videtur, hactenus aliquam proventuum partem fiſco Cæſareo ceſſiſſe: nonnihil ſcil. eius quod olim Cæſaribus depenſum fuit. Quo de ita loquitur Philippus Cominæus l. 1. de bello Neapolitano: *Quo tempore Mediolanenſem provinciã Cæſares adminiſtrabant, magna erat populi libertas, & ſingula domus aureum ſolummodo pendebant annuum.* Quicquid huius fuerit, in Ioannis Galeacij duobus filijs Ioanne Maria & Philippo, quorum alter alteri ſucceſſit, ſtirps illa legitime natorum Vicecomitum interiit. Inde cum Carolus Aurelianenſis Ioannis Galeacii ex filia Valentina nepos, & Franciſcus Sforcia Blancæ ſpuriæ maritus, ſibi opimum illum Ducatum vindicarent, atque ille niteretur tabulis dotalitiis quibus matri, fratribus ſine prole maſcula defunctis, ius ſuccedendi erat datum, interceſſit Fridericus tertius Cæſar, & ceu caducum ex feudorum legibus Imperio aſſeruit, idque quoniam in dotalitias illas tabulas non Cæſarum aliquis ſed Pontifex tantum, cuius in talia nullum ius eſt, conſenſiſſet, & Blanca natalium infamia à ſuccedendi iure arceretur. Etſi vero omnem illam provinciam in poteſtatem ſuam redegerit, eximia armorum felicitate, Franciſcus Sfortia: *pacatis tamen rebus* (verba iterum ſunt Pauli Iovii in hiſtorica narratione Mediolanenſis hæreditatis) *vt imperium armis partum Cæſaris auctoritate ſtabiliret, per legatos poſtulavit à Cæſare, quod adoptionis iure conſecutus eſſet, Auguſtali diplomate confirmaretur.* Nec ille tamen nec filius Galeacius, quod neuter imperatos ſumptus vellet facere, gratiam Cæſarum impetraverunt. Ludovicus tamen Galeacii frater, quem Morum falſe cognominant, quater centum millibus aureis nummis à Cæſare Maximiliano primo, ſibi ſuiſque legitime natis ſucceſſoribus, conſecutus eſt. Cum hunc captum omni ditione exuiſſet Ludovicus XII. Galliæ rex, iuſtum ſe hæredem ferens, quod armis vindicaverat *auctoritate tamen Cæſaris corroborandum exiſtimavit. Igitur* (ait Iovius) *cum Maximiliano Cæſare, qui ex Tridentinis Alpibus ad Benaci lacus forte pervenerat, numerata pecunia tranſactum eſt in hanc formulam: Vt Ludovicus eiuſque gener ex Claudia filia Franciſcus Angoliſmorum regulus, liberique demum eius poſteri ſucceſſores beneficiario iure Mediolani Duces appellarentur.* Sed caute additum erat id fieri *ſalvo iure tertij.* Itaque non multo poſt, quod Sfortiis iura integra crederentur relicta, Iulij Pontificis cura, vt Maximilianus Sfortia in paternum principatum reduceretur, laboratum eſt. Et vero Galli tandem omni illa Italiæ parte iterum eiecti ſunt, reſtitutis Sfortiis. Quibus extinctis, Carolus Cæſar, quod Franciſcus Rex Galliæ iuribus ſi quæ habuiſſet, reddidiſſet ſe indignum, vniverſum Mediolanenſem Ducatum, tanquam feudum Imperii vacuum, jure Cæſareo occupavit, & mox in filium Philippum eiuſq; poſteros tranſcripſit, beneficiaria lege ab Imperio accepandum. Ex eo Hiſpaniæ Reges & hunc Ducatum, & Marchionatum Finalienſem, & Senas, & Plombinum in Italia clientelari iure poſſident. Vt proinde clariſſimum ſit, jam penè à Rudolphi temporibus vſque, citra controverſiam Principatum illum Mediolanenſem in Imperii fuiſſe obſequio; perinde vt ante in[…]iturum Principatum, terræ illæ omnes Imperii legibus paruerunt.

Poſt Mediolanenſia de Pedemontanis differendum eſſet. Quandoquidem vero illa Sabaudiæ Ducem agnoſcunt dominum, de hujus verò rebus inter Burgundica eſt agendum, in id vſque Pedemontana quoque differre, haud inconſultum videtur. Non videtur etiam ex re fore, vt de aliis minutioribus Italiæ Principatibus ſingulatim hoc loco tractemus, quum præcipuos illos & potentiores iam aſſeruerimus Imperii ditioni. Et vero plæroſque illorum clientelari iure teneri ab Imperio, partim proxime, partim quaſi in ſubfeudo, conſtat. Si qui ſunt allodiales, Imperii tamen legibus tenentur, haud ſecus ac bona alia eiuſdem notæ. Nec vero vel aperto vel tacito quodam Imperii cõſenſu hactenus integram & exceptione carentem libertatem ſeſe conſequutum, eorum quiſquam vel probare conatus eſt: & tamen nihil eſt certius, quam omnia illa in vniverſum, florentibus Italici Regni rebus, & omnimoda ſalva adhuc priſca Germanicorum Cæſarum maieſtate, Imperij leges devotè audiviſſe. Sũt qui de MIRANDVLÆ Princip. dubitant, eo quod ſeculo ſuperiore, primum Ludovicus fratrem Ioannem Franciſcum maximum natu Mirandulæ poſſeſſione eiecerit, inde reſtitutũ Ludovici filius Galeotus miſerrime obtruncaverit, Mirandula in Henrici II. Galliæ manus tradita, acceptaq; in Gallia ex regio patrimonio compenſatione, ſed mox regio beneficio Mirandula Galeoto reddita. Cæterum Picorum gentem, iam à temporibus Ludovici IV. Bavari, in clientela fuiſſe Cæſarum, & Fridericum III. Cæſarem adjeciſſe Comitatum Concordiæ, vocat dubio. A Ludovico

porro *violatum ius gentium*, & huius filium Galeottum *immani parricidio* in patruum ſæviiſſe, & *per ſummum ſcelus Mirandula potitum*, ingenue fatetur magnus, Gallicis tamen partibus addictus: ſcriptor, Thuanus lib.8. Sed & abunde liquet, nec Galeoto fuiſſe fas Mirandulam Gallo cedere, neç Gallo defendendam illam ſibi capere. Iamdudum vero etiam ad iuſtum obſequium Pici redierunt, & nunc adeo, vt olim, *Principatum fiduciario iure ab Imperatore agnoſcunt*: vt recte obſervavit auctor commentarij illius, quem Segetho nos debere non ſemel jam diximus.

Ergo de Principatibus Italicis hæc fortaſſe nunc ſufficiunt. Adiicienda nonnulla etiam ſunt de VRBIBVS hodieq; LIBERIS, hoc eſt, Principis alicuius imperio non obnoxiis. Has inter LVCAM ſibi nummo comparaſſe libertatem integram ab Imperatore Rudolpho, vulgo quidem fertur, eoque & Socinus junior conſil. 83. in pr. vol.4. non dubitat illam nulli ſuperiori addictam pronunciare. Verum illam fabulam iam ſupra falſi convicimus, Sed & ex hiſtoria abunde conſtat, etiam non multo poſt Rudolphum, aliam plane fuiſſe illius vrbis conditionem. Et vero ſaltim id nemini temere eſt ignotum, Caſtruccium Lucenſibus auctoritate Cæſarea præfuiſſe, Ludovico IV. imperante, qui illum Ducem Lucenſem & Lunenſem appellavit. Huius ſucceſſor Carolus IV. Vicarium eidem Vrbi præfecit Cardinalem quendam Gallum; quem tamen, acceptis 25000. aureis, deſeruiſſe prouinciam demandatam, refert Leander Albertus in deſcriptione Italiæ, vbi de Tuſcia agitur. Ex eo ſibi quidem & ſuæ libertati fuit relicta Vrbs, tamen & ipſa haud illubenter Vrbs Imperij hodienum audit, nec à Cæſaribus aut vulgo etiam illa aliis ſolet titulis vſurpari: eoq; & Carolum Cęſarem excepit prout dominum excipere par erat, quod vel ex Iovij l.26. abunde notum eſt.

GENVÆ item plena libertas & ab Imperii legibus exemtio à quam multis vulgo tribui ſolet: ſed & ipſa non obſcure illam ſatis diu iam affectavit. Qua in aſſerenda riſui ſeſe hiſtoriæ peritorum hominum exponere non dubitarunt præclari aliquot Romani Iuris doctores. Quos inter Menochius in Reſponſo in cauſa Finalienſi pro Genuenſibus conſcript art. 1. num.46. aſſerit, Genuam plena ſemper libertate eminuiſſe, non tantum florentibus Francorum & Germanorum Cæſarum rebus, ſed etiam rerum adhuc potientibus Romanis: idque probat teſtimonio Epiſcopi Nebienſis (is autem eſt Auguſtinus Iuſtinianus) & Leandri Alberti: quorum neutri fortaſſis vnquam hoc in mentem venit. Verum hæc narraſſe refutaſſe eſt. Citra controverſiam enim ponendum eſſe, Genuam Imperij Germanici legibus paruiſſe vſque ad Rudolphum, cuiuis monumentorum veterum paulo peritiori, non poteſt non conſtare. A Rudolpho Genuenſibus non eſſe conceſſam libertatem, iam tum demonſtravimus. Quantum illa non multo poſt coluerit Henricum Cæſarem, dignum eſt, quod ex Conradi Vecerii libro de rebus geſtis Imperatoris illius, hic memoretur. *Cæſar, ait, ad diem vndecimum Calendarum Octobrium maximo apparatu Genuam eſt invectus. PRINCIPEM DOMINVMQVE ſolenni more appellantibus: mox componendæ diſcordiæ ratio habita. Itaque Opicino Spinolæ ſociiſque iampridem exulantibus conſerta reſtitutio. Quæ res ingentem illi dilectionem civium pepererunt. Ipſi mille annorum dono data centum, Regia vero coniugi viginti.* Sed & à nemine Cæſarum plenum rerum ſuarum arbitrium Genuenſes impetraſſe, luculento argumento eſt id, quod in nobiliſſima illa cauſſa Finalienſi tabulas nullas potuerint pro aſſerenda illa ſua libertate producere, præterquam Caroli V. Cæſaris, quæ plane aliud liquido præ ſe ferunt. In illis videlicet multum quidem Vrbi illi indulſit Carolus, ſed diſerte addita ſalutari illa clauſula: *ſalvo iure Imperij*; ita etiam, vt non ſemel inſerta tabulis ſint illa verba. *Civitas NOSTRA Genua.* Vtique enim pronomen illud *noſtrum* dominium arguit; quod apud omnes eſt in confeſſo, ne ſit neceſſum ad *l. id quod noſtrum de R. I.* aliaque teſtimonia provocare: & qui ius Imperij ſalvum excipit contra privilegiorum auctoritatem, agnoſcit profecto ipſis privilegijs majora Imperij jura. Aſſeruit itaque potius Imperij vim Carolus, quam prodiderit. Imo dum ejuſmodi Tabulas tradi ſibi fecerunt Genuenſes, non uno modo ipſi agnoverunt Imperij ſuperioritatem: cum per illas clauſulas & inſerta quæ diximus verba, tum petita à Cæſare immunitatum libertatumque ſuarum, non quæ extra urbem debeant obſervari, ſed quæ ipſam rempubl. tangunt, confirmationè. Ea Imperij majeſtas eluxit etiam, Ferdinando I. & Maximiliano Cæſaribus, in negotio Finalienſi. A varijs illud ſcriptoribus agitatum eſt, qui alterutrius partis defenſionem ſuſceperunt: narratum etiam eſt à non vno hiſtoricorum, breviter à Thuano l.36. initio. Quæ ſcripta ſunt in medio. Contenti nunc erimus vno Ioanne Bodino cujus hæc ſunt verba l.1. de republ. c. x. n.124. *Tametſi Genuenſes minus quã cætera civitates Italicæ Imperatorum iuſſa antea fecerint: cum tamen à Marchione Finalienſi, quem domo expulerant, ac bonis omnibus ſpoliatum eiecerant, ad Imperatoris Maximiliani II. tribunal: vocarentur, ſeſe iudicio ſtiterunt 1559. & cum arbitrum putarent non iudicem, Imperator tamen iudicem ſe ferens, Genuenſes antea vocatos citari iuſſit, ac poſt edicta peremptoria, cum abeſſent, vadimonium deſeruiſſe pronunciavit, hoc addito, niſi fecials ſuo parerent, vrbem & agrum Genuenſem ſeſe proſcripturum.* Paulo poſt: *Itaque cum Genuenſes a ſententia interlocutoria Maximiliani Pontificem Romanum appellaſſent, appellatione deſerta iudicato paruerunt. Ac tandem Imperator pro Marchione pronunciavit, cum ſe Imperij Germanici Vaſallum profiteretur, Genuenſes vero quaſi ſuum vindicarent. Nec multo poſt ab eodem Imperatore, alio iudicio damnati ſunt, cum in exilium egiſſent Antonium Fliſcum, qui provocatione ad Cæſarem vicit.* Hæc omnia Bodinus.

Cum VENETIS nihil heic nobis rei eſſet, ſi illi intra littora & inſulas ſuas, quemadmodum antea ſeſe continuiſſent: jam tum enim faſſi ſumus, in ipſam illorum civitatem nihil iuris Germanico Imperio competere. Anonymus ille auctor Scrutinij quod appellavit, conatur quidem oſtendere, Venetos ante annum milleſimum trecenteſimum pro liberis ſeſe nunquam geſſiſſe. Verum illa quæ antecedunt Fridericum ſecundum tempora, cur nunc attingamus, nihil refert. Attamen nec Rudolpho imperante inclytam Vrbem illam integra fuiſſe libertate, veroſimile videtur reddi, eo quod

auctor

Digitized by Google

auctor ille *cap.*16. §. 49. referat ex Sanſovino, verba quædam privilegij producti de cudenda moneta, à Rudolpho Cæſare conceſſi, traditique in manus Mediolanenſis Dominici Metamaucenſis Epiſcopi, & Venetorum Legati Stephani Calepnimi. Et vero fidem Sanſovini, nec is qui Auctori illi Anonymo ſeſe objecit ſingulari libro pro libertate Veneta, Theodorus Graivvinckelius auſus fuit in dubium vocare; tantum conatus perſuadere, talem cudendæ monetæ conceſſionem, non eſſe argumentum alicuius Cæſarei in Venetos ſuperſtitis juris: utpote quum eiuſmodi conceſſio nullum arguat ſuperioritatis jus, in eum cui conceditur. Verum hoc ipſum haud ita in univerſum eſt verum, ſed tum demum, ſi quando conceſſum ſit cudere monetam, quæ alibi extra territorium debeat valere. Aliàs vero non video, qui talis conceſſio non arguat, & illum, cui tale quid conceditur, propria auctoritate ius monetæ cudendæ non habere, adeoque deſtitui ſaltim aliqua parte *αὐτεξουσίας*, & illum qui concedit iſthoc loci ſupremi aliquid juris obtinere. Videtur autem, conſecutos Venetos à Rudolpho monetæ jus, non ſimpliciter, ſed eius quæ in Regni Italici vicinis locis poſſit & debeat valere. Quæ domi (Venetiis nimirum) valeant, fuit illis jam olim liberum ex vſu ſuæ reipubl. cudere; non tamen ille idem nummus etiam alibi valuit, in Regno Italiæ videlicet, niſi auctoritate Cæſarea accedente. Inter fuit autem Venetorum, quod cum in illa continenti Italiæ parte ſibi frequentiſſima atque opulentiſſima commercia intercederent, nummo vti, cui & in illis Regni Italici locis, auctoritate publica Imperij, de pretio eſſet cautum. Hanc mentem eſſe privilegij illius Cæſarij à Sanſovino in lucem producti, videntur non obſcurè ipſa illa verba indicare: *ſimulque eis nummi monetam concedimus, ſecundum quod eorum Duces à priſcis temporibus habuerunt.* Quapropter in eundem ſenſum accipienda etiam ſunt, ſi fidem merentur, quæ Petri Participarij Venetorum Ducis imagini ſubſcripta ſunt.

Multa Berengarius mihi privilegia fecit.
Et nunc monetam cudere poſſe dedit.

Nec vero Berengario in Venetias quidpiam vtique fuit juris.

Quicquid ſit ſaltim Rudolfum aut eius ætatis Cæſares, in Venetos ipſos nihil ſibi arrogaſſe, clarum adeo eſt, vt putidum ſit velle id negare. Non ignoro Albericum de Roſate, magni quondam nominis Iuriſconſultum, teſtari ad *l. cunctos populos Cod. de ſancta trinitate: Vidiſſe ſe privilegium exemptionis, conceſſum Duci & civitati Venetiarum, bullatum bulla aurea: & per illam dicunt* (inquit) *ſe Imperio non debere ſubeſſe, & ita etiam videtur ſentire magiſter Joannes Pariſienſis.* At vero vidit fortè ille aliquam tabulam Cæſaream, ſed in confeſſionem libertatis confectam, non in teſtimonium à Cæſare quodam factæ exemptionis: quæ inter ingens diſcrimen eſt. Vtque viderit Albericus quod vidiſſe ſeſe exiſtimavit, non addit tamen, fuerit ne illud documentum impetratæ libertatis. Vtque demum ab anno ſupra milleſimum trecenteſimo integram ſibi libertatem Veneti adſcripſerint: cum tanto temporis ſpacio nemo id vocarit in dubium (vt nemo vocavit) etiam ita libertati illius Vrbis ad Imperio jam ſatis fuerit cautum.

At de iis quæ Veneti in Italiæ continente ora occupaverunt, multum diſpar eſt ratio. Nec enim vel ipſi negaverint, illa fuiſſe in ditione Regni Italici, ſaltim Rodolfo Cæſare. Adhuc autem Henrico VII. Cæſare anno MCCCXI, tributum illos ex more veteri ſolviſſe, locuples auctor eſt Conradus Vecerius l. de rebus geſtis Cæſaris illius. Eius verba ſunt hæc de Epiſcopo Genevenſi Cæſaris Legato: *Idem Antiſtes profectus Venetias, TRIBUTUM PRO VETERE CONSUETUDINE poſtulavit. Appulſo honor ingens habitus, adnumerataque in tiaram Romanam talenta Veneta mille.* Hæc indubiè data fuerunt earum terrarum cauſſa, quæ Regno Italico tum adhuc accenſebantur, à Venetis licet poſſiderentur. Ex eo demum ſuorū ſaltim plæraque poſſeſſione Imperij excidiſſe, Veneti ipſimet vltro fatentur. Et tamen hodie Marchiam omnem Tarviſinam, Forum Iulium, Iſtriam, Lombardiæ tranſpadanæ partem, territorium nimirum Brixienſe, Bergomenſe & Veronenſe, Cremam denique in regone Cenomannorum tenent. Multa alia per Italiam jam tenuerunt: quorum bona pars Pontificibus & Mediolani Ducibus potentioribus reddita quidem, hæc tamen in ditione illorum ita permanſere, quaſi Cæſarum iuribus extinctis, extra Imperii territorium iam ſint collocata.

Verum enimvero aut iuſto aliquo bello cum Imperio geſto illa Venetis ceſſerunt; vt ſolent belli iure ea quæ devicta ſunt in victorum poteſtatem pervenire, atq; ita armis & vi vetere dominio exciderunt: aut acceſſit aliqua Imperij conſenſio ſive aperta ſive tacita. Bella pleraque occupata haud negaverim. Sed nullum cum Imperio bellum eſt geſtum, ſed cum Scaligeris, Carariis, Vicecomitibus, aliis, quorum nemini integra fuit in bona ſua poteſtas, ſed imperio obnoxia. Itaque vt illi Venetorum hoſtes iure ſuis exciderint (nec enim hoc nunc diſputo) illo tamen belli iure Imperium ſummam ſuam maieſtatem non perdidit. Nunquam etiam Imperium, apertè quidem non diſſimulanter, iuribus ſuis in vetus illud ſuum patrimonium renunciavit.

Maius dubium eſt, an non tacitè conſenſerit, quando nunquam illud ſibi iterum vindicauerit. At vero non qui rem ſibi non vindicat conſentit in poſſeſſionem alienam: eſt enim vt prohibeatur recuperare deſiderata. Sed & Maximilianus Cæſar magnam partem occupatarum à Venetis vrbium aſſeruit quondam Imperio, inprimis, Patavium, Vicentiam, Veronam: etſi viciſſitudine fortunæ rurſum amiſerit. Cumprimis lectu digna eſt accuſatio publica Cæſaris illius, qua tanquam per fecialem Venetis, initio anni 1509, bellum indixit, poſt fœdus Cameracenſe: quapropter illam heic, ſaltim potiore ex parte, recitabimus, vt omnibus appareat, tum vtrique; non diſſimulato diſſenſu, turbatam Imperij nomine Venetorum quietam aliquamdiu poſſeſſionem. *Maximilianus divina favente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Rex Germaniæ, & Hungariæ, Archidux Auſtriæ, Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Styriæ, & Carinthiæ ac Marchio: Sacr. Roman. Imperij, &c. Recognoſcimus, & præſentium tenore notum eſſe volumus vniverſis; quod*

Digitized by Google

quum ſanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, Iulius, divina providentia Sacroſancta Romana Vniverſalis Eccleſia Summus Pontifex, Dominus noſter Reverendiſſimus, ſæpius & repetitis vicibus, nos pariter & Sereniſſimum atque Excellentiſſimum Principem, Dominum Ludovicum Regem Franciæ, fratrem noſtrum chariſſimum, aliosque Chriſtianos Principes inſtantiſſime admonuerit, vt tanquam veri & devoti filij Eccleſiæ, vellemus ad conſervationem Chriſtianæ reipubl. intendere, quæ indies à truculentiſſimis Turcis, & cæteris infidelibus maximas iacturas patitur, ac etiam ad conſervationem iurium & bonorum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, atque Beatitudini ſuæ totis viribus aſſiſtere, ad recuperationem eorum, quæ poſtpoſita fide, omni religione contempta, nulla habita ratione æqui honeſti & iuſti, Veneti, pluribus iam annis de Beati Petri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ patrimonio tyrannice invaſerunt, vſurparunt, & occuparunt, ac de præſenti nullo iuſto titulo indebite occupant & detinent. Cui exhortationi Sanctiſſimi Domini Noſtri, Nos Imperator præfatus, pro ſincera noſtra in Sedem Apoſtolicam obſervantia, (vt par eſt) parere volentes, huiuſcemodi defenſionem & conſervationem Reſpubl. Chriſtianæ, nec non incrementum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, iuxta maiorum noſtrorum veſtigia & exempla, tanquam etiam illius Advocatus & Protector, cum ſummo deſiderio amplecti & ſuſcipere fuimus ſemper ex animo inclinati. Conſiderantes etiam graviſſimas iacturas iniurias rapinas & damna, quæ præfati Veneti nedum Sacroſanctæ Sedi Apoſtolicæ, ſed & Sacro Romano Imperio, domui Auſtriæ, Ducibus Mediolani, Regibus Neopolitanis, & aliis multis Principibus, violenter intulerunt, illorum bona, poſſeſſiones, civitates, oppida, perinde ac ſi in communem omnium perniciem conſpiraſſent, tyrannice occupando & vſurpando. Propter quod non ſolum ſalubre, vtile & honorificum, ſed omnibus prædictis neceſſarium eſſe exiſtimamus, vt omnibus ad iuſtam vindictam excitatis, tandem ad reſtringendum inſatiabilem Venetorum cupiditatem, & dominandi libidinem tanquam ad commune incendium accurratur, iunctiſque viribus armis, bona per eoſdem Venetos ablata, & occupata recuperentur & redintegrẽtur. Eaque de cauſa nuper Illuſtriſſimam Principiſſam, Margaritham Archiduciſſam Auſtriæ, Duciſſam Burgundiæ, relictam viduam Sabaudiæ filiam noſtram chariſſimam, ad civitatem noſtram Imperialem Cameracenſem miſimus, quæ vigore pleni & ſufficientis mandati noſtri, tanquam ſpecialis noſtra in hac parte procuratrix, poſt concluſam generalem pacem inter Nos ſupranominatum Sereniſſimum fratrem noſtrum Regem Franciæ, cum Reverendiſſimo in Chriſto patre, D. Georgio de Amboſia tit. S. Sixti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ presbytero Cardinale Rothomagenſi, ac Sedis Apoſtolicæ per Franciam à Latere Legato, faciente ſe in hac parte fortem nomine Sanctiſſimi Domini noſtri, & etiam iam dicti Sereniſſimi Regis Franciæ fratris noſtri ad hæc deputato Procuratore, ac cum Spectabili Iacobo de Albion milite Sereniſſimi Regis Arragonum Oratore, & ad hæc etiam ſpeciali procuratore: tractavit, fecit, concluſit, & iuravit, ac litteris ſuis roboravit fœdus, confœderationem, vnionem & ligam, contra ipſos infideles ac etiam contra Venetos, iuxta capitula, puncta & articulos: quarum litterarum capitulorum punctorum & articulorum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis, &c. Imprimis, quia hodie nos cum præfato Domino Cardinali Rothomagenſi Legato, & ex prædictorũ Sacratiſſimi Domini Imperatoris & Chriſtianiſſimi Francorum Regis nominibus, inivimus, & concluſimus pacem generalem, atque confœderationem, in qua etiam inter cætera Sanctiſſimum in Chriſto patrem & Dominum, D. Iulium II. divina providentia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Summum Pontificem, Dominum noſtrum obſervantiſſimum, & Sereniſſimum Arragoniæ Regem incluſimus, atque vtrique parti adhuc facultatem reſervavimus, infra quatuor menſes poſſe alios ſuos confœderatos nominare, & eidem paci, ſeu confœderationi includere. Et quoniam Veneti in maximum præiudicium Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, Sacrique Romani Imperij, & Dominorum Auſtriæ, ac Chriſtianiſſimi Regis Franciæ, ad cauſam Ducatus Mediolani, ipſiuſque Sereniſſimi Regis Arragoniæ, ad cauſam Regni Neapolitani iamdudum tyrannice & violenter occuparunt, detinuerunt, & præſentialiter vſurpant occupant & detinent quamplurimas provincias, vrbes, & dominia, ipſis Sacratiſſimo Domino Imperatori, & Regibus prænominatis ſingula ſingulis referendo pleno iure pertinentia: Tractatum & conventum eſt, inter nos nominibus antedictis, quod nec Sacratiſſimus Dominus Imperator Romanorum, nec Chriſtianiſſimus Francorum Rex, debeant nec poſſint Ducem & Dominium Venetorum, aut eorum ſubditos, nec alios communes hoſtes, contra quos eſt movendum bellum, pro confederato, vel confœderatis ſuis nominare, ſeu huic paci ſeu confœderationi hodie factæ qualitercunque includere: quinimo præfatus Dux & Dominium Venetorum, atque eorum ſubditi à præfata pace & confœderatione prorſus debeant excludi. Item actum eſt & conventum, quod ſit vna ſpecialis liga, vnio, amicitia & confœderatio, inter Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, & inter prædictos ſacratiſſimum D. Imperatorem Romanorum & Sereniſſimum Franciæ & Arragoniæ Reges, contra ipſum Ducem, & Dominium Venetorum, atque ipſorum ſubditos, pro recuperatione, ſeu redintegratione omnium deperditorum. Item pro celeriori huius rei expeditione actum & conventum eſt, quod ipſi Sanctiſſimus Dominus Noſter, Sereniſſimi Franciæ & Arragoniæ Reges, & ipſorum quilibet cum ſufficienti militum, & peditum exercitu, ac cum artellaria neceſſaria, teneantur infra diem primam Aprilis proximè venturam, pro recuperatione antedicta, communibus armis eoſdem Venetos hoſtiliter invadere: nec prius à prædicta invaſione, ſeu guerra, aut armis per aliquem eorum deſiſtetur, quam omnino & integre Apoſtolica Sedes recuperaverit Ravennam, Cerviam, Faventiam & Ariminum eorumque diſtrictus, ac alia oppida Imola & Caſena, cum omnibus earum iuribus & pertinentijs, ac omnia alia, quæ de ſtatu & iuribus Eccleſiæ Romanæ dicti Veneti occupant & detinent: & præfatus Sacratiſſimus Dominus Imperator recuperaverit Roveretum, Veronam, Paduam, Vicentiam, Tarviſium, Foram Iulium, cum territorijs ac pertinentijs eorum: nec non Patriarchatum Aquilegienſem, cum ſingulis ſuis pertinentijs, omniaque alia loca & dominia, per ipſos Venetos in hoc vltimo bello capta, & occupata, ex terris & dominijs domus Auſtriæ.

Et

Digitized by Google

Et pari modo ipſe Chriſtianiſmus Francorum Rex recuperaverit totaliter Brixiam, Bergomum, Cremam, Cremonam, Geradactam, cum ſingulis ipſorum locorum diſtrictibus, territoriis ac pertinentiis, & generaliter omnia ea quæ fuerunt antiquitus de Ducatu & dominio Mediolani, ac prædeceſſorum ipſius Chriſtianiſſimi Regis in eodem Ducatu, Et ſimiliter ipſe Sereniſſimus Rex Aragonum recuperaverit ea omnia, quæ ipſi Veneti de regno Neapolitano ex prædeceſſoribus in ipſo regno quovis modo abſtulerunt, & vſurparunt, ac de præſenti quovis colore, vſurpant, detinent, & occupant, videlicet Tranum, Brunduſium, Otrantum, & Gallipolim, ac omnia alia quæ de regno Neapolitano per eos occupantur. Item poterunt etiam illuſtris Dux Sabaudiæ pro regno Cypri & Marchio Mantuæ pro recuperatione eorum, quæ dicti Veneti eis detinent & occupant, ſe huic ligæ adiungere, & in hanc confœderationem ſe includere. Item quod etiam ſit facultas Sereniſſimo Regi Angliæ ſe includendi in hac confœderatione & liga ſive ad offenſionem, ſive ad defenſionem tantum, ſive ad vtrumque, prout ei melius videbitur.

Hactenus Cæſar Maximilianus. Non minus dignа memoratu eſt oratio, quam poſt infelix ab Abduam prælium, eodem anno Antonius Iuſtinianus, Venetorum tum legatus coram Cæſare habuit, qualem illam lib. 8. Guicciardinus refert. Sane probe expendi illam, argumenti huius plurimum intereſt. *Veteres Philoſophos, atque ſummos illis temporibus viros Invictiſſ. Cæſar, cum eam gloriam quæ ex ſui ipſius victoria comparatur, veram, firmam, æternam, immortalemque eſſe affirmarunt, eamque ſuper omnia regna; trophæa atque triumphos extulerunt, minime erraſſe manifeſtum certumque eſt. Hæc Scipioni maiori tot victoriis claro, maiorem ſplendorem quam Africa devicta & Carthago domita dedit. Nonne hæc eadem res magnum illum Macedonem immortalitate donavit? cum Darius maximo prælio ab illo victus, Deos immortales, vt regnum ſuũ ſtabilirent, precatus eſt: quod ſi ſecus ſtatuiſſent, ſe non alium ſucceſſorem, quam tam benignum hoſtem, tam manſuetum victorem ab illis petere. Cæſar ille dictator, à quo Cæſaris cognomentum habes, & cuius fortunam, liberalitatem, magnificentiam aliaſque virtutes obtines, nonne concedendo, remittendo, condonando, qui in Deorum numerum referretur, dignus eſt iudicatus? Denique Senatus populuſque Romanus, ille mundi domitor, cuius imperium in terris in te ſolo eſt, cuiuſque amplitudo & maieſtas in te conſpicitur, nonnne plures populos atque provincias, clementia, æquitate & manſuetudine quam bello armiſque imperio ſuo ſubiecit? Quæ cum ita ſint, minime inter poſtremas laudes id tibi adſcribetur, Cæſar, ſi cum victoriam adverſus Venetos in poteſtate tua habeat, quam humanæ res caducæ ſint memor, ea moderate vti noveris, magis ad pacis ſtudia, quam ad dubios belli eventus propenſus. Quanta enim rerum humanarum inconſtantia ſit, quam incerti caſus, quam dubius, varius, fallax, obnoxiuſque periculis ſit mortalium ſtatus externis priciſque exemplis oſtendere non eſt opus. Satis ſuperque Veneta Reſpubl. docet, quæ paulo ante florens, ſplendens, clara atque ita potens erat, vt eius nomen & fama non iam Europæ finibus contineretur, ſed egregia pompa, Africam, Aſiamque percurreret, atque in extremis orbis terræ terminis magno cum plauſu reſonaret: hæc eadem nunc, vnico eoque levi adverſo prælio, rerum geſtarum gloria orbata, opibus ſpoliata, lacerata, conculcata, atque everſa, omnium rerum ac præſertim conſilij egens ita corruit, vt omnis priſtinæ virtutis imago conſenuerit, omniſque armorum ardor deferbuerit. Sed falluntur procul dubio, falluntur Galli, ſi hæc propriæ virtuti tribuunt. Antehac enim Veneti gravioribus incommodis agitati, maximis detrimentis cladibuſque perculſi atque attriti, nunquam animum abiecerunt, ne tum quidem cum ingenti periculo cum ſæviſſimo Turcarum tyranno multos annos bella geſſerunt: imo ſemper ex victis victores facti ſunt. Idem & nunc ſperaſſent, niſi Maieſtatis tuæ tremendo nomine, copiarumque tuarum vivida invictaque virtute audita, ita omnium animi concidiſſent; vt nulla non modo vincendi, ſed ne obſiſtendi quidem nobis ſpes relicta fuerit. Quo circa armis abiectis in Maieſtatis tuæ incredibili clementia, vel potius divina pietate ſpem omnem locavimus, quam nos rebus noſtris perditis inventuras minime diffidimus. Itaque Principis, Senatus, populique Veneti nomine, humili devotione ſupplices oramus, obteſtamur, atque obſecramus, vt clementiæ oculis res noſtras afflictas reſpicere digneris, iiſque ſalutarem medicinam afferre. Omnes pacis leges quas tu nobis impoſueris amplectemur: omnes iuſtas honeſtas, & ab æquitate rationeque minime alienas ducemus. Sed fortaſſe qui nobis ipſis mulctam imponamus digni ſumus. Ad te VERUM & legitimum Principem omnia quæcunque maiores noſtri ſacro Imperio & Auſtriæ Ducatui ademerunt, redeant: quæ vt decentius veniant, omnia quæcunque in continenti poſſidemus adiungimus, quarum rerum iuribus quocunque modo partis cedimus. Præterea quotannis tuæ maieſtati, & legitimis Imperij ſucceſſoribus in perpetuum quingenta auri pondo tributi nomine pendemus. Imperiis, decretis, legibus præceptiſque tuis libenter obtemperabimus: defende nos quæſo ab illorum cum quibus paulo ante arma noſtra coniunximus, inſolentia: quos nunc ſæviſſimos hoſtes experimur: qui nihil aliud expetunt, quam Veneti nominis interitum. Tua iſta clementia conſervati, te Vrbis noſtræ parentem, genitorem, conditoremque appellabimus: ingentia beneficia tua in annales referamus: liberis noſtris perpetuo memorabimus. Nec vero parva hæc erit ad tuas laudes acceſſio, te primum eſſe ad cuius pedes Veneta Reſpubl. ſupplex ſe humi proſternat, cui cervices ſupponat, quæ velut Deum cœlo delapſum colat, revereatur, obſervet. Si Deus Optim. Maxim. eam mentem maioribus noſtris dediſſet, vt res aliorum attingere non ſtuduiſſent, iam noſtra Reſpublica gloria plena, reliquas Europæ civitates longe ſuperaret: quæ nunc in ſqualore, & fœtore langueſcens, ignominia probroque deformis, ludibrio atque contumelia referta, vnico momento omnium victoriarum laudem amiſit. Sed vt vnde incepi, eo mea revertatur oratio: in tua poteſtate eſt Cæſar, Venetis tuis ignoſcendo & condonando nomen laudemque comparare, quo nemo vnquam vincendo maiorem ſplendidioremque adeptus eſt. Hoc monumentum nulla vetuſtas, nulla antiquitas, nullus temporum curſus ex mortalium mentibus delebit: ſed omnia ſecula te pium, clementem,*

omnium principum glorioſiſſimum prædicabunt, appellabunt, confitebuntur. Nos tui Veneti, quod vivemus, quod auras cœleſtes carpemus, quod hominum commercio fruemur, id omne tuæ virtuti, felicitati, clementiaq́, tribuemus.

Hactenus oratio Legati Veneti. Ex quo illud tantum edici nunc cupio, quod Veneti eorum quæ in continenti Imperio abſtulerunt, verum legitimum dominum Imperatorem tum agnoverint, eoque omni continentis poſſeſſione cedere vltro fuerint parati. Sunt qui omnem illam orationem in dubium vocent: ſed ſatis fortiter fidem eius defendit anonymus Scrutinij auctor, nequicquam hic ſudante doctiſſimo Granſvvinkelio. Injurius tamen ille idem anonymus eſt in eo, dum orationem illam ita interpretatur, quaſi Veneti ipſammet etiam vrbem ſuam Maximiliani imperio obtulerint: hactenuſque eos ſtrenue defendit & recte Graſvvinkelius. Vtcumque ſeſe oratio illa habeat fatemur, Venetos pace tandem conſtituta, vix ſperata felicitate omnia recuperaſſe. An ex eo tempore Imperij nomine Venetis controverſia ſit mota, non ſatis compertum habeo: quamobrem non meum quoque eſt definire, num longi temporis præſcriptione, per diuturnum Imperij ſilentiũ, Veneti firmum ſibi jus quæſiverint in continentem, an vero hodieque Imperij iura integra ſuperſint. Certè ante hoſce centum circiter annos, non ſatis cauſſæ ſuæ adhuc fiſos Venetos, eoque à Germanis, ſi quidem illi in vnum conſpirent, cumprimis ſibi vehementer tum metuiſſe, non obſcure ſignificavit apud Iannottum lib. de repub. Veneta Tryphon Gabrielius Senator *Germaniæ vires*, inquit, *quantumvis magnæ cum diſtractæ ſint, hoc tempore non videntur valde formidandæ, & qui res illius rationeſque teneat faciliſsime cognoſcere poteſt, ægre eas admodum in vnum contrahendas eſſe. Quæ ſi diſſociatæ non exiſterent atque diſſipatæ, nulli dubium eſt, quin multo plus terroris atque adeo periculi impenderet ab iis Italiæ, quam ab ipſis Turcis.*

Sed de Venetorum atque adeo de liberarum Italiæ urbium rebus, inquantum illæ ſint Imperij iuribus obſtrictæ, pro instituti ratione ſatis. Nec enim liber adferre pro Imperij cauſſa quaſi vice argumenti numerum magnum Doctorum, qui illam omnem quæ Tabulis Pacis, inter Fridericum primum, & Italiæ Vrbes tum fœderatas initæ, Conſtantiæ conſcriptis adverſatur libertatem Vrbium, iniquam arbitrantur. Poteſt enim æque magnus numerus diſſentientium opponi; & hi pro fundamento ſententiæ ſuæ habent nihil aliud, quam quod Tabulæ illæ in Iuris corpus receptæ vulgo ſint: quod ſanè ridiculum magis eſt quam dignum confutatione: quaſi ſcilicet res humanæ non ſint viciſſitudinibus obnoxiæ, quæ iura populorum utique multum immutant. Abſit igitur vt inepto ejuſmodi argumento nos quidem Imperio patrocinemur. Et vero (niſi vehementer fallimur) ſic ſatis rite intra limites antiquos Imperij Vrbes illas Italiæ jam revocavimus. Imo haud dubitamus, omnibus quæ in medium adduximus cum cura expenſis, liquidum jam eſſe, id quod hoc capite ſumpſimus demonſtrandum, & in fronte ſtatim collocavimus: *Quod reliquum eſt Italiæ præter bona Pontificia, pauciſſimis exceptis, hodieque ad Regni Italici, adeoque Imperij ditionem pertinere.* Quod ſi & præcedentium aliquot capitum doctrina, de Pontificum ditione addatur, ſimul jam in propatulo eſt, quam iuſtis de cauſſis per ſacras Imperij leges Ferdinando ſecundo tertio & quarto, Auguſtis Cæſaribus & Regibus noſtris, diſertis verbis id ab Electoribus datum negotii fuerit, vt ſerio & diligenter Imperij per Italiam iura ab interitu vindicent, ne quid hinc detrimenti reſpubl. capiat. Ecquis enim non dixerit nefas, ingentem adeo theſaurum Imperij, à maioribus, quorum virtute & ſanguine eſt comparatus, ad poſteros translatum, ſi non ignavia ſaltem incuria & negligentia perdere?

CAPVT XXIV.

Quæ Reges Galliæ poſſident in Regno Burgundico vel Arelatenſi, ea paucis exceptis videri hodieque ad Imperij ditionem pertinere.

LVſtratis Italiæ rebus licet iam trans Alpes proficiſci, & quæ propius Imperij ſunt Germanici percurrere. Italiæ ſcil. & ſua ſemper propria corona Regia atque Imperatoria, & ſua quondam propria comitia fuerunt: Transalpina vero omnia in vnam magis rempubl. coierunt, obſcuratis communibus comitiis, & abolitis dudum propriis diadematibus Burgundici & Lotharingici regni, vno ſuperſtite omnibus communi, quod aliquot jam ſeculis Norinbergæ media in Germania ex lege publica adſervatur. Servabimus tamen eos priſcum ordinem, ſeorſim de iis quæ ad Burgundicum aut Lotharingicum regnum quondam pertinuerunt, dicturi, inde demum commeaturi in Germaniam, ſive regnum vt vulgo loquuntur Teutonicum. Obiicit ſeſe autem primum Italia egreſſis Burgundicum regnum, cuius potiora cum hodie Reges Galliæ teneant, in illa ante omnia inquirendum venit, exciderint ne omnino Imperij iuribus, nec ne.

Ac ſupra quidem cap XIII. multis evicimus, adhuc Friderico ſecundo Cæſare Galliæ regibus trans Rhodanum, ſive (vt noſtro more loquamur) cis Rhodanum, nihil iuris, illudque flumen Imperio & Galliæ regno pro certo fuiſſe limite Iacobus Auguſtus Thuanus lib. 2. hodieque memoriam rei illius fatetur ſupereſſe in ipſo ſermone vulgi. *Regnum Arelatenſe*, inquit, *antequam in poteſtatem Regum noſtrorum veniret ſub Imperio fuit: cuius rei memoria poſt ſublatam Imperij iuriſdictionem aboleri non potuit; nam & hodie in ſermone vulgari vlterior Rodani ripa IMPERII. citerior REGNI indigitatur.* In ea tamen quæ poſſident Galli Reges, ſumma quoque ſibi adſcribunt hodie, omni Imperij reverentia excuſſa: idque competere illis vetere Cæſarum beneficio, præclaris auctoribus aſſeritur. Cæterum ſi excipias illa quæ nuperrime Gallo ceſſerunt, hactenus equidem nihil vidi, quo liquido oſtendi queat, ſive Imperij Ordinum omnium, ſive quorundam Cæſarum prodiga eiuſmodi in Gallum liberalitas, etiamſi non de omnibus, ſed de aliquibus ſolummodo Gallicanis poſſeſſionibus moveatur controverſia.

Idipſum

Idipſum uti omnibus fiat manifeſtum, producam primùm varias nonnullorum narrationes, inde examine inſtituto quid veteri falſive ſubſit, definiemus. Alberti Argentinenſis verba ſunt: *Circa idem tempus rex Arelatenſis ſine hæredibus moritur, & hæreditas ad Regnum devolvitur Romanorum. Rudolfus tunc temporis Rex extitit Romanorum: qui propter nimias occupationes quas habuit in Teutonia, ad Arelatenſe regnum non potuit pervenire, ut in poteſtatem traheret. Intelligens hoc Rex Franciæ, mandavit Baronibus quibus Rex regnũ Arelatẽſe commiſerat cuſtodiendum, ut ſibi regnum in poteſtatem ſuam darent, alioquin totum regnum cum armatis hominibus devaſtaret.* Addit mox, re à proceribus ad Rudolfum delatâ, reſpondiſſe hunc, *quod ſe defenderent, vel cum Rege Franciæ componerent ſicut poſſent, quia ſecundum temporis ſtatum non poſſit eis in aliquo ſubvenire.* Goldaſtus verò in epiſtola dedicatoria operis cui titulus Reichshandlungen ita loquitur: Es ſeind noch aber Königliche diplomata vorhanden/darinnen ſich befindet/ das der Römiſche König Wilhelm aus Holland anno 1251. alle ſeine Gerechtigkeit/Renten/Gülten/einkõmen vnd Nutzbarkeiten/ſo er als Römiſcher König im Königreich Arles vnd den Reichsſtädten Biſantz vnd Loſannen hatte/den Grafen in Burgund vmb zehentauſent Marck Silbers verſetzet vnd verpfendet hat. Doch iſt es bald nach Keyſer Wilhelms todt durch Reicharden auß Engeland erwehltem Römiſchen König wieder abgelöſet/vnnd darnach von Rudolffen von Habſpurg auch erwehlten Römiſchen König / mit hülff vnd beyſtand der Fürſten Herrn vnd Städte in Oberlãd/zu des Reichs Handen mit gewalt erobert vnd wiederbracht worden. Als aber der König in Franckreich in Zwytracht vnd Vneinigkeit der Teutſchen Fürſten die gelegenheit bey den Haren erhaſcht/vnd den beſten theil dieſes herlichen Königreichs vnter ſeinen Klawen mit hülff vnd zuthun des Pabſts von Rom geriſſen/that Keyſer Adolph von Naſſaw an. 1295. den Frantzoſen in ſeine vnd des Reichs Acht/zoge drauff mit einem Teutſchen Heer ſonderlich der Oberländiſchen Fürſten Herrn vnd Städtẽ/in Franckreich den König zu bekriegen vnd daß Königreich Arles wiederumb zu dem Heiligen Reich als deſſelben getrewen Vogt vnd Gethab / zu bringen. Aber der Pabſt verſchaffet ſo viel durch König Albrechts anhang / daß Keyſer Adolpf von ſeinem Heldenmuth vnd Heroiſchen fürnemen müſte abſtehen/die Heeresfart quitiren/vnd ſeinem Feind in Teutſchland begegnen. Nach Keyſers Adolpfen niederlag/ als Albrecht im Keyſerthumb confirmiret vnd beſtetigt worden / ſol er haben ein Reichstag in Lothringen außgeſchrieben/auff welchen auch der König in Franckreich beruffen vnd erſchienen ſey / da ſchreibt man ſey die erbeinigũg zwiſchen den Teutſchen vnd Frantzoſen erneuwert/vnd der ſpann beider Reichen vnd marchen auff folgende manier entſchieden / daß nemlich der König von Franckreich behalten vnd haben ſol alle Fürſtenthũb/ Land vnd Herſchafften / die ſeine Vorfahren vnd Er in dem Königreich Arles dem Teutſchen Reich abgenommen vnd entzogen: hergegẽ ſol der Keyſer für ſich eigenthümblich beſitzen vnd herſchen alle Fürſtenthumb/Städt vnd Herrſchafften in Lothringen vnd Elſas gelegen/ zu welchen der Frantzoß vermeint anſprach vnd Gerechtigkeit zuhaben. Hæc omnia Goldaſtus: qui etiam addit nonnulla, ſed quæ hæc nunc repetere nihil attinet: partim etiam infra commodiorem locum nanciſcemur. Diſcimus autem hinc primũ Auſtriacũ credi nonnullis donaſſe Imperii in Arelatenſe regnum jura Gallorum regi.

Ioannes Bodinus l.1. de republ. cap. 9. n. 128. initium jurium Gallicorum in Regnum Arelatenſe videtur adſcribere cõtractui cuidam emptionis & venditionis, inter Henricum Cæſarem & Philippũ Valeſium inito. Verba ejus ſunt. *Philippus Valeſius Caroli VI. proavus Arelatenſis Regni ditionem univerſam ac iura maieſtatis ſibi coëmit ab Henrico V. Cæſare: cui argenti pondo ducenta millia pretii nomine ſolvit: coemptionem verò Imperii Ordines ratam habuerunt; cuius ratihabitionis prædem dedit Cæſar Iohannem Bohemiæ regem. Emptionum tabulæ & ſolutionis & ratihabitationis extant in archivis Regũ noſtrorum; quas lego decuſſes ab iis, qui ab Rege Henrico legati ad Allobrogum Ducem ad controverſias uſq; Principis cõponendas miſſi ſunt anno MDLXII. Illud autem animadverſatione dignum mihi viſum eſt, quod emptionum tabulis omnia iura maieſtatis comprehenſa ſunt, quæ Imperatores Germanici ſibi tribuunt in omnes Arelatenſis regni regiones, quibus continentur Allobroges, Belloſoci, Provinciales, Burgundia libera, quam Carolus IV. Cæſar Philippo Audaci Burgundiæ Duci, prole maſculâ Comitum extinctâ, Imperiali iure fruendam dedit.* Idem Bodinus paulò antè, Regum Gallicorum jura illa derivaverat, à *perpetuo* quodã *vicariatu*, quem Carolus IV. Cæſar Carolo VI. Viennenſium Delphinati conceſſerit. *Carolus*, inquit, *IV. Imperator Carolũ VI. Viennenſium Delphinatem Vicarium perpetuum creavit anno MCCCLXXVIII. & quia nondum exceſſerat ex ephebis adiecit ætatis beneficium copioſiſſimo & gratioſiſſimo diplomate, unde aurea ſigilla dependent, quod in archivis Regum noſtrorum me legiſſe memini. Vicarium autem perpetuum Arelatenſi Regno præfecit (exceptâ Sabaudiâ) eique ius vitæ ac necis in Imperii ſubditos, ac poteſtatem quæ à Regia proximè abeſſet conceſſit: id eſt, ut capite damnatos ſupplicio eximere, tributa imperare, vectigalia indicere, vacationes munerum concedere, beneficia ac munera publica largiri, bellum decernere ac finire, leges iubere aut latas antiquare, provocationes ad Cæſarem diſceptare, & id genus alia efficere poſſet: quæ inopiè provinciarum præſides ſeu Vicario ab Imperatore tributa videmus.* Mox ſubjungit: *Provinciæ Comites ab Imperio Germanico iampridem ſeipſos exemerũt. Inter quos extitit Raimundus poſtremus; cuius filia altera Ludovico IX. Frãcorum Regi, altera Carolo Duci Andium nupſit: hinc ad Comites Andium Provincia, inde ad Reges noſtros Renati Comitis largitione delata eſt.* Hæc cum ita [illegible] more ſuo attuliſſet Bodinus, tandem concludit: *Ex quo planum fit, Reges Francorum in omnes Arelatenſis regni populos iura maieſtatis habere, nec Imperii Germanorum fiduciarios eſſe.*

Porrò Ioannes etiam Aventinus, & dudum ante illum Theodoricus de Niem, Germani ſcriptores, alienationem Arelatenſis Regni per Carolum IV. Imperatorem factam eſſe, & agnoverũt & graviter conqueſti ſunt. Hujus hæc ſunt verba: *Ecce Carolus IV. Auguſtus & Bohemorum Rex, hypocrita inſignis, & avaritia alter Craſſus, cum quali pertinacia & calliditate ad Imperii culmen aſcendit? Ecce quales fructus attulit illi? Nam quondam Ludovico Andega-*

venſi Caroli Francorum Regis germano, ſimulq; heredibus, pro uno prandio ſolenni, ſibi apud villam novam Avenionem praparato, Regnum Arelatenſe, ab Imperio dimembrando ſeu ſeparando conceſſit. Aventinus in hunc modum loquitur l. 4. Annal. Bojoar. de Carolo IV. Cæſare verba faciens : *Galliam Narbonenſem, quam Vienna principatum, Delphinatum, Regnum Arelatenſe vocamus, ab Imperio abalienavit, Ioanni ſororis ſua marito eiuſque filio Carolo V. regi occidentalis Francia tribuit. Sigiſmundus filius eius, qui poſt rerum potitus eſt, approbavit. Diploma in Bibliotheca Pariſienſium ampliſſima, qua in tẽplo ſuburbano D. Victori dedicata exſtat, legi anno abhinc decimo octavo, cũ Lutetia Philoſophia operam darem.* Idem ab aliis proditur. Quibus tamen ſe opponũt recentiores quidam Gallici ſcriptores, quorum alij non dubitant aſſerere, ne quidem in Delphinatum à Cæſare Carolo quicquam juris datum eſſe Gallo, quoniam ille principatus jam tum multis retro temporibus fuerit ſui juris. Illos inter Scipio du Pleix Hiſtoriæ general. Franciçe tomo 2. p. 484. n. 6. & 7. cum multis fuiſſet invectus in Niemium, & qui cum ſequuntur Germanos, in hæc verba ſuæ linguæ prorumpit: *Tout cela eſt notoirement ſuppoſé, puiſque long temps auparavant il y avoit eu des Seigneurs particuliers, qui poſſedoyent en proprieté le pays du Dauphiné. Lequel par l'union qui en a eſté faite à la Couronne de France, eſt cenſé de meſme nature, & pourtant ne dependant que de Dieu, & de l'eſpée royale.*

Hæc autem tametſi ita à variis vulgo tradantur, in quam multis à vero abeunt: ac proinde noſtrum jam eſt hæc etiam ingenuè, procul amore & odio, ſententiam noſtram in medium depromere.

Principio igitur etiam atq; etiam duco obſervãdum: Galliæ Reges nunquam hiſce quinque proximis ſeculis, vel rerum potitos per omne Regnum Burgundicum, vel in omne cjus partes jus aliquod ſummum ſibi arrogâſſe. Vtrumque ex hiſtoriis eſt notiſſimum. De priore certe nemo dubitat. Sed nec in Sabaudiam, nec in Burgundiam, minorẽ nec in Helvetios, alioſque Burgundici regni incolas, haſtenus Gallicorum regum quiſquam, tanquam ſibi jure ſubditos quid tentavit. Et vero iuris, quod in Arelatenſe regnum ſibi cõpetere volunt, nomine videas plærumque non intelligere eos aliud, quàm ſupremam in Provinciam poteſtatem. Quod ipſum uſq; eſt adeò notũ, ut non dubitaverit diſertè idem affirmare ipſemet Nicolaus Vignierius Gallus, parte tertia Bibliothecæ hiſtoricæ quam appellavit, ubi de juribus Regis ſui in Regnum Arelatenſe diſputat. Verba enim de illo faciens ſubnectit ſua lingua: *Pretendẽs encor ce droit ſur la Provẽce ſeulemẽt: car les Rois de France n'ont jamais cherché aucun droit ſur les autres provinces du Royaume d'Arles.* Vnde obiter patet, perperam ab Aventino pronunciatum, quaſi Gallia Narbonenſis, Viennæ Principatus, & Regnum Arelatenſe idem ſignificent: quamvis haud negem Arelatenſis regni vocem Viennæ illum Principatum ſive Delphinatum ut & alia quàm multa ſolere olim comprehendere.

Notandum *Secundò*, neutiquam admitti poſſe, quod de Delphinatus & Provinciæ Principibus antiquis Bodinus Scipio & alii tradunt, illos iam dudum in libertatem aſſertos Imperii leges nõ audiviſſe. Nos certè jam tum cap. XIII. cum de aliis, tum diſertè de Provinciæ dominis, longè alia probavimus. Sed & non multò pòſt liquidò oſtendemus, ipſos Gallicæ familiæ Regię Principes, ſimulac in bona iſta ſucceſſerunt, ultro in clientelam ſeſe Imperii dediſſe, Cæſaribus nonnullis difficulter eos admittentibus. Quod profectò haud feciſſent, ſi terras illas Imperii finibus iam exeidiſſe fuiſſent arbitrati, ſive Cæſares ſive Regii illi Principes. Et verò videas Bodinum & alios, ſine ullo teſte hæc ita aſſerere, idque in gratiam Regum ſuorum, quo illos omnibus Imperii iuribus eximant.

Id *Tertio* dignum eſt obſervatu, Rudolfo Cæſare Provinciam in poteſtatem Regiæ familiæ Gallicæ quidem perveniſſe, nõ alio tamen quàm fiduciario iure à Rudolfo collato. Nugatur ſanè Albertus ille Argentinenſis narrans, obiiſſe tum ultimum Regem Arelatenſem, atque ita regnum illud per vim à Galliæ rege occupatũ, Rudolfo fruſtra indignante. Nec enim illâ tempeſtate rex aliquis Arelatenſis vixit. Fabula verò nata eſt inde, quod ſine maſculis hæredibus defuncto tum Raimundo Berengario, ultimo familiæ ſuæ longè tamen potentiſſimo Provinciæ Comite, generi illius duo, Ludovicus IX. Rex eiuſque frater Carolus Andegavenſis pòſt Siciliæ Rex, uxorum ſuarum nomine hæreditatem illam creviſſent. Id initiò proceres illius regionis ægrè tuliſſe, ut qui maluerint mollibus Imperii habenis regi; nec placuiſſe Rudolfo, utpote cum novo exemplo in tam amplum patrimonium Imperii, familia Regia, æmula ſemper Imperii rebus, tum perveniret; haud quiſquam negaverit. Nec tamen in Gallicarũ rerum diligentiſſimis ſcriptoribus, quales utique ſunt Gaguinus & Æmylius, de Regni Arelatenſis illa occupatione quicquam legas: idque quantum arbitror, quod tum temporis non tam Regibus Galliç illa poſſeſſio ceſſerit quam Carolo eiuſque poſteris Siciliæ Regibus. Nec temerè item reperias in eius ævi monumẽtis, id quod Goldaſtum audivimus memorantem, à Rudolfo per vim aſſertum Imperio Arelatenſe Regnum: itaque vix eſt ut huic fidem tutò ea in re adhibeas.

At verò à Rudolfo conceſſam fiduciario jure regionem illam Carolo Siculo, indubitatis licet teſtimoniis probare: imò ex iiſdem per fit veroſimile, ipſum Ludovicũ Sanctũ Galliæ Regẽ, vel certè uxorem cjus Margaritham Raimundi filiam, illo nexu fuiſſe Imperio obſtrictũ. Provocabo nũc duntaxat ad unius Nicolai III. Papæ epiſtolas: quoniam verò illæ & numero complures ſunt & prolixiores, quàm ut commodè huc queant afferri, contentus nunc ero hiſtoriâ, quam ex illis Bzovius confecit, & rebus anni cum ſeptuageſimi nona tum octuageſimi poſt milleſimum ducenteſimum, decimotertio Annalium Eccleſiaſticorum tomo inſeruit. Priora hæc ſunt num. 3. *Per id tempus nondum erant pacata omnia, Rudolfum inter & Carolum Siciliæ Regem.* Is autem eſt Andegavenſis ille, alter gener defuncti Raimũdi Comitis Provincialis. *Margaretha Divi Ludovici* Galliæ regis id nominis IX. itidem jam defuncti, *relicta uxor in Provincia Comitatum atque Forcalquerii provinciam pratendebat: ſeque* BENEFICIARIO TITVLO (erat igitur jam in clientelari jure Cæſaris Rudolphi Provincia) *iſthac poſſidere aſſerens, Rudolphum rerum ad Imperium ſpectantium vindicem implorabat: adeoq; contra Carolum poſſeſſorem incitabat. Negotium proinde Carolo Rudolphum faceſſebat & contra ſuſceptis, poſſeſſione exuere cogitabat. Interceſſit Nicolaum Ponti-*

ſex

ſes ne ferro inter ſe decernerent, ſed arbitrio Sedis Apoſt. totum negotium permitterent, huicq; rei nuncios ad ſubſellia Rom. deſtinarent. Quamobrem tam Rudolpho quàm Carolo ad pacis conſilia inclinante, & auxilia a Nicolao implorante, is Reginæ Margaritæ ſcripſit, authorq; fuit diſſidii dirimendi atq; concordiæ ineundæ: miſſo ad eandem Simone Cardin. tit. S. Ceciliæ tunc Legato in Galliis. Ad Rudolphum quoq; miſit Epiſcopum Tripolitanum, qui capitula & articulos conventionis illi proponeret atq; exponeret, ut tandem pax atq; concordia inter Reges ſtabiliretur: inter quas præcipua fuerat conditio, ut Rudolphus Clementiam filiam Carolo Principi Salernitano, Caroli Regis Siciliæ primogenito in matrimonium collocaret, dotisq; nomine Comitatum Provinciæ & Folcaquerij illi concederet ſeque moleſtiâ inutili liberaret, ac inſuper eadē ratione finem controverſiis inter Margaritam & Carolum imponeret. Cumq; Carolus Rex Petrum Epiſcopum Caputaquenſem, Lucam de S. Aniano, & Richardum Ayrolam, milites conſiliarioſq; ſuos primum ad Nicol. Pontif. deinde ad Rudolphum ire nuncios in eo negotio juſſiſſet, Nicolaus illos remittens ad Rudolphum majorem in modum commendavit. Plenius & accuratius omnia traduntur in hiſtoria anni octuageſimi num. 2. & quidem hunc in modum. *Cum hæc in Italia agerentur, non intermiſit Nicolaus majora & gravia odia componere, inter Rudolphum Regem Romanorum & Carolum Siciliæ jam pridem exorta. Jam dignitatem Senatoriam, & poteſtatem Vicariam Carolus depoſuerat. Comitatus Provinciæ & Folcaquerij poſſeſſio in controverſiam vertebatur. Rudolphus ad Imperij jura pertinere, aſſerebat; Carolus Rex & Margarita D. Ludovici relicta, altrinſecus contendebant, præſtantiamq; juris beneficiarij obtēdebant. Nicolaus itaq; Pontifex, arbitrio partium arbiter factus, Matthæo Urſino tituli S. Mariæ in Porticu Cardinali, & Benedicto Anagnino Notario Apoſtolico, id quicquid erat controverſiæ commiſit, ut cognoſcerent & diſſidentes animos conciliarent. Convenit ut Carolus utramque Provinciam jure beneficiario retineret, Rudolphus Clementiam filiam, Carolo Principi Salernitano in matrimonium daret: Nicolaus id quicquid impedimenti, ex eo quod Clementia Andreæ Fratri Regis Hungariæ, avunculo Caroli Principis, promiſſa, atq; ipſi Carolo Gotta Clementia Soror deſponſata fuerat, tolleret; Margarita ſi quid juris ſe habere exiſtimaret, apud ſubſellia Rudolphi Romanor. Regis proponeret, declarationem autem & ſententiam, quam aiunt, definitivam à ſede Apoſtolica exſpectaret. Carolus Rex & Princeps, ex formula a Rudolpho Rege præſcripta. Regi & Imperio homagium ligium præſtarent, atque Sacramento ſe obligarent. Rudolphus literas in forma privilegij omnium tranſactorum concederet: & ad extremum, Nicolaus Legatum à Sede Apoſtolica deſtinaret, qui non ſolùm præſens omnibus actionibus intereſſet, verùm etiam omnia auctoritate Apoſtolicâ ſtabiliret. Miſit in eam rem Nicolaus Pontifex Hieronymum tit. S. Pudentianæ Presbyterum Cardinalem Legatum, qui pacem inter Reges Rudolphum & Carolum conciliavit. Nicolaus quoque ipſe, ut deſideratum matrimonium contraheretur, omne impedimentum tulit; atque ut quàm citiſſime ſponſalitia accelerarentur, omninò præcepit. Rudolphus porrò ex pactis conventis utramque Provinciam Carolo ejuſq; hæredibus & deſcendentibus in perpetuum, jure quod vocant fiduciario conceſſit; & Margarita Regina, ne vel ipſa vel aliquis alius nomine ſuo, impedimentum Carolo præſtaret edixit: ac ſi quid juris ſe habere putaret, ut ad ſe deferret, atque declarationem à Sede Apoſt. expectaret, præſcripſit.* Hactenus Bzovius, cui meritò poſſumus utique credere hac in re, cum literæ Pontificiæ Nicolai, unde hæc deprompſit, paſſim vulgatæ ſint. Quin imò extant inter illas Nicolai Epiſtolas tertio anno ſcriptas, loco ſeptimo decimo, ipſius Rudolphi Cæſaris literæ beneficiariæ, Carolo Siculo tum conceſſæ: id quod Bzovius quoque jam monuit.

Quartò præterea hoc quoque meretur notari, etſi in illum modum in ditionem familiæ Regiæ Gallicanæ fiduciario titulo Provincia devenerit, viſam tamen rem illam indignam & minimè ferendam ſucceſſori Rudolphi Adolfo Naſſovio. Veriſſimum ſcilicet eſt quod audivimus Goldaſtum narrantem de Adolpho, Provinciam illam Gallis eripere conato. Hinc etiam Eberhardus Ratiſbonenſis Archidiaconus in chronico ad annum 1294. annotavit: *Orta eſt controverſia inter Regem Franciæ* (is erat Philippus Pulcher) *ex una parte & Eduardum Regem Angliæ ex altera. Et Adolfus* Romanorum Rex *plus favens Regi Angliæ, repetivit à* Rege *Franciæ Regnum Arelatenſe, & quaſdam alias terras, quas dicebat, eſſe Imperij, eaſque quod in manu forti vellet requirere demandavit.*

Albertum Auſtriacum Cæſarem cum Philippo Pulchro anno MCCXCIX. firmam pacem & concordiam pactum eſſe, haud videtur quidem negari poſſe: jamque tum c. 8. in id conditas tabulas produximus. Nec negaverim, à patre in Gallos collatū beneficium circa Arelatenſem Provinciam, quod impugnaverat Adolfus, ab illo confirmatum eſſe. At verò (id quod *Quinto* loco eſt obſervandum) Imperialia omnia jura illum alienâſſe, neutiquam fit veroſimile. Utique enim in tabulis illis quas attulimus, quibuſq; pax tum publica conſtituta eſt, nihil ejuſmodi reperias. Sed & repugnat huic narrationi uſus ſubſecuti temporis: qui liquido oſtendit, Imperialem ſummā poteſtatem in Arelatenſia iſthæc, diu etiam poſt, Gallo haud repugnante, fuiſſe ſuperſtitem: ceu mox demonſtrabitur. Qui verò id contigerit, ſi cà prodigalitate Imperij omnia iſthæc jura Gallo ceſſiſſent? Ad hoc uſque adeò de Alberti illo dono Galli inter ſe diſſident, ut ipſum illud diſſidium fabulam omnem ſuſpectam reddat. Quid quod eorum nonnulli adeò impudenter nugeantur, ut à prudentioribus aliis vapulent? Ejuſmodi ſanè eſt commentum Wilhelmi Nangiaci & aliorum, conceſſum ab Alberto, *ut* Regnum *Franciæ, quod ſolummodò uſque ad Moſam fluvium illis in partibus ſe extendebat, de cætero uſque ad* Rhenum *poteſtatis ſuæ terminos dilataret.* Præclare enim in illud animadvertit Belleforeſtius *tomo 1. l. 4. cap. 43.* docens, *Philippum Pulchrum & ſucceſſores eius Franciæ* Reges *illa nunquam potitos juriſdictione; quinimo fluvium Moſam ſemper fuiſſe limitem* Regni *Franciæ: quæ ultra Moſam ſint ad* Rhenum *uſq; à ſupremo Imperij jure dependiſſe.* Vignierius lata habuit Nangæj narrationem illam attuliſſe: minimè probavit. Producam illius de Albertino illo dono ſententiam, qualem illam ex Gallico Latinè vertit diligentiſſimus Limnæus in Addition. ad l. 1. c. 9. Iuris Publici, quoniam digna ſunt quæ memorentur. *Imperator Albertus Auſtriacus &* Rex *Galliæ Philippus convenerunt Vocoloribus in Lotharingia, magno Principum & Prælatorum tam*

Germanorum quàm Gallorum C[illegible]inatu. Vbi pacto inito & renovatione antiqui fœderis facta, Imperator renunciavit iuri, quod nomine Imperii habere poterat in Regnum Arelatenſe, cuius poſſeſſionem Reges Galliæ poſt mortem Imperatoris Friderici invaſerant. Rex autem Galliæ ceſsit in emolumentum Rudolfi filii primogeniti Imperatoris, favore matrimonii, quod cum Blanca ſorore Regis contraxerat, anno autem ſubſequenti conſummavit, omne illud quod ſibi competere arbitrabatur tam in Lotharingia, quàm in Comitatu Auſſenſi & diſtrictu Friburgenſi. Vt ſcriptum vidi in copia tranſactionis hac de re confectæ, & in quadam hiſtoria Archiepiſcoporum Trevirenſium nondum impreſſa. Quod (ut eadem hiſtoria refert) maxime diſplicuit Archiepiſcopis Trevirenſi, Moguntino & Colonienſi, ſic ut Imperator poſtea fuerit coactus ſe apud ipſos excuſare, prout refert Cuſpinianus. Licet Annales Wilhelmi de Nangiaco & annales Galliæ etiam hoc addant, eodem pacto fuiſſe conceſſum, ut limites poteſtas & jurisdictio Regni Galliæ, quæ antea Moſella terminabantur: impoſterum ad Rhenum uſque ſe extenderent. Hæc Vignierius. Qui ſi legit Tabulas illas Alberti, & quidem uſque adeò liberaleis, quare non vulgavit eas & omnium examini expoſuit? Certè quoniam hoc neglexit, etiam ipſo illo fides illius ſuſpecta redditur. Iam verò ſubjungit mox Vignierius, Henricum Lucelburgium vendidiſſe Imperii jura Gallo: quod profectò fieri non potuit, ſi paulò antè Alberti illa donatio fuiſſet inſtituta. Quod ſi porrò Electores Principes Alberti illud donum improbavère, non acceſſit utique, ipſomet Vignierio teſte, conſenſus Principū, quo uno ſtat robur Cæſareorum munerum. Non dicit verò id Cuſpinianus, quod Vignierius illius teſtimonio vult probare, ſed hoc: Blancam Philippi Regis ſororem Rudolfo filio in matrimonium datam eſſe, *ſed Moguntino & Colonienſi Epiſcopis diſplicuiſſe, eaſque ob nuptias Alberto dehinc inviſos ac rebelles fuiſſe.* De donato à Cæſare Arelatenſi regno, ne quidem verbulum aliquod memoravit Cuſpinianus.

Vt Alberti donatio ita fabuloſa & cōmentitia eſt Henrici Lucelburgii venditio: quod *Sextè* obſervandum venit. Etiam huic enim repugnant ſecuti temporis acta, quæ loquuntur ſuperſtitem Cæſarum auctoritatem in Regni Arelatenſis populos regioneſque. Imò ipſemet ille Henricus paulò ante obitum, ſententiâ illâ quâ Robertum Siculum proſcripſit, non tantùm *Regno illum paterno* ſed etiam *Comitatu Provinciali excidiſſe pronunciavit*, ut disertè in vita Cæſaris illius ſcribit Conradus Vecerius. Nec tamen etſi Pontifex ſententiam illam improbaverit, cauſatus eſt vendita Imperii jura: quod meritò objici potuit Henrico, ſi illa venditio fuit inſtituta. Qui vendidiſſet porrò Henricus Gallo Imperii jura, cum cōſtet fuiſſe illum infeſto in Gallum animo, uſque adeò, ut nōnulli memorent agitâſſe illum conſilia de Gallia omni ſubjuganda in obſequium Imperii? Fuiſſe illum ſanè jurium Imperii maximum vindicem, monumenta omnia loquuntur. Adhuc ante Bodinum nemo memoravit illam Henrici venditionem: non Æmylius, non Gaguinus, non quiſquam alius eorum etiam, qui majori curâ res Gallicas tradere aggreſſi ſunt. Num verò tacituri fuiſſent rem magni adeò momenti, ſi illæ tabulæ ad quas provocat Bodinus, in regiis tabulariis tum comparuiſſent? Quid quod & auperi propugnatores Regiorum jurium unius Bodini fide hac in re nitantur? Magno utique argumento, nuſquam hodie tabulas illas amplius reperiri. Viderit verò illas Bodinus: non dubitandum tamen eſt à falſaria manu profectas, viro docto, at nimium fortè Regum ſuorum ſtudioſo, in facili credulitate impoſuiſſe. Præcipiti ſanè judicio illas à Bodino probatas vel illud indicat, quòd ſcribat contractum initum inter Henricum V. Cæſarem & Philippum Valeſium Caroli VI. proavum. quæ planè ſunt *ἀσύστατα*. Valeſius enim ille rerum potitus eſt, ab anno viceſimo octavo poſt milleſimum treceteſimum uſque ad quinquageſimum: interea verò temporis nullus Henricus Imperii rebus præfuit, ſed Ludovicus IV. Cæſar, cui cum Valleſio tantùm non capitales inimicitiæ interceſſerunt. Nec integro illo ſeculo Henricus aliquis quintus, ſed id nominis ſeptimus Cæſarem egit. Par *ἀβλεψία* eſt Caſſani, ſtrenui ſcil. illius Gallicorum jurium propugnatoris, qui Cæſarem illum, cui adſcribit famoſam iſtam venditionem, *l.2.cap.2.* nunc Conradum nunc He[illegible]icum appellat, conjiciens contractum illum in annum MCCC. triceſimum, quo nec Conradus aliquis nec Henricus imperavit. Quàm ineptum porrò eſt illud Bodini! Ordines Imperii conſenſiſſe in contractum illum, & Regem Bohemiæ Ioannem conſtitutum prædem. Quid opus enim præde illo, ſi Ordines conſenſiſſent? Iam verò Iohannes ille Henrici Cæſaris filius Bohemiæ regē cœpit agere demū an. MCCCXII, eo planè tempore quo graviſſimum diſſidium erat inter Cæſarem & Robertū Siciliæ Regem ac Provinciæ Comitem, Gallici ut ſanguinis ita factionis. Cui fiat veroſimile illo tempore multùm adeò à Cæſare iſthoc Gallis indultum? Quàm ridiculum etiam illud: Arelatenſia omnia emiſſe ab Henrico Philippum Valeſium, & tamen anno ſeptuageſimo octavo ejuſdem ſeculi curâſſe Carolum Regem filio ſuo à Cæſare Carolo IV. conferri Vicariatum Imperii in Regno Arelatenſi & quidem exceptâ Sabaudiâ, quæ tamen disertè in Tabulis emptionis jam antè Gallo ceſſerat. Taceo nunc, nunquam Galliæ reges in omne Burgundicum regnum quippiam ſibi juris arrogâſſe, & tamen à Bodino aſſeri *tabulis emptionum comprehenſa eſſe omnia iura maieſtatis, quæ Imperatores Germani ſibi attribuunt, in omnes Arelatenſis regni regiones, quibus continentur Allobroges, Bellovaci, Provinciales, Burgundia libera.* Adeò ſcil. Reges immemores fuere illius contractus, nec quiſquam eorum, qui à conſiliis ſunt adhibiti, in memoriam præclara adeò jura illis revocaverunt. Quin igitur inepti adeò commenti propugnatores iſtos meritò potius pudeat.

Cæterùm Ludovico IV. Cæſare Delphinatum Humberti ultimi ſuæ familiæ Principis conceſſu, in Galliæ Regum poteſtatem certis legibus deveniſſe, notum eſt. Ea de re ita Paulus Æmylius l.9. in hiſtoria Philippi Valeſii: *Ad ſolatium rerum adverſarum, Vmbertus Delphinatium Princeps, dolore amiſſi unici filii, ſtatuebat cœnobio Prædicatorū ſe ſacrare, dominatumq; ſuum, cuius caput eſt Vienna Allobrogum, Eccleſiæ ac Pontificibus Maximis, non magno pretio addicere. Genus eius nobilitas Regum quam Pontificum ſigna ſequi malebat: & quod à Comitibus Sabaudis bello (ut inter finitima imperia aſſolet) continenter vexaretur, perſuaſere ut Francorum fidei tutelæque traderetur. Placuit, filii Regum, ut quiſque*

in

in proximam ſpem Regni ſuſcepti eſſent, Delphini vocarentur, juraque Delphinatibus redderent. Ita quidem Æmylius, de Cæſareis juribus nihil addens. Ac verò Philippum Valeſium Regem, qui tum regno præerat, à Ludovico Cæſare ratihaberi hanc Delphinatus tranſlationem petiiſſe, cumque id non impetraret, curâſſe illum ſibi à Pontificibus Romanis confirmari, fortaſſis haud difficulter probari poteſt luculentis teſtimoniis: id quod in hoc negotio cumprimis, & quidem loco *Septimo*, notandum ducimus. Utemur nunc duntaxat teſtimoniis Villani & Pauli Iovij. Ille l. 11. cap. 54. ubi res anni MCCCXXXVI. enarrat, cum dixiſſet de Ludovico Cæſare recipiendo fuiſſe jam cum Papa Benedicto conventum, ſubjungit: *Rex Galliæ literis ſuis & Oratoribus, ad Papam & Cardinales miſſis, turbavit hanc conventionem, quia pro filio REGNUM ARELATENSE VIENNÆ habere volebat.* Papirius Maſſonus l. 4. hiſt. Franc. ita quidem loquitur: *Edoardus* Angliæ rex *per ſeſe impar, fœdus cum Ludovico Bavaro, qui Cæſarem agebat, iniit, Philippi inimico, quod pacem, quam à Pontifice & collegio Cardinalium impetraturus fuerat, impediſſet, rem, ut videbatur, iniquam petēs, ut Cæſar Regno Arelatenſium filium eius donaret.* Veruntamen decepit memoria Maſſonum: nec enim univerſum Arelatenſe Regnum, ſed illud tantum, cuius caput Vienna erat, h. eſt Delphinatum petiit filio ſuo Philippus, ut diſerte dicit Villanus, ex quo tamen omnia hæc ſua hauſiſſe ipſe Maſſonus mox addit. Itaque Villani teſtimonio jam ſcimus, & petiiſſe Regem à Cæſare ratihaberi quaſi Delphinatus illam ab Humberto iniquè factam tranſlationem, & à Cæſare id Gallo negatum, acerrimis hinc inimicitiis exortis. Paulus Iovius verò in illo libello, quo argumentum devoluti ad Aurelianenſium Principum domum Mediolanenſis Ducatus exponit, cum narrâſſet Italos nonnullos, factam à Pontificibus Romanis in Gallos collationem Mediolanenſium rerum, vehementer improbâſſe, *quod nullum omnino ius Pontifici eſſe videretur, in transferendis adjudicandiſque regnorum feudis*, ſubjungit mox pro Galliis, quæ indubiè ex aliorum ſcriptis hauſerat, hæc verba: *Verum hæc aliquanto cavilloſius quàm probum iuris profeſſorem decoret, inducta, vel hoc uno vivida rationis exemplo falſiſſima Aureliani cenſere: quum & Delphinatus, perampla veterum Allobrogum ditio, & Arelatenſis Provinciæ regnum auctoritate Pontificia, non dubio iure ſed certo iure, tranſlata atque adiudicata fuiſſe conſtet.* Ex hoc Iovij teſtimonio jam etiam alterum illud diſcimus. Et vero eâ tempeſtate Pontifices volebant credi, Ludovicum Cæſarem vitio creatum, ac vacare proinde Imperiale munus, ſui verò juris eſſe vacante Imperio reipublicæ adminiſtrationem. A Pontifice itaq; tanquam Imperialis auctoritatis vicario curari fecit Gallus, quod negaverat ipſe Cæſar. Huc pertinet id quod Cuſpinianus teſtatur, Valeſium Regem inter alia à Pontifice Benedicto poſtulâſſe, *ut filium primogenitum Regem Viennæ crearet.* Ex quibus liquidum eſt omnibus, tum utique non fuiſſe creditum ipſis etiam Galliæ Regibus, quæ hodie Gallicani ſcriptores & ſibi & aliis conantur perſuadere, nempe univerſa Imperii jura in Regnum omne Burgundicum ab Alberto & Henrico Cæſaribus fuiſſe tranſlata ad Gallos, vel verò Delphinatus Principes ſui fuiſſe juris, ut Cæſaribus inconſultis potuerint terram illam Gallo reddere. Quorum poſterius etiam inde refutaveris, quod Henricum Luceſburgium Romam coronæ accipiendæ causâ proficiſcentem, officii gratiâ inter alios clientes Principes comitati ſint Guido, Viennenſis Delphini frater, & ipſe Viennæ Comes Robertus: quod in vita Henrici memorat Conradus Vecerius.

Carolum IV. Cæſarem in Gallum ſolito benigniorem fuiſſe fatemur: illum tamen Cæſarea jura Gallo in perpetuum ceſſiſſe, falſum eſt: ſitque ea in re à Niemio Aventino & aliis Cæſari illi ingens injuria; quod nunc quaſi *Septimo loco* demonſtrabimus, ubi nonnulla præmiſerimus ad rem omnem plenius cognoſcendam facientia, quæ annum ſeptuageſimum octavum illius ſeculi anteceſſere. Etenim Melchior Goldaſtus quidem, Carolū Galliæ Regis filium, in Comitiis Imperii Metenſibus, Delphinatus nomine Carolo IV. Cæſari homagiū præſtitiſſe, non dubitavit affirmare, illoquem ſupra indicavimus loco. Verba eius hæc ſunt. Käyſer Maximilianus Außſchreibē wieder den Frantzoſen lehret mich/das der König in Franckreich mehr benante Fürſtenthumb vnd Herrſchafften vom Röm. Käyſer vnd dem H. Reich zu rechtem ordentlichen Lehen empfangen / vnd ſoll mit Nahmen Carolus Delphin aus Franckreich/als ein Fürſt deß Reichs/ auff den Reichstag gen Metz Anno 1356. beruffen ſeinen Sitz vnd Ort neben andere Fürſten des Reichs vertretten/vnd Käyſer Carolo dem Vierten/ in gegenwart aller Chur vnd Fürſten deß Reichs vnd Bäpſtlichen Legaten/den Lehenaydt offentlich geleiſtet/ vnd die Regalia der Hertzogthumb Wien oder Delphinat / Provintzen ꝛc. von Ihrer Majeſtät/ als ordentlichen Lehenherren / empfangen haben. Die Lehenbrieff ſollen noch vorhanden ſeyn/ vnd im Kloſter S. Victors bey Pariß zu finden. Hæc Goldaſtus: quæ quoniam alibi mihi lecta non ſunt in medio relinquo. Et vero Cuſpinianus tantùm habet, interfuiſſe Metenſ. conventui *Delphinum Viennæ Ducem, primogenitum Ioannis Regis Franciæ:* imò cum addit, adfuiſſe etiam Epiſcopos Senonenſem ac Rothomagenſem, Ducē item Britanniæ ac Comitem Pictaviæ, quorum nemo inter Ordines Imperij meruit cenſeri, multò minùs ex Cuſpiniani narratione iſthac, certi aliquid de Delphini ſubjectione poſſumus colligere. Aſt de Carolo IV. Cæſare in Ceremoniali Romanæ Eccleſiæ l. 1. ſect. 5. cap. de triplici Imperatoris corona, tradit Chriſtophorus Marcellus, coronatum illum eſſe Arelatæ anno 1365. *Legimus* (inquit) *& in aliis hiſtoriis, quoſdam Imperatores Arelate etiam coronam ſuſcepiſſe de Regno Arelatenſi, & alibi alios pro aliis Regnis. Nam & Carolus IVtus Avenionem venit ad Urbanum quintum Anno ſalutis milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto, multo ante juſſu Innocētij ſexti Romæ Imperator coronatus. Qui rebus, quarū gratia ad Pontificem venerat, abſolutis, Arelate profectus eſt.* Quod profectò magnum fuerit argumentum, nondum adhuc perditi Cæſarei juris in Arelatenſe Regnum. Cum porrò jam antè, anno quadrageſimo octavo, Avenionem ſibi emiſſet, partem Provinciæ Arelatēſis, Romanus Pontifex, ratihaberi id fecit ſibi à Carolo Cæſare: non facturus utiq; ſi Cæſarū in Provinciā jura jam extincta eſſe agnoviſſet. In celeberrima deniq; illa conſtitutione de Electoribus, quam vulgò κατ' ἐξοχὴν Auream bullam nuncupamus, anno quinquageſimo ſexto idem ille

Cæſar pronunciavit Trevirenſem Archiepiſcopum Archicancellarium Imperij per Regnum Arelatenſe; quod nondum erat factum.

Saltim hactenus itaque citra controverſiam, & Cæſares & alij, ſummam Imperij in Regnum illud Arelatenſe poteſtatem agnoverunt. Quæ porrò de alienato per Carolum Cæſarem Regno illo narrat Theodorus de Niem, illa profectò non conſentiunt illius ævi monumentis: utpote cum non utique Ludovico Andegavenſi, ſed Carolo tum Delphino poſt ſexto id nominis dicto Regi ceſſerint Caroli Cæſaris dona, ut omnes conſentiunt. Nec quis alius memorat ſolenne aliquod prandium, quo Cæſar à Gallo ſit exceptus apud Villam Novam: quanquam haud taceant quam ſplendidè Cæſarem illum ejuſque filium Wenceſlaum, Pariſiis Carolus quintus Rex habuerit. Aventinum memoria falſum vel inde patet, quoniam vult in Ioannem Regem ejuſque filium alienationem Regni Arelatenſis factam eſſe, & tamen mox apparebit in Caroli quinti filium aliquid collatum eſſe ſed non niſi temporarium, ac Vicariæ conditionis. Sed & Golnitzius in Itinerario ſuo Belgico Gallico, ubi de Vienna agit, cum feciſſet verba de Delphinatus in Gallum tráſlatione ſubjungit neſcio quo auctore: *Quod ſub Ioanne Rege anno* 1349. *etiam factum: cuius filium Carolus fuit Delphinus primus, aſſentiente Imperatore Carolo IV to, MODO Delphinus ille & primogenitus Regis feudum illud ab Imperio ſuſciperet.* Bodinus ſemetipſum confutat. Agnoſcit enim anno MCCCLXXIIX. Carolo Delphino ætatis beneficium datum à Cæſare ſimulque Vicariam poteſtatem in Regnum Arelatenſe, exceptâ tamen Sabaudiâ. Hinc enim utique ſole eſt clarius, antehac Regno Galliæ non fuiſſe plenum aliquod jus in Regnum illud, imò tale ne quidem tum datum. Vicaria enim poteſtas non profectò ſumma eſt, ſed minor utique ea cujus eſt vicaria. Ergo ſi à Cæſare perpetua quædam Vicaria poteſtas fuit data Gallorum Regibus, non profectò eo ipſo omnia Imperij jura alienata ſunt, ſed ſumma majeſtas Imperio relicta.

Cæterùm Carolo quidem Delphino datum fuiſſe ejuſmodi quoddam jus, & perpetuum quidem fatemur: non hæreditarium tamen, aut transferendum in omnes Galliæ Reges, ſed cum vita illius Caroli finiendum. Hinc Robertus Gagninus l. 9. ubi Caroli uti Regis hiſtoriam perſequitur narrans quemadmodum ille Cæſarem Pariſiis exceperit; *Traditum, inquit, à Gallis ſcriptoribus comperio, Imperatorem quibuſdam caſtellis terra Delphinatus donâſſe Delphinum, eumq; in Arelatenſi Regno Imperij Vicarium inſtituiſſe. Arelaten enim Regni Burgundiorum primariam civitatem & caput fuiſſe, Imperioque paruiſſe certum eſt.* Apertius id fatentur alij ſcriptores Gallicani. Vignierius tractatu quem ſuprà jam laudavimus interprete Limnæo: *Ludi Andegavenſi donavit Cæſar Carolus reliquias, quæ ſuperfuerant Imperatoribus in Delphinatu, h. e. Pompam & Charnacum, & ſimul eum conſtituit AD TEMPUS VITÆ (la vie durant) irrevocabilem Maieſtatis ſua vicarium, eius quod tenebat in Regno Arelatenſi.* Similiter pene loquitur Belleforeſtus l. 5. Annaliū: *Le faiſant Vicaire irrevocable de l'Empire ſa vie durant.* Agnoſcit idem diſertè Theodorus Gothofredus v. c. Advocatus Pariſienſis, in libello quo Principum illorum congreſſum deſcripſit. Datum ſcil. Vicariatum illum, *a la vie dudit Dauphin.* Præclariſſimè omnium univerſam hanc rem quoniam memoriæ mandavit nobiliſſima virgo, Chriſtiana Piſana in hiſtoria Caroli V. Regis, producamus hoc loco ejus verba, quemadmodū ex manuſcripto codice regio Bruxellenſi Vindiciis ſuis Hiſpanicis inſeruit illa doctiſſimus Chifletius. *Imperator* (ait virgo) *motu proprio in gratiam Regis, & filij eius natu maioris Delphini, cõſtituit & fecit LOCVM TENENTEM SUUM & VICARIUM GENERALEM IN REGNO ARELATENSI DICTUM DELPHINUM, voluitque idem obtinere AD VITAM DICTI DELPHINI irrevocabiliter: & ea de re literas ſuas ſigillo aureo munivit tanta tamque ampla cum facultate, quanta concedi poteſt, quæque antea dari minime ſolita fuit. Et pariter eundem LOCUM TENENTEM ET VICARIUM SUUM GENERALEM creavit aliis quibuſdam literis pari modo ſigillatis, parique cum facultate, in DELPHINATU feudiſque immediatis & mediatis, & aliis quibuſcunque clientelis, ſine ulla exceptione. Deditque & conceſſit CASTELLUM POMPETI SUPRA VIENNAM, alteramque domum in dicta Vrbe CHAMAUX appellatū. Similiter eidem BENEFICIUM ÆTATIS impertivit, & alia omnia SUPPLEVIT, quæ OB ÆTATIS DEFECTUM dicto Delphino dictis gratiis & præfecturis obtinendis impedimento eſſe poſſent. Quæ quidem ut ratè perficerentur, & alia nonnulla, in gratiam & emolumentum Regis, eiuſque liberorum, CANCELLARIUM SUUM PARISIIS triduum aut quatriduum à ſuo diſceſſu reliquit, literis ſuis obſignandis tradendiſque.* Subdit deinde poſt pauca: *Vbi Rex Pariſios reverſus eſt, Cancellarius Imperatoris Delphino, qui apud Regem erat, attulit obtulitque literas gratiarum ipſi ab Imperatore conceſſarum ſigillo munitas: Vnde Imperatori grates egit, & Cancellario in hoſpitio ſuo verſanti miſit dono pateram elegantem argenteam, bene & accuratè inauratam, viginti beſſes pendentem: inſuperque intra dies caliditates mille Francos aureos, quos illi Delphinus in ſuſcepti pro ſe laboris mercedē conceſſit.* Hactenus Gallicani illi. Vt proinde jam nefas fuerit affirmare, per Carolum univerſa Imperij jura Arelatenſia in Gallos tranſlata: quum ſumma poteſtas Imperio non ſit derogata, & vicaria illa ita tantum data, ut mortuo Carolo illo ſexto, qui obiit MCCCCXX. Cæſaribus reſtitui debuerit.

Quæ omnia ita ſeſe habere confirmatur etiam ſecuti temporis hiſtoria. Id quod *octavo loco* memorabile occurrit. Etenim Carolo ſexto Rege anno MCCCXCII. inſania correpto, & reipublicę adminiſtratione patruis ejus commiſſa, crediditſe Rupertum Cæſarem Palatinum videtur, Imperij intereſſe, Regno Arelatenſi alium aliquem idoneū gerendis rebus præficere, eoque in Italiam profecturus filium ſuum Ludovicum ibi Vicarium creavit. Diploma ipſum Cæſaris exhibuit nobis Marquardus Freherus l. 1. c. xvi. ex tabulariis Palatinis, ſcriptum anno MCCCCI. quod quia prolixius eſt & multa aliena continet, non eſt quòd in medium producamus.

Ruperto qui ſucceſſit Sigiſmūdus Cæſar approbavit à patre Carolo factam conceſſionē: quod audivimus dicentem Aventinum. At non ſatis cōſtat,

nam

num Vicariatum Imperij probaverit an vero Delphinatus poſſeſſionem: nec enim Avêtinus ſatis id explicat. Si verò confirmavit tã.ùm ea quæ à patre ſunt acta, per utiq; eſt veriſimile, confirmatum Vicariatum Imperij Carolo VI. Regi quoad viveret, quẽ ſc. Rupertus filio ſuo erat largitus contra quam Carolo illi VIto promiſerat Cæſar Carolus quartus. Et vero inviſit Sigiſmundus Pariſiis Carolum illum ſextum anno MCCCCXVI. cõponendæ pacis cauſa inter illum & Henricum Anglum. Quicquid hujus ſit, Sigiſmundi illa probatio certiſſimo eſt argumẽto, etiamnum initio ſeculi decimiquinti non tantùm Cæſares ſed ipſos etiam Galliæ Reges ſummam Imperij poteſtatem in Regnum Arelatenſe & Delphinatum agnoviſſe. Nec verò hi curâſſent ſibi poſſeſſionis ſua jura confirmari per Cæſares, niſi utique agnoviſſent, plenum jus ſibi nequaquam competere.

Num Caroli ſexti ſucceſſores Galliæ Reges ab Imperatoribus noſtris curaverint eodẽ ſibi modo caveri, equidem neſcio. Obſervo tamen in tabulis Caroli VII. ut & in annalibus Ludovici XI. ſtudioſè Delphinatum à Regni Galliæ provinciis ſemper diſtinctum eſſe, ſecus quam poſtea fieri ſolitum. Saltim itaq; his etiam Regibus fuit agnitum, non Regio ſed ſingulari alio aliquo jure Delphinatum poſſideri, nec poſſe illum in corpus Regni Gallici jure coaleſcere. Æquè olim Provinciæ Comitatus à Gallico regno diviſus fuit, utpote qui in patrimonio fuerit Siciliæ Regum ad Ioannam uſque Reginam, inde ad Andegavenſes tranſlatus, demum Ludovico XI. Regi à Renato Andegavenſi fuit donatus. Etiam ille itaque hactenus non potuit Regni provinciis accenſeri, nec eſt accenſitus.

Interea vero uſq; ad noſtra hæc tempora, perpetuo, Archiepiſcopis Trevirenſibus, nullo Gallicorũ Regum adverſante, Archicancellarij per Regnum Arelatenſe titulus ſolennis fuit: atq; ita ſaltim perpetua ac ſolennis quidem memoria manſit jurium Imperij, imò illa tantùm non ſemper quaſi renovata eſt. De Friderico etiam III. Cæſare illo ſæpius laudato loco Goldaſtus ita ſcribit: Mir iſt nicht weiters eröffnet vnd bekand/ denn daß anno 1444. Keyſer Friderich / als die Eydgenoſſen die Stad Zürich belägert / ließ Ludwig den Delphin aus Franckreich / als dem Heiligen Reich verwandten vnd Vicari, auffmahnen vnd zur hülff vnd Entſchüttung der belagerten Stad des Reichs/ zu Arleß begehren. In Cæſaris Maximiliani querelis ſuper injuria Gallorum, frequens fit mentio, per injuriam denegati Imperio homagij, Delphinatus & Regni Arelatenſis nomine. *Delphinatũ eſſe Imperij terram* (verba ſunt Chifletij in Vindiciis Hiſpanicis pag. 123.) *aſſeruit ſeculo præterito Carolus V. Imperator. Cum enim apud Likercanum, Lombeca Vicecomitem, eius Legatum, FRANCISCVS I. Franciæ Rex conqueſtus fuiſſet, quod Cæſar Marchionem Saluciarum in iudicium vocaſſet, quem Rex cauſâ Delphinatus aſſerebat eſſe Vaſallũ ſuum; ſcripſit Likercano Carolus Imperator, literis datis in Aſtẽſi civitate XIIX. Iunij anni MDXXXVI. dictum Marchionem vel ex ipſa Franciſci Regis confeſſione eſſe Imperij clientem, cum certum eſſet terram Delphinatem pendere ab Imperio: addens inſuper, à Franciſco Rege Ducem Sabaudiæ iniuſtè bello laceſſiri, qui & Princeps Imperij & Cæſareæ Maieſtatis Vaſallus eſſet.*

Quid poſtea pro Imperij juribus ſit geſtum, non ſatis mihi exploratum, fateor. Itaq; etſi ſecurè pronunciare poſſim, hactenus nullo aperto conſenſu ſive Cæſaris alicujus ſive Imperij, ea quæ Galliæ Reges hodie in Burgundico Regno poſſident, Imperij juribus ſubducta eſſe; num tamen non per neglectum & ſilentium noſtrum iis aliquid detractum ſit, & longi temporis præſcriptione illa perierint, aliis rerum Imperij peritioribus dijudicandum relinquo. Certè, ſi præſcriptionis titulo non poteſt, nullo jure Gallus ſaltim ſummam poteſtatem ſibi quit vindicare. Et verò jam ſuprà audivimus Thuanum ipſum fatentem, non obſtitiſſe hactenus diuturnam Regum poſſeſſionem, quominus more priſco ripa Rhodani ulterior Imperio à vulgo adjudicetur. Sed & prudentiores nonnulli Gallicanorum ſcriptorum, vi veritatis adacti, infirmitatem Regiorum prætextuum, non auſi ſunt diffiteri. In hiſtoria vitæ Nicolai Fabri Pereskij l. 4. Petrus Gaſſendus de Petri Saxij opere cui titulus *Pontificium Arelatenſe*, hęc notavit, digna quę à nobis etiam hæc commemorentur. *Tandem legit per id tempus* Peireskius, *quod tum è prælo primum prodibat, Arelatenſe Pontificium, auctore Petro Saxio eius Eccleſiæ Canonico. Plurimum verò fuit indignatus, quod ille, ſtudio neſcio quo, affectâſſet elevare Principum noſtrorum iura, & non modò non repoſuiſſet quæ opponi poterant, ſed interdum etiam tentaſſet præter fas illa enervare. Quamobrem non interquievit, donec placito Curiæ evulgatio libri prohibita fuit.* Hæc ille: quæ ſimul nobis poſſunt certo eſſe argumento, plura ejuſmodi proditura in lucem Gallicis auctoribus, ſi vis abeſſet. Olivierium Marcanum diſertè ſcribere, Breſſiæ Comitatum *terram Imperij eſſe*; teſtatur Chifletius in Vindiciis Hiſpanicis. Is qui clariſſimo Chifletio ſeſe oppoſuit Gallicarum partium vindex Iacobus Alexander Tenneurius, in Aquitanico Vectigalium Senatu Conſiliarius Regius, extremum finem partis ſecũdæ *veritatis* quam appellat *vindicatæ* hiſce verbis claudit. *Idem ſanè dicendum ad ea, quæ de Imperatoris iure in varias iamdiu à Regibus noſtris poſſeſſas ditiones, temerè effutiit Chifletius. Præterquam enim quod illas legitimè ad eos perveniſſe facilè oſtendi poteſt: etiamſi ab iis primum iniuſtè occupatas fuiſſe conſtaret, optimo tamen iure iamdudum ab iis poſſideri, nemo inficiabitur, propter varia nimirum inter ipſos & Imperatores inita pacta (præcipue autem Monaſterienſe nuperrimum) quibus omnes inter eos controverſiæ, non modò utrinque ſopitæ, ſed & penitus deciſæ & definitæ fuerunt, aureaq; pax Summi Numinis beneficio, verbis, ſcriptis factis, perfectè ſtabilita, firmataque tandem eſt.* Hæc omnia Tenneurius, vir multæ eruditionis & acerrimi judicij. Etſi verò dicat *facilè oſtendiſſe poſſe* legitimam poſſeſſionem Regum; facilè tamen apparet, illum multò potius ad præſcriptionem & nuper initæ pacis leges (quæ tamen non loquuntur de Arelatenſibus aliiſque id generis) provocare, quam illis *oſtenſionibus*, quibus popularium ſuorum plerique vulgo nituntur, fidere.

Longè juſtiore titulo, poſteaquam ſanè ita convenit, poſſident plena omnia majeſtatis jura Galliæ Reges, quæ ipſis Cæſar & Imperij Ordines in Alſatia ceſſerunt. Fuit & illa regio, ſaltim magnam partem, olim portio Burgundici Regni: itaque quid de illa cautum ſit, opportunum eſt hoc loco adijcere. *Tertio, Imperator pro ſe totaq; Sereniſſima Domo Auſtriaca, itemque Imperium cedunt omnibus iuribus,*

proprietatibus, dominiis, poſſeſſionibus ac iuriſdictionibus, quæ hactenus ſibi, Imperio & Familiæ Auſtriacæ competebant in oppidum Briſacum, Landgraviatum ſuperioris & inferioris Alſatiæ, Suntgoviam, Præfecturamque provincialem Decem civitatum Imperialium in Alſatia ſitarum, ſcilicet Hagenavv. Colmar, Schletſtatt, Weiſſenburg, Landavv, Oberenhaim, Rosheim, Münſter in Valle S. Gregorij, Kayſerſberg, Turinghaim, omneſque pagos & alia quæcunque iura, quæ à dicta Præfectura dependent, eaque omnia & ſingula in Regem Chriſtianiſſimum Regnumque Galliarum trãsferunt, ita ut dictum oppidum Briſacum cum Villis Hochſtatt, Niederrimſing, Harten & Acharren, ad communitatem civitatis Briſacenſis pertinentibus, cumq; omni Territorio & banno quatenus ſe ab antiquo extendit, ſalvis tamen eiuſdem civitatis privilegiis & immunitatibus ante hac à Domo Auſtriaca obtentis & impetratis. Itemque dictus Landgraviatus utriuſque Alſatiæ & Suntgoviæ, tum etiam Præfectura Provincialis in dictas Decem Civitates & loca dependentia, itemque omnes Vaſalli, Landſaſſij, ſubditi, homines, oppida, caſtra, villæ, arces, ſylvæ, foreſtæ, auri, argenti, aliorumque mineralium fodinæ flumina, rivi, paſcua, omniaque iura, Regalia & appertinentia, abſque ulla reſervatione cum omnimoda iuriſdictione & ſuperioritate, ſupremoque dominio à modò in perpetuum ad Regem Chriſtianiſſimum Coronamque Galliæ pertineant, & dictæ Coronæ incorporata intelligantur, abſque Cæſaris, Imperij, Domuſque Auſtriacæ vel cuiuſcunq; alterius contradictione. Adeò ut nullus omnino Imperator aut Familiæ Auſtriacæ Princeps quicquam iuris aut poteſtatis in iis præmemoratis partibus cis & ultra Rhenum ſitis, ullo unquam tempore prætendere vel uſurpare poſſit aut debeat. Sit tamen Rex obligatus in iis omnibus & ſingulis locis Catholicam ſervare Religionem, quemadmodum ſub Auſtriacis Principibus conſervata fuit, omneſque quæ durante hoc bello novitates irrepſerunt, removere.

Hactenus Tabulæ publicæ: quarum ſententiam quamvis gravem & Imperij rebus detrimentoſam, abſit ut impugnemus. Quamobrem non etiam eſt, cur de Gallicis per hoc regnum poſſeſſionibus amplius nos hoc loco diſceptemus.

CAPVT XXV.

Reliquas pleraſque Burgundici regni partes videri hodieque Imperij finibus iure meritoque comprehendi.

PErgimus ad reliquas Burgundici olim Regni partes. Quas inter merito primo loco luſtranda venit Pontificum Romanorum ditio, cum ob dignitatem poſſidentis domini, tum quod ditio ipſa quondam partim in patrimonio Provinciæ Comitum, omnino Provinciæ terminis comprehenſa, de Provincia autem proximè à nobis actum fuerit. Duo autem tenent hæc loci Pontifices, Comitatum ſc. Venayſinum & Avenionem. Quemadmodum utrumque ad Pontifices devenerit ante omnia fortè eſt præmittendum.

Abrahamus Bzovius ad annum MCCCIX. num. x. ita ſcribit: *Quod Comitatum Venayſinum attinet, fuit is olim Raimundi Comitis Toloſani, eius contra quem D. Dominicus Prædicatorum Ordinis conditor una cum Simone Monfortio ſacram militiã pugnabat. Albigenſium hæreticorum patronũ & fautorem Innocentius III. diris devoverat, eiuſque ſubditos omnes vinculo ſacramẽti exſolverat: inſuper & Cruce ſignatorum exercitum contra refractarium ſubmiſerat. Feliciter piam militiam profeſſis ſucceſſerat. Namque nullis victoriis devinctis partis, plurima de eo receperant. Ille extincto filius cognominis ſucceſſit. Cum quo tandem pace per Cardinalem S. Angeli Legatum Anno 1228. menſe Aprili inita, convenit ut Raymundus iunior, omne ius quod ultra Rhodanum in Regno Galliarum potuiſſet prætexere, & in hos Comitatum Tholoſanum, Provinciam linguæ Occitanæ Comitatum Venayſinũ, Sedi Apoſtol. reſignaret: inq; manibus Ludovici Regis Galliarum deponeret; qui eas Provincias & Comitatus, nomine Apoſtol. Sedis adminiſtraret. Fuerunt ea omnia in poteſtate Romani Pontificis, ſed à Regibus Galliarum adminiſtrata, uſq; ad Gregorij X. Pontificatum. Qui Concilio Oecumenico Lugduni convocato, cũ cætera pro dignitate, & libertatibus egiſſet, tum præcipue Comitatum Venayſinum, Eccleſiæ Rom. addictum, à Rege Galliarũ vindicavit.* Idem Bzovius ad annũ MCCCXLIIX. num. x. recitat tabulas, ſive inſtrumentum publicum ex archivo Vaticano depromptum, quod illâ tempeſtate tabellio confecit, ſuper contractu emptæ per Pontificem Clementem VII. à Iohanna Regina Neapolitana Avenionis, pretio octuaginta mille florenorum aureorum.

Accuratius tamen rem hanc omnem noviſſe quibuſdam viſus eſt, vir ſanè eximius & ut in Provincia illuſtri genere natus, ita Regius quondam Aquæſextienſis Senator, Nicolaus Fabricius Peireſcius. Quapropter ejus etiam ſententiam producemus, qualem illam memoriæ mandavit in vita viri præclariſſimi doctiſſimus Petrus Gaſſendus l. 2. *Incidit*, inquit, *ſermo de tempore deque titulis, quibus Avenio Comitatuſque Venaſcinus ad Pontificem maximum pervenit. Cumq; alij nihil ſcirent aliud, quam factam à Ioanna Regina Clementi ſexto venditionem, anno ſupra milleſimum trecenteſimo quadrageſimo octavo, ac die nonâ Iunij, pretio Florenorum octuaginta mille; retexuit ipſe totam hiſtoriam ab anno uſque ducenteſimo nono, quo Raymundus tertius Toloſanum Comes hæreſeos Albigenſium fautor, & Legati interfecti auctor creditus, fuit ab Innocentio tertio iterũ excommunicatus. Inde enim cœpit ditione ſpoliari, ac poſt annos novendecim tranſactio Pariſiis ſic fuit inita, ut Alfonſo illius filio ſola urbs Toloſa cum paucis adiacentibus cedereti; cætera ultra Rhodanũ loca ad Regem attinuerint, quæ citra vero poſſidebantur, ad Pontificẽ ſpectarint. Cum homines autẽ eiuſce regionis non ſatis libenter id ferrent, quod Romã paſſim provocarentur, ac ideo Alfonſi partibus faverent. Bonifacius quidem octavus provocationes illas remiſit, Clemens vero quintus, ut amplius demereretur animos, etiam ſedere illic voluit; & cum, poſt Ioannem vigeſimum ſecũdum, Clemens ſextus Pontifex foret, facta eſt venditio eorum iurium, quæ Comitis Provinciæ erant, à partitione uſque facta inter Raymondum Berengarium Comitem Provinciæ, & Alphonſum Comitem Toloſæ, anno ſupra milleſimum conteſimo vigeſimoquinto.*

Hactenus Gaſſendus. Cæterum Bzoviana dixerim ego in pleriſque verò magis eſſe conſentanea. Avenionem enim ante annum 1348. non fuiſſe juris Pontificij, videtur ex Tabulis à Bzovio adductis, poſſe tutò colligi: utpote cum in iis juris alicujus, quod hactenus in eam Pontifici competierit, nullo verbulo fiat mentio: ex adverſo Ioanna audiat: *Provinciæ & Forcalquerij Comitiſſa & Domina civitatis Avenionis*, ac merum mixtumq; imperium

in Vr-

in Vrbem dicatur tum vendere. Iam tum verò Comitatum Venayſinum poſſidebant Pontifices. Vtique enim jam anno MCCCIX. Clemens V. Papa Comitatui iſti Rectorem dedit Raimundum Guilhermi de Rudas: ceu liquet ex illis binis diplomatibus Pontificiis quæ recitat Bzovius in hiſtoria illius anni num. ix. & xi. Itaque id quidem Peireſcio conceſſerim, per tranſactionem Pariſiis inſtitutam Comitatum Venayſinum Toloſano ereptum Pontifici ceſſiſſe, idque circa annum MCCXXIIX. ut rectè notavit Peireſcius & Bzovius: at ipſam Avenionem urbem ſimul tum factam juris Pontificij, fefellit memoria virum doctum; nec enim urbs illa in ditione Toloſani fuit unquam. Rectè etiam hoc Peireſcius: Toloſani bona quæ ultra Rhodanum erant ſita, facta fuiſſe juris Regij. Non enim in illa Pontifices quicquam ſibi arrogaverunt: & errat Bzovius ſcribens, omnia etiam illa ad Pontificem tranſlata eſſe. Et verò idem Bzovius manifeſti erroris poteſt convinci etiam in eo, quod Comitatum Venayſinum numerat inter ea quæ Comes Toloſanus in *Regno Galliæ* poſſederat; cum tamen illum intra limites Imperij cis Rhodanum comprehenſum tum fuiſſe, nemo unquam negavit. Credere tamen Bzovio poſſumus, Comitatum illum conceſſu Pontificis à Gallo Rege adminiſtratum eſſe, donec eum Sedi Romanæ Gregorius X. vindicavit.

Verùm hæc accuratius excutere non eſt noſtri instituti. Videndum potius eſt, num illæ terræ finibus Imperij exciderint. Ac Bzovius quidem, cum recitâſſet tabulas emptionis circa Avenionem inſtitutæ, mox ſubjungit hæc verba n. xi. *Hoc anno Carolus Rex Romanorum Albotum Lucenſem Canonicum Narnienſem, Clementis Pontificis Nuncium, ea quâ par erat benignitate audivit & dato aureo diplomate, iuri omni, ſi quod in Vrbem Avenionenſem titulo Imperij habere poſſet, Sedi Apoſtolicæ & Romano Pontifici volens lubens ceſſit, datis literis in oppido Gorlizio, Calendis Novembres anno Chriſti* 1348. *Regni eius anno tertio.* Addit ſibi id depromptum, ex *Archeo Vaticano & Molis Adriani, & epiſtola Clementis hoc anno ſcripta ep.* 85. 128. *&* 658. At verò ex iis ſanè quæ modò diſputavimus, liquidò apparuit utique, Provinciæ univerſum Comitatum eâ tempeſtate fuiſſe juribus Imperij obnoxium: non itaq; potuit illis ſoluta tum eſſe Avenio. Quod ſi etiam Pontifex Clemens VI. crediduſſet in illam Imperialis juris nihil ſupereſſe, non profectò, miſſo Legato, Caroli IV. Cæſaris tabulas ſtudioſè adeò ſuper illo contractu exegiſſet. Quid Carolus Pontifici promiſerit non auſim decernere, cum nec Bzovio liceat tutò credere, nec tabulæ Cæſareæ ex latebris ſuis in lucem ſint protractæ. Certè haud parùm ſuſpectam facit Bzovij fidem, quod edere illas noluerit, cum & res id exigeret ipſorummet Pontificum, quorum maximè cauſam agit in Annalibus ſuis, & facilè potuiſſent ab illo produci, ſi vera narrat. Iam verò quicquid promiſerit etiam Carolus ille, cum nullus acceſſerit Ordinum Imperij conſenſus, invalidum id omne eſſe, nemini non liquet. Illum verò non acceſſiſſe, ex ſilentio Bzoviano licet ſecurè colligere. Ex eo in tabulas iſtas, quibus Cæſares ſolent Pontificibus Romanis de bonis cavere, Comitatum Venuſinum & Avenionem tranſiiſſe, jam notavimus capite viceſimo. Cum verò & illo & ſequente capite ſimul oſtenſum jam ſit à nobis, vi tabularũ iſtarum nihil illorum bonorum omnium Imperij juribus eſſe ſubductum, jam tum ſimul etiam probatum dedimus, Arelatenſia quoq; iſthæc juribus illis adhuc eſſe obnoxia, utpote quum horum par cum reliquis illis ſit conditio. Ac proinde non etiam eſt, cur iterum ſeorſim hoc negotium nunc agitemus. Fabuloſum tamen arbitror quod Merula ſcribit parte 2. Coſmogr. l. 3. c. 42 *loca non pauca Comitatus Venuſini Cameræ Imperialis iuriſdictionem hodieque agnoſcere.*

Pars etiam Provinciæ ARAVSIO eſt. Illius Principatum ſaltim ad Rudolfi ætatem Imperij leges audiviſſe, & poſt demum in fidem Comitum Provinciæ conceſſiſſe, non alio nunc teſte probabimus quàm unico, qui tamen pro multis eſt, viro fide & doctrinâ illuſtri Iacobo Auguſto Thuano, quem Gallum eſſe ignorat nemo. In libro trigeſimo primo hiſtoriæ ſuæ de Arauſione ita commentatus eſt. *Arauſio Imperio Franco-Germanico olim ſubiecta fuit, ut ex bulla aurea Academiæ eius inſtitutionem complectente conſtat: aliaque præterea, quæ privilegiorũ Eccleſiæ primariæ à Friderico II. an.* CIↃCCXXV. *conceſſorum confirmationem ſanxit: ex moneta item quæ cum Imperij inſignibus cudebatur: & tabellionum privilegiis, qui auctoritate Imperiali inſtrumenta publica conficiebant. Poſtea Imperij per Galliam noſtram infracta potentia, peculiares Principes Provinciam tenuere, & cum ea Arauſionenſem Principatum, qui tandem ad Bauſiorum regulorum familiam, ſeu ſucceſſione ſive alio titulo devolutus eſt, eadem prærogativâ ac immunitate, quibus hodie Imperij Principes fruuntur, de quibus inſtrumentum fuit confectum à Bertrando Bauſcio anno* CIↃCCXLII. *eid. Decembr. In eo Principatu & partem habebant Hieroſolymitani Equites, à Principibus, ut vero fit ſimile, in ſocietatem aſciti, ob virtutis famam & præcipuum belli adverſus Saracenos gerendi, cui illi deſtinati erant, eâ ætate ſtudium; ut à Rigenſi epiſcopo in Livonia alibi factum memoravimus. Idque ex nummis pleriſque patet, quibus in antica parte Arauſionenſis principis, in poſtica Hieroſolymitani Ordinis inſignia viſuntur inſculpta. Et ſtatet in eo Principatu fuerunt uſque ad ann.* CIↃCCLVI. *quo Carolus Andinus Ludovici IX. frater, qui Beatricem Raimundi Berengarij, ultimi ex Barcinonenſium Comitum illuſtri familia Provinciæ Comitis, F. uxorem duxerat, eam ditionem crevit, & Gulielmum Bauſcium Arauſionis Principem tanquam beneficiarium in fidem accepit, per Odonem Fontenarium, magnum Provinciæ Seneſchallum. Carolo Carolus II. F. ſucceſſit, qui tot regulorum ſuſpectam potentiam habẽs, ab Hieroſolymitanis Equitibus permutationis titulo partem, quam in Arauſionenſi Principatu habebant, comparavit, anno* CIↃCCCVII. *XI. Cal. Novembris, eamque mox Bertrando Bauſco attribuit, lege adiecta, ut ipſi poſteriq[ue] eius de Principatu univerſo tanquam beneficiarij, Provinciæ Comitibus fidem deinceps præſtare tenerentur. Ea de re inſtrumentum confectum anno ſequenti XI. Cal. April.*

Perſequitur deinceps Thuanus res Arauſionenſium Principum, ad Ludovicum Cabilonum matre Mariâ Bauſcâ genitum. De hoc verò ſubjũgit. *Ludovicus Cabilonus, inquit, à Renato Siciliæ Rege in fidem acceptus eſt, eiq; quindecim millia librarũ commodavit, anno MCCCCXXXVI. dum captivus Divione à Philippo Burgundione detineretur. Viciſſim Renatus, ut ut de huius ſumma reſtitutione caveret,*

ius ſupremi imperij quod ipſe in Principatu habebat, obligavit. Cumq; carcere liberatus ut illud diſſolvere paratū ſe oſtenderet, Cabiloni tergiverſatione effectum eſt, ut negociū exitu caruerit. Addit quemadmodum Ludovici filius Guilielmus, poſtquā licentioſè cum injuria ſubditorum ſuorum ſummo imperio eſſet uſus; pacto cum Ludovico XI. Rege, qui jam rerum in Provincia potiebatur, inito in beneficiariā clientelam Delphinatus Viennenſis conceſſerit; quo nexu tamen Ludovicus XII. Rex Ioannem Guilielmi filium liberaverit. Franciſcum Regem revocatâ illa gratiâ, Philibertū Guilielmi filium in fidem iterum accepiſſe, ſed qui huic ſucceſſit Renatū Naſſavium Auſtriacas partes ſecutum. Igitur poſt Ticinenſem cladem Madritianâ pacificatione fuiſſe cautū ita, *ut nullâ habita iuris, quod Regibus competebat, ratione, Arauſionenſis Principatus cū ſummo imperio ipſis reſtitueretur. Et quāquam,* pergit Thuanus, *bellis poſtea inter Carolum V. & Henricum II. ſubortis, Regij magiſtratus manum in Principatū iniecisſent, & Gratianopolitanus ſenatus per id tempus de appellationibus cognoviſſet, tandem pacificatione ultima anni* CIƆIƆLIX. *rurſus ſupremum Arauſionenſis Principatus imperium, Naſſaviis iuxta Madritiana pacta reſtitutum eſt: & Guilielmus Guilielmi F. Renati frater patruelis præfectum Urbi impoſuit, & magiſtratus denuo inſtituit, qui citra provocationem cum ſumma poteſtate ius dicerent.* Hæc omnia Thuanus.

Creditur vero hodie is Principatus Imperij quoque legibus omnimodo ſolutus, atque adeo uni obnoxius Deo. Cæterùm *Principio* quidem obſervandum arbitror id, quod Thuanum audivimus fatentem: donec in clientelam devenit Provinciæ Comitum, citra controverſiam Principatum illum juris Cæſarej fuiſſe, & intra terminos Imperij collocatum. *Secundò* id quoque exiſtimo vacare controverſiâ, quod nemo Cæſarum auctoritate publica ſolverit Principatum illum Imperij legibus. Nec enim Madritianâ pactione abſolutâ omni ex parte poteſtas Arauſionenſi conceſſa, ſed inductum duntaxat illud clientelare jus illaque juriſdictio quam ſibi in Principatum iſtum Galliç Reges aſſerebant. Utque fortaſſis aliquid tale conceſſiſſet Naſſavio Carolus, Imperio illa privatâ prodigalitate nō potuit præjudicari. *Tertiò* cum ad Ludovici Duodecimi Regis tempora Principatus ille ab anno uſq; CIƆCCLVI. fuerit perpetuò in fide & clientela vel Provinciæ Comitatus, vel Delphinatus Viennenſis, uterq; autem ſaltim ad eandem uſq; tempeſtatem intra Imperij fuerint fines, quod præcedente capite probavimus: utiq; hactenus etiam Arauſionem extra Imperij limites non fuiſſe, exiſtimādum eſt. Num ex eo tempore Cæſares noſtri neglexerint, ſummæ ſuæ poteſtatis indicium aliquod Arauſionenſibus oſtendere, nec ne, non habeo dicere. Niſi tamen memoria me fallit legi, auctoritate Cæſareâ à Carolo V. & ratihabitatum Renati Naſſavij teſtamentum, & Guilielmum in poſſeſſionem miſſum eſſe. Quod fuerit magnum argumentum exercitæ tum Cæſareæ ſummæ poteſtatis.

Ad Auraicorum Principum patrimonium pertinet quoque CABILONENSIS Principatus, minoris Burgundiæ pars. De quo multò minùs dubitandum eſt; num intra Imperij ſit fines conſtitutus, quum ſuperioris ſeculi anno viceſimo, auctoritate Caroli V. Cæſaris, is qui tum rerum ibi potiebatur Philibertus, in album ſeu matriculam eorum: qui Imperij Germanici comitiis interſunt ejuſq; onera publica ferunt, recipi ſeſe fecerit. Etſi enim ex eo tempore Principes illi comitiis non interfuerint fortè, nec in dictos ſumptus penderint; ex matricula tamen publica nomen eorū non eſt expunctum: adeoque etiam hactenus integra ſuperſunt Imperij jura, multò magis ea quæ ad fines pertinent.

De Comitatu illo ampliſſimo BURGUNDIÆ ita loquitur Bodinus l. I. cap. x. n. 120. *Tametſi variis fœderibus noſtri Principes Flandriæ & Arteſiæ Principatum Carolo Cæſari conceſſerint: adhuc tamen reſtat Burgundia regio, quam appellant Caroliuum Comitatum. Cuius quidem proprietas ad Regem Hiſpanorum, dominatus ad Regem Francorum pertinet: & fiduciario iure ab Hiſpano Rege poſſidetur: ut in eo ipſo ſe Regis noſtri Vaſallum profiteatur.* Sed cum ratio, tum memoria Bodinum vehementer fefellit. Nunquam enim Comitatus ille vel in dominio vel in clientela Regum Franciæ fuit: etſi eam aliquamdiu poſſederint Burgundiæ Duces Regiâ Gallorum familiâ nati. Ipſemet Bodinus eodem capite n. 128. rectius docet, quemadmodum Comitatus iſte ad Duces illos pervenerit. *Burgundiam,* inquit, *liberam Carolus IV. Cæſar Philippo Audaci Burgundiæ Duci, prole maſculâ Comitum extinctâ, IMPERIALI IURE fruendam dedit.* Quod ſi tabulæ ipſæ forent ad manus, multò clarius id ipſum omnibus pateret. Earum loco producimus ejuſdem Caroli tabulas, quibus beneficium ætatis Philippo iſti contulit. Protulit eas ex Archivo Divionenſi Chifletius in *Vindiciis Hiſpanicis cap. 13. pag. 28.* in argumentum, quod Burgundiæ Ducatus Imperij majeſtatem obſervaverit: fruſtra tamen: teſtantur verò Philippum illum ſaltim ut Burgundiæ Comitem Imperij legibus fuiſſe obnoxiū; utpote cum ætatis venia concedi nequeat niſi ab eo qui jus habet ſupremi dominij. Tabulæ iſtæ habēt ſeſe in hunc modum. *Carolus Quartus divinâ favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex Illuſtri Philippo Duci & COMITI Burgundiæ, Principe & Conſanguineo noſtro Dilecto, gratiam noſtram & omne bonum. Imperialem decet magnificentiā ſic pro SUBDITORUM commodis adaugendis (illorum præſertim qui radiantes generis claritate, & communione ſanguinis ac aliis virtutum exercitiis ſe charos efficiunt) interdum illis uti remediis, ſic illos viis etiam dirigi in agendis, ut rigorem iuris diſpenſationis gratia temperet, & pro neceſſitate temporis à lege prohibita de ſpeciali gratia faciendo relaxet. Sanè pro parte tua Celſitudini noſtra extitit CUM INSTANTIA SUPPLICATUM, ut cum tibi PRO TE & TERRA TUA, in pluribus prætoriis, & civilibus negotiis exercendis, maiorum eorum, qui ætatem legitimam attigerant, ſit beneficium opportunum, & præpediēte ætatis defectu, ex eo quod minor annis exiſtis, ad gerenda exercenda & facienda huiuſmodi negotia inhabilis reputeris, ſuper hoc de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur conſiderantes magnificum ſtatum tuum, & negotiorū qualitates, quibus intendere cum utilitate teneris; & volentes TE ſuper præmiſſis de ſpeciali gratia reddere conſolatum, TIBI AUCTORITATE NOSTRA, ET DE PLENITUDINE IMPERATORIÆ POTESTATIS, veniam ætatis & beneficium maiorum & maiorennium damus & concedimus gratioſe:*

tecum

itcum ſuper defectum ætatis ſeu minorennitatis, quem pateris, etiam diſpenſantes. Volentes & EDICTO IMPERIALI decernentes omnino, ut omnia, & ſingula facta, & negotia civilia & prætoria, in judicio & extra, ubique locorum, & quibuſcunque perſonis, Eccleſiaſticis vel mundanis, agere, facere & exercere liberè valeas atque poſſis, non obſtante defectu prædicto: Et per te acta, facta & geſta perinde valeant & teneant, ac ſi maior annis & maiorum fultus beneficio exiſteres de præſenti. Nos enim juribus & ſententiis omnibus, & ſingulis ſcriptis, & municipalibus, de quibus in genere vel ſpecie in cõtrarium facientibus oporteret ſpecialem in præſentibus fieri mentionem, expreſſè & ex certa ſcientia derogamus præſentium, ſub noſtra Imperialis maieſtatis ſigillo, teſtimonio literarũ. Datum Pragæ anno Domini MCCCLV. Indictione IIX. XII. Calend. Sept. Regnorum noſtrorum, Romani anno X. Bohem. IX. Imperii vero I. P. D. Cancellarius Iacobus Auguſtini. Hucuſque illæ Tabulæ. Conſentiunt porrò in hoc omnes Burgundicarum rerum ſcriptores, etiam qui partibus ſuorum Principum plus nimio favent, à priſcis uſque temporibus ſemper Imperialis juris fuiſſe Burgundiam illam: itaque nihil eſt quòd dubitemus. Non eſt etiam quòd multis probemus, etiamnum Burgundiam illam ab ipſo poſſeſſore Hiſpano haberi Imperii regionem, cum diſertè ita cautum ſit in eo pacto, quod Carolus V. cum Imperii Ordinibus de omnibus regionibus, quæ Circuli Burgundici nomine ſolent uſurpari, inivit. Tabulas illas recitabimus ubi de Lotharienſis Regni provinciis, quas hodie Hiſpaniæ Reges tenent, acturi ſumus.

Burgũdici quondam Regni pars etiam fuit SABAVDIA. At hodie non deſunt qui illam omnibus Imperii juribus exutam, Principemque eius ſui omnino eſſe juris & arbitrentur & pronuncient. Fortaſſis verò ſatis eſt unum audire Ioannem Bodinum Gallum hominem, quem vis veritatis adegit apologiam quaſi ſcribere pro Imperio, adverſus improbos ejus detractores. *Ducem* (ait ille loco iſthoc ſæpius laudato n. 129.) *Allobrogum iura maieſtatis habere, unâ voce tradunt Italorum Iuriſconſulti iuniores* (provocat verò in margine libri ad Socin. Conſ. 4. l. 3. Caſtrenſ. conſil. 196. Brev. conſil. 45. Iaſonem conſil. 227. lib. 2.) *idque in ſuprema Curia Allobrogum iudicatum eſſe: quæ omnino cum Vicarii ac Vaſalli munere pugnant. Ac etiam Ozaſius Taurini præſes* (in deciſ. Pedemontana 155. & deciſ. 101.) *ſcribit Allobrogum Duces ſummam illam ac planè Imperialem poteſtatem ab Imperatoribus adeptos eſſe. Quæ certè poteſtas Imperatoris Vicario tribui non poteſt: ut veriſſimè Felinus, optimus iuris interpres ſcriptum reliquit. Quid enim maieſtas tam contrarium, quàm ſe Legatum (id enim appellatione Vicarii ſignificatur) profiteri à quo iura maieſtatis habere ſe putet, in ea ipſa provincia cui præſit? At enim Allobroges ipſi confitentur, totaq; eorum hiſtoria declarat, hanc Imperii Germanici provinciam, quæ nunc Sabaudia dicitur, Imperii feudum extitiſſe, & Duces ab Henrico V. fiduciarios Comitũ dignitatem aſſecutos; ac tandem Duces Sigiſmundi Cæſaris beneficio appellatos fuiſſe. Certè quidem antea ſemper Duces nec ita pridem Carolum patriæ reſtitutum, Imperatori fidẽ dediſſe cõſtat. Biennio poſt, id eſt MDLXI. procuratorias tabulas ad Arcarum Comitem Cæſaris cubicularium à Duce miſſas legi, ut novam fiduciæ formulam ab Imperatore ſuo nomine poſtularet; quia non ſatis copioſa illa ſibi videretur quam Auguſta acceperat. Id tamen effici nõ poteſt, cum Vicarii munus iura maieſtatis eius provinciæ, cui præfectus ſit, non admittat: at ne fiduciarum quidem aut feudatarium eſſe patiatur eius provinciæ, cuius ſummam habet poteſtatem. Rex Hiſpanus quidem in univerſa Inſubria, Hetruria; Duces item Saxoniæ & Palatini Comites, Imperatoris Vicarii ſunt ac Legati perpetui, ut iuriſdictionem abſente Cæſare exerceant, ſi quæ civitatibus aut Principibus inter ipſos aut etiam contra Cæſarem ipſum controverſia intercedat: quod quidem munus perſonale eſt, non prædiatorium; nec verò poteſt quiſquam fiduciarius eſſe eius prædii, cui præficiatur. Neceſſe igitur eſt Ducem Allobrogum Imperatoris Vicarium eſſe, extra fines ſuæ ditionis; quod nec Helvetii, nec Rex Hiſpanus, multò minùs etiam Rex Francorũ ferre poſſit.* Hæc Bodinus. Contra quem Antonius Teſſaurus in præfatione deciſ. n. 13. & 14. pro Sabaudi ſumma poteſtate diſputat: ſed, ne quid gravius dicam, fruſtra & ineptè. Vt tamen nihil diſſimulem; id quidẽ certiſſimũ eſt. Vicariam poteſtatẽ neutiquam eſſe omnibus numeris abſolutam & ſui juris, idq; ipſa illa voce indicari, hactenuſq; rectè probèq; Bodinũ ratiocinari: ita tamen fortaſſis haud voluit hoc ipſum qui jura illa ampliſſima Sabaudo attribuerũ eunt. Solẽt enim & aliis Germaniæ Principibus iura Imperatoria quadãtenus adſcribi; idẽ enim illos in ſuo territorio valere quantũ valet Imperator: ſed non alio ſenſu, quàm regalibus juribus maximis illos beneficio Cæſarũ valere, non autem aliquâ auctoritate minoriam omẽti. Quod ſi igitur nihil aliud voluerunt illi Sabaudici laudatores, nõ eſt quare in eos acriter animadvertamus. Nõ videtur vero Bodinus etiam id jure merito affirmaſſe: Sabaudũ in ſua ditione non poſſe vicarium Cæſaris agere: cum omnis Imperii vaſallus, qui quidem regalia quæ appellantur, beneficio Cæſarum tenet, reapſe non niſi vicariâ quadam gaudeat poteſtate. Notandum etiam, antiquo quidem more Comitis & Ducis jura non abſorbere omnia quæ appellantur regalia, ſed ea licèt poſſiderent, multò tamen maxima Cæſaribus in regionibus illis fuiſſe reliqua: itaque Dux etiam aut Comes Vicariam illam Cæſaris poteſtatem adipiſcens, in ſua quoque ditione nova quondam & longè majora conſequutus eſt. Hac ſanè de cauſa ipſe Philippus Hiſpaniæ Rex Vicarii illam auctoritatem in propriam ditionem Burgundici circuli à Ferdinando Cæſare conferri ſibi petiit. Adhoc Sabaudus Vicariam illam ſuam poteſtatẽ etiam in alia extendit quæ extra territorium Ducatus ſunt, vel certè olim fuerunt: etſi paulatim prætextu etiam Vicariatus in ditionem ſuam illa traxerit. Luculentè id mox apparebit, ex iis quæ de urbe Geneva dicturi ſumus.

Cæterùm præter Bodinum etiam Caſſanus, famoſus ille Regiorum Galliæ iurium præco, in defenſor. l. 2. cap. 2. pag. 46. negat Sabaudum poſſe ſimul Vicarium eſſe Imperii & Vaſallum. Verba huius ex Gallico ita vertit Clariſſimus Limnæus in Addit. ad l. v. cap. 14. n. 4. *Titulus quo Duces Sabaudiæ ſe prædicant perpetuos Imperii Vicarios, ab Imper. Carolo IV. anno 1366. Amedeo IV. qui Comes Viridis dictus, conceſſus, eiuſq; poſteris ab Impp. Maximiliano I. & Carolo V. confirmatus fuit. Ex eodem autem ſatis apparet, quòd malè affirment, ſi ab Impera-*

tore feuda ſua tenere. *Fuit enim hic titulus poſtea, ad inſtantiam & querelam Andrucsi Epiſcopi Genevenſis, cum cognitione cauſa per eundem Carolum IV. Anno 1383. revocatus, ſimulque prohibitum, ne ſub pæna mille marcarum revocationi huic contraveniretur. Illud verè maximè perpendi debet, quod titulus, Vicarij perpetui, incompatibilis eſt cum juramento, quod præſtant Imperatori. Neceſſarium enim omnino eſt, ut qui nomen habet Vicarij, aut locum tenentis, non ſit Vaſallus eius cuius locum tenet. Quia poteſtas abſoluta, quam accipit Vicarius, non poteſt ſimul ſtare cum ſubmiſſione quam debet Vaſallus Domino: aliàs enim ſibimet ipſi juramentum fidelitatis facere poſſet, quod maximè abſurdum.* Hæc quidem ille, Bodinum, ut videtur, ſecutus. Etiam hæc verò perineptè ita aſferuntur: utpote quum ipſa illa vicaria dignitas feudi conditione poſſit teneri, quomodo illam tenent Saxo & Palatinus Elector, ne quid dicam de aliis. Sed & quidni una in re ſis Vaſallus, in alia titulo diverſo Vicarius Cæſaris? Tricæ igitur tantùm hæ ſunt ſciolorum, uſui ipſi communi repugnantes.

Non eſt verò quare iis nunc immoremur, quum ad noſtrum argumentum non ita proximè pertineant. Sabaudiam verò Imperij hodieque limitibus contineri, uſque eſt adeò notum omnibus, ut ipſemet Thuanus l. 2. hiſtoriæ ſuæ, enartans Imperij omnem rationem, nihil dubitaverit in hæc verba prorumpere: *Sabaudia & Allobroges Imperio ac legibus Imperij parent.* Iam antè ſcil. audivimus diſſerentem Bodinum, quemadmodum ipſa Ducalis dignitas, Sigiſmundi deoique Cæſaris beneficio, Principibus Sabaudiæ ſit primum conceſſa: imò à Carolo etiam V. Cæſare clientelari lege Carolo Duci attributa. Sanè ipſi ferunt ſeſe nonniſi Cæſarum Vicarios. Nomen Sabaudi porrò matriculæ Imperij inter Principes inſertum eſſe, addito onere in expeditiones quidem publicas Imperij mille octingentorum ac viginti octo, in ſuſtentationem verò Iudicij Spirenſis annuorum trecentorum florenorum, notum eſt omnibus. Sed & disertè idem Princeps in conſtitutionibus Imperij paſſim audit Princeps & Vaſallus Imperij: Der Hertzog von Saffoya iſt des Heiligen Reichs Fürſt vnd Lehnman. Eundem à Spirenſi judicio, anno ſeculi ſuperioris viceſimo primo, die octavo decimo Decembris, delicti cauſâ per ſententiam proſcriptum eſſe, notatur in *Symphoremate Præjudiciorum Cameralium voce Bannum pag. 56.*

Non tantùm verò Sabaudia ipſa à Principe illo fiduciario jure tenetur, ſed etiam in Italia Pedemontium, quod anno MCCCLXIII. pulſâ Ioannâ Neapolitanâ in ditionem ſuam majores illius redegerunt. Comitatum Aſtenſem etiam & Marchionatum Ceræ iiſdem Principibus eodem jure Carolus V. conceſſit; quorum feudorum diſertam mentionem facit etiam Clariſſimus Iureconſultus Cacheranus *Conſil. 9. n. 39.* & *Conſil. 27. n. 21.* De iis quæ ex Montisferratenſi regione nuper adeò ipſis ceſſerunt, & tabulis pacis publicæ ſunt confirmata, præcedente jam capite dictum eſt.

Poſſit tamen videri hiſce in locis à Sabaudo teneri quædam, abſolutâ omnino poteſtate, omniq; adeò Imperij lege exempta. Et verò tale quid ipſiſmet Tabulis pacis cum Gallo initæ videtur disertè confeſſum eſſe. Verba hæc ſunt: *Conventum eſt quod Dux Sabaudia, hæredes & ſucceſſores eius, nullatenus turbentur aut inquietentur in Superioritate, ſeu jure ſuperioritatis, quod habent in Feudis Rochevera, Olmi & Caſola cum appertinentiis quæ à Romano Imperio NVLLATENVS dependent: & revocatis, annullatiſque donationibus & inveſtituris, in dictorum Feudorum poſſeſſione ſeu quaſi, dominus Dux manuteneatur, & quatenus opus ſit redintegretur. Pari ratione eiuſdem Vaſallus Comes Verva, quoad eadem Feuda Olmi & Caſola, & quarta partis Rocheverani, ſua poſſeſſioni ſeu quaſi reſtituatur, & in eadem pleniſſimè cum fructibus omnibus redintegretur.* Verùm enimvero fortaſſis hæc verba non alio ſunt ſenſu accipienda, quàm, terrarum illarum clientelare jus non dependere proximè ab Imperio & Cæſare ut exiſtimabatur, ſed ab uno Sabaudiæ Duce. In univerſum enim illas Imperij eſſe legibus exemptas, non profectò ſit veroſimile. Citra enim controverſiam nihil in omni illa vicinia non fuit, ſaltem quondam, juris Imperialis, ut jam tum eſt notum: Habet itaque, ut in foro loquuntur, Imperium in illa etiam fundatam intentionem. Atque adeò probanda Sabaudo venit omni exceptione clarioribus argumentis omnimoda illa libertas: quod tamen hactenus factum non eſt; nec fortaſſis fieri poteſt. Fac enim feudi legibus iſthæc à Sabaudo nō teneri, cave tamen hinc colligas Imperij etiam finibus excidiſſe: nec enim ſola feuda legibus Imperij obnoxia ſunt, ſed alia etiam numero plurima.

Poſt Sabaudiam ut nonnihil ſtatim de GENEVA urbe dicamus, monet quod cum illa urbe Sabaudo eſt diſſidium: præſertim cum à quam multis exiſtimetur & illa Vrbs extra Imperij fines hodie collocata. Et verò Geneva Henrico III. Rege in clientelam Gallicam ſuſcepta eſt, Gallis id fœdus ad Regni ſui ſecuritatem utile exiſtimantibus, *quod clauſuras, quæ iter tutiſſimum & compendioſiſſimum auxiliaribus Helvetiis ab illa parte venientibus patet, non aliter in poteſtate habere poſſit, quàm ſi Genevenſes amicos habeant.* Cæterùm ab antiquo Vrbem illam Imperij leges audiviſſe, non Gallicas, certum eſt, & produnt hodieque id inſignia Vrbis … aquilæ. Non opus ſanè eſt ut multis id demonſtrem: ut tamen eò magis omnibus pateant, afferam in medium nonnulla ex lib. cxxv. Hiſtoriarum Thuani excerpta, ubi præclariſſimus ille Hiſtoricus recitat breviter, quæ utrinque à partibus, in diſſidio illo Sabaudi & Genevenſium, in jurium defenſionem ſunt per id tempus edita. Ex his enim multo plurima licet petere de Imperij perpetuo in Vrbem illā jure; & hactenus etiam illa tantùm attingemus. *Geneva,* inquit ille, *quam ex veteri inſcriptione equeſtrē civitatem olim dictam volunt, poſt everſum Imperiū Romanum & novum à Franco Gallis noſtris in occidente fundatum ſub eius patrocinio diu libertatem ſervavit, bicipitis Aquilæ, cuius imago etiam nunc pro valvis majoris templi viſitur, & ad Caroli Magni tempora refertur, aliis valuit defenſa, quouſq; exortis in Imperio diſcordiis civilibus, cum à Cæſaribus deſereretur, ad Epiſcopos, quorum tunc & jam in iis quæ ad civilem juriſdictionē ſpectabant magna auctoritas erat, confugit. Dein nova inter Epiſcopos ipſos & vicinos Sabaudiæ Comites ſuborta diſſidia urbē miſeram, ſemel atq; iterū incendio vaſtatam variâ peſte deſtruxerunt. Iuris autem quod Sabaudus ſibi arrogat, hæc ferè teſtimonia & argumenta ante triennium, ſtatim poſt pacificationē Vervinenſem, cum VIIIbri menſe*

Hermanca

Hermance ab utraque parte conſenſus indictus eſſet, eius delegati in medium afferebant: Petrum videlicet ex antique Genevenſium Comitum ſtipite ultimum anno CIↃ CCC XCII, XXIV. *Martis heredem univerſalem inſtituiſſe Humbertum Villaris Comitem ex ſorore nepotem, qui poſt avunculi mortem Genevenſem Comitatum crevit, & eius inveſtituram à Wenceslao Cæſare tertio poſt anno exeunte obtinuit. Humbertum dein* CIↃ CCCC. *poſt anno menſe Martio morientem, cum nullos ex ſe natos haberet, poſtimos inſtituiſſe, & iis deficientibus Odonem Villarium patruum; qui eam hereditatem anno ſequenti adiiſſit; V. Auguſti mox Comitatũ Genevenſem titulo venditionis in Amadeũ Sabaudũ tranſtuliſſe Amadeũ autem, ut emptionem è ſe factam novo iure confirmaret, eiuſdem Comitatus denuo inveſtituram à Sigiſmũdo Cæſare impetraviſſe anno* CIↃ CCCCXXII X. *Kal.* VIIbr. *Cum vero de Comitatu Genevenſi, quaſi morte Petri ad Imperium devoluto, ab Imperiali Syndico controverſia Amadeo facta eſſet, & Arauſionenſis Princeps eundem Comitatum, quaſi Petri ab inteſtato heres vindicaret, Sigiſmundum apocha ſecreta Amadeo caviſſe, ſi ſententia ſecundum Imperialem fiſcum ferretur, fore, ut ius omne quod in Comitatum Genevenſem tanquam Imperii beneficiarium ipſi competebat, ei ſucceſſoribuſque eius bona fide attribueret. Quod cum contigiſſet, Sigiſmundum poſt ſententiam latam novo inſtrumento apocham ratam habuiſſe, & anno ſequenti* IX. *Kal.* IXbr. *Comitatum Genevenſem Amadeo conceſſiſſe, & Arauſionenſi interdixiſſe, ne Comitis Genevenſis titulos Sabaudo attributos ſibi impoſterum arrogaret. Ea de re publicum inſtrumentum confectum anno* CIↃ. CCCCXXIV. IV. *Kal.* Iun. *Iam vero ante Sabaudia Principes omne ſupremum dominium, iuriſdictionem, ac iura regia, quæ Imperio in eo competebant, à Cæſaribus habuiſſe; & Vicarios Imperii conſtitutos, Epiſcopo Genevenſi mandandum curaviſſe, ut Principes Sabaudia tanquam perpetuos Imperii Vicarios coleret. Id à Carolo* IV. *anno* CIↃ CCCLVI. *decretum: cum iam ante, anno eiuſdem ſeculi* LVI. *idem Carolus conſtituiſſet, ut appellationes à Genevenſibus interpoſita coram Sabaudia Duce tãquam Imperii vicario diſceptarentur. Id ius à Maximiliano Cæſare in Comitatum Genevenſem & nominatim in civitatem Genevam eiuſque territorium Sabaudia Duci conceſſum eſſe, diplomate ea de re condito* III. *Eid. Mai. anno* CIↃ IↃ XIX. *Secundum hæc anno decimo poſt prid. Non. Xbr. à Carolo V. mandatum Geneva civitati eiuſque Epiſcopo fuiſſe, ut omne obſequium Carolo Sabaudia Duci deferrent. Quod & idem Carolus anno ſequenti, cum Vicarii titulo aliiſque iuribus plenius deſignatis confirmavit, inſtrumento ea de re facto* III. *Eid. Mart. Idem iuris ſub Ferdinando & Rodolpho Cæſaribus fuiſſe.*

Hactenus pro ſuis, imo pro Imperii iuribus, Sabaudum audivimus. Si Genevenſes ipſi quoque producantur, non minus in liquido ſunt Imperii in Vrbem illam iura. Eodem enim Thuano teſte, *ſeſe ſemper liberam & Imperialem urbem fuiſſe* affirmaverunt: id patere ex diplomate quodam Friderici Ænobarbi Cæſaris & ſecutorum temporum actis: eoque non obſtare Wenceſlai, Sigiſmundi & Caroli V. reſcripta, ut vitio & obreptitia fraude impetrata. Carolum ipſum cum ſuam Sabaudo Principi factam conceſſionem Imperio ſumme detrimentoſam agnoſceret, contrario re-

Add.

ſcripto dignitatem Vicarii Sabaudiæ Comiti ſubrogaſſe, iuribus priſtinis tam Epiſcopo quam oppido, quod *nobile Imperii membrum* vocet, competentibus confirmatis. Sigiſmundum Imperatorem Amadæo Sabaudo enixe imperaſſe, ne quid contra jura regalia & libertates Eccleſiæ Genevenſis, quam itidem *inſigne Imperii membrum* appellat, attentare præſumeret. Carolum V. Cæſarem anno MDXXX. monuiſſe Genevenſes, ne quid in perniciem, Epiſcopi Eccleſiæ ac Civitatis; à Sabaudiæ Ducibus inducti, facerent, atque decimo anno poſt eos denuo monuiſſe, ut priſtinam iuriſdictionem & libertates à deceſſoribus ſuis Genevæ *tanquam civitati Imperiali* conceſſas, tuerentur. Temporibus Petri Balmæ Epiſcopi fœdus ab oppidanis ictum eſſe cum Bernatibus & Friburgi pago: itaque Henricum III. Regem Galliæ anno MDLXXIX. renovato cum Bernatibus & Soloturnenſibus fœdere, in eo temp. Genevenſem comprehendiſſe, eiuſque patrocinium ab eo tempore Reges Chriſtianiſſimos ſuſcepiſſe. Mitto alia.

Cum hæc vero ita ſint in utramque partem diſputata anno poſt milleſimum ſexcenteſimo, manifeſtum utique id eſt, ſaltim illo etiam tempore, Genevam urbem non à Sabaudo, non à Gallo, non à ſuis civibus habitam tanquam ſit extra Imperii limites: etſi in patrocinio degeret Gallico. Nec vero urbs illa hactenus deſiit Aquila Imperiali exornare inſignia ſua, in argumentum Imperialis ſubiectionis. Num vero una cum aliis fœderatis Helvetiis ipſa hæc urbs per tabulas Pacis publicæ nuperas, mutaverit conditionem non ſatis novi, eoque nihil etiam definire audeo.

Re igitur illa in medio relicta, in HELVETIOS fœderatos iam inquiremus, Et vero maxima eorum pars intra veteris Regni Burgundici fines continetur, ut qui ad Rhenum & Vrſum uſque amnes fuerunt extenſi, uti ſupra probavimus. Merito igitur hoc loco de iis agendum, trahente ſecum huc maiore parte eam quæ tenuior eſt. Omnem igitur Helvetiam illam Imperii fuiſſe ditionem, antequam in fœdus aliquod populi illi coaluerunt, uſque eſt adeo palam in omnibus, etiam domeſticis illorum annalibus proditum, ut demens ſim id ſi tentem teſtimoniis probare. Ne id quidem in controverſia eſt, an ſtatim ab icto fœdere in plenam illi libertatem ſint aſſerti. Refragantur enim omnia itidem monumenta, & immunitates pleraſque adſcribunt demum privilegiis Cæſarum Adolphi, Henrici ſeptimi, Ludovici quarti, Caroli quarti, Wenceſlai, Ruperti & Sigiſmundi. Friderico III. Cæſare in Comitiis Reginoburgenſibus anno MCCCCLXXI. in bellum Turcicum iuſſi ſunt Helvetii conferre auxilia: excipientibus tamen eorum qui aderant legatis, id conceſſis genti privilegiis repugnare; iure an iniuria, alibi diſputatur: ſatis eſt hic obſervaſſe quod & Comitiorum Imperii partem tum fecerint, & iuſſi ſint ferre onera reipublicæ. Comitiorum illorum decretum ita ſeſe habet: Item ſo ſollen die Eidgenoſſen von Bern / Lucern / Zürich / Solothurn / Freyburg in Vchtland vñ andere / ſo in einung mit jhn ſein / haben 1. hundert zu Roſſe / neunhundert zu Fuſſe. Doch ſollen die Abt / Prælaten / Graven / Herrn vnd Stätt / die als hievor ſtehet / angeſchlagen vnd in der Eidgenoſſen Land beſeſſen / nicht in der nehſtgemelten Sum-

K

Digitized by Google

begriffen ſein / ſonder bey dem anſchlag bleiben / der auff jeden / wie hievor von jhn geſchrieben ſtehet / inſonderheit geſatzt iſt. Interfuere Helvetiorum Legati & Comitiis Baſileenſibus anno MCCCCLXXIV. Nonnulli fœderatorum etiam legibus ibi conſtitutis teneri ſeſe arbitrati, auxilia iuſſa exercitui Imperii ad Nuſſiam contra Carolum Burgundum ſubmiſerunt: Alii noluerunt quidem videri legibus illis obſtricti, officium tamen ſuum fecerunt, diſerte Imperii ſe membra profitentes. Verba litterarum fecialium, quibus hi Carolo iſti Burgundo bellum tum indixere, ſunt notatu digna: *Illuſtriſſimo Principi ac Domino Carolo Duci Burgundiæ, vel eiuſdem Vicariis & Officialibus, quibuſcunque nominibus nuncupentur, ubicunque reſederint, inſinuamus nos Burgimagiſtri, Sculteti, Ammanni, Conſules & Communitates magnæ Ligæ Alemanniæ ſuperioris, videlicet* Zurich / Bern / Lucern / Vnderwalden / Vri / Zug / Claris *& oppidi* Solothurn / *hoc tempore in oppido Lucerna congregati, quod nos ad grandes exhortationes, & requiſitiones invictiſſimi & Sereniſſimi Herois noſtri gratioſiſſimi, cui tanquam S. Imperii membra non iniuria obedienter paremus &c.*

Maximiliano Cæſare anno MCCCCXCVI. iuſſi fœderati omnes more aliorum Imperii ordinum legibus publicis obſequi, & ſibi ſe communia onera, recuſarunt id quidem, & bello hinc exorto, quam ſibi deberi credebant libertatem fortiter tutari ſunt: pace tamen deinde confecta non niſi privilegiorum ſuorum confirmationem, exemtionem item à iudicio Aulico, Camerali, & Rotvvilenſi, libertatem fœderum, & immunitatem ab omnibus oneribus realibus Imperio debitis impetraverunt, ea inſuper addita lege, ut evocati ab Imperio adverſus vim peregrinam iuſtis auxiliis eam arcere ſint obſtricti. Ita enim cautum eſſe, cum Baſileæ anno MCCCCXCIX. tum Conſtantiæ ſequentis ſeculi anno undecimo & tertiodecimo, & fama id communi ferri, teſtatur Goldaſtus, vir & gente Helvetius & huiuſmodi rerum diligentiſſimus indagator, epiſtola dedicatoria quam operi, cui Reichshandlung fecit titulum, præfixit. Vbi ſimul ingenue fatetur, illa quæ Maximiliano Cæſari oblata ſunt Helvetiorum privilegia, a quodam ſacerdote Nicolao Schradino & Petermanno Etterlino Lucernæ publicata, uſque adeo putide fabuloſa eſſe, ut nemo prudens poſſit ſatis mirari ea fuiſſe tum Helvetios ſimplicitate, ut eiuſmodi anilia commenta non dubitaverint privilegiorum titulo producere.

Sunt qui referant, Iulium II. Papam Helvetios anno MDX populum liberum & omni Imperii reverentia ſolutum declaraſſe; ſed fide incerta: utque id fecerit Papa, nihil iuvat libertatem Helvetiorum factum hominis qui diſponendi de Imperii rebus poteſtate deſtituitur. Sed & ipſimet Helvetii Leone X. Papa, anno MDXIX. non diſſimulanter Imperii ſe membra profeſſi ſunt. Id liquet ex epiſtolis binis, altera ad Leonem ipſum, altera ad Albertum Cardinalem & Moguntinum Archiepiſcopum per id tempus perſcripta, quam utramque exhibet Goldaſtus in laudato illo opere Actorum Imperii ſive Reichshandlungen fol. 401. & 403. & ex parte inſeruit ſuæ pro Imperio Replicationi cap. 41. ex quibus etiam hic nobis omnino quædam ſunt repetenda. In epiſtola ad Papam ipſum ita loquuntur: Vnd wer Jemants / wer der wäre / der Ewr Hayligkeit bereden oder fürtragen würde / daß wir einen König oder Keyſer / der nit auß Teutſcher Nation were / bewilliget oder gefallens hetten / dem wolle Ewr Hochwürdigkeit nicht Glauben geben. Dann wir als Glieder mit ſampt andern des Heyligen Reichs-Ständen / ſo Teutſcher Nation ſeindt / kainen ſo nicht vnſer Nation Keyſer wäre / leyden noch gedulden würden.

Magis adhuc clare exprimunt hanc ſuam mentem in epiſtola ad Moguntinum Cardinalem hiſce verbis: Vnd das bemelter König von Franckreich / auch Ewr Hochwürdigkeit vnd E. K. G. möcht vnterſtehen zu bewegen / in dem daß Er mag fürgeben / Er hab guten willen bey etlichen Ständen des Reichs / vnd nämlich bey vns Aydgenoſſen / damit dann Ewr Hochwürdigkeit vnd F. G. vnſerer Herren vnd Oberen willen vnd meinung verſtan / berichten wir ſy deß / daß wir Aydtgenoſſen alſo ſind herkommen / daß wir vns von den zwäyen Haubtſtenden / von dem heiligen Stul zu Rome / vnnd dem Heiligen Römiſchen Reich nie haben geſundert / beſonder denen / als dan billich vnd recht iſt / vnd auch zuthun ſchuldig vnd pflichtig geweſen / vnd auch ſind / vnd auch allweg hinfur thun wollen / mit vnſerm Gut vnd Leib beygeſtanden. So iſt khundbar vnd offenbar / wir ſeyen / ſetzen zu welichem Herren der iſt / zu dem wir vns verpunden haben / gegen weme daß ſey / ſo haben wir allweg außgelaſſen vnd vorbehalten daß Heilig Römiſch Reich / vnd nicht vnbillich: Dieweil wir von dem vnſere höchſte vnd beſte Freyhaiten haben / den Adler vnd daß Reich ob vnſern Schilten füerende / berüembt vnd gebrauchen / ſind auch Glieder / vnd deß gentzlichen Ehr vnd Lobe haben wöllen / wie andere Stände vnd Glieder. Solte nun ſolche höchſte Ehre vnd würde Weltlichen Schatzs / deß Kayſerthum / ꝛc. in andere frembde Nació vnd Sprache gewendt werden / vnd beſonder die Franckreichiſchen / die lang darnach gedürſt vnd geſtelt hat / wäre vns fürwar von wegen vnſerer Herren vnd Obern / als ainem dapffern Glied deß Reichs / leyde / vnd gedencken nichts gewiſſlichers / dann daß vnſere Herren vnd Obern / mit ſambt andern Glieder vnd Ständen deß H. Reichs / die dan nicht mynder damit beſchwärt werden / in ſolcher wahl gar nicht verwilligen / noch der ſtatt thun / ſondern mit hülffe GOtt deß Allmächtigen / vnd mit der Teutſchen Nation ſolches wenden vnd wehren / nach allem vermögen. In fine epiſtolæ: Datum vnd mit vnſer getrewen lieben Aydgnoſſen von Zürch Stadt auffgetruckten Secret Inſiegel beſchloſſen / in Jhrer vnnd aller vnſer Namen / 1519. &c. Subſcriptio.

Hactenus ipſi Helvetii. quorum hanc profeſſionem, illi ævo familiarem, liceret alias etiam ex VVimphelingii & Bebelii, qui tum floruerunt doctrinæ laude, teſtimoniis petere. Nam ille quidem in ſuo Soliloquio pro pace Chriſtianorum hiſce verbis utitur: *Recognoſcunt Suitenſes Imperium Romanū.* Item: *Dicunt ſe Imperio Romano deferre:* Itē *Dicunt ſe obedire Imperio.* Bebelius in ſua cohortatione ad Helvetios: *Poſtquam nuper acceperam, Conſtantiæ,* inquit, *Vos Helvetii fortes, vos communi conſenſu, paribusque ſtudiis & voluntate, rediiſſe in corpus*

ſacri

ſacri Imperii. Item: *Cum dicere ſoleatis, paratos eſſe obedire Cæſari, dum contra Turcas & infideles eatis*: Item: *Aquilam ubique & Romanũ Imperiũ præfertis.* Item: *Libere profitemini, vos membra eſſe Imperii.* Operæ fuerit prætium, quæ in Replicatione iſthac de ſuo adjicit Goldaſtus, huc referre. *Electo deinde* (inquit) *Carolo quinto Imperatori Principi Germano ex familia Auſtriaca potentiſſimo, univerſi Helvetiorũ Ordines, una pariter cum Rhætis Curienſibus & Valleſianis fidem ac obedientiam præſtiterũt, ab eoque in Comitiis Wormatienſibus anno* 1521. *confirmationem omnium ſuorum privilegiorum in genere, & deinde privilegiati & exempti Pagi in ſpecie pro ſe & ſuis territoriis, ſeparatim Tigurini, quorum quinque diplomata confirmationum variarum vidi, tum ab Imperatore impetrata; Itẽ Soloduràni, Bernates, Friburgenſes Nuichtonum, & cæteri, quos Veteres pagos dicunt acceperunt. Qui vero immunitatẽ & exemptionẽ demonſtrare non potuerunt, in Matriculam Imperii cum aliis Statibus ſub indicto cenſu relati ſunt. Et quidem in Circulo Suevico nominantur, Epiſcopi Conſtantienſis & Curienſis; Archiabbas Sanctigallenſis, Abbates, Schaphuſianus, Stainenſis ad Rhenum, Petershuſanus, Cruclinganus, Eremitanus ſive Einſidelenſis, Sancti Iohannis in Turtalia; Civitates, Conſtantia, Schaphuſia, Sanctigallũ. In Circulo Rhenano ponuntur Epiſcopi, Baſilienſis, Sedunenſis in Valeſia, Genevenſis & Lanſannẽſis: Magiſter Iohannitarum: Civitates, Baſilea & Mulhuſium. Hi Ordines hodieque in Matricula Imperii comprehenduntur, & à Fiſcali Cæſareo pro collectis impoſita & ſubventionibus publicis compellari ſolent.*

Hæc omnia Goldaſtus, qui paulo poſt ſubjungit litteras Nurembergenſis Senatus, quibus anno MDXXII. teſtati ſunt Abbatem S. Galli ſolviſſe quod in Comitiis Imperij tribuere erat iuſſus. Quas iisdem non poſſumus non hic repetere: Wir Buegermeiſter vnd Rate der Stadt Nurnberg berichten offentlich mit dieſem Brieff / daß im Nahmen vnd von wegen deß Hochwürdigen Fürſten vnnd Herrn / Herrn Gothartten Abte des Gottshauß zue Sanct Gallen / vnd Gnedigen Herrn / auff Dato diß Brieffs bey vns erlegt vnd bezalt synd hundert vnd zwantzig Gülden in Gold / ſo ſeinen Gnaden in vermög des Abſchieds jüngſt gehaltens Reichstags zue Wurmbs / für den gantzen theil ſeiner Gnaden aufferlegten gepürung zue vnterhaltung deß Reichs veordenten Regiments vnd Cammergerichts die nechſt vergangen Franckfurter Heebſt vnd Vaſtenmeß / als bede friſten des erſten Jahes zuerlegen gepürt hat: Die wir alſo angenommen vnd empfangen / der meynung / obgemeltem Regiment domit zugewaeten. Vnd haben des zu bekantnus vnſer Stadt Secret Inſiegel zu Ruck auff dieſen Brief thun trucken / der geben iſt am Donnerſtag nach vnſer liebẽ Frauentag Viſitationis genant / als mã zalt nach Chriſti gepurt vnſers lieben HErrn 1522. Jarn.

A Ferdinando porro I. Cæſare Helvetij, miſſis communi nomine legatis ad Auguſtana Comitia, privilegiorum ſuorum confirmationẽ expetierunt. Atque adeo hactenus eo ipſo ſeſe ſubditos Imperij ultro profeſſi ſunt.

Verum hæc quidem ita tum ſeſe habuerũt. Ex quo autem fœderibus Gallicis fuere ſubnixi Helvetii, ſenſim ad maiorem libertatem aſpiraverunt. Nec tamen unquam remiſſionem omnium ſuorum iurium ab Imperatore Ordinibus nanciſci potuerũt, ipſo Camerali judicio frequenter cum primis eos impetente. Per tabulas tamen Pacis nuperæ videntur denique in plenam libertatem aſſerti, expreſſa ſimul eius publica confeſſione. Quarum partem proinde non poſſumus non heic afferre. *Cum item Cæſarea Maieſtas ad querelas, nomine civitatis Baſileenſis & univerſæ Helvetiæ, coram ipſius plenipotentiariis ad præſentes congreſſus deputatis propoſitas ſuper nonnullis proceſſibus & mandatis executivis à Camera Imperiali contra dictam civitatem alioſque Helvetiorum unitos Cantones eorumque cives & ſubditos emanatis, requiſita Ordinum Imperii ſententia & conſilio ſingulari decreto die* 14. *Menſ. Maii Anno proxime præterito declaraverit, prædictam Civitatem Baſileam cæteroſque Helvetiorum Cantones in poſſeſſione vel quaſi plenæ libertatis & exemptionis ab Imperio eſſe ac nullatenus eiuſdem Imperii dicaſteriis & iudiciis ſubiectos; placuit hoc idem publicæ huic pacificationis conventioni inſerere, ratumque & firmum manere, atque idcirco eiuſmodi proceſſus una cum arreſtis, eorum occaſione quandocunque decretis, prorſus caſſos & irritos eſſe debere.* Hæc Tabulæ illæ. Poſſis tamen forte dubitare, an non illa *poſſeſſionis* confeſſio multum diverſa ſit à iurium remiſſione. Sed non eſt quare hoc ipſum heic diſputemus.

Quicquid vero præter ea de quibus egimus hactenus in Burgundico regno ſupereſt, illud omne iam citra controverſiam hodieque Imperio paret. Quapropter operam quoque perdiderimus ſi Imperii in illa omnia vim & jura velimus multis ex omni ævo adductis teſtimoniis hoc loco approbare. Abrompemus igitur tandem hanc telam, ad alia properantes, ubi nonnulla adduxerimus ex diplomate quodam Caroli IV. Cæſaris in gratiam Veſontinorum confecto, anno MCCCLXIV. quo pateat quantum, fatentibus ipſiſmet Veſontinis, Cæſari tum in Urbem illam licuerit. *Sane, cum honorabilis univerſitas Biſontina Nobis & Romano Imperio immediate ſubiecta, poſt diuturni temporis lapſum accurate conſiderans, quod pace & commodo ſub amœna tranquillitate non poſſet gaudere felicius, nec habitu ſecuriori progredi, ac in ſtatu honeſtatis ſuæ perſiſtere, quam ſub Imp. ultimo & ordinario ſibi domino, ad magnificentiam Cæſaris & honores ſacri Imp. vehementer aſpirans, animo deliberato & ſingulorum, quos illud cenſebat proſpicere, connato conſilio nec per errorem aut improvide, ſed de certa ſcientia miſſis ad hoc notabilibus & famoſis nunciis, ut ea, quæ tranſacti temporis neglexit curriculum, ad debita ſtatus incrementa felicia reſtaurentur, Imperialia iura quæ Nobis & Imperio ſacro in & ſuper civitate Biſuntina prædicta competierunt & competunt, diſtinguenda, publicanda & declaranda duxerimus: votis communibus publice profitentes, inprimis quod ſedes & Regio, quæ uſitato vocabulo Regalia nominatur, ad Nos & S. R. I. rite pertinuerit, & pertineat ab antiquo quodque dicta ſedes præfato nomine nuncupata ſit, & eſſe debeat ſuperior iuſtitia civitatis, & ab ea aliæ iuſtitiæ particulares & iuriſdictiones loci, ipſius nominatim Vicecomitatus & Maioria in feudum dependeant, & quod quilibet gravatum ſe ſentiens a prædictis duobus, vicecomitatu & maioria, & ſingulis aliis iuriſdictionibus ab ante dicta Regia in ſedem noſtram, quæ Regalia dicitur, ſicut & ab antiquo factum extitit, valeat appellare: Et quod ipſi & eorum univer-*

ſitas dudum, & à tempore cuius contrarium in hominum non extat memoria, reputatione veraci tenuerunt, & firmiter teneant Civitatem Biſantium prædictam noſtram & ſacri Romani Imperii fore abſque ullo medio, quodque Nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanorum Imperatoribus & Regibus, dum & quoties Nos ibidem venire cōtingeret, claves portarum & valvarum civitatis aſſignare & tradere velint & debeant, atque ſine omni reſiſtentia teneantur. Quodque ad mandatum noſtrum vicarios, quos Celſitudo Cæſarea ſtatuendos duxerit, portas ipſas ad exitum & introitum eorū pro Imperialibus honoribus, juribus & negotiis, gerendum, diſponendum & proſequendū, manutenere, cuſtodire & obſervare velint & debeant, & eis quos ad regendum noſtram ſedem Regiam in Civitate prædicta, quæ Regalia dicitur, deſtinando duxerimus, & nulli alteri obedire velint & debeant fideliter & parate: Et quod dum præſentes fuerimus in loco prædicto, licite poſſumus pro noſtro beneplacito, auri l argenti & alterius cuiuſcunque metalli, fabricare monetas, ad quarum receptionem obligabuntur omnes & ſinguli, quamdiu noſtra Serenitas ibi dignabitur demorari.

Verum hæc hactenus.

CAPUT XXVI.

Quæ Reges Galliæ in Regno Lotharingico poſſident, illorum magnam partem finibus Imperii iam fortaſſis excidiſſe.

PEragrato Burgundico Regno, docet nos ordo in Lotharingicum. Hujus autem alia quidem extra omnem controverſiam intra Imperij limites continentur, utpote quæ & onera ejus publica ferant, & audiant leges, & pareant judicijs. Nonnulla vero dubij ſunt juris, certe opinionibus hominum varias in partes diſtrahuntur: qualia ſunt, quæ Galliæ ac Hiſpaniæ Reges tenent, & in Ducum Lotharingiæ patrimonio cenſentur. De quibus ſolis proinde nunc diſputabimus, initio à Gallicis facto.

At Galliæ quidem Reges ab Ottonum uſque temporibus in omne illud Regnum per complura ſecula nihil ſibi arrogaverunt, & pax inter Regnum illud & Imperium firma, limitesque rati & certi ſibi conſtiterunt. Hoc ſtatu ſane omnia ad Fridericum uſque Secundum Cæſarem perducta eſſe, à nobis capitibus VI & VII luculente oſtenſum eſt.

Vnum tamen hic addemus, quod ibi docere intermiſimus. Nempe à Cæſaribus noſtris ultra antiquos Regni Lotharingici limites vim Imperijfuiſſe protenſam in Campaniam Gallicam. Non auſim cum doctiſſimo Chifletio repetere illius juris originem ab anno MXXXVI quo Odo Campanus *ſacramento* ſe obſtrinxit Henrico. III. Illud enim duntaxat pertinuit ad non offendendum amplius, ſecus quam fecerat Odo. Dilerte Otto Friſingenſis l.6, cap.31: *Auguſtus contumacia Odonis audita Gallias ingreſſus eſt, vaſtataque per tres continuos dies Odonis terra, ille ſupplex venire compellitur, interpoſitoque iureiurando, ne amplius REGNUM PRÆFATUM* Lotharingiæ *quoquomodo laceſſeret, Imperator revertitur.* Veriſimilius deduxeria ab Theobaldo II. Odonis illius filio Campaniæ itidem Comite: quo da ita Hermannus contractus. *Anno MLIV, Imperator Henricus Moguntia Paſchale feſtum celebravit, ubi Theobaldus Othonis de Galliis veniens, & MILES EIUS effectus, auxilium ſuum ipſi pollicitus eſt.* Notat Chifletius ex Andreæ Cheſnei libri de Vrbibus Franciæ cap. t. Theobaldum hunc II. ab Henrico Imperatore titulum *Comitis Palatini Imperii* accepiſſe. Id quod in medio relinquo, quum videam Petrum Pithœum, quo nemo majore judicio & candore in ejuſmodi argumento eſt verſatus, l.1. de Comitibus Campaniæ ita loquutum *Primum quem invenio ſe palam in chartis Palatinum nominaſſe, fuit Theobaldus Magnus, qui Ludovicum Craſſum Regem & eius patrem bellis continuo laceſſivit* Hic vero centum annis junior eſt Theobaldo illo Odonis filio. Theobaldus Rex Navarræ & ejus filius, ubi Campaniam hereditate crevisſent, Regum Galliæ beneficiarios ſe agnoſcerent compelli ſe non ſunt paſſi, Imperii majeſtatem obſervantes: modo verum ſit quod ita ab aliis refertur. Id certum eſt, Comitatum hunc in patrimonium Regum Galliæ anno demum MCCCXXXV. fuiſſe cooptatum, rerum potiente Philippo Valeſio.

Nolui hæc quum ſupra agerem de finibus Lotharingici regni, movere: quod exiſtimem, rebellione potius quadam hæc ita contigiſſe quam jure ſubnixa, utpote quum de finibus æterno pacto aliter fuerit Regibus Galliæ ab Imperio cautum. Nec vero ipſi Cæſares noſtri videntur Campaniam Imperio ſubductam olim quidē inter damna à Gallis illata numeraſſe. Notat enim quidē ex Alberto Argentinate quidem Chifletius, Ludovicum Bavarum Imperatorem anno MCCCXXXVI literis Philippum Gallum admonuiſſe: *ut ab occupatione terrarum Imperii deſiſteret*, id exiſtimans pertinere ad occupatam Campaniam. At vero nos jam tum cap.24. oſtendimus, Delphinatus præcipua occupati cauſſa Ludovicum ſuccenſuiſſe. Videtur nimirum facinus illud Campanorum pene geminum illi Flandriæ Comitis Guidonis, qui teſte Mejero l.x. literis datis apud Malcam anno MCCXCVI *propter malefacta & infidelitatem Philippi Regis Franciæ, declaravit ſe LIBERUM, & abſolutum ab omnibus legibus, fœderibus, obligationibus, conventionibus & pactis, quibus ipſis antea fuerat devinctus & obligatus, quocunque modo, & per quamcunque cauſſam id fuerit.* In veteri ms. Flandriæ Chronico legi, notatum eſt Chifletio Alſatiæ Vindicatæ cap.xi, *eumdem Guidonem de Comitatu Flandriæ tunc feciſſe HOMINIUM Adolpho Imperatori; qui illud admiſit, eique opem & auxilium, adverſus noxios omnes pollicitus eſt.* Nec vero etiam homagium ejuſmodi admittere debuit forte Adolphus, nec à ſecutorum Cæſarum quoquam id exactum eſt, ac proinde juribus Imperij certis liquidiſq; ejuſmodi quædam connumerari non merentur, quamvis alioquin ad Regnum Lotharingicum merito pertinerent.

Verum utut illud ſeſe habeat, ſaltim hunc Magnum Theobaldum in clientela fuiſſe Imperii videtur pene vacare controverſia: utpote quum ille Palatini titulus non niſi ab Imperatore profectus ſit. Diſerte Pithœus: *Palatini appellatio generalis eſt & communis iis omnibus, qui munus aliquod habent in Palatio Imperatoris.* Item paulo poſt: *Id me compellit ut dicam, noſtros Campaniæ Comites illam Palatini dignitatem non obtinuiſſe à Rege Franciæ, attento vel maxime, quod cum primum illum titulum aſſumpſerunt, non in bona Regis gratia, ſed aperti eius hoſtes erant,* Iterum alibi: *Comites noſtri cum Regem Franciæ habe-*

rent

rent hoſtem, ut ſe fortiores exhiberent, acceperunt ab Imperatore illum Palatini ſuæ regionis titulum. Chifletius ita ſcribit: *In chartis antiquis apud Nicolaum Camuzatum Tricaſſinum Henricus Comes Campaniæ anno MCLXXX. inſcribitur Trecenſis Comes Palatinus: Theobaldus item anno MCCXXIV. nec non & Henricus anno MCCLXXIII. Campaniæ & Briæ Comes Palatinus.* Idem Chifletius præclare obſervavit, inter epiſtolas Friderici I. Cæſaris binas ſic incipere: *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, dilecto FIDELI & conſanguineo noſtro Henrico Comiti Trecarum,* [i. e. Campano] *gratiam ſuam & omne bonum.* Idem adducit verba hæc Petri Sanjuliani Decani Cabilonenſis ex libro Antiquitatum Cabilonenſium: *Toparcha Jonevilla in Hiſtoria Regis Ludovici ſatis oſtendit, Comitatum Campaniæ non fuiſſe obnoxium Coronæ Franciæ, ſeque Marſchallum Campaniæ hæreditarium non fuiſſe Regis Franciæ decretum.* Et vero Ionevillæus parte 2. Hiſtor. S Ludovici agens de apparatu illius Regis, quem anno 1248 in ſacram expeditionem inſtituit, diſerte dicit ſe Regi iurare noluiſſe, *quia*, inquit, *ego cliens non eram.* Attamen non fortaſſis hinc firma collectione deduxeris, Campaniæ omnem Comitatum Regibus Galliæ non fuiſſe obnoxium.

Fortius argumentum traxeris ab eo, quod nec Theobaldus Rex Navarræ nec eius filius, ubi Campaniam hæreditate crevissent, Regum Galliæ beneficiarios ut ſe agnoſcerent compelli ſe non ſint paſſi, Imperij majeſtatem obſervantes: modo verum ſit quod ita ab aliis refertur. Id certum eſt, Comitatum hunc in patrimonium Regum Galliæ anno demum MCCCXXXV. fuiſſe cooptatum, rerum potiente Philippo Valeſio.

Vt vero aliquid juris in Cāpaniam aut Flandriam Imperio acceſſerit, id omne dudum utique periit: cum intra hoſce trecentos quinquaginta annos nemo Cæſarū Imperij nomine à Gallo terras illas vel ferro vel calamo repetierit, tantum abeſt ut quiſquā vindicaverit. Nec enim tanti eſt querela vnius Maximiliani primi Cæſaris, qui inter injurias à Gallis Imperio illatas, occupatā Campaniam recēſuit.

De iis igitur tantum nunc agemus, quæ hodie Galliæ Reges poſſident, etſi æterno pacto cum omni Lotharingico Regno quondam Imperio ceſſerint, & dubiis carentibus priſcis Regni ejus finibus contineantur. Illa vero, ut compendium faciamus, poſſunt tres in claſſes quaſi dividi. In ea ſcilicet quæ ad Maximilianum uſque primum Cæſarem tenuerunt, in ea quæ ſecuta uſque ad proximum ferale Germaniæ bellum, & deniq; in ea quæ nuper acceſſerunt.

Prima quæ diximus quod attinet, jam ſtatim à ſeculo uſque decimotertio, poſt lapſas cum Friderico II. Imperij vires, videntur Galli Reges, ut in Regnum Burgundicum, ita & in Lotharingicum ſenſim magis magiſque involaſſe: plura indubie occupaturi, ſi domi res fuiſſent tranquillæ, & primum ab Anglis inde à Burgundicis Principibus æmulis, non fuiſſet improbis conatibus repagulum injectum. Et vero iam tum Ludovicus IV. Edoardum Anglum Vicarium Imperij inſtituit, contra Regem Galliæ hoſtem judicatum *quod oppida Imperij Romani obtinere eum diceret, in queis Cameracum circumjectoſque fines*, ut ſcribit Æmilius. Froſſardus ita loquitur: *Quod Cæſar Ludovicus tanto honore Anglum urgebat, præcipua fuit cauſa, ut hac occaſione inter cæteros tumultus bellicos recuperare poſſet Cameracum, quæ quidem civitas cum ſit Imperio conjuncta tamen à Gallis fuit occupata bello.* Albertus Argentinas teſtatur Ludovicum, cum Philippum Regem monuiſſet *ut ab occupatione terrarum Imperij deſiſteret*, mentionem ſimul feciſſe, *feudorum quæ Rex Franciæ tenebat ab Imperio, neque illas recognoverat.* Maximiliani ætate Gallum adhuc ſic ſatis multa Lotharingici Regni tenuiſſe, idque viſum cum Imperij injuria fieri, quandoquidem quaſi indiculo quodam eſt comprehenſum in illa charta, quam ex manuſcripto plenæ auctoritatis exhibet Clariſſimus Chifletius in Vindiciis Hiſpanicis cap. XIII. pag. 126. operæ fuerit pretium illam cum ſua inſcriptione huc adferre. Quanquam enim & alia comprehendat quæ ad Burgundiam pertinent, pleraque tamen Lotharingico Regno ſunt erepta.

Excerptum è juridica diſquiſitione tempore Maximiliani I. Imperatoris facta, de terris Imperij intra Gallias.

Bapalmis in Arteſia, verſus Truncum Berengarij, tributum quoddam vinarium, quod vernacule TRAVERS *appellant, ab Normannico mari, ad Ardennam uſque exigebatur: à quo nullus niſi Imperio ſubditus eximebatur: ſi quis peregrinus id fraudaſſet, iure in eum agere vel in ipſo Imperio poterat exactor; & juſta repetens obtinebat.*

In Cameracenſium & Veromanduorum confinio quidam Hunecurtonſem vicum, iure nexi ſuum, ad Favella Dynaſten iure dominij ſpectare aliquando profeſſus eſt. Favellam poſtea ſuperior ille Dynaſtes Comiti Bleſenſi vendidit: hic ſuo Guiſiæ Comitatui addixit, eoq; Francicum reddidit.

Petrus Bellomontii Baro Bolluvoiſienſem clientela ſua agrum, olim alienatum ab emptore redemit; & Franciæ primus accenſuit. Hoc tractu Franci plus quam ſeptem leucarum agros Imperio avulſerunt.

Ab Cœnobio Fervaquio Imperii fines in adverſum ÆSIAM *protenduntur, ad Hutrinium uſq; pontem. Huic Monachorum Prioratus adhæret, Caroli Magni Regis & Imperatoris privilegiis nobilis. In eo multa finium Imperii & Regni monumenta ſupereſſe dicuntur.*

Hutrinio ad eam Laudunenſis civitatis portam quæ Ardennam ſpectat, Imperii ora producitur, quo tractu Aubentonium uſq; crebra ſylva: eaque olim Imperii, late ſternuntur. Sed Aubentonium Teraſciæ oppidum, iure nexi ſuum, vicinus Dynaſta Ruminiacenſis Francici iuris effecit, tametſi antea merum Imperii eſſet allodium. Sic Roſois Baro, illi vicinus, Imperii ab antiquo cliens Francorū ſe Regno adiunxit.

Idem Ruminiaci Dynaſta ſuam ipſam ditionem, Campaniæ & Imperii ſemper feudum, in Francorum iura tranſtulit.

Ab dicta Ardennenſi Lauduni perta Imperium porro Novum caſtellum ad AXONAM, *inde adverſo amne Condatum, Caſtrum Porcianenſe Retelamq; procurrit. Ea regione quidquid Axonam & Ardennam (licet hodierna Campaniæ adſcribatur) Imperii allodium eſt: eoq; titulo à Campania quondam Comitibus poſſeſſum.*

Iſtius Comitatus hereditatem Theobaldus Rex Navarra aliquando adivit; nec Franciæ tamen Regem;

velut eius beneficiarius, unquam agnovit; tametſi eo nomine ſæpius appellatus. Filius eius natu maximus, eius in illo Comitatu iuxta & Regno hæres, quantumvis Regis Franciæ filiam uxorem accepiſſet, nunquam tamen Comitatum à Francia, ſed ab Imperio habuit: frater eius ceu improlis ſucceſſor primus eum in Franciæ clientelam invexit. Ante illum nulla unquam, ultra Caſtrum Porcianenſe, Francicorum adminiſtrorum acta viſa vel audita. Reliq. Grandipratiq. eo tractu Comites terras ſuas eiuſdem naturæ profitentur.

Retelia Comes Maſeriam, ſuam ad Moſam oppidum, à Francia quidem Rege recepit, ſed novo iure, quod ab omni prius ævo erat iuris Imperii.

Ad eundem fluvium, paulo ſuperius, DONCHERY oppidum aliud eſt pleno iure Cæſaris. tametſi iam ibi Franci publica munia obeant: quia ſcilicet ad Sveſſionenſe ſancti Medardi Monaſterium attinet.

Ceterum in Campania Comitatu Caſtellum nomine HAYS viſitur Ducis Barrenſis, iurium adhuc hodie Imperialium: quod quia à Franco recipere non vult, ingentes ab eo moleſtias patitur. Poſtea ad Commercy, municipium Moſæ ſuperioribus adſitum, inde ad aliud eiuſdem fluminis adverſi, nomine VAUCOULEUR, pergit Imperium: inde fere ſecundum Ararim in Burgundia urbem Auſonnam, ac denique Rhodanum, communem Imperii Franciæque ad mediterraneum uſque mare limitem. Unde patet, Lugdunum, Viennam, Valentiam, Arauſicam, Avenionem cum Venaſcino Comitatu, Taraſconem, Arelatum, Maſſiliam iuris eſſe Cæſarei: qui terrarum ingens tractus eſt, novaque Francicarum virium acceſſio, urbium, hominum, procerumque plus quam MD numero, ac potentia maxime æſtimanda.

Tanti mali origo à Franciis maxime manaſſe videtur Epiſcopis Imperii conterminis. Hi quippe cum decimæ exactionem Regi Francorum à Papa indultam iuſſu Regis urgent, eamdem à Diœceſanis omnibus ſuis, etiam Imperio iure profano ſubditis exigunt. Quod dum Cæſar & eius adminiſtri diſſimulant, factum ut Epiſcopatuum iſtorum Cæſareæ partes Franciæ haberi cœperint. Quod à vero procul abeſt.

Succeſſione porro non acquiritur, ſed electione Imperium: quare nec vendere, nec oppignerare, nec alienare quidquam poteſt Imperator. Recipiendi vindicandique ius ſemper eſt ſucceſſori & Electoribus.

Quod quia iam pridem negligit Imperator, munera omnia pacate iam & publice obeunt Franci: nulla iuris antiqui, pactorum aut ſacramentorum toties iteratorum habita ratione. Providere dignetur bonus Deus.

Hactenus illa charta. Et quidem de iis quæ ad Burgundicum Regnum pertinent iam ante dictum eſt. Lotharingico Regno, perinde ut hic audivimus, nullo iuſto titulo ea quæ hic recenſita ſunt ſubtracta eſſe per Gallum, non eſt forte quod dubitemus. Attamen etiam illud vacat dubio, hactenus neminem Cæſarum illa in ditionem Imperii revocaſſe. Et vero à primo fere Maximiliano variæ querelæ ſuper ea re publice privatimque fuſæ ſunt. Num à ſucceſſoribus idem ſit factum, numve ſerio à Gallis iſthæc quis repetierit, fateor me ignorare. Itaque nec definire audeo, num quadam longi temporis præſcriptione tueri ſe Gallus poſſit, & uſu diuturno per vim occupata fecerit ſua.

Avorum memoria in eodem Lotharingico Regno Henricus II. Rex Metim Tullum & Virodunum in poteſtatem ſuam redegit. Quas urbes qui ſecuti ſunt Reges ſtudioſe ſibi ſervaverunt, fruſtra illas repetentibus & Cæſaribus & omnium Imperii Ordinum delegatis. Nec tamen adeo difficilis oſtenſu fuit retentionis illius iniquitas, ſi attendas ad ea quibus Gallici patroni Regum ſuorum cauſſam tutari conati ſunt.

Alii enim leges fœderis cum Mauritio pacti prætexerunt. Sed ne quid dicam de robore illius fœderis, cum ipſa formula pacti à Gallis illis non ſoleat adduci, & plærique aliis maluerint prætextibus uti, per eſt veroſimile, nihil eiuſmodi tabulis illius fœderis contineri. Et vero ipſe Thuanus, l. 8. ita ſcribit: *Adſectum conventionibus, videri è re omnium eſſe, ut Rex quamprimum Cameracum ſi poſſit, Divodurum, ſive Metim Tullum & Virodunum, Lotharingiæ civitates occupet, & præſidio firmatas VICARII IMPERII nomine in poſterum teneat.* Et tamen Reges Galliæ plenam omnino poteſtatem in urbes illas ſibi arrogaverunt. Ad hoc Henricus Rex publicis literis *profeſſus eſt*, ut ſcribit Sleidanus l. 24. ſe toto in negotio nullum privatum compendium atque fructum, ſed hoc ſolum ſpectare, ut reſtituta ſuis iuribus Germania, liberato Saxoniæ Duce & Landgravio, laudem atque gloriam immortalem conſequatur.

Thuanus l. 9. cum dixiſſet, *præter fœdus cum Mauritio initum, non defuiſſe rationes, quibus id iure ſibi licuiſſe ſui contenderent*, ſubiungit: *Ac primum quidem à naturali Galliarum limite argumentum ducitur, quem etſi Germani longius protulerunt, & in Gallias effuſa multitudine etiam citra Rhenum Germanicam linguam ſecum intulerunt, nunquam tamen trans Moſam ſe extenderunt.* Ridiculè ſanè. Quaſi verò limites gentibus poſſeſſionum ſuarum natura ipſa in hiſce terris decreverit: & non veriſſimum ſit Horatij illud.

— Propria telluris herum natura nec illum
Nec me nec quenquam ſtatuit.

Etſi Germani ad Moſam uſque à Rheno omnia ſua fecerunt, ſatis utique hoc fuerit ad Lotharingicarum illarum urbium poſſeſſionem jure ſervandam. Quod vero Germani non ultra Moſam ſe extenderint, cum vel ſoli Franci univerſam Galliam in ditionem ſuam redegerint? Nec illi qui ibi rerum potiuntur Reges, in Galliam quatenus eſt Gallia, aut jure aliquo veteri Galliæ competente, imperant, ſed quatenus Reges ſunt Francorum, quibus facta diviſione tertia pars ceſſit Imperij univerſi Francorum Carolini.

Diffiſum ineptæ illi argumentationi virum eximium, indicant quæ ſubjicit verba: *Sed validiora ſunt ab antiquitate petuntur iura huius cauſſa.* Sunt autem æque imbecillia, imo jugulant omnino cauſam Regiam. Poſtquam enim narraſſet, quemadmodum Auſtraſia ad Caroli Magni poſteritatem devenerit, fatetur eam denique Carolo Craſſo & Arnolpho obtigiſſe, qui utique Germaniæ Reges fuerunt. Imo addit, à Carolo Simplice Auſtraſiam Henrico Saxoni conceſſam & ab Ottone Magno vindicatam. *Carolus*, inquit, *cum poſtea procerum factione regno Galliæ depulſus eſſet, Henrici Saxonis, qui Conrado in Imperio ſucceſſerat, ope in regnum reſtitutus, remunerationis loco Auſtraſiam*

ipſa

ipſi permiſit, atque in eius gratiam iure ſuo ceſſit, anno Salutis DCCCCXX. Henrico Otho Magnus ſucceſſit, cui facile fuit, captivo Carolo & in carcere Perona mortuo, ius à patre in ea provincia acceptum firmare. Non multo poſt addit: *Hugo Capetus tertia ſtirpis, quæ hodie feliciter imperat, princeps, nuper in Regno conſtitutus, cum Othonem potentiſſimum Principem placatum habere vellet, iniuriam Regno potius quam ſibi factam diſſimulavit & poſteritati vindicandam reliquit.* Hæc inquam ſubruunt omnino fundamenta cauſſæ Gallicæ. Si enim jam Henrico Aucupi ſponte conceſſa eſt, ab illo qui omnium Francici Regni per Galliam erat heres & legitimus dominus, Auſtraſia, ſi illam Germaniæ Reges quieta poſſeſſione ab anno DCCCCXX. tenuerunt, quid juris Capetanæ ſtirpis Regibus poteſt ſupereſſe vi Gallici ſui ultra Moſam Regni, quod ab Lotharingico ſtatim ab obitu Ludovici Pij fuit diviſum? Non omnia iſta ſatis exacte à Thuano recenſita eſſe, patet quidem ex ijs quæ nos ſupra diſputavimus: Ipſa tamen hæc ſufficiunt propugnandis Imperij juribus. Hugonem Capetum *reliquiſſe poſteris vendicandam* Lotharingiam: nullo poteſt idoneo teſtimonio probari. Nos ex adverſo cap. vi. adduximus Æmylium confitentem, ab Hugonis filio Roberto, compoſitis Lotharingiæ rebus, *pacem fidam* inter Regnum Imperiumque cum Henrico II. Cæſare eſſe initam.

Aut vehementer fallor, aut ipſe Thuanus ignaviam & imbecillitatem ſuæ diſputationis agnovit. Illa enim finita, addit hæc verba: *Has Lotharingia civitates, ſive iure antiquo ad Gallia regnum pertinentes, ſive ex fœdere nuper cum ſociis Germania Principibus inito ſibi conceſſas, ſive ne in hoſtis poteſtatem devenirent, occupatas, alioqui tutando Campania limiti neceſſarias, rex cum retinere decreviſſet, &c.* Hæc ſane verba animum produnt ambiguum & non ſatis ſibi fidentem, qui quo adeo voluit quidem aliquid pro Regia cauſſa dicere ſed non potuit: quorum illud ut ſit boni civis, boni tamen viri eſt cauſſam injuſtam vanis coloribus non fucare.

Antequam à Thuano hric abeamus, verbo obiter animadvertendum eſt in ejuſdem ſermonem quem ibi interſerit de Metenſibus. *Adelberto*, inquit, *mortuo cum Theodoricus Othoni proximus creatus eſſet Epiſcopus, primariis civibus auctor fuit, ut rejecto unius qui perſæpe aut durus aut incertus eſſet, dominatu, ſub Imperii nomine libertatem impoſterum colere mallent. Quorum exemplo Baſileenſes, Argentinenſes, Spirenſes ac denique Colonienſes libertatis dulcedine ineſcati, legitimum dominorum iugum, Cæſarum patrocinio freti, excuſſerunt, & Senatu conſtituto rempublicam ordinaverunt. Ita Metim & reliquas illas Lotharingia civitates Otho I. à Francorum imperio divulſit.* His ſane commentis nihil eſt futilius; nec enim vix verbulum hic reperias veritati conſonum. Longe enim ſerius cæpit illa Vrbium libertas & quidem demum ſeculo duodecimo, ut alibi demonſtravimus. Spira nunquam Lotharingici regni pars fuit, ſed in ditione Germanici regni ab anno uſque 842. adeoque à trina illa partitione Imperij Francorum Carolini. Argentoratus & Colonia ſemper fuerunt itidem in ditione noſtrorum Regum ab anno uſque 870. Baſilea ætate Othonis Magni urbs erat Burgundici regni non Lotharingici, & demũ longe poſt Othonem Magnum nobis ceſſit. Nec Imperij Romani ulla erat trans Alpes reverentia aut mentio quo tempore Otho Lotharingiam vindicavit. Quæ omnia ex ijs quæ jam ſupra narravimus manifeſta ſunt. Sed & ipſe Thuanus jam narraverat, univerſam Lotharingiam ab Henrico Othonis patre occupatam; inque eandem poteſtatem ſucceſſiſſe Othonem: qui ergo Otho voluerit demum urbes illas, propoſito libertatis pretio ineſcatas, à Gallis divellere?

Verum non eſt quare hiſce fabulis (quibus tamen & alij vulgo Gallici ſcriptores in tanti momenti cauſſa, uti hactenus ſolent) confutandis immoremur. Et vero prudentiores quique ſilere maluerunt, quam Regiam cauſſam in illum modum prodere. Sed & in ipſis Tabulis publicæ pacis non diſſimularunt nuper Regii Legati, Imperii in Vrbes & regiones illas iura HACTENVS fuiſſe integra, uti paulo poſt apparebit.

Vltimo porrò hoc bello plenum ius Galli, non tantum in tres illas Vrbes, ſed & Epiſcopatuum cognominum omnem diſtrictum, ut & ius præſidii collocandi in Philippiburgo, Cæſaris & Imperii Ordinum conſenſu impetraverunt. Iidem Bullionenſem oppido Sedanenſi, Lotharingiæ vero Ducem omni exuerunt ditione, & Regi Hiſpaniæ ſimiliter multa eripuerunt, quæ illæ hactenus poſſedit iure Imperii. Adeoque eximiam Lotharingici Regni partem in poſſeſſionem ſuam redegerunt. Cæterum fervente adhuc cum Hiſpano & Lotharingio alea belli, non eſt quod de Imperij juribus in iſta quidem loca heic diſputemus. Sed & cum de his tum de alijs conſtitutum jam eſt & conuentum. Adeoque res exigitur quæ huc faciunt, ex Tabulis pacis publicæ Monaſterienſibus deprompta in medium adferamus, & quidem primo de iis quæ jam pleno iure Gallo ſunt ceſſa, deinde de Hiſpanicis & Lotharingicis.

Verba hæc ſunt. *Quo magis autem dicta Pax atque amicitia inter Imperatorem & Chriſtianiſſimum Regem firmari poſſit, & ſecuritati publica melius proſpiciatur, ideo de conſenſu, conſilio & voluntate Electorum, Principum & Statuum Imperii, pro bono pacis conventum eſt. Primo, quod ſupremum Dominium, iura Superioritatis aliaque omnia in Epiſcopatus Metenſem Tullenſem & Virodunenſem, Vrbeſque cognomines eorumque Epiſcopatuum deſtrictus, & nominatim Moyenuicum, eo modo quo hactenus ad Romanum ſpectabant Imperium, impoſterum ad Coronam Gallia ſpectare, eique incorporari debeant in perpetuum & irrevocabiliter, reſervato tamen iure Metropolitano ad Archiepiſcopatum Trevirenſem pertinente. Quarto Chriſtianiſſima Maieſtati eiuſque in Regno ſucceſſoribus de conſenſu Imperatoris totiuſque Imperii perpetuum ius ſit tenendi præſidium in Caſtro Philipsburg protectionis ergo, ad convenientem tamen numerum reſtrictum, qui Vicinis iuſtam ſuſpicionis cauſam præbere non poſſit, ſumptibus duntaxat Corona Gallia ſuſtentandum. Patere etiam debebit Regi liber tranſitus per terras & aquas Imperii ad inducendos milites, commeatum & cætera omnia, quibus & quoties opus fuerit. Rex tamen præter protectionem, præſidium & tranſitum in dictum Caſtrum Philipsburg nihil ulterius prætendet, ſed ipſa proprietas, omnimoda iuriſdictio, poſſeſſio, omniaque emo-*

lumenta fructus, acceſſiones, iura, Regalia, ſervitutes, homines, ſubditi, vaſalli, & quidquid omnino antiquitus ibidem. & in totius Epiſcopatus Spirenſis, Eccleſiarumque illi incorporatarum deſtrictu Epiſcopo & Capitulo Spirenſi competebat & competere poterat, eiſdem in poſterum quoque ſalva, integra & illaeſa, excepto tamen iure protectionis, permaneant.

De Hiſpanicis & Lotharingicis earundem tabularum initio ſic cavetur: *CIRCVLVS quidem BVRGVNDICVS ſit maneatque membrum Imperii, poſt controverſias inter Galliam Hiſpaniamque ſopitas, hac pacificatione comprehenſus. Bellis tamen in eo iam vertentibus, nec Imperator nec ullus Imperii Status ſe immiſceat. In futurum vero, ſi inter ea Regna controverſiae oriantur, firma ſemper maneat inter univerſum Imperium & Reges regnumque Galliae de mutuis hoſtibus non iuvandis, ſupra dicta reciproca obligationis neceſſitas: ſingulis tamen Statibus liberum ſit huic illive Regno extra Imperii limites ſuppetias ferre, non tamen aliter quam ſecundum Imperii conſtitutiones. CONTROVERSIA LOTHARINGICA vel arbitris utrinque nominandis ſubmittatur, vel Tractatu Gallo-Hiſpanico, vel alia amicabili via componatur: liberumque ſit tam Imperatori, quam Electoribus, Principibus, & Statibus Imperii, eius compoſitionem amicabili interpoſitione, aliiſque pacificis officiis iuvare ac promovere, non tamen armis aut bellicis mediis.*

CAPVT XXVII.

Quae in Lotharingico Regno Duces Lotharingiae tenent, illa pene omnia hodieque iuris eſſe Imperialis Germanici.

EXpeditis Regum Galliae rebus, pergemus ad Lotharingiae Ducum patrimonium, quoniam & illa hodie Rex Galliae tenet, & de Barrenſi Ducatu non calamis tantum ſed etiam armis diſceptatur, Gallis illum ſuae ditioni Ducibus Imperio vindicantibus.

Continentur autem patrimonio illo varia, quaeve ut nunc quidem ſeſe res habent, non una ſunt conditione Imperio obnoxia. Alia quippe feudi vinculo adſtricta ſunt, eoque de iis quidem quin iure ſint intra Imperii limites collocata, non eſt forte quod dubitemus. Ipſum Ducatum Lotharingiae liberum plane & ſui iuris, legibuſque Imperii omnino ſolutum nonnulli arbitrantur: eſt autem ille pars matrimonii iſtius potiſſima. Non exigui etiam pretii inter membra patrimonii illius eſt Ducatus Barrenſis: quo de nunc acriter adeo contendi, paulo ante diximus. De utroque igitur illo nobis agendum potiſſimum venit, initio à Barrenſi facto; qua occaſione ſimul diſputabitur de feudalibus bonis.

Ad Caſtrum quidem ipſum BARRI non Gallico ſed Imperii ſolo accenſitum, & Comites Barrenſes, caſtri quidem illius cauſſa, non Campaniae Comitum ſed Imperii in clientela vixiſſe, uſque ad ſeculum quartum decimum, niſi vehementer fallimur, clare probatum eſt à nobis capite ſeptimo. Quid exinde contigerit, iam docebimus, ſine amore & odio, quorum & cauſas procul habemus.

Igitur Henricum Barri Comitem, quod Ioannae Reginae terras Campanicas incurſaſſet, armis domitum, à Philippo Pulchro Rege anno MCCCI. ad ligium hominium ſibi praeſtandum compulſum eſſe, id ante omnia arbitror extra omnem eſſe controverſiam collocandum. Et vero non tantum fatetur id Chiflerius Lotharingicus ὑπερασπιστής, ſed etiam teſtimoniis variis confirmat in *Commentario Lotharienſi cap. 2.*

Id *porro* ſine ullo exemplo tum primum factum, non negat ipſe qui Chiflerio accurata diſputatione ſeſe pro partibus Regiis oppoſuit doctiſſimus vir D. Blondellus. Diſerte enim pag. 20. libri cui titulus eſt: *Barrum Campano Francicum*, ſcribit de illo Pulchro Rege: *Regum omnium primus Barri Comitem (cuius maiores non Regum ſed Campaniae Comitum vaſalli erant) hominem nullo medio habuit.* Fatente ergo Blondello, tum primum Barri Comes factus eſt Regius vaſallus, eius maiores vero nullo tali nexu Regibus iſtis fuere obſtricti. Quod vero addit, fuiſſe illos vaſallos Campaniae Comitum id non negamus: Barri tamen cauſſa non fuiſſe in tali clientela, iam tum ſupra oſtendimus, & in ipſis illis Henrici Barrenſis tabulis, quas Blondellus ex Andrea Cheſneo eadem pagina producit, tantum non diſerte adfirmatur: ceu mox patebit.

Obſervandum *tertio* venit, multa tum quidem iam fuiſſe in patrimonio Barri Comitum, non tamen à Rege iure fiduciario aliud Henrico Comiti datum, quam ſolum *Barri caſtrum & caſtellaniam Barrenſem, cum omnibus quae Henricus ante citra Moſam fluvium ex franco allodio tenuerat.* Notat ſcilicet ipſemet Blondellus, anno MXXVII. Barro adiunctum fuiſſe Moncionis Comitatum: *ei* (inquit pag. 17.) *A. D. MCXXIV. Dunum Caſtrum, Ponrecinm, Malandi, Mons S. Luciae, & Curticella, cum ruſticis de Armincort & Domino-Remigio, Henrico Virdunenſium Epiſcopo donante, accrevere: anno MCXXXI. Clarus Mons, Hans, & Vienna cedente Alberto Epiſcopo, acceſſere. Anno vero circiter MCL. Agneti, filio Rainaldi II. nuptae, Lucium caſtrum cum territorio adiacenti, dotis nomine donavit Theobaldus Magnus Campaniae Comes Palatinus.* Non omnia vero illa, ſed ſola iſthaec quae modo diximus in feudi legem Henrico data eſſe, ſole clarius patet ex ipſis Henrici laudatis ante tabulis. Adferemus illas ipſas in medium, quales ex Cheſneo produxit Blondellus. *Nous Henris Cuens de Bar, faiſons cognoiſſant à tous, que treitiei de pais à eſté eus, accordés, & firmeiz, & ſomes venus à pais à noſtre treſchier Seigneur, Philippe par la grace de Dieu Roy de France, en la forme & en la maniere qui s'enſuit. Premierement nous avons fait (hommage lige) audit noſtre Seigneur le Roy; pour luy, & pour ſon hoir Roy de France; de Bar & de la Chaſtellerie de Bar, de tout ce que nous tenions en franc allué par deça la Mueze.* Multiſque interiectis, *Encores eſt accordé que les Chaſteaux, & les Chaſtelleries de Conſlans, de Chaſtillon, & de la Marche, & tous les accommodemens, fiéz, arriere fiéz, demaines, iouſtices, droiz droitures, & Seigneuries, quelconque il ſoyent, demerent perpetuellement à noſtre Seigneur le Roy, à ſes hoirs, & ſes ſucceſſeurs, &c. avons donné pleges & principaux reſpondeurs, & enterins à noſtre Seigneur le Roy. Monſeigneur Tuibaut, & Monſeigneur Iean*

Digitized by Google

Jean de Bar nes freres, Monſeigneur Ieffroy Seigneur de Aſpremont, & Monſeigneur Liebant Seigneur de Beffremont &c. fait à Bruges l'an de grace 1301 le iour des Octaves de la Trinité.

Hactenus illæ tabulæ. Ex quibus ſimul diſcimus, ceſſiſſe Henricum Regi Pulchro caſtra & caſtellanias de Caſtellione, Confluentia & Marchia. Verum hæc Eduardo I Henrici filio à Philippo Valeſio reddita, donatam porro eidem à Rege illo anno MCCCVII Gundricuriam ex Cheſneo probat idem Blondellus pag. 21. Et quidem Gundricuriam feudi lege datam, clariſſimum eſt ex diplomate Valeſii Regis, quod ibidem Blondellus adfert. Non alia conditione vero & reliqua reddita, per fit veroſimile ex tertijs tabulis Theobaldi Leodienſium Præſulis, quas eodem loco teſtes laudat Blondellus, tum ex eo quod hæc nominatim ſoleant numerari à Regibus inter feuda ſua.

Quarto loco igitur notandum venit, hæc fortaſſis omnia quæ diximus, à Regibus Galliæ ſecutis temporibus pro feudis Regijs habita quidem, reliqua autem quæ Ducatus Barrenſis titulo hodie veniunt, & partes Ducatus creduntur, nunquam in cenſum iſtum veniſſe. Quam multa nimirum Ducatui illi hodie adſcribantur, docet nos accurate Chifletius cap. XXI & repetit ex illo Blondellus pag. 93. At vero cum in quatuor præfecturas & appendices aliquot omnis provincia hodie dividatur, nihil earum præfecturarum aut appendicum pertinet ad feuda illa Regia; in prima & quarta præfectura demum illa occurrunt alijs addita. Iam vero pauca illa denique, clientelaria ſua bona credita eſſe à Galliæ Regibus, liquido patet cum ex pacto Bolonienſi inter Carolum IX Regem & Carolum Lotharingium anno 1571 inito, tum ex diplomate Henrici III Regis conſcripto Pariſiis anno 1575, quorum illud cap. XIII. hoc cap. XIV. ex Archivo Barrenſi recitat Chifletius. In pacto hæc verba habentur: *Nimirum ad pacandas & finiendas lites, controverſiaſque omnes cum natas tum naſcituras ratione dictorum iurium Regalium & ſummæ poteſtatis, dictus Rex annuit conceſſitque ſuo & ſucceſſorum Regum Franciæ nomine, dicto Duci Lotharingiæ & Barri, Sororio ſuo, ut tum ipſe, tum eius poſteri, qui terras infra deſignatas poſſidebunt, fruantur utanturque libere & quiete iuribus regalibus, legibuſque ſummæ poteſtatis, in TERRIS PRÆTORII BARRENSIS, PRAEPOSTURA MARCHIENSI, CASTILLIONENSI, CONFLUENTINA, GONDRECURTENSI, DICTO REGI SUBIECTIS, de quibus dictus Dux ipſi fidem & homagium ligium facit.* In Diplomate Henrici III Regis legitur: *Quod ad ſummam Poteſtatem, Iura Regalia, & iuriſdictionẽ attinet: IN PRÆTORIO BARRENSI, IN PRAEFECTURIS MARCHIENSI, CONFLUENTINA CASTILLIONENSI & GONDRECURTENSI, originem clientelari ratione à Nobis trahentia &c.* Nec de alijs poſſũt intelligi literæ Caroli VI Franciæ Regis à Cheſnæo ex neſcio quo commentario edita, in quibus ait Chifletius cap. 7 pag 28. *declarat Rex avunculum ſuum Barri Ducem ſibi feciſſe fidem & homagium ligium de caſtro & caſtellania Barrenſi, deque alijs quibuſdam caſtellaniis citra Moſam.* Sintne illæ literæ genuinæ nec ne, non diſputo: ſufficit quod nec illæ doceant quid, ab eo quod diximus alienum ac diverſum.

Obſervandum *quinto* loco venit, illa quæ Galliæ Reges ſuo juri vindicant feuda, haud numerari inter ea quæ Tranſactione Norimbergenſe cum Cæſare & Electoribus inita, Antonius Dux Lotharingiæ Imperio ſe debere profeſſus eſt, & Cæſar atque Ordines intra Imperij fines quaſi receperunt. Multo minus illa pertinent ad ea quæ Duces Lotharingiæ à Cæſaribus fiduclaria ſolent lege accipere. Fruſtra certè Tranſactionem illam in argumentũ adducit Chifletius c. 9. In illa enim (ut ipſe fatetur, c. 8.) *agitur de ducatu Lotharingiæ, ne Barrenſi quidẽ nominato.* Cavetur etiã de ſolo Lotharingiæ Ducatu eiuſque appendiciis, Albimonte, Muſſiponte & ſimilibus. Chifletius conatur quidẽ nobis perſuadere Barrẽſẽ Ducatũ univerſũ Lotharingici Ducatus titulo involvi. Verũ Barrenſis Ducatus aut Comitatus ſẽper fuit diſtinctus à Lotharingico: diſtinctos initio dominos habuit, & tãquã geminæ dignitates ſplẽdẽt hodieque in Ducum titulo. Nec vero fas fuit in re adeo ſeria ludos agi à Cæſare, Electoribus, aut Antonio Duce. Hinc vero jam liquet, ſaltim ultra centum annos Barrum aliaque illa, quaſi finibus Imperij excluſa eſſe, Cæſaris & Ordinum non minus quam ipſorum Ducum conſenſu. Iam ante vero & interea temporis in clientelari obſequio Regum Galliæ iſthæc fuerunt. Quamvis igitur ante centum amplius annos fuerint juris Germanici, tanti temporis tamen ſpacio quum ſint derelicta, fortaſſis vel ideo merito videantur Imperij poteſtate excidiſſe.

Eſt autem ex ijs, quæ jam tertio loco monuimus manifeſtum, Gundricuriam Caſtellionem Confluẽtiam & Marchiam à Philippo Valeſio Rege, ante hos trecentos annos jam fuiſſe in clientela Regni Gallici. Nec video ullum aliquod certum indicium, quo oſtendi poſſit hæc fuiſſe unquam Imperij finibus comprehenſa. De uno Barro nos quidem probavimus, fuiſſe illud quondam in ditione Imperij, ad uſque initium ſeculi quartidecimi. Poſt quam vero illud in clientelam Gallicam eſt receptum à Philippo Pulchro, num vindicatum rurſum fuerit Imperio, per eſt incertum. Quo tempore ſane Marchionatum Pontenſem inſtituit Carolus IV Anno ſc. 1354, creditum fuiſſe Barrum juris eſſe Gallici, veroſimile mihi facit ipſa illa Marchionatus inſtitutio. Voluit ſcil. Cæſar Robertum Barri Comitem conſanguineum ſuum in Principum ordinem referre, nec tamen invenit commodiorem locum in omni ejus ditione, unde titulus adderetur præter Villam Moncionem; quam proinde limitaneo Principatui novo metropolim eſſe juſſit. Commodius autem Barro potuiſſet tum illa dignitas conferri, ut quæ jamdudum inclaruiſſet, & magis in limite Imperij eſſet collocata. Id magis confirmatur ex ijs quæ Cheſneum ſecutus diſputat Clariſſimus Blondellus pag 30. Nempe anno 1352, ætatis veniam Roberto illi Comiti, ſequente anno eidem proviſionem aſſignavit Rex Ioannes: adeoque cliens ille tum habitus fuit Regni Galliæ. Poſt hæc Comitatui Barrenſi dignitas quidem collata eſt Ducalis: ſed incertum, à Carolo Cæſare an à Rege Ioanne. in neutram enim partem ſuppetunt diplomata: quod & Chifletius pariter & Blondellus confitentur: & in utramque partem non deſunt cum

teſtimonia ſcriptorum, tum veriſimiles rationes. Vt vero à Carolo IV. dignitas illa tandem ſit profecta, hoc ipſo tamen non fuerit clientelare jus Gallicum everſum, ſed tantum ſuprema poteſtas vindicata. Nec reperias tamen quenquam Cæſarum qui poſt Carolum IV. vel eam curam Barri, cauſſa impenderit: omni ſcil. illa cauſſa neglecta. *Illa* ipſa Caroli ætate autem Galliæ Reges inter fideles ſuos numeraſſe Duces Barri, vel ex uno illo diplomate Caroli V. Regis, ſcripto anno 1364. quod capiti XII. Lominum Salicorum inſeruit ipſe ille Chifletius, manifeſtum eſt. Quibus omnibus expenſis, videtur ſecure pronunciari, poſſe non eſſe, quamobrem intra fines Imperij Gundricuria quidem, Caſtellio, Confluentia & Marchia, merito poſſint revocari: imo talem conatum cum injuria fore coniunctum. Cum Barrum porro ipſum vel nunquam vel non niſi leviter trecentorũ annorum ſpacio ſit Imperio vindicatum, etiam illud potius videri inter ea quæ dudum perdita ſunt, numerandum eſſe. Id quod *ſexto* loco notandũ ducimus.

Etſi vero hunc in modum expedita fortaſſe res ſit de feudis illis Gallicis, minime tamen hinc ſequitur, in univerſum omnia quæ hodie Barrenſi Ducatui accenſentur, itidem juris Gallici eſſe & Imperii finibus excludenda. Perinde enim atque ex eo, quod Moncionis & Hattonis Caſtri Marchionatus, vt & Comitatus Clarimontis, in feudum Lotharingiæ Ducibus Imperii nomine à Cæſaribus hactenus ſint conceſſi, & tamen cenſeantur in præſens Ducatus Barrenſis membra, non obtinetur Ducatum illum univerſum in Imperij eſſe ditione: ita nec ex eo quod Ducatus caput aliaque nonnulla Gallici ſint iuris, de univerſo Ducatu ſequius quid præſumendum eſt. Solent nimirum ſæpenumero unum in corpus, commodioris regiminis cauſſa, coniungi, quæ diverſiſſimæ alias ſunt conditionis: nihilque ineptius fuerit & iniquius, quam ſi ex unius partis ſtatu de reliquis omnibus velis iudicare. Et vero video doctiſſimum Blondellum ab eiuſmodi argumentationibus prudenter abſtinere, ſecus quam ſit ab aliis permultis.

Ille tamen aliis rationibus & Clari montis dominium, & Hattonis caſtri, & Moncionis ditiones, imo & Albimontem ac Belliſteinium aliaque conatur iuribus Gallicis vindicare. Recitabimus ſummi viri ipſa verba qualia habentur pag. 82. *Cum Claromontis dominium in Barri Comites anno 1131. ab Alberono de Chiſneir Virdunenſium præſule translatum, inter Moſam, communem Lotharingici & Francici regnorum limitem, & Axonam iaceat, nec Imperii Germanici membrum cenſeri, nec à Germanicis Imperatoribus in feudum recipi iure potuit; Moſam autem Lotharingici regni limitem occidentalem fuiſſe docent, inveſtiturarum à te prolata diplomata, quibus tota Lotharingia Ducum poteſtas Rheno & Moſa concluditur. Hattonis Caſtri, Albimontis, Moncionis, & Belliſtheinii ditiones, cum Advocatia Tulli & Romarici montis, etiamſi inter Moſam & Rhenum poſita, ab Imperio Germano Lotharingico pependiſſe videantur; ex quo Metenſis, Tullenſis, & Virdunenſis diœceſes, quarum membra ſunt, ſupremumque in eas ius, communi Ordinum Monaſterienſia pacta confirmantium decreto, Francico regno accreverit, in eandem partem inclinare debent.* Hactenus Blondellus, qui mox ſubiungit verba quædam Tabularum Pacis præcedente capite à nobis producta.

Videtur autem forte haud difficile dictu eſſe, in hac re quid ſit ſtatuendum. Quod Clarimontis enim dominium attinet, eſt quidem illud ultra Moſam ſitum. At non ultra fluvium illum iura Imperii Germanici extendi debere, eumque fluvium præciſe in limitem Imperii & Regni Gallici eſſe olim conſtitutum, non probavit Blondellus, nec unquam quis probaverit. Quo de iam cap. ſexto à nobis actum eſt. Adhoc ſi Clarimons Gallici iuris fuiſſet habitus olim à Galliæ Regibus, utique & huius dominium ſui feciſſent iuris. Vindicarunt autem ſibi de ultra Moſanis Barrenſis Ducatus partibus ſolam præfecturam Barrenſem. Itaque ipſorum propria & per omnia ſecula hactenus continuata confeſſione, nihil iuris in Clarimontem Regno Gallico competit. Si porro Virdunenſium Præſul iam anno 1131. Clarimontem in Barrenſes Comites tranſtulit, quod fatetur Blondellus, pro argumento id poteſt eſſe Imperialis iuris. Illo quippe tempore Regibus Galliæ non fuit obſtrictus Barrenſis Comes: quod iam oſtenſum eſt: & quando Virdunum Germaniæ acceſſit, ſimul & pagus Virdunenſis factus eſt iuris Germanici, cuius pars ab antiquo fuit Clarimontenſe dominium. Non latuit denique Galliæ Reges, Clarimontanum illud dominium inter alia clientelari Lotharingios Duces iamdudum à Cæſaribus accepiſſe. Et tamen nemo eorum quiſquam contradixit, nemo vel ægre tulit. Non tacituri profecto, niſi ad ſe dominium illud non pertinere, veritate ipſa fuiſſent convicti. Et vero etiamſi iure quondam fuiſſet in ditione Gallorum, dudum tamen vel ſola diuturni temporis uſucapione, & perpetua Gallorum negligentia, in Imperii illud iura tranſiiſſet. Igitur inique profecto nunc demum, neſcio cuius antiquati iuris prætextu, Clarimons Imperii finibus ſubduceretur.

Hattonis Caſtrum Moncionem aliaque illa Regno Galliæ conceſſa eſſe vi pactorum Monaſterienſium, non ſane hominum quiſquam probaverit, cum de iis ne quidem actum fuerit. *Diœceſin* univerſam Metenſium Tullenſium & Virdunenſium ceſſam, non profecto in Tabulis legitur, ſed *Epiſcopatuum illorum diſtrictus*: quibus vocibus territoria tantum indicari, uſus docet. Longius ſane voces illæ extendi nequeunt abſque iniuria recepti moris loquendi.

Sed non eſt quare de his prolixius nunc diſſeramus. LOTHARINGIÆ Ducatum, ex quo univerſum Regnum illud Germanici eſt iuris factum, perpetuo fuiſſe finibus Imperii incluſum, ſaltim uſque ad Tranſactionem Norimbergenſem, nemo eſſrons adeo repertus eſt hactenus, qui auſus ſit negare. Nihil ſane fuerit facilius, quam perpetuum exercitium iurium ſuperioritatis Imperii in regionem illam, per ſeptingentos amplius annos deducere. In formula Tranſactionis Norimbergenſis fateor hæc verba haberi: *Ducatus Lotharingiæ cum ſuis appertinentiis LIBER ET NON INCORPORABILIS DUCATUS erit & manebit ſemper: & à Cæſarea Maieſtate, Nobis, & Electoribus, Principibus atque Statibus Imperio, pro LIBERO ET NON INCORPORABILI DUCATU, Superioritate & Principatu recognoſcetur, nominabitur & habebitur ſemper.* Horum

autem

Digitized by Google

autem verborum non alius eſt ſenſus quam ille quem doctiſſimus Chifletius attulit cap. 8. Lotharingia Maſculina pag. 31. Principum, inquit, Imperii vacua hæreditates ordinario caduci iure ad Imperatorem tanquam ad ſupremum Dominum devolvuntur, rurſumque incorporantur Imperio à quo primitus emanarunt, in aliam familiam, ſi lubet transferenda. At Norimbergica pactione Duci Lotharingiæ indultum eſt, ut eius Ducatus eſſet membrum Imperii liberum, Imperio nunquam incorporabile, hoc eſt ut perpetuo tranſiret ad heredes, ita ut ab eius ſanguinis ſtipite non recederet. Idem in Commentario Lotharienſe cap. x. pag. 42. Libertatem Ducatus illius, recte interpretatur de exemptione à proceſſibus mandatis & iudiciis ſacri Romani Imperii tam in prima quam aliis inſtantiis, prout diſerte habetur in Tabulis illis Norimbergenſibus. Dabimus paulo poſt illas Tabulas integras. Interim expendat pro ſe quiſque tantum illa Tabularum verba: Pro ſolutione talium collectarum & contributionum, pro conſervatione publica Pacis erecta in Imperio, pro ſecuritate & ſaluo conductu, Cæſarea Maieſtas & Nobis, Romanorum Regibus & Imperatoribus, qui quoque tempore erunt, SACRO ROMANO IMPERIO EIVSDEMQVE IVRISDICTIONI SVBERVNT.

Non utemur in re liquida alio interprete, quam conſiliario arcaniorum negotiorum ipſius Franciſci II. Lotharingiæ Ducis. Eſt ille Franciſcus Thouveninus vir ſane doctus & ingenioſus, qui Apologetico quem pro heri ſui iuribus Gallice ſcripſit de Norimbergenſi pactione in hæc verba diſſerit, ut quidem illa ex Gallico vertit Chifletius, & capiti x. Commentarij Lotharienſis inſeruit. Verum eſt, LOTHARINGIÆ DVCES poſtremis temporibus conatos fuiſſe plenam obtinere ab Imperio libertatem; ſed qualicumque cura adhibita manſerunt ſemper tali obligatione Imperio obſtricti, ut nullo modo ſe à veris clientela officiis liberare potuerint. Pactum quo maiorem acquiſivere immunitatem fuit tranſactio Norinberga inita anno MDXLII. inter Ferdinandum Romanorum Regem, fratris ſui Caroli V. Imperatoris nomine, & Ducem ANTONIVM. Abſolvuntur Duces à reſumptione & hominio ſui Ducatus: prohibetur appellari ab eorum ſententiis ad Cameram Imperialem: in ſumma declarantur PRINCIPES LIBERI: obligantur nihilominus ad ſolutionem ſubſidiarii Imperialis tributi, iuxta proportione duarum tertiarum ad ratam partem unius Principis Electoris: obſtringuntur ad obſervationem publica Pacis ſancita in Imperio, & ad ſalvos conductus, quos Germani vocant GLEIDES; horumque ratione reſpondere debent, & Camera Imperialis iuriſdictionem ſubire. Ha profecto prærogativa inſignes ſunt & precellentes, cum pauci Principes ſint in Imperio, ſi Belgicos excipiat, qui tales uſquam ſunt adepti. Verum non abſolvuntur nec liberantur Duces à FIDE quam Cliens debet Domino ſuo, in qua vera & unica Feudi eſſentialis forma conſiſtit, quandoquidem obligantur ad obſervationem edicti publica Pacis, vulgo LANFRID, qua nihil eſt aliud quam merus fidelitatis effectus; quemadmodum eiuſdem pacis infractio eſt fidei violatio. Praterea non eximuntur Duces à feudali obſequio, quandoquidem obſtricti ſunt ad ſolutionem ſubſidii pecuniarii; vulgo GLEIDES, quod unuſquiſque vaſallus Imperii conferre ſolet pro ſubſiſtentia exercitus Imperialis, proque ſumptibus comitatus Imperatorij, quando Cæſares cauſa Coronationis Romam proficiſcuntur. Quam ſubſidij præſtationem omnes Iuriſconſulti ponunt in primo ordine debitorum feudalium. Ultra quod, quia per dictam tranſactionem dicitur, permanſuras Duces ſub Imperij protectione, altero fidelitatis vinculo eo ipſo ſunt obſtricti: illud enim de fide ſimplicis protectionis non eſt intelligendum, ſed de fidelitate feudali. Ratio eſt, quia perſona ſimpliciter protecta nihil habet à ſuo protectore, nec ipſi aliam debet fidem quam pro ſecuritate defenſionis & auxilii, quod ab eo ſperat & expectat. Contra vaſallus fidem debet Domino ſuo cauſa Feudi, quod ab ipſo accepit. In cuius poſſeſſione & fruitione tenetur eum tutari & conſervare. Eſt porro manifeſtum, fidelitatem Imperatori à Lotharingiæ Ducibus obſervari debere, non ratione ſimplicis protectionis duntaxat, ſed etiam cauſſa ipſius Ducatus, qui olim à Cæſaribus ipſis datus eſt & infeudatus. Hæc Thouveninus. Quæ cum Tabulis illis Norimbergenſibus quam accuratiſſime conſentire, nemo negaverit niſi partium ſtudio excæcatus.

Confirmatur porro illa ſubiectio haud parum ſacramento iſto, quo more aliorum Principum Dux Lotharingius Cæſari devinctus eſt. Nec enim illud ad ſola feuda pertinet: imo ab inveſtitura quodam modo diſtinguitur. Perſpicere id eſt ex iis, quæ adfert Chifletius ca. xi. eiuſdem Lotharienſis Commentarij, petita ex Cancellaria Imperiali. Franciſco nimirum I. defuncto, cum Legati Lotharingici ad Carolum V. Cæſarem miſſi eſſent, rogaturi, ut Carolus Dux Franciſci filius adhuc pupillus à præſtatione homagij aliquamdiu excuſaretur, in Conſilio decretum eſt: quod tutores eiuſdem Illuſtriſſimi Caroli Ducis SECVNDVM MOREM IMPERII, debeant pro pupillo PRÆSTARE IVRAMENTVM ET ACCIPERE INVESTITVRAM de feudis ab Imperio dependentibus. Ubi autem pupillus ad ætatem legitimam pervenerit, ipſemet renovare tenebitur. Formula porro præſtiti iuramenti hæc fuit. Ego NICOLAVS à Lotharingia, tamquam tutor illuſtriſſimi Principis D. CAROLI DVCIS LOTHARINGIÆ ET BARRI, nomine tutorio tam pro me quam Illuſtriſſima Domina CHRISTIERNA à DANIA Ducíſſa Lotharingia ac Mediolani vidua, tamquam contutrice, conſtitutus ab ea ad negotium legitimus actor & procurator, promitto & iuro ad hac ſancta Dei Evangelia corporaliter per me tacta, quod Nos eo nomine ex nunc in antea fideles & obedientes erimus, Vobis Sereniſſimo Principi & Domino Noſtro CAROLO Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Domino noſtro clementiſſimo, & omnibus Maieſtatis veſtra ſucceſſoribus Romanorum Impp. & Regibus legitime intrantibus, & Sacro Romano Imperio contra omnes homines: & non erimus in conſilio, participatione, vel tractatu, ubi quidquam agatur contra perſonam, honorem, aut ſtatum Maieſtatis veſtra, & Sacri Romani Imperii, neque in id ullo modo conſentiemus: ſed bonum, utilitatem & honorem Maieſtatis veſtra & S. Rom. Imperij fideliter promovebimus: & ſi quid tractari cognoverimus contra Maieſtatis veſtra perſonam, honorem & ſtatum, huic pro virili obſtabimus, & Maieſtatem veſtram incunctanter admonebimus; omniaque alia & ſingula faciemus, ad qua fideles Principes & vaſalli Imperij

Digitized by Google

Domino ſuo Romanorum Imperatori & Sacro Romano Imperio de iure vel conſuetudine tenentur, dolo & fraude penitus ſemotis. Ita me Deus adiuuet, & hac ſancta Dei Evangelia.

Hactenus iuramenti illa formula. Cui in argumentum ſubiectionis Lotharingicæ, alia adiicere fuerit, niſi fallor, facem in meridie accendere Itaque iis ſepoſitis, annectemus duntaxat Tranſactionem illam Norimbergẽſem integram, & tabulas fiduciarias quas Henrico Lotharingico Cæſar Rudolfus tradi poſſit, qualia omnia illa ex Archivo Imperij deprompta publicavit ille quem ſæpe laudavimus Chifletius in Commentario Lotharienſi, nono & duodecimo capitibus. *Nos Carolus Quintus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Rex Germania, Caſtella, Arragonia, Legionis, utriuſque Sicilia, Hieruſalem, Hungaria, Dalmatia, Croatia, Navarra, Granata, Toleti, Valencia, Gallicia, Maioricarum, Hiſpalis, Sardinia, Corduba, Corſica, Murcia, Giennis, Algeronia, Algerica, Gibraltarij, Inſularum Carnaria, Balcarium, & Indiarum, ac Terra firma maris Oceani; Archidux Auſtria, Dux Burgundia, Lotharingia, Brabantia, Stiria, Carinthia, Carniola, Limburgia, Geldria, Calabria, Athenarum, Neopatria & Wirtemberga: Comes Hapsburgi, Flandria, Tyrolis, Gorcia, Barcinona, Arteſia, Burgundia, Palatinus, Hannonia, Hollandia, Zelandia, Ferreti, Kiburgi, Namurci, Roſsilionis, Cerinthania & Zutphania; Landgravius Alſatia, Marchio Burgovia, Oriſtani & Gotziani,* PRINCEPS SACRI ROMANI IMPERII, *Suevia, Catalonia, Aſturia: Dominus Friſia, Marchiae, Schlavoniae, Portus Naonis, Biſcayae, Molinae, Salinarum, Tripolis & Mechliniae &c. Certificamus per praeſentes pro Nobis & noſtris in Imperio ſucceſſoribus, & notum facimus univerſis, quod cum Illuſtriſsimus* DVX LOTHARINGIÆ, ANTONIVS, *conſanguineus &* PRINCEPS NOSTER, *Nobis repraeſentaſſet pactum & tractatum perpetuum, qui (poſt multas propoſitiones, allegationes & negotiationes, ratione eorum quae Nos & Sacrum Romanum Imperium tangunt in* DVCATV LOTHARINGIÆ ET IN EIVS DEPENDENTIIS, VELVTI ALBOMONTE, MVSSIPONTE *& ſimilibus) initus fuit, adaequatus & concluſus in ultimis Comitiis anni* MDXLII. *in noſtra & Imperiali Civitate* NORINBERGA, *inter Sereniſsimum & Potentiſsimum Principem, Dominum* FERDINANDVM, *Romanorum, Hungariae & Bohemiae Regem Archiducem Auſtriae, & Comitem Tyrolis, noſtrum fratrem dilectiſſimum, noſtro nomine ex una, & dictum noſtrum conſanguineum* DVCEM LOTHARINGIÆ, ANTONIVM *ex altera partibus; de ſcientia, conſilio & aſſenſu noſtrorum & Sacri Imperij* ELECTORVM, *Principum & Ordinum, in dictis Comitijs congregatorum, nec non Ambaſciatorum eorum qui abſunt; in eo quod inpoſterum debebit obſervari cum Dilectione ſua ejus heredibus & Ducatu* LOTARINGIÆ, CVM SVIS DEPENDENTIIS *(uti ſupra dictum eſt) in futuris taxis, negotiantibus & cauſis tam fiſcalibus quam aliis. Qui tractatus de verbo ad verbum eſt tenoris ſequentis.*

FERDINANDVS ROMANORUM REX.

Nos Ferdinandus Dei gratia Rex Romanorum ſemper Auguſtus, Rex Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, & Slavoniae, Archidux Auſtria, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae; Princeps Wirtembergae, Sueviae; MARCHIO SACRI ROMANI IMPERII, *Burgoviae Moraviae, Superioris & Inferioris Luſatiae: Vicecomes Habſpurgi, Tyrolis, Ferreti, Kiburgi & Goriciae, Landgravius Alſatiae, Dominus Marchiae Schlavonicae, Portus Naonis, & Salinarum &c. Certificamus per praeſentes, & notum facimus univerſis: quod cum Illuſtriſsimus Dux* LOTHARINGIÆ *per ſuos Legatos repraeſentaſſet Sacrae Caeſariae Maieſtati, dilecto* FRATRI NOSTRO *ac Domino, nec non Electoribus, Principibus & Ordinibus Sacri Imperij, in quibuſdam praeteritis Comitiis, & nominatim in poſtremis Ratiſponae & Spirae celebratis: quod nõ obſtante, quod eius* DVCATVS LOTHARINGIÆ *eſſet ſtatus liber & nemini ſubjectus: tantum quod ipſe fundatarius erat, & ad ſuam Majeſtatem Caeſaream, & Sacrum Imperium attinebat, ratione quarundam ditionum particularium ſui Ducatus, ipſe tamen & ſubditi ejus frequenter moleſtabantur collectis Imperialibus & litibus fiſcalibus Iudicum & Aſſeſſorum Camera Imperialis, in cauſſis appellationum, mandatorum & aliis: id quod nunquam antea fuerat factum, ut ipſe confidebat ſe poſſe ſufficienter oſtendere, ſi eſſet neceſſarium. Quod ille non obſtante, atque ut ſua Majeſtas Caeſarea, Electores, Principes & Ordines Imperij manifeſte cognoſcerent, quod ipſe magis cupiebat vivere in quiete & pace cum ſua Majeſtate & Statibus Sacri Romani Imperij, quam in diſcordia, rogabat, ut ipſe cum Ceſarea Majeſtate, Electoribus, Principibus, & Ordinibus Sacri Imperij ad pactionem & rerum adaequationem admitteretur, etſi nulla obligatione obſtrictus eſſet: offerebátque quod ratione Feudorum Particularium, quae pauca erant, conſentiret annis ſingulis juſtam & congruentem ſummam pro ſuſtentatione Camerae Imperialis perſolvere: nec non & alias taxationes & collectas, quae inter S.R.I. Ordines Generales exaequari ſolent: cum ea tamen conditione, quod ipſe volebat illud onus ſupra ſe ſuſcipere; & illud perferre non tantum ratione* FEVDORVM PARTICVLARIVM, *ſed & propterea quod illa incorporata erant in ſuo Ducatu, ut etiam* IPSE *& totus* LOTHARINGIÆ *Ducatus protegerentur, & defenderentur eodem modo & forma quo caeteri Ducatus & Status Sacri Imperij protegi ac defendi ſolent: ſub conditione etiam, quod ratae partes, quas ipſe deberet perſolvere, moderatae eſſent, ita ut ipſe & ejus heredes illas ferre & pati poſſent: cum* TERRÆ *ipſius* FEVDALES, *quas relevarat à Sacro Imperio ex Feudo & Feudo ſubalterno, tam tenuis annui reditus eſſent, ut in multis annis non poſſent adaequari cum rata parte unius Principis Electoris.*

Contra quae fuit replicatum, quod Nos & Ordines Imperij Generales ex facta inquiſitione credebamus, & exiſtimabamus DVCATVM LOTHARINGIÆ *eſſe, & de jure eſſe debere ſubditum Sacro Imperio, habita ratione, quod Duces Lotharingiae temporibus praeteritis & huc uſque comprehenſi ſunt & fuerunt in taxationibus Imperij, quemadmodum probari poſſet: praeter alia in hanc rem haud minimi momenti argumenta.*

Nihilominus viſa & cognita bona & propenſa voluntate, quam dictus Illuſtriſſimus Dux habet erga Sacrum Imperium, Nos ex parte ſuae Majeſtati

Ceſarea

Cæſarea dilecti noſtri Fratris & Domini & pro Nobis ipſis ad ulteriorem conferentiam tranſivimus cum ejus Legatis,ſcilicet Claudio de Pilliers Ballivo Spinalli,Domino de Iandelencourt, Dominico Champenoys Iurium Doctore,ſupplicum libellorum Magiſtro, Nicolao de Leſcut,& Ioachimo Groninger Iurium Doctore: & illi reciproce Nobiſcum nomine dicti ſui Heri DUCIS LOTHARINGIÆ,virtute litterarum credentiæ & poteſtatis ſufficientis, quas in hunc effectum producebant, cum ſcientia conſilio & conſenſu Electorum,Principum,Ordinum, & pro abſentibus Legatorũ: poſtque multas propoſitiones, allegationes & negotiationes ex utraque parte,tandem inter nos convenimus virtute præſentis inſtrumenti meliori forma, pactione & modo, quo id fieri debet & poteſt; ita ut dictus noſter conſanguineus, DUX LOTHARINGIÆ ANTONIUS & ipſius heredes,non tantum cum MEMBRIS aut STATIBUS PARTICULARIBUS DEPENDENTIBUS EX FEUDO & FEUDO SUBALTERNO AB IMPERIO,verum etiam cum DUCATU LOTHARINGIÆ.& iis QUÆ AD ILLUM PERTINENT tanquam ad Ducatum, nempe ALBUM MONTEM, MUSSIPONTEM, & ſimilia, manere debeant inpoſterum & in perpetuum ſub tutela & defenſione Imperatoris,Regis Romanorum, & Sacri Imperij, defendique ac protegi eodem modo quo alij Ducatus & Status Sacri Imperij, uti virtute præſentis pacti ex parte Cæſareæ Majeſtatis per Nos ipſos,recipimus dictum noſtrum conſanguineum Ducem ANTONIUM & eius heredes, nec non & DUCATUM LOTHARINGIÆ ſub protectione, tutela & defenſione Cæſareæ Majeſtatis,Noſtra et Sacri Imperij.

Cujus rei cauſſa offert DUX ANTONIUS pro ſe & ſuis heredibus ferre & perſolvere ratam ſuam portionem de omnibus & qualibuſcunque taxis & contributionibus,quæ imponentur, aut concedentur a Statibus Generalibus Sacri Imperij quod eſt tertia parte minus eo,quod uni Principi Electori imponitur: ita ut ſi alicui Electori trecenti floreni collectæ loco imponuntur, prædictus DUX ANIONIUS ejuſque heredes ducentos florenos ſolvant; atque ita etiam in maioribus & minoribus collectis computando. Præterea pro ſolutione talium collectarum & contributionum, pro conſervatione publicæ pacis erectæ in Imperio, pro ſecuritate & ſalvo conductu,Cæſareæ Maieſtati & Nobis, Romanis Imperatoribus & Regibus, qui quoque tempore erunt, Sacro Romano Imperio ejuſdemque juriſdictioni ſuberunt,& ad id ſpectabunt. Alias autem ipſi cum Ducatu Lotharingiæ ejuſdemque ſubditis, ab omnibus proceſſionibus,mandatis & judiciis Sacri Romani Imperij,tam in prima quam aliis inſtantiis, LIBERI & exempti erunt,Nullisque proceſſibus,mandatis,citationibus, appellationibus acceptandis, aliiſque negotiis quocumque ſub titulo,nullo excepto (niſi iis quæ ad ſolutionem collectarum & impoſitionum,ad manutenentiam Pacis publicæ, & ad ſecuritatem & ſalvum conductum,ut prædictum eſt,ſpectabunt) relinquentur immunes; DUCATUSQUE LOTHARINGIÆ CUM SUIS APPERTINENTIIS, LIBER ET NON INCORPORABILIS DUCATUS ERIT, ET MANEBIT SEMPER. & à Cæſarea Maieſtate, Nobis & Electoribus, Principibus atque Statibus Sacri Imperii, pro libero & non incorporabili Ducatu,Superioritate,& Principatu recognoſcetur, nominabitur & habebitur. Quidquid autem prædicti noſtri conſanguinei Ducis ANTONII Maiores LOTHARINGIÆ DUCES, & ipſe hactenus à Rom. Imperatoribus, Regibus & Sacro Romano Imperio alias in Feudum habuerunt, receperunt ac tulerunt, idem ipſe DUX ANTONIUS ejuſque ſucceſſores in futurum eodem modo in Feudum habebunt, & decenti modo recipient, & ferent: in hoc tamen LOTHARINGIÆ DUCATU,qui liber & non incorporabilis Ducatus erit, & manebit ſemper. Et quia prætactus DUX ANTONIUS pro ſe ſuiſque heredibus iſtum tractatum & compoſitionem agnovit, & acceptavit; promittimus & aſſecuramus nomine Rom. Cæſareæ Majeſtatis,& pro Nobis ipſis, vigore harum litterarum, quod ſua Majeſtas uti Romanus Imperator, Nos omneſque noſtri ſucceſſores in Imperio,prædictum Ducem ANTONIUM ejuſque & Ducatus Lotharingiæ ſucceſſores, ad inſtar aliorum Sacri Rom. Imperij Ducatuum & Statuum tuebimur. & defenſabimus, neque ulterius, quam pro iis quæ ſpectant ad impoſitiones, Pacem publicam, ſecuritatem & ſalvum conductum, ut ſupra,in Noſtram & Sacri Imperij ſubjectionem & juriſdictionem trahemus,aut cogemus.

Cujus accommodationis gratia, ex parte Cæſareæ Majeſtatis & Noſtra abſoluta poteſtate Imperiali et Regia omnibus et quibuſcumque Electoribus, Principibus, Prælatis. Eccleſiaſticis et Sæcularibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Præfectis civitatum et oppidorum, Iudicibus, maxime Aſſeſſoribus Cæſareis et Noſtris in Camera Imperiali, Aulicis Conſiliariis,Iuſtitia Rotvvilenſi, et cunctis aliis Iudicibus, Tribunalibus, Burgenſibus, Communitatibus, omnibuſque ſubditis et fidelibus Noſtris et Sacri Imperij cujuſcumque dignitatis ſtatus aut conditionis exiſtant, ſerio mandamus et iubemus, ne inpoſterum moleſtent. vel perturbent dictum conſanguineum noſtrum ANTONIUM, eius heredes aut ſubditos, vel DUCATUM LOTHARINGIÆ contra hunc noſtrum tractatum, pactionem et tranſactionem; imo quod eos in illa manuteneant, tueantur et protegant ex parte Cæſareæ Majeſtatis, Noſtra et Sacri Imperii, permittendo illis libertate, et conceſſione iſta penitus gaudere; ita ut iis non fiat aut fieri permittatur quidvis in contrarium. Pari modo ex ſupra dicta poteſtate mera Noſtra ordo et voluntas eſt, ut impoſterum dictus DUX ANTONIUS, eius heredes et Succeſſores DUCES LOTHARINGIÆ et ſubditi eorum, tam partiatim quam generatim, nulla moleſtia afficiantur, neque per Fiſcalem Cæſareæ Mauſtatis in Camera Spirenſi,neque per ullum alium, rat one taxationum et contributionum. quæ ante diem harum litterarum efflagitata fuerint,vel conceſſa in Sacro Imperio, neque pro trium annorum ſubſidio quod ad reſiſtendum Turco conceſſum fuit in ultimis Comitiis Auguſtæ, Ratiſponæ et Spiræ.ita ut nullo modo pro eo moleſtia iis inferatur, neque procedatur aut formetur ulla prætenſio contra illos,ſive in iudicio ſive extra: quandoquidem illos et eorum heredes declaramus omnimode ab eo liberos, immunes et exemptos. Annullamus virtute harum litterarum omnes lites,ſententias et iudicationes, quæ ob hanc cauſam et in hanc uſque diem facta fuerunt vel declarata.

Declaramus inſuper, iubemus et volumus ex certa ſcientia et ex prædicta poteſtate, ut quicquid fuerit intentatum factum vel obtentum contra præſens pactum noſtrum et capitulationem, aut in poſterum facturum ſit vel intentaturum, nullius ſit effectus; quemadmodum hiſce litteris ex parte Cæſareæ

Majeſtatis & Nobiſmetipſis , poteſtate Cæſarea ac manu noſtro proprio pro nullo habemus, quodque valorem nullum habeat aut vigorem ; volumuſque ut ſit & maneat integro conſervatus in hoc tractatu noſtro tranſactione & pacto, & quod præciſe & ſine fraude obſervetur. In cujus rei fidem Regium noſtrum ſigillum hiſce litteris apponi mandavimus.

PRINCIPES ELECTORES.

Et Nos ALBERTVS *Dei gratia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, tituli Sancti Petri ad Vincula , & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus natus in Moguntia & in Epiſcopatu Magdeburgenſi, Archiepiſcopus Moguntinus , Primas , Adminiſtrator Halberſtadienſis, Marchio Brandeburgi, Dux Stettini, Pomeraniæ, Caſſuborum & Wandalorum, Burgravius Normbergæ Princeps Rugiæ , Sacri Romani Imperij Archicancellarius per Germaniam ;* IOHANNES LVDOVICVS *electus & confirmatus Archiepiſcopus Treverenſis S. R. I. Archicancellarius per Galliam & regnum Arelatenſe,* HERMANNVS *Archiepiſcopus Colonienſis Dux Weſtphaliæ & Angriæ, Adminiſtrator Paderbornenſis; S R.I. Archicancellarius per Italiam ;* LVDOVICVS *Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, S. R. Imperij Archidapifer; omnes Electores , fatemur virtute harum litterarum, quod ſupra dicta omnis negotiatio , tranſactio & pactio iam ante ventilata fuerant in Imperialibus Comitiis Spirenſibus per ſuam Majeſtatem Romanorum Regem, Dominum Noſtrum clementiſſimum , nomine & ex parte Cæſareæ Majeſtatis , Noſtri item Domini clementiſſimi; & nunc iterum tranſacta fuerunt & concluſa in his ultimis Comitiis Norimbergenſibus cum ſupra dictis conſiliariis & Legatis Illuſtriſſimi Principis* ANTONI DVCIS LOTHARINGIÆ *Noſtri dilectiſſimi Avunculi, cognati & amici, coram Noſtris conſiliariis & aliorum Principum Electorum, cum maturo conſilio , bona notitia & voluntate illorum, nec non aliorum Principum & Ordinum Imperij, ac Legatorum pro abſentibus, ad dicta Comitia Norimbergenſia congregatorum. Cui pacto nos conſenſimus , illud ratificamus & confirmamus per præſentes in omnibus & quibuſcumque punctis & articulis pro Nobis, noſtris ſucceſſoribus & heredibus. In cujus rei fidem Nos & Collegæ Noſtri & abſentium Legati in hac Norimbergenſi Civitate congregati, ad inſtantiam & requiſitionem Legatorum dicti Ducis , ſinguli Noſtra ſigilla præſentibus litteris appoſuimus , cum ſigillo ſuæ Majeſtatis Regiæ Romanæ. Actum in Noſtra & Imperiali Civitate Norimbergenſi die XXVI. menſis Auguſti anni gratiæ MDXLII. Regnorum Noſtrorum, Romani duodecimo, aliorum decimo ſexto.*

CAROLVS QVINTVS IMPERATOR.

Cum autem à Nobis humiliter poſtulaſſet DVX ANTONIVS , *ut Nobis placeret confirmare & ratificare tranſactionem iſtam ſecundum ſuam formam & tenorem , prout ſupra deſcripta eſt, attenta humili ejus petitione , continuoque amore & affectu, quo ſua Dilectio fertur erga Nos & Sacrum Imperium, confirmavimus & ratificavimus ex certa ſcientia, animo deliberato & maturo conſilio , ſupra dictum tractatum in omnibus ſuis punctis , clauſulis & articulis juxta ſuum tenorem, partium intentionem, & contenta in illo confirmamus illum & ratificamus plenaria poteſtate Cæſarea per præſentes : eſtque Noſtra intentio , declaratio & voluntas , ut dicta tranſactio exacte obſervetur & vigorem habeat in omnibus ſuis punctis , ut ante eſt dictum ; & quod dictus* DVX ANTONIVS *ejuſque heredes & ſubditi illorum,* DVCATVS LOTHARINGIÆ ET DEPENDENTIÆ *illius, ut impoſterum uti frui & gaudere poſſint abſque ullo impedimento per Nos aut ſucceſſores noſtros aut quemvis alium Promittimus etiam, ut ante dictum eſt , virtute præſentium , quod dictum* DVCEM ANTONIVM , *ejus heredes , & eorum ſubditos ,* DVCATVM LOTHARINGIÆ ET EIVS DEPENDENTIAS *ſinemus illa gaudere & frui : & quod manebunt integro cum illa ſine impedimento Noſtro, ſucceſſorum noſtrorum & heredum & quorumvis aliorum: & quod illum conſervabimus, tuebimur & defenſabimus in hac tranſactione & pacto; in quo ſi inveniatur aliquis error aut defectus , ſuppleri volumus & emendari ſupra dicta Noſtra Cæſarea & plenaria poteſtate, non obſtantibus quibuſvis mandatis , conſuetudinibus, uſibus, aut exemptionibus. in contrarium, quibus omnibus in hoc caſu volumus eſſe derogatum. Et idcirco omnibus & quibuſcumque Electoribus , Principibus, Eccleſiaſticis & Secularibus , Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Capitaneis, & aliis Officialibus, Præfectis Civitatum & Oppidorum, Iudicibus & Iuſtitiis, præſertim vero Iudici Noſtro, & Aſſeſſoribus Cameræ noſtræ Imperialis , Rotvvilenſis , & aliis omnibus Iudicibus, Iuſtitiis, Conſiliariis, Burgenſibus, Communitatibus, aliiſque Noſtris & Imperij fidelibus ſubditis, cujuſcumque ſtatus qualitatis conditionis exiſtant, ſerio injungimus, ne dicto* DVCI ANTONIO, *ejus heredibus, aut eorum ſubditis, neque etiam* DVCATVI LOTHARINGIÆ, CVM EIVS DEPENDENTIIS *ullum impedimentum adferant in iſta tranſactione & pacto , neque in hac Noſtra illius confirmatione ; quin imo illos tueantur & defendant ex Noſtra & Imperij parte , ſinendo illos in ſua fruitione conſueta abſque ulla re in contrarium attentata nec attentari permiſſa: neque Noſter Cameræ Procurator Generalis Cæſareus, nec alius, in rebus contentis in prædicto pacto lites movere poſſit contra dictum* DVCEM ANTONIVM , *ejus heredes, & eorum ſubditos & Ducatum Lotharingiæ, neque procedere, aut actum ullum contra illos formare in judicio aut extra , neque gravare, aut moleſtiam illis quovis modo inferre. Quia talis eſt expreſſa voluntas Noſtra , harum teſtimonio litterarum manu Noſtra propria ſubſcriptarum , & ſigillo Noſtro Imperiali munitarum. Actum in Noſtra & Imperiali Civitate Spirenſi XXIIX. die menſis Iulij anni MDXLIII. Regnorum noſtrorum XXIIX.*

Huculque Tranſactio. Sequitur iam Inveſtituræ formula. *Rudolphus* SECVNDVS *divina favente clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ , Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex ; Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ , Styriæ , Carinthiæ, Carniolæ ; Marchio Moraviæ ; Dux Luxemburgiæ , ac Superioris & Inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ, & Teckæ; Princeps Sueviæ; Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Sacri Romani Imperij, Burgoviæ ac Superioris & Inferioris Luſatiæ ; Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum, &c. Ad perpetuam rei memoriam Recognoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis, quod cum Nobis Illuſtris* HENRICVS DVX LOTHARINGIÆ ET BARRI, *Marchio Pontis montis, Comes Provinciæ, Vaudemontis*

Digitized by Google

& Albimontis, conſanguineus & PRINCEPS NOSTER chariſſimus, per Magnificum FIDELEM, Nobis dilectum Eliſæum ab Haraucort, Gubernatorem Nanceianum, Conſiliarium & Oratorem ſuum, ad Nos ablegatum, demiſſe Nobis exponi curavit, patrem quondam ſuum Illuſtrem CAROLVM, LOTHARINGIÆ ET BARRI DVCEM, Marchionatum PONTIS MONTENSEM, Comitatum de Blankenberg, ſive ALBIMONTIS, BELLISTHEIN, & CLARI-MONTIS, Marchionatum HATTONIS CASTRI, cum univerſis & ſingulis illorum pertinentiis, item Advocatiam Civitatis in tolleia, & Monaſterii in Rumelſperg, Diœceſis Tullenſis, aliaque nonnulla iura à ſacro Romano Imperio in Feudum recognoviſſe, deque illis omnibus & ſingulis à Sereniſſimo & potentiſſimo quondam Principe Maximiliano Secundo Electo Romanorum Imperatore, Auguſtæ memoriæ, Domino & genitore noſtro obſervantiſſimo legitime INVESTITVM fuiſſe, ac neceſſarias deſuper & opportunas inveſtituræ litteras de data anni MDLXVII. impetraſſe, quarum nobis exemplum in authentica & fide digna forma fuit exhibitum, earundemque contenta hic pro inſertis haberi volumus: nunc porro prænominato ILLVSTRI quondam CAROLO patre ſuo vita functo, ſuppliciter nos rogarit, ut ipſum de prædictis caſtris, terris, locis, iuribus, omnibuſque & ſingulis eorum pertinentiis, ad ſe tanquam primogenitum illius filium & heredem devolutis, quemadmodum Illuſtris quondam CAROLUS LOTHARINGIÆ ET BARRI DUX ea omnia tenuit & poſſedit, ipſeque Illuſtris HENRICVS iam nunc tenet & poſſidet, clementer inveſtire, atque REGALIA huiuſmodi caſtrorum & terrarum auctoritate noſtra Cæſarea ipſi benigne concedere dignaremur. Nos ſane perpendentes fidelia atque utilia obſequia non minus ab ipſomet Illuſtri HENRICO LOTHARINGIÆ ET BARRI DUCE, quam illius Maioribus Nobis ac ſacro Romano Imperio, totique Reipublicæ Chriſtianæ, ſæpe hactenus ſtrenue fortiterque præſtita, quæque etiamnum indies non ſine magna heroicæ virtutis à maioribus ſuis velut per manus ſibi traditæ commendatione præſtas, ac in poſterum non minori cura atque ſtudio præſtiturum eſſe confidimus, humilibus eiuſmodi precibus ipſius clementer annuendum duximus, uti vigore præſentis Noſtri Diplomatis annuimus, ac proinde ex certa Noſtra ſcientia, animo bene deliberato, ſano ac maturo accedente conſilio, & de Cæſarea poteſtatis Noſtræ plenitudine, ac alias omni meliori modo, via, iure & forma, quibus validius & efficacius fieri poteſt, & debet, eundem Illuſtrem PRINCIPEM & conſanguineum NOSTRVM HENRICVM LOTHARINGIÆ ET BARRI DVCEM, de prædictis caſtris, terris & locis, ac nominatim de Marchionatu Pontis-Montis & de Comitatu Blanckenberg, ſeu ALBIMONTIS BELLISTHEIN & CLARIMONTIS, item de Marchionatu HATTONIS CASTRI cum omnibus & ſingulis eorum honoribus, homagiis, gratiis, iuribus, libertatibus, ac pertinentiis univerſis, item de Advocatia Civitatis in Tolleia & Monaſterii in RUMELSPERG, Diœceſis Tullenſis, & aliis certis iuribus in dicto Monaſterio ei competentibus, item de conductu in terris & aquis partium ſuarum, ac villa TUE cum MONETA quam in iam dicta villa poteſt cudi facere, una cum iure quod ipſe Dux prætendit antiquitus ad ſe ſpectare, & ad prædeceſſores ſuos ſpectaſſe; nempe quod quicumque in terra inter Rhenum & Moſam DVELLARE voluerit, quodlibet huiuſmodi DUELLA coram eo fieri debeant & non alibi conſummari, & quod filii Clericorum, qui in terris ſuis naſcuntur, ad ipſum debeant pertinere, clementer INVESTIVIMVS & in Feudum conceſſimus, ac tenore præſentium INVESTIVIMUS & in Feudum concedimus; recepto tamen prius à ſupra nominato ipſius Ducis Conſiliario ac Legitime Procuratore ſufficienti ad id mandato inſtructo magnifico, FIDELI, Nobis dilecto, Eliſæo ab Haraucourt Gubernatore Nanceyano, in prædicti Ducis animam debito & conſuetæ fidelitatis, ſubiectionis & obedientiæ iuramento: reſervato Nobis quoque Imperio Sacro ratione Feudi HATTONIS CASTRI iure proprietatis directi dominii ac reſortus; & ſimiliter quo ad reliqua ſupra dicta bona & iura, aliis etiam quibuſcumque Noſtris ac Sacri Imperii ac quorumlibet iuribus ſemper ſalvis. Quocirca mandamus univerſis ac ſingulis Principibus Eccleſiaſticis & Secularibus, Archiepiſcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Clientibus Capitaneis, Magiſtratibus, Communitatibus, Rectoribus, & locum tenentibus eorundem, ac ceteris Noſtris & Sacri Imperii ſubditis & fidelibus, cuiuſcumque dignitatis, præeminentiæ ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exiſtant, ut prædictum Illuſtrem DUCEM HENRICVM in hac Noſtra infeudatione, conceſſione & gratia non impediant, nec perturbent, ſed illis libere uti, frui & gaudere permittant, & contrarium non faciant, nec fieri procurent quovis modo: quatenus Noſtram & Imperii Sacri indignationem graviſſimam, & pœnam quadraginta marcarum auri puri, pro una dimidia fiſco Noſtro Imperiali, & pro altera dimidia iniuriam paſſi vel paſſorum uſibus irremiſſibiliter applicandam, toties quoties contra factum fuerit, incurrere formidant; harum teſtimonio litterarum manu Noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli Noſtri Cæſarei appenſione munitarum. Datum in arce noſtra Regia Pragæ die nona menſis Septembris, anno milleſimo ſexcenteſimo nono, Regnorum noſtrorum Romani trigeſimo quarto, Hungarici trigeſimo ſeptimo, & Bohemici itidem trigeſimo quarto.

CAPVT XXIIX.

Quas partes Lotharingici Regni Hiſpaniæ Rex poſſidet, eas hodieque finibus comprehendi: Fœderatas autem ſeptem Belgico Germanicas provincias in plenam libertatem eſſe aſſertas.

Reſtat ut de iis quæ in Lotharingico Regno Reges Hiſpaniæ obtinuerunt, nunc diſſeramus. Quoniam vero illorum imperium etiam cis Rhenum in ea, quæ propriè dicti Germanici Regni quondam fuere partes habitæ, ſeſe extendit, cuiuſmodi eſt Hollandia & Zelandia ex parte, Friſia, Geldria, Tranſiſulania, Traiectenſis & Groningenſis ditio, ipſa vicinia & par omnium conditio nos invitat, ut ſimul de iis quoque agamus.

Atque iſta quidem ſine diſcrimine omnia ad tempora uſque Friderici II. Cæſaris ab Henrici Aucupis ætate in Imperii fuiſſe obſequio non eſt forte quod dubitemus. Etiam multo poſt, ſaltim donec ad Burgundicæ familiæ Principes iſthæc devenerunt,

Add.

omnia Imperij membra fuiſſe habita, pene vacat controverſia. HANNONES tamen & HOLLANDI jamdiu nonnihil turbavere. Nec adeo pridem Hollandorum patrocinium ſuſcepit in aureo ſane libello de Antiquitate Reipubl. Batavicæ Hugo Grotius, cap. v. levioribus tamen argumentis quam exigit rei dignitas. Controverſia orta inter Brabantinos & Hollandos, Carolo V Cæſare dixiſſe hos, *ſe & Comites ſuos ſummam poteſtatem nulli quicquam debentem, & omnis generis iuriſdictionem haberere antiquitus, ex quo Didericus primus terram nulli regno obnoxiam, barbarorum ereptam manu recuperaſſet: Eoſdem Comites ab omni ævo pari poteſtate fuiſſe in Comitatu ſuo qua eſſent Imperatores in Germania aut Italia, neque vllo obſtrictos feudi vinculo: multo minus Imperii Germanici leges vnquam in Hollandia publicatas, aut vlla in parte iis ipſis legibus obtemperatum: Sed neque cauſſas aut Comitum aut Ordinum à Germanico ſenatu vnquam diiudicatas.* Hæc inquam ab ijs dicta non negaverim. Dixerit etiam Philippus Leidius, *Comitem Hollandiæ Imperatorem eſſe in ſua ditione.* Indubitatis tamen monumentis facitile hæc poſſunt falſi convinci.

Non tangam nunc fabulas illas de Diderico ejuſque proximis ſucceſſoribus: ipſe VVilhelmus Comes, qui Cæſaream dignitatem indeptus eſt, ejuſque poſteri ſaltim ad Burgundos vſque, Imperio ſe obnoxios vltro agnovere & profeſſi ſunt. Diſerte Ioannes de Beka in Chronico Epiſcopor. Vltrajectinorum teſtatur VVilhelmum in ipſa formula iuramenti militaris hiſce verbis vſum: *Ego VVilhelmus Hollandienſis militiae Princeps, ſacrique Imperii vaſallus liber.* Idem Beka in vita Theoderici ſecundi Epiſcopi expreſſe ſcribit de Wilhelmo I. Comite: *Wilhelmus Comes poſt obitum Adæ neptis ſuæ Comitatum Hollandiæ de manu Friderici Cæſaris* (erat primus id nominis Barbaroſſa dictus) *in feudum accepit.* Erat Ada illa primæ ſtirpis Comitum quaſi vltima, nec ſine controverſia reipubl. præfuit, etſi maritum ſibi accepiſſet Comitem Loſſenſem, quod ſcil. ſequior ſexus à regimine tum arceretur. Guilhelmus itaque primus Adæ patruus quaſi novæ ſtirpis auctor Cæſaris beneficio dignitatem illam impetravit. Fuit autem ille Guilhelmus alterius Guilhelmi Romani Cæſaris avus. Etiam vero hæc ſtirps in maſcula prole extincta eſt, cum Ioanne Comite id nominis primo. Ac proinde etſi Hollandiam tum occupaſſet Ioannes Hannonius filius Adelheidis ſororis VVilhelmi Regis Romani, Imperio tamen deberi illam cenſuit Albertus Cæſar, nec quievit controverſia, donec Ioannes ille Hannonius à Cæſare feudo Comitatus inveſtiretur. Ea de re ita ſcribit Beka in vita VVilhelmi XLI Epiſcopi. *Ioannes de Renes devictus transfugit ad Albertum Romanorum Regem pro ſubſidio, aſſerens, quod Comitatus Hollandiæ poſt obitum Domicelli Ioannis Romano vacaret Imperio. Albertus ergo Rex deſcendens ad Hollandiam, deſtinavit huiuſmodi literas per vniverſam Provinciam: Noverint vniverſi, quod Albertus Rom. Rex invictus vacantem Hollandiæ Principatum Romano potenter incorporabit Imperio, quem Carolus Rex Theoderico Comiti donavit in feudo. Igitur Albertus Rex Anno Domini M C C C. deſcendit vſque Neviomagium, ad ſubjugandum Comitatum Hollandiæ, adducens ſecum Moguntinenſem, Treverenſem & Colonienſem Archiepiſcopos, cum pleriſque primatibus Regni Alemanniæ. E contra vero Ioannes Comes armipotenter advenit in Bonſwerd, vbi metatis caſtris ſuper alveum Wale, aſſidue cœpit inveſtigare, qualiter ad expugnandum Regis exercitum magis commodè poſſet pertranſire. Sed ecce Rex multitudinem vexillorum, pulchritudinem caſtrorum, & fortitudinem armigerorum Hollandienſis exercitus à cacumine turris procul intuens, & ſe deluſum à Zelandis æſtimans, retroceſſit ad Cranenburgiam, vt altera die repatriaret in Auſtriam. Archiepiſcopus vero Colonienſis pro Regis honore conſervando pacem extunc elaborare ſtuduit, qui tandem ſub hac forma compoſitionis arbitrium ſuum edidit: quatenus ipſe Domino Regi fidelitatis præſtaret homagium; quo facto, primates extemplo reverſi ſunt ad propria.*

Ad hunc Bekæ locum Arnoldus Buchelius Batavus, vir ingenuus & antiquitatum patriæ ſuæ ſi quis alius periti ſſimus, hæc verba annotavit edition. Vltrajectinæ pag. 204. *Hic ſi iure diſceptandum foret, Imperatoris cauſſa prævaleret. Wilhelmus enim primus hunc Comitatum à Friderico Imperatore in feudum accepit, teſte Beka in ſuperioribus: ſicut poſtea Margarita à Ludovico IV. Imperatore. Sed cum ipſe Imperator parum valeret, & Comitatus poſſeſſores loci commoditate gauderent, Imperatorium ſimul ac Epiſcopale ius paulatim evanuit. Verum hæc brevibus notis includi non poſſunt, & dabitur forſan, ſi Deus mihi vitam prorogaverit, alias commodior dicendi locus.* Hæc ille, candide & prout decet ſcriptorum veri profeſſum; nec tamen forte quæ promiſit vnquam præſtitit, huic ipſi Bekæ editioni immortuus. Meminerunt vero illius Cæſareæ expeditionis etiam Annales Colmarienſes, Albertus Argentinenſis, & Tritthemius in Chronico Hirſaugienſi: ſed in teſtimonium verba illorum huc adducere non eſt pretium operæ.

Stirpi huic Hannonicæ etiam deficientibus maſculis in nepote VVilhelmo, quid contigerit, iterum non alio quam Beka teſte narrabimus. Cui tuo ſane licet credere, quum illo ipſo tempore vixerit Canonicus Vltrajectinæ Eccleſiæ, & Hollandiæ Principi opus ſuum inſcripſerit. *Ludovicus* inquit, *Imperator audita iam nece VVilhelmi Comitis pro tribunali ſedens in ornamentis Imperialibus, exquiſivit æquitatem iuſtitiam à pleriſque Romani Regni Principibus, quorum dictante ſententia, decretum eſt, quod Hollandiæ principatus Romano vacet Imperio, pro eo, quod VVilhelmus Comes abſque liberis diſceſſit à ſeculo. Quem extunc Principatum idem Cæſar donavit Imperatrici Margaritæ ſuæ coniugi, quæ germana fuit eidem VVilhelmo Comiti. His itaque geſtis, eadem Imperatrix apparatu pulcherrimo mox ad Hollandiam deſcendit, fidelitatem cunctis incolis iuravit, homagium de vaſallis ſuis accepit, libertates & gratias omnibus ampliavit, benevolas treugas cum Traiectenſibus fecit, & in Bavariam exinde rediens, Comitatus Hannoniæ, Hollandiae, Zelandiae & Freſiae gubernandos VVilhelmo Duci Palatino ſuo filio commendavit.* Hæc Beka. Imo in hiſce verbis finit ille Chronicon ſuum: quod & Tritthemius notavit, & obſervatum fuit in manuſcripto Suffridi Petri, vt fatetur Furmerius, & in manuſcripto codice Bibliothecæ noſtræ Iuliæ nos itidem obſervavimus.

Quin hactenus itaque ſaltim Comitiva dignitas in clientelari iure Imperii fuerit, non eſt dubitandum. Aliquamdiu poſt etiam integrum manſiſſe hoc ius ad Burgundicos uſque, docet nos Hiſtoria Iacobæ, quæ patre Guilhelmo defuncto rempublicam hereditario quaſi iure conata eſt arripere. Adducemus hoc loco tantum illa quæ ipſe Petrus Scriverius, parum æquus Imperii iurium arbiter, annotavit ad Grotii illum libellum pag 131. editionis Leidenſis. *Cum anno MCCCC XIIX. Ioannis Bavarus, electus Leodienſis, ſed ſacerdotio initiari nolens, Ioannem Brabantiæ Ducum, maritum Iacobæ, Hollandia cæteriſque uxoris opibus potiri fremeret, ducta Eliſabetha noverca, & fœdere cum Sigiſmundo Imperatore inito, Hollandiam Zelandiam ac Hannoniam beneficiario iure ab ipſo poſſidendas accepit: quaſi ad Imperium, mortuo Guilelmo Comite ſine maſcula prole, devolutus. Et tum pariter interdicta Ioanni Brabanto earundem regionum adminiſtratio, datis literis Conſtantiæ, XXIX. Martii. Quarum literarum munimini fiſus Bavarus, cum iam Hollandiæ, Zelandiæ ac Hannoniæ oppida ſollicitaret. hoc reſponſum tulit: Regiones has neque Feudum Imperii eſſe, nec ad mares ſolos devolvi; cum certiſſimo experimento conſtet, Valtrudem Carolomanni Auſtraſiæ Principis neptem, Richildim quoque Comitatum Hannoniæ: Adam ac Margaretam Comitatum Hollandiæ, maritis dotales attuliſſe, &c. quæ refert Petrus Divæus rerum Brabanticarum lib. XIIX. quem ſuadeo, legas.*

Hæc omnia Scriverius: is enim eſt notatum illarum auctor. Ioannes Dinterus l. 6. cap. 159. ab Hannoniis ſcribit anno MCDIIX. ita reſponſum Ioanni illi Bavaro: *Se multum admirari, quod Romanorum Rex prætendebat aliquod ius habere ad terras Hollandiæ & Zelandiæ, attento quod ipſi viderunt antiquas literas per quas Ludovicus IV. tunc Romanorum Rex, recognovit, quod in dictis terris Hollandiæ & Zelandiæ nullum ius ſibi competiit, quam ſolum homagium. Viderunt etiam ſub Bulla aurea alias literas eiuſdem Ludovici IV. tunc Romanorum Imperatoris per quas de ſuorum Principum conſenſu ſupradictas literas confirmavit.* Cæterum hæc ita tum affirmata eſſe, non quidem negaverim: quam falſo autem & quanta cum Imperii iniuria ita affirmata hæc ſint, non obſcurum amplius eſt ex iis quæ in medium attulimus. Bene tamen, quod etiam tum faſſi ſint omnes, & extra controverſiam fuerit poſitum, ſaltim HOMINII nexu Hollandiæ Comites hactenus Imperio fuiſſe obnoxios, id quod ad tuendos Imperii fines nobis in præſens ſufficit.

Non latuit hæc antiquorum Comitum clientela Grotium: alium itaque libertati æternæ quærens colorem, ſcribit: *Quod ſi qui Comitum adducti neceſſitate temporum aut propriis de cauſis Imperatoribus obnoxii, eorum patrocinium invocaverunt, id tamen ipſum, præcipue Ordinibus in factum non conſentientibus, nec reipubl. nec poſterorum Principum ius deterius potuit reddere.* At vero Ordines unquam hactenus diſſenſiſſe, nullo diſerto indicio quiſquam probaverit: ne nunc dicam Ordinum conſenſu ad talia olim non fuiſſe opus. Sed & audivimus, per aliquot ſecula Comitatum perpetuo feudi nexu fuiſſe Imperio obſtrictum. Vtut igitur fortaſſis aliquando in illo nexu non fuiſſet (quod tamen itidē oſtēdi nō poteſt) ſaltim à Friderici Barbaroſſæ ævo libertate illa perdita, ius clientelare Imperio accreviſſet.

Falſum proinde eſt, quod dixerat ſecutus alios Grotius, Comitivam Hollandiæ dignitatem nunquam feudi vinculo Imperatoribus paruiſſe. Comitum porro cauſſas à Senatu Imperii ac Cæſare non fuiſſe diiudicatas, itidem falſo aſſeri à Grotio, ex ipſo Beka iam intelleximus. Privilegia Brabantinorum non eſſe promulgata aut publicata in Hollandia, non arguit Hollandiam Imperii legibus non teneri: nec enim privilegia ſolent paſſim promulgari. Nec quod Philippus Leidius dixit, facit ad probandam omnimodam libertatem: ſolet enim hoc pronunciari de omnibus Imperii Principibus, quibus Regalia potiſſima à Cæſaribus conceſſa ſunt.

Veriora ſunt quæ ſubiungit Grotius: *Burgundos & Auſtriacos principes, quorum certior memoria eſt, compertum ſatis habemus, Cæſaribus fidem pro Hollandia non dediſſe. Legibus autem iudiciiſque Cæſarum Imperii, quod præcipuum eſt, ſubiectam non eſſe Hollandiam, Germani etiam ipſi confitentur.* Ita ſcilicet eſt. Primi Burgundi Principes non de Hollandia, non de aliis provinciis per Lotharingicum regnum longe lateque occupatis, fidem Cæſaribus iuraverunt, ingente Imperii iurium diſpendio. Sed & legibus ac iudiciis Imperii, communibus quidem, una cum aliis Hollandia etiam ſoluta eſt, forte tamen non ante tranſactionem cum Carolo V. initam; de qua paulo poſt. Grotius præterire, quod ipſi Burgundi & Auſtriaci Principes faſſi ſemper ſunt ultro, Hollandiam cum Zelandia non minus ac reliqua illa Imperii eſſe membra, atque adeo Imperii finibus incluſa, etſi magnam libertatem conſequuta. Vt proinde nequaquam audiendi ſint qui Hollandiam & Zelandiam antiquitus iam extra Imperii limites fuiſſe poſitam iactitant, & vulgo perſuadere annituntur.

Eſt autem par & HANNONIÆ ratio. Nam refert quidem Dinterus, eo quem ſupra laudavimus loco, ab Hannoniis Ioanni Bavaro anno 1408 reſponſum eſſe, *quod Romanorum Regi ſeu Imperatori in terra Hannonienſi nullum ius penitus competit, nec unquam competit: quamvis verum ſit quod in Romanorum Imperio eſt ſituata.* Vulgo etiam iactitant illi Hannones: *Hannoniæ Dominus Deus & Sol.* Verum ipſa vocum abſurditas illos ineptiarum convincit. Vtique enim addictæ ſemper coluerunt hactenus ſuos Principes: præter Deum itaque & Solē ſaltim Principes ſuos Dominos agnoſcunt. Iam ſi Hannonia eſt intra fines Romanorum Imperii, ut ipſi fatentur, utique ſaltim aliquid iuris in Hannoniam competit Cæſari capiti Romani Imperii. Non difficile vero eſſet ex monumentis omnis ævi deducere perpetuum ius clientelare Imperii in Principes Hannonienſes non minus ac modo in Hollandiæ Comites id demonſtravimus: ſi opus foret. Verum ſatis eſt inſtituto noſtro, quod ipſi hodieque Reges Hiſpaniæ, Hannoniæ perinde atque aliarum provinciarum nomine Imperio ſeſe obſtrictos fateantur: ceu mox patebit.

In univerſum igitur licet pronunciare id quod ante profeſſi ſumus, omnes illas Belgicas provincias quæ in patrimoniū Hiſpaniæ Regum denique pervenere, ſaltim donec Burgūdos Principes acceperūt,

in obſequio fuiſſe Imperij. Quamvis vero hi potentia ſua freti Imperij iura multum debilitaverint, ſolito maiore ſibi libertate per vim parta: à Cæſaribus tamen & Imperij Ordinibus nihil eſt iurium Burgundis remiſſum, quin imo hi in modum aliorum Principum ad Comitia Imperij eos vocauere, & Carolum Audacem turbantem res Imperij non dubitaverunt proſcribere. Sed & Philippus quem Bonum ſui cognominaverunt, vocatus ad aliquot Comitia Imperialia, aliis ipſe interfuit, ad alia miſit Legatos. Carolus à Cæſare petiit ſe Regem Belgij declarari; non facturus, ſi exiſtimaſſet Cæſari & Imperio regiones illas obnoxias non eſſe: quo erat elato animo. Quod Auſtriacos Principes attinet, uſque adeo illi agnouerunt Imperij iura, ut Maximilianus Cæſar ſtudioſe id egerit, ut omnes illæ regiones uno Burgundici circuli (ut loquuntur) titulo in corpus Imperij cooptarentur, conſtituta certa ſumma æris in publicum conferendi, etſi vivo Cæſare non plene hoc omne fuerit conſtitutum. Non enim ex vero ſed quodam ex odio potius, cum defuncto Maximiliano de ſucceſſore Cæſaris deliberaretur, dixit Trevirenſis Elector id quod apud Sleidanum legitur: *Cur autem ad nos magnopere Belgium pertinere putemus non video. Sunt quidem nobis vicini, ſed ſocietatem nobiſcum aut fœdus nullum habent, nec Imperij leges ad ſe quidquam pertinere ducunt, nec ad publicos uſus quicquam contribuunt, non magis quam Britanni vel Scoti.* Ex affectu hæc inquam profluxerunt. Certum vero eſt, Carolo etiam Cæſare, *nomine & ex parte Domus Burgundicæ* [quatenus Belgis ſcil. illa imperabat] *ordinatas & oblatas eſſe perſonas tam ad Regimen Imperij quam ad Cameram Imperialem, quibus interdum vel per Carolum ipſum vel per ipſius maiores ſubſidium & tributa ſicut aliis Statibus imperata fuerint, ut in pluribus receſſibus & regiſtris Imperij invenitur*: quod Ordines Imperij, teſte Carolo ipſo, affirmavere, & bona profecto fide.

Quamvis porro Cæſare Carolo, plus ſolito libertatis indultum ſit ab Imperio Belgicis illis provinciis, nec ita tamen plane ſui ſunt iuris factæ. Id haud poteſt rectius diſci quam ex Tabulis pacti inter Carolum Cæſarem & Imperij Ordines initi, anno ſeculi ſuperioris poſt quadrageſimum octavo. Et vero ſunt illæ omnium ſuperſtitum hodie Imperij iurium unicum fundamentum. Eoque ut ratio finium eo rectius ſibi conſtet, inſeremus nunc illas hoc loco, quamvis prolixiores poſſint videri, quæ huc debeant transferri. Verba illarum in hunc ſeſe habent modum.

I. Nos CAROLVS Quintus, Divina clementia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus; Rex Germaniæ, Caſtellæ, Legionis, utriuſque Siciliæ, Ieruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valenciæ, Gallicæ, Maioricarum, Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Giennis, Algarbiæ, AlgeZiriæ, Gibraltar, Inſularum Canariæ, & Indiarum, ac terræ firmæ maris Oceani; Archidux Auſtriæ; Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgi, Luxemburgi, Geldriæ, Calabriæ, Athenarum, Neopatriæ, Wirtenbergæ, &c. Comes Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis, Gerutæ, Barcinonis, Artoſiæ, Burgundiæ, Comes Palatinus, Hannoniæ, Holandiæ, Zelandiæ, Ferretis, Kiburgi, Namurci, Roſſilionis, Cerritaniæ & Zutphaniæ: Langravius Alſatiæ; Marchio Burgoviæ Oriſtani, Gotzani, & Sacri Imperij; Princeps Sueviæ, Cataloniæ, Aſturiæ, &c. Dominus Friſiæ, Marchiæ Slavonicæ, Portus Naonis, Biſcaiæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis & Mechliniæ, &c.

II. Notum facimus univerſis, in præſentibus comitiis Imperialibus, habitis in Civitate hac Auguſtana, inter cætera urgentia S.R.I. negotia, ſignificata nobis fuiſſe, ſcriptoque exhibita à Principibus Electoribus atque communibus Statibus ac Deputatis abſentium, ea quæ à Conſiliariis Circulorum circa negotium moderationis taxæ in ultimis comitiis Imperialibus Wormatiæ habitis diſcuſſa actaque ſunt; atque inter alia mentionem in iis fieri, celeberrimæ feliciſſimæque recordationis Imperatorem Maximilianum, quondam Avum noſtrum, inſtituiſſe Circulum Burgundiæ, eumque cæteris dictis S.R.I. Circulis inſeruiſſe, cumque ſua taxa, quæ tunc definita & conſtituta fuit, inſcribi curaſſe (prout hodieque in Regiſtris dicti S.R.I. reperitur) atque etiam nomine Provinciarum noſtrarum Inferiorum atque Burgundiæ, conſenſeris certam taxam imponi iis, quæ à dicto S.R.I. dependent, atque ad illud ſpectare debent; quemadmodum id fuſius declararunt, atque diductius explicarunt.

III. Item tempore feliciſſimæ recordationis Friderici, quondam Imperatoris, Philippum Ducem Burgundiæ, tanquam Principem Imperij, convocatum eſſe ad aliquos comitia Imperialia, ad quorum una miſerit ſuum Cancellarium, in aliis ipſe perſonaliter comparuerit. Præterea nomine & ex parte dictæ Domus Burgundicæ ordinatas & oblatas eſſe perſonas, tam ad Regimen dicti Imperij, quam ad Cameram Imperialem, quibus interdum vel per Nos, vel per Majores noſtros ſubſidium & contributionem, ſicut aliis Statibus, imperata fuerint, ut in pluribus receſſibus & regiſtris dicti Imperij invenitur. Propterea ſupplicare dictos Status, ut dictum Circulum Burgundicum, cum ſubſidiis & contributionibus S.R.I. dari ſolitis, in ſuo ſtatu tanquam MEMBRUM dicti Imperij benigne velimus relinquere.

IV. Præterea, cum Ducatus Geldriæ, cum Comitatu Zutphaniæ, plane ab Imperio dependeant, cumque iidem in aliquibus regiſtris contributionum dicti Imperij inveniantur, Nobis placeat clementer eis concedere, ut in tales contributiones ipſi conſentiant.

V. Similiter faciamus cum Statibus Vltrajectenſis patriæ; ut quoniam ea ſine contradictione ad dictum S.R.I. ſpectat, ab eoque ex antiquo dependet, ſolvant ultimam exactionem Imperij contra Turcam, itemque ut ſolvant communem pecuniam, & participent aliis contributionibus dicti Imperij, quandoquidem duæ hæ provinciæ Geldria & Vltrajectum, comprehendantur in Circulo Weſtphaliæ, prout hæc omnia Nobis repræſentata ſunt cum ampliori allegatione plurium rationũ.

VI. *Sed contra, neque aſſentimur, neque aſſentire poſſumus iis, quæ per communes Status dicto modo Nobis propoſita ſunt: ac potius curavimus eis claram dari informationem ſtatus dictarum noſtrarum Provinciarum Belgicarum & Burgundiæ: & inter cætera, non poſſe oſtendi aut probari, fuiſſe unquam ex parte Provinciarum patrimonialium belgicarum aut Burgundiæ datas ullas contributiones; quinimo illas ab omni tempore tum à dictis contributionibus, tum à conſtitutionibus, ordinationibus, juriſdictione & proceſſibus dicti Imperij exemptas fuiſſe; dictumque Circulum Burgundicum ad exitum perductum non fuiſſe.*

VII. Et

VII. Et quamvis dictus Philippus Burgundiæ Dux, tempore dicti Friderici Imperatoris, Legatos ſuos ad comitia Imperialia miſerit; ac ipſimet in aliis quibuſdam comitiis comparuerit: id tamen factum eſſe ab eo voluntate libera, non autem ex obligatione aut debito ſeu munere, ac potius ut ſatisfaceret ſolemni voto ſubveniendi Provinciis Chriſtianorum contra fidei noſtræ hoſtem amiſſa antiqua & Imperiali Civitate ac reſidentia Conſtantinopolitana; atque etiam ut capita nationis Germanicæ incitaret ad ſubſidium aliquod notabile pro recuperanda dicta Civitate Conſtantinopolitana, liberandiſque bonis Chriſtianis; atque hac in cauſſa ſeſe quanta maxima fieri potuit diligentia uſum, prout hæc aliaque huc ſpectantia, ſi opus ferret, demonſtrari poſſent.

IIX. Et quoad Ducatum Gelriæ, iam Nos oſtendiſſe Statibus communibus, agnoſcere Nos eum eſſe Imperii, & priuſquam eum haud ita pridem ad obedientiam noſtram reduxiſſemus, Nos eum in feudum accepiſſe ab Avo noſtro bonæ memoriæ Maximiliano Imperatore. Verum quoad contributionem à dictis Statibus dicti Ducatus Gelriæ, petitione communium Statuum Imperii ſcripto alias ipſis facta, ſolvendam, Nos declaraſſe, eiuſmodi cõtributiones nunquam antehac ab iis fuiſſe petitas, & multo minus ſolutas: contra fuiſſe eos ſemper exemptos, nullam unquam ea de cauſſa moleſtiam paſſos; rogantes, quandoquidem ſe nobis ea conditione ſubdidiſſent, ut eorum libertatem & immunitatem conſervaremus: ſineremuſque eos pacifice in poſſeſſione earumdem permanere.

IX. Idem Nobis ex parte provinciæ Ultraiectenſis ſignificatum eſt; præſertim, nullum unquam ſubſidium quo tempore Epiſcopi temporale dominium habebant, ab iis petitum, aut ſaltem acceptum, & iuxta ſua privilegia & veteres conſuetudines ſe ad hoc minime teneri.

X. Et quamvis reperiretur, Ducatum Gelriæ cum Provincia Ultraiectenſi fuiſſe in Circulo Weſtphaliæ comprehenſum, iidemque Ducatus & Provincia recenſeantur in contributionibus & matriculis Imperii, non ideo tamen ſequitur teneri & obligari ad ſolvendas dictas contributiones; quandoquidem tales Circuli initio tantum excogitati ſunt ad perſonas Cameræ Imperiali nominandas & præſentandas, Imperiumque nunquam fuiſſe in poſſeſſione aut uſu cognoſcendi rem qualemcunque aut nomen dicti Circuli.

XI. Ac præter hæc, dictas Provincias patrimoniales ab omni antiquitate fuiſſe liberas & exemptas à iuriſdictione Imperii, ita ut illa non minus quam cætera noſtra Provincia Belgica, in ſuis neceſſitatibus & indigentia nunquam, uſque in præſens, protectionem, tuitionem, aut auxilium ullum à dicto S.R.I. habuerint, quemadmodum rationabiliter habent alij Imperij Status.

XII. Unde concludi facile poteſt, dictas noſtras Provincias non teneri ſuſcipere in ſe, aut ſolvere ullas contributiones Imperii, & ſecundum æquitatem in antiquis libertatibus & exemptionibus relinquendas eſſe.

XIII. Nihilominus pro ſingulari Noſtro affectu erga S.R. Imperium nationis huius Germanicæ, & quia mens Noſtra nunquam fuit rem ullam ipſi adimere, at potius id ipſum augere atque amplificare; illis ſignificavimus, ad fovendum cum iis amicitiam bonæque vicinitatis commercium, Nos contentos fore, ut omnes Provinciæ noſtræ patrimoniales, ſimul cum Ducatu Gelriæ, Comitatu Zutphaniæ, & Temporalitate Ultraiectina, cæteriſque eo ſpectantibus, Vaſallis, & Dominijs dictarum Provinciarum, quemadmodum tam à Nobis poſſidentur, omnes conjunctim Sub uno Circulo comprehendantur, aliquamque pecuniæ ſummam contribuant; tantam nimirum, quanta eſſe poteſt contributio duorum Principum Electorum, at ne ultra hanc onerentur: & ut viciſſim ſuſcipiantur in protectionem, tutelam, conſervationémque S R Imperij, dummodo ipſa in rebus aliis maneant in omnibus ſuis Libertatib. Iurib. appellationũ & iuriſdictionis exẽptionib.

XIV. Super qua ita fundata informatione, & clemẽtibus oblationibus, Electores, Principes, & communes Status, etiam Conſiliarii & Deputati abſentium, ulteriores conferentias Nobiſcum inierunt: & poſt varia utrimque ſcripta, informationes, tractatus, Nobiſcum ſub conditionibus modiſque ſequentibus concordarunt, capitularunt, tranſegerunt. Noſque cũ illis in virtute præſentiũ harum literarum, meliori & validiori forma, modoq; quo fieri jure aut conſuetudine poſſet concordamus, capitulamus, & tranſigimus.

XV. Nimirum Nos veros hereditarios & ſupremos Dominos dictarum noſtrarum Provinciarum patrimonialium Belgicarum, pro Nobis, noſtris heredibus & ſucceſſoribus, ſimul dictæ noſtræ provinciæ patrimoniales Belgicæ, nominatim Ducatus Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, Gelriæ; Comitatus Flandriae, Arteſiæ, Burgundiæ, Hannoniae, Hollandiae, Zelandiae, Namurci, Zutphaniæ: Marchionatus Sacri Romani Imperii; Dominia Friſiæ, Ultraiecti Tranſiſalaniæ, Groningæ, Falcomontis, Dalhemii, Salinis, Mechliniæ & Traiecti una cum omnibus eorum appendicibus & incorporationibus mediate & immediate tam Eccleſiaſticis quam Secularibus, Principatibus, Praelaturis Dignitatibus, Comitatibus, Baroniis, & Dominiis ad ea pertinentibus, Vaſallis & Appendicibus, futuros impoſterum & ſemper ſub protectione, cuſtodia. conſervatione & auxilio Imperatorum, & Regum Romanorum, & S.R.I. eoſque fruituros Libertatibus & Iuribus eiuſdem, & per dictos Imperatores & Reges Romanorum & Status dicti S.R.I. ſemper, ſicut alij Principes, Status & membra eiuſdem Imperij defendendos, conſervandos fovendos, & fideliter iuvandos.

XVI. Item, convocabuntur ad omnes conventus & Comitia Imperialia ut cum aliis Statibus compareant, aut Deputatos ſuos, ſi eis viſum fuerit, mittant. Dabitur etiam illis, noſtriſque heredibus & ſucceſſoribus vel Nobis, horumque Deputatis, ſeſſio & ſuffragium nomine dictarum Provinciarum tanquam Archiduci Auſtriæ.

XVII. Viciſſim Noſtro, dictarumque Provinciarum noſtrarum, ſubditorum & poſterorum eorum conſenſu, debebunt dictae omnes Provinciae, cum ad conſervationem & bonum S. R. I. atque etiam ad fovendam pacem & Iuſtitiam neceſſarium erit, in omnibus communibus tributis quae quovis tempore à Statibus communibus Imperij conceſſa decretaque fuerint praeſtare & contribuere tantum, quanta duorum Principum Electorum contributio eſſe poteſt. Adeo ut, cum Elector unus praeſtabit ad contributionem centum florenos; aut cum centum equites & centum pedites mittet, Nos, heredes & ſucceſſores noſtri tenebimur pendere ducentos florenos, & ducentos equites, ducentoſque pedites ſubmittere; idemque in magnis & parvis ſubſidiis, augendo minuendoque cum proportione. ſervabitur; Niſi tamen caſu aliquo Nos, aut dictae noſtrae

Provinciae hereditariae, ipſi militie indigeremus, aut alias conſultius foret loco militum accipere pecuniam: quae eo caſu, loco dictorum militum, prout ſubſidium conceſſum magnum parvumque fuerit, ſingulis menſibus perſolvetur eo modo, quo Electores pro tempore militem, Capitaneos & Officiarios ſtipendio duplici, aut alijs ſolutionibus caeteriſque rebus alent.

XIIX. Tali quoque expreſſâ conditione, ut ſi citius ſeriuſve contingeret dictos Status S.R.I. concedere pro maiore aut minore ſubſidio, exigi communem aut certam pecuniam; Nos tamen & dictae noſtrae Provinciae Patrimoniales, earumque ſubditi non teneantur, nec obligati ſint exigere aut praeſtare dictam communem pecuniam; ſed Nos nomine dictarum noſtrarum Provinciarum patrimonialium Inferiorum praeſtemus tantum quantum duo Principes Electores Rheni (qui quoque tempore à dictis Statibus denominabuntur) exigent & colligent, cum omnibus ſuis Provinciis ſubditis & adhaerentibus, atque ad nihil amplius quod ad dictam communem pecuniam ſpectat, per reſtitutionem ullam aut receſſum. verbis, clauſulis aut derogationibus, vel in genere, vel in ſpecie quocunque modo aut quocumque nomine, ulterius ullatenus tenebimur, ſine conſenſu noſtro dictarumque noſtrarum Provinciaram; niſi conveniret, generalem expeditionem contra Tuream ſuſcipere. Quo caſu, Nos, dictaque noſtra Provincia tenebuntur praſtare pro ſubſidio noſtro non minus quam tres Electores, qui ſingulis vicibus per communes Status Nobis denominabuntur & ſignificabuntur.

XIX. Vicißim Nos, heredes & ſucceſſores noſtri, & ſupradicta noſtra Provincia, una cum omnibus Principibus, Prelatis, Comitibus & Vaſallis ad eos pertinentibus, qui hucuſque ſub iis comprehenſi fuerunt, nihilque S. R. I. ſolverunt, proprium Circulum habebunt, dictum, Circulum Provinciarum Patrimonialium Burgundia, ſub quo omnes comprehendentur, etiamſi aliqui eorum antehac conſtituti & attributi fuerint aliis quibuſdam Circulis.

XX. Item caſu quo Provincia noſtra patrimoniales Inferioros deeſſent dicta contributionis ſolutioni, eamve differrent, nec praſtarent, aut ſolverent tempore praſixo, ob fatalem noſtra ſolutionis & praſtationis defectum; reſpondebunt in Camera Imperiali, ibique contra eos, ſicut contra alios Status S.R.I. procedetur, ad cogendum ut ſolvant quod debent: ſed excepto caſu dicta contributionis, dicta noſtra Provincia earumque ſubditi, manent omnino in pacifica poſſeſſione omnium & quarumque libertatum ſuarum, iurium, exemptionum, applicationum & juriſdictionum, nullo modo ad contraria coacti: nec gravabuntur aut moleſtabuntur ſubditi aut adherentes dictarum Provinciarum per mandata, citationes, admiſſiones appellationum, & aliorum proceſſuum, omnium aliarum, cuiuſcumque ſint nominis, materiarum, nulla excepta, niſi in cauſſa dicta contributionis; eruntque exempti & liberi à dicta juriſdictione noſtra, & S. R. I. ſive in prima, ſive in ſecunda inſtantia.

XXI. Item, dicta Provincia noſtra patrimoniales inferioris Burgundia, cum ſuis pertinentiis, erunt, manebuntque perpetuo Provincia & Principatus omnino liberi, & non ſubditi, ac à Nobis tanquam ab Imperatore, atque ab aliis omnibus futuris Imperatoribus ac Regibus Romanorum, ab Electoribus etiam, Principibus & Statibus S. R. I. agnoſcentur pro Provinciis, Principatibus, & Supremitatibus liberis, & non ſubditis; ita ut deinde pro adeptione dictarum contributionũ, ſicut hic ſupra & infra ſcriptum eſt, nec vocentur ad ius, & iuriſdictionem S. R.I. Similiter, ut in nulla re ad ordinationes, conſtitutiones, receſſus S. R. I. ulterius quam hic ſupra & infra dictum eſt, obligentur; dummodo tamen dicti Principatus & Provinciae, in quantum earum aliquae dependent à Feudo S.R.I. inpoſterum debite recognoſcantur, & releventur, & in feudum à S. R.I. ut ex ante in praeſens factum eſt, recipiantur.

XXII. Ulterius, ſtatus & ſubditi omnium noſtrarum Provinciarum patrimonialium tenebuntur obſervare, & manutenere conſtitutionem pacis publicae, dictam Landfried. Quique ad S.R.I. attinent, cum in Provincias noſtras Inferiores venerint, ſuave bona in iis poſſederint, aut habuerint, comprehendentur in protectione, patrocinio, & libertatibus earum, & conformiter cateris dictarum Provinciarum ſubditis manu tenebuntur, & ſervabuntur, & ad jus aquumque obtinendum juvabuntur.

XXIII. Et viciſſim incola dictarum Provinciarum noſtrarum Inferiorum protectionem & patrocinium habebunt in dicto S.R.I ſicut Status & ſubditi ejus. Ita, ut ſi cui ex Imperio, aut ex dictis Principatibus & Provincijs, & earum ſubditis, aliquid contra dictã Landfried eveniret; aut ſi quis alijs quibuſcumque rebus pratenderet habere in alium actionem: is tum tenebitur eum, ut oportet, coram ſuperioritate Ordinaria, & in foro ejus, qui pacem fregit, aut ejus qui poſtulatur reum agere; debebitque ibi jus ſuum perſequi; juſque ei ibidem prompte recteque dicetur, atque ita utrimque aqualitas ſervabitur.

XXIV. Modo, quo dictum eſt, Nos nomine ſupradictarum aliarumque noſtrarum Provinciarum Patrimonialium, cum Electoribus, Principibus, & communibus Statibus S.R.I clementiſſime, iique Nobiſcum nomine S. R. I. matura & plena deliberatione humiliter concordarunt, capitularunt, & tranſegerunt. In quam tranſactionem Nos quoque per Nos, & Provincias noſtras Patrimoniales, liberos quoque noſtros, eorundemque ſucceſſores: ſimiliterque per dictos Electores, Principes & communes S.R I. Status, nomine dicti S R.I. conſentientes, eamque acceptantes, promittenteſque eam ſervare, definimus, promiſimuſque juxta hoc, verbo Imperatoris, pro Nobis, liberis noſtris, & ſucceſſoribus, & pro omnibus noſtris Provincijs patrimonialibus Inferioribus & Burgundia, Nos dictam tranſactionem, concordationem, & capitulationem in omnibus & ſingulis ſuis articulis & capitulis, in ea contentis, Noſque & noſtros concernentibus, debere, & velle rata, firma & ſtabilia habere, & inviolabiliter obſervare & adimplere ſine contraventione ulla, nec permittere ut noſtri iis contra veniant. Et quicquid contra ſupradictam tractationem vel capitulationem factum, ordinatum, ſtatutum, aut impetratum fuit, vel in futurum fiet, ordinabitur, ſtatuetur, obtinebitur, aut impetrabitur, non poterit allegari, nec uſui eſſe in contrarium; ſed erit manebitque ſine ullo vigore.

XXV. Similiter omnes poſtulationes, quas Nos, aut ſtatus noſtri habere pratendimus ratione ſubſidiorum & contributionum prateritarum, mortua, ſopita, exſtinctae, & ſine ulla vi, nullae & nullius effectus erunt; ſicut etiam Nos, conſultu & conſenſu ſupradicto noſtrorum Principum Electorum, Principum & Statuum, eas per has de certa noſtra ſcientia & plenaria poteſtate Imperiali declaramus, vim nullam, & nullum vigorem

Digitized by Google

rem habere, ſed caſſas, nullas, & nullius effectus permanere debere.

XXVI. Et viciſſim pro maiori ſecuritate, S.R.I; & Statuum ejuſdem promittimus Nos, ratificationem & conſenſum, dictarum noſtrarum Provinciarum Patrimonialium Inferiorum & Burgundiæ, dictis Statib. Imperij, aut eorũ nomine, Reverendiſſimo noſtro S.R.I. Principi Electori, & Archiepiſcopo Moguntino tanquam Archi Cancellario, ſub ſigillis quatuor præcipuorum Prælatorum, dictarum noſtrarum Provinciarum patrimonialium, quatuor item præcipuorum Dominorũ, & quatuor præcipuarum Vrbium, nomine omnium Provinciarum, & eas attinentium, intra annum ut quam maxime ſero, poſt datas præſentes præbituros.

XXVII. Et Nos Electores Principes, & Status communes, S.R.I. Conſiliarij item & Deputati abſentium, prout omnes comparuimus in hiſce comitiis Imperialibus & Dominatu, Specificati ſumus in receſſu eorũ, fatemur pro Nobis, poſteris & ſucceſſoribus noſtris, ſimiliter pro Dominis, & Principalibus noſtris poſteris & ſucceſſoribus eorum, dicta, concordatum, capitulationem & tranſactionem facta eſſe de ſcientia & conſenſu noſtro; ideoque promittimus pro Nobis, poſteris & ſucceſſoribus noſtris, ſub honore & verbo Principis & fide bona, omnes & ſingulos Articulos, & capita in iis contenta quæ Nos & dictum S R.I. concernunt, Nec fideliter & firmiter tenturos, obſervaturos, & impleturos ſine contradictione, nec contra facturos aut molituros; nec ullatenus ut id alij faciant, paſſuros; id reſervantes ut præſens tractatus & conſenſus non importet præiudiciũ, nec per eum quidquam S.R.Imperio quoad terras, quæ antehac ad illud pertinuerunt, neque quoad communes & particulares Status eiuſdem; Similiter nec Provinciis Patrimonialibus Inferioribus & Subditis Caroli Imperatoris, excepto eo quod præſenti tractatu continetur, & omnibus aliis modis, qui eorum ſupremitates, dominia, libertates, iura, antiquas conſuetudines & uſus concernunt.

XXIIX. In Quorum teſtimonium Nos Carolus Imperator, tam nomine Imperatoris Romanorum, quam etiam nomine veri & ſupremi Domini dictarum noſtrarum Provinciarum patrimonialium, ſigillum noſtris his apponendum curavimus; quarum duæ ad unum exemplum facta ſunt.

XXIX. Et Nos Sebaſtianus D.G. Archiep. Moguntinus, Archicancellarius S. R. I. Et Fridericus Comes Palatinus Rheni Dux Bavariæ, Archi Dapifer S.R.I. ambo Principes Electores pro Nobis & reliquis Electoribus; & Nos Erneſtus confirmatus Archiepiſcopus Argentinenſis, & Wilhelmus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ ſuperioris & inferioris pro Nobis & aliis Principibus tam Eccleſiaſticis quam Secularibus, Gervvinus Abbas Vmgartenſis, &c. pro nobis & aliis Prælatis, Fridericus Comes de Furſtenberg, &c. pro nobis & Comitibus & Baronibus, Et nos Conſul & Conſiliarij Civitatis Auguſtanæ pro nobis & aliis Vrbibus liberis & Imperialibus ad requiſitionem & preces Nobis per Electores, Principes & Status S.R.I. factas, noſtra quoque ſigilla poni & affigi curavimus præſentibus hiſce litteris datis in Vrbe noſtra Auguſtana die Martis 26. Menſis Iunij Anno à nativitate Domini MDXLIIX. & Imperij noſtri anno XXIIX. Regnorũ noſtrorum XXXIII. Ita ſignatum: Carolus. Sebaſtianus Archiepiſcopus Moguntinus per Germaniam Archi Cancellarius, & per ordinationem Imperatoris I. Obernburger.

Hactenus illæ Tabulæ: quæ anno eiuſdem ſeculi LX. ſunt confirmatæ. Quoniam vero nonnulla in iis reperire eſt quæ videri controverſia queant, fuerit haud abs re ex Paulo Matthia VVehnero audire quid hodie cum alibi tum in Spirenſi ſummo Imperii iudicio obſervetur. Habentur illa tomo ſexto Symphorematis ſupplicationum cap. ſecundo fol. 30. *Ducatus Burgundiæ non modo peculiaris circulus eſt Sacri Romani Imperii* der Burgundiſche Kreiß / Reichsabſchied zu Nürenberg *de Anno 1522. fol. 3. ſed & ipſe Dux Burgundiæ ſub tutela & membris Imperii comprehenſus, in Comitiis ſeſſionem atque votum habet, ſicut Archidux Auſtriæ.* Er iſt aber den gemeinen pfennig zu ſenden nicht ſchuldig / *ſed tantum contribuit quantum duo Electores. In expeditione contra Turcam tantum præſtat, quantum tres Electores. Si ceſſat contribuere, poteſt contra eum in Camera Imperiali per Fiſcalem procedi: in reliquis à Camera iuriſdictione immunis ac exemptus eſt. Imperii tamen feuda ab eodem recognoſcere & conſtitutionem de pace publica ſervare tenetur. Nam Dux Burgundiæ pro ſua perſona tanquam vaſallus Imperii Romani non eſt exemptus, ſi delinquat & frangat pacem publicam contra ſtatum Imperii. Ideo contra eum & officiales eius in Camera Imperiali proceſſus decerni poſſunt. Tilman. de Benign. in Apoſpaſm. quæ inter obſerv. ſuppl. cent. obſ. 64 fol. 13. Vide tranſactionem Burgundicam in magnis Comitiis Auguſtæ Vindelicorum, Anno 1548. inter Carolum V. Imp. & Status Imperii editam ac erectam, & poſtea anno 1560. confirmatam: iuxta quæ pacta & tranſactionem etiam ſubditi Regis Catholici Hiſpaniarum, quoad conſtitutionem pacis publicæ, iuriſdictionis Cameræ Imperialis ſunt ſubiecti. Gilman. tom. 2. Symph. part. 3. tit. 4. ſuppl. 3. fol. 78. pr. Nec obſtat, quod Myſingerus cent. 5. obſ. 58. num. 2. Gail. lib. 1. de pace publ. cap. 11. num. 6. Gilhauſ. in Arb. iud. cap. 4. ram. 1. §. 13. num. 3. fol. 163. & alii quidam ſolam domum Burgundicam etiam in hoc caſu cum ſuis Ducatibus & dominiis liberam adſerant, ex privilegio d. Concordiæ Anno 1548 erecta, qua cautum ut ſubditi Ducis Brabantiæ in cauſa violatæ pacis à loco domicilii non evocentur, ſed coram iudice loci ordinario ad pœnam banni & iuris communis conveniantur. Quia hoc admiratione ſatis dignum & iniquum videtur. Petr. Frider. Mindan. l. 1. de proceſſ. in Camer. extrah. cap. 22. num. 1. Quid enim aliud eſt à legibus pacis publicæ eximere, quam in communis Reipublicæ ſocios armare, & quaſi feneſtram aperire ad vis publicæ exercitium? Et exemplo pernicioſum videtur, publicæ tranquillitatis turbatores, tanquam communis patriæ hoſtes, à Cæſarei Numinis iuriſdictione eximere, fori privilegiis muniendo. Vnde etiam Principes iſtam Concordiam aliquoties impugnarunt, & in Camera contra Regem Hiſpaniarum tanquam Burgundiæ Ducem mandata de non offendendo decreta, ut, ultra ſupra dicta in cauſa.* Dietrich von Gellern *contra d. Regem. ubi cum Referens mandatum de non offendendo* bey einer namhafften Pein *decernendum diceret, alius dominus communi forma decernendum evincebat: ſe enim Anno 1550. interfuiſſe* dem Fürſtenrath da die Burgundiſchen Verträge nicht allein *impugn*iret ſondern gar für nichtig gehalten. *Cui alii addebant, ut ut tranſactio valeret, eam de ſubditis Ducis ſaltem intelligendam. Burgundiæ vero Ducem pro ſua perſona tanquam Imperii vaſallum, non eſſe exemptum, idque recte. Nam & in eam ſententiam, quod pacem publ. ſervare teneatur, prædi-*

cta tranſactio Anno 1560. confirmata, ut ſupra dictum & notavit Frid. d. num. 1. Ac, quod d. tranſactio Burgundica de ſubditis Burgundiæ intelligenda ſit, quodque agat tantum de mere perſonalibus, non realibus, ſcribit Tilman. de Benign. loco ſupra allegato fol. 15. Ex conſtitutione tamen pignorationis contra Domum Burgundicam, proceſſus in Camera non decernuntur, ex ſpeciali tranſactione Ducis Burgundiæ cum Romano Imperio, quæ hodie etiamnum in Camera in viridi obſervantia habetur. Tilman. de Benign. in Apoſpaſm. ſuo de Impetr. proceſſ. obſerv. 4. f. 50.

Hæc omnia Wehnerus. Et vero hunc in modum hodieque regiones illæ quæ quidem parent Hiſpano ſeſe habent. Memorat Thuanus l. xvi. Carolum Cæſarem cum Ferdinando fratre egiſſe, *ut ipſe & Maximilianus filius Philippum Caroli filium Imperii per Italiam & Belgium cum plena poteſtate Vicarium conſtituerent; ſed hos non aſſenſos quod dixerint tantum de Cæſarea dignitate ac maieſtate, quam integram & illibatam tueri recepiſſent, deceſſurum, quantum ex ea alteri conceſſiſſent.* Quod hoc loco repetere fortaſſis haud eſt alienum.

Quamvis vero ita olim cautum fuerit Imperio, & huc uſque ea qua diximus ratione habeant ſeſe regiones illæ Belgicæ quibus etiamnum Hiſpanus imperat: poſt Carolum tamen Cæſarem ea tempeſtas Belgium illud excepit, ut denique ſeptem longe nobiliſſimæ & potentiſſimæ provinciæ ſceptro Hiſpanico abiecto in libertatem ita ſeſe aſſeruerint, ut ſimul etiam omne exuerint Imperii obſequium, Hollandia ſcilicet, Zelandia, Geldria cum Comitatu Zutphanienſi, Weſtfriſia, Trajectina regio, Tranſiſalania, & Groningenſis ditio. Nec enim poſt annum ſuperioris ſeculi octuageſimum primum, quo Hiſpano ſeſe ſubduxerunt, Imperio ſe quidquam amplius debere videri voluerunt, ſuntque paſſim per omnem terrarum orbem à potentiſſimis Regibus habitæ & cultæ quaſi ſui ſint juris, nec ulli Principi ſuperiori obnoxiæ. Hinc ne à Cæſare quidem titulum *dilectorum fidelium* dari ſibi paſſi ſunt amplius, nec à Principibus Imperii æſtimari ullo indicio in cenſu eorum qui Imperio ſunt obnoxii. Idque obtentu vel priſcæ exemptionis ab Imperio, vel partæ ſibi armis libertatis interim dum ab Imperio deſererentur. Quod tamen fortaſſis mirere, inter eos nonnullæ urbes nummos ſuos Imperii aquila & Cæſareo nomine, perinde ut olim fecerunt, hodieque inſigniri curant. Sed & non adeo pridem, Hiſpano plene jamdudum exacto, ſerio in Provinciarum conciliis deliberatum, de reditu in corpus Imperii Germanici: qua de re prudens epiſtola ſummi viri Hugonis Grotii, inter opuſcula ante biennium Amſtelodami curante Iſaaco Grutero publicata, comparet. Cæterum in univerſum omnes ab Imperii obſequio ſeſe liberos, illo quem diximus obtentu, venditare certum eſt. Ab Hiſpano ipſomet confeſſionem remiſſi omnis iuris quod in provincias illas quondam habuit, tandem impetratam, notum iam itidem in vulgus eſt. Nec enim eſt cur amplius attendantur tabulæ illæ ambiguæ pactarum induciarum, quæ ſeculi huius anno nono in duodecim annos fuerunt initæ: poſteaquam nuper adeo monaſterij Weſtphalorum claris & perſpicuis verbis id pactis æternæ pacis pronunciatum eſt. Promiſit porro Rex Hiſpanus in iiſdem chartis capitulo quinquageſimo tertio, ſeſe daturum operam, ut tam Cæſar quam Ordines Imperij declarent amicitiam & bonam vicinitatem cum Provincijs illis fœderatis ſeſe obſervaturos. Eſt autem talis profeſſio ſimul tacita fortaſſis quædam omnium ſuperioritatis iurium renunciatio. More ſane gentium receptum eſt, vicinitatem & amicitiam colere non niſi cum eo in quem nihil tibi ſuperioris iuris eſt. Et vero Cæſar noſter declarationem eiuſmodi ipſo anno conſtitutæ pacis edidit. Factum fortaſſis idem iam eſt ab Imperij Ordinibus: nec tamen certo affirmaverim. Si ſane & Ordines in id conſenſerint, iam fortaſſe ſeptem illæ nobiliſſimæ Provinciæ finibus Imperii ſubductæ ſunt, nec eſt cur amplius diſputemus, iure an iniuria ab Imperii obſequio illæ deſciverint.

Tantum obſignabimus igitur hanc diſquiſitionem literis Auguſtiſſimi Cæſaris noſtri, quæ ad omnem poſteritatem ſane ſunt memorabiles. Sunt autem hæ. *Ferdinandus Tertius, Divina Favente Clementia, Electus Romanorum Imperator, Semper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ Rex; Archidux Auſtriæ; Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ; & Marchio Moraviæ; Dux Luxemburgiæ, ac Superioris & Inferioris Sileſiæ, Wittembergæ & Teckiæ; Princeps Sueviæ; Comes Habſpurgi, Tirolis, Ferreti, Kyburgi & Goritiae, Landgravius Alſatiae; Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviae; ac Superioris & Inferioris Luſatiae; Dominus Marchiae Slavoniae, Portus Naonis & Salinarum. Agnoſcimus & notum facimus tenore praeſentium univerſis; Quod, cum Nobis ex parte Sereniſſimi Hiſpaniarum Regis Catholici & Conſobrini, Generi & Fratris Noſtri Chariſſimi, demiſſe fuerit expoſitum, in pace nuper inter Serenitatem ſuam ex una atque Status & Ordines Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum ex altera parte, Deo bene iuvante, concluſa ac publicata, inter alia contineri Articulum, ordine quinquageſimum tertium, huius, qui ſequitur, ex Gallico in Latinum tranſlati tenoris.*

„ *Dictus Dominus Rex obligat ſe effective ad procurationem continuationis & obſervationis Neutralitatis, Amicitiae & bonae vicinitatis ex parte ſuae Caeſareae Maieſtatis & Imperii cum dictis Dominis Ordinibus, ad quam continuationem & obſervationem praedicti Domini Ordines reciproce pariter ſe obligant, ſequeturque ſuper eo confirmatio ſuae Caeſareae Maieſtatis intra ſpacium duorum menſium, ex parte vero Imperii intra annum à concluſione & ratificatione praeſentis Tractatus.*

Ac proinde ſupplicatum, ut Nos pro noſtra parte dictum Articulum clementer approbare, ratum habere atque confirmare dignaremur. Nos re mature ac diligenter deliberata, pro ſingulari ac propenſiſſimo noſtro in pacem quaqua verſum promovendam ac propagandam ſtudio, in eiuſmodi petitionem clementer annuerimus, dictumque Articulum eiuſque contenta, quatenus ea ad Nos pertinent, pro Noſtra parte approbaverimus, ratificaverimus & confirmaverimus, prout hiſce ex certa ſcientia authoritate noſtra Imperiali approbamus, ratificamus & confirmamus. Eadem authoritate & ſcientia volentes, declarantes & ſtatuentes, quod non modo Nos contra eundem Articulum eiuſque contenta, quatenus ad Nos pertinent, directe vel indirecte nihil committere,

Digitized by Google

mittere, ſed nec ab aliis fieri vel committere velimus. In cuius rei fidem praeſentes manu noſtra ſubſcripſimus, & ſigilli noſtri Caeſarei appenſione communiri fecimus; quae dabantur in Arce Noſtra Linzii: ſexta Iulii anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo; Regnorum Noſtrorum Romani Duodecimo, Hungarici Vigeſimo tertio, Bohemici vero Vigeſimo primo.

Ferdinandus.

Ferdinandus Comes Curtius.
Vt.

Ad Mandatum Sacrae Caeſ Maieſtatis proprium, ſignatum erat

I. Walderode.

Hactenus literæ Cæſareæ: quas per Antonium Brynium Legatum Hiſpanicum Ordinarium, Hagæ Hollandorum, Concilio Ordinum Generalium fœderatarum provinciarum, anno ſequente, poſt quadrageſimum nono die XXII. Octobris oblatas eſſe, in libro Concilij illius Actorum publico annotatum eſt.

CAPVT XXIX.

Bohemiæ Regnum cum Sileſia Moravia & Luſatia Finibus Imperii hodieque includi; Poloniam vero Maſoviam Pruſſiam & Livoniam videri illis excidiſſe.

TRes in partes inter filios totidem Ludovici Pij omne quod ūerat Francorū Imperium diviſum, & præter eam quæ Ludovico ceſſit illam etiam quæ Lutharij fuerat in ditionem Imperij Germanici tranſiiſſe, pene ſub initium operis diximus. Proxime nunc Italici, Burgundici, & Lotharingici Regni, ſimulque propter ita dicti Romani Imperij Francorum, ſive eius quæ Lothario quondam obtigit partis limites, quales illi ſeſe à temporibus Friderici II. Cæſaris uſque huc ſeſe habuerint, perluſtravimus. Conſequens igitur eſt, ut tandem aliquando in Ludovici patrimonium, atque adeo Germanicum, ſive (ut olim fuit appellatum) Orientale Francorum Regnum reverſi, in huius quoque fines, ab eadem Friderici Cæſaris ætate repetito negotio, inquiramus. Audivimus vero jam tum, Germanorum induſtria, cum ante Fridericum tum circa illius ætatem, ut & paulo poſt, Regno huic multa adiecta, & vim eius longe lateque porrectam, ea tamen fortuna, ut Dania & Hungaria jam ante Fridericum ſuo ſuat juri redditæ, in ſolam Poloniam nonnihilo noviter parte auctoritatis adhuc ſuperſtite. Commode ergo partiri ita diſputatio poterit, ut ante omnia quidem ea quæ iam olim a Francis poſſeſſa, inde ea quæ ante Friderici ævum, & denique ea quæ illius ævo aut paulo poſt in ditionem Imperii ſunt redacta, quibus finibus contineantur, inveſtigemus.

Vt de iis quæ primi ſunt ordinis multum agamus, neceſſum non eſt. Si enim excipias de quibus modo verba fecimus, Belgico-Germanicas fœderatas, & quæ cis Viſam & Rhenum amnes ſunt Helvetici & Rhætici fœderis provincias citra controverſiam pene omnia & legibus & oneribus iiſdem publicis obnoxia ſunt, unumque reipubl. ac civitatis corpus propius conſtituunt. Nam & illa quæ nuperrime Regno Sueciæ æterno pacto aſſerta ſunt, intra limites tamen Imperii & illius quod dixi communis corporis permanſere: quod cum ex Tabulis Pacis initæ, tum aliunde omnibus hodie eſt notiſſimum. Vnum BOHEMIÆ Regnum cum annexa ſibi Sileſia Moravia & Luſatia, cum ab oneribus reliquæ Germaniæ ferendis ſit ſolutum & præ aliis magis ſuæ ſpontis, nonnihil heic turbat: quibuſdam Bohemorum auſis plenam & ab Imperio non dependentem Regno illi libertatem adſcribere. Itaque de uno illo pacis diſputandum fuerit.

At vero Bohemorum illa tempora quæ Fridericum II. Cæſarem antecesſerunt, non eſt quod nos multum morentur. Vſque enim adeo certum pariter notumque eſt, ſaltim ad illam ætatem, à Carolo Magno uſque, Bohemiam omnem tributariam fuiſſe Imperio, & Principes illorum Imperatori Germanico fuiſſe obnoxios, ut id probare ſupervacuum ſupra duximus. Tantum igitur ſatis eſt, breviter nunc ex monumentis antiquis quædam in memoriam quaſi revocare, quo maior lux affulgeat iis quæ qui poſt Fridericum II. contigere. *Primum* itaque Caroli Magni auſpiciis ſeculo nono à filio eius Carolo devicti ſunt uſque adeo Bohemi, ut annuum tributum pendere more aliorum Slavorum coacti ſint. Et vero id præſtiterunt florente familiæ illius Carolinæ potentia. Illa deficiente & tandem emortua denuo ſub idem jugum redacti ſunt ab Henrico Aucupe & filio eius Ottone Magno: nec onere hoc ſoluti ſunt niſi per Fridericū II. Cæſarem ſeculo tertiodecimo: quo de paulo poſt. Huc ſane pertinet quod Brzetiſlaus I. anno 1042. cum Conſiliariis ſuis & Primatibus Bohemicia provinciam illam totam Imperatorium fiſcum eſſe confeſſus eſt. *Secundo* Bohemorum Duces ad Cæſarum juſſa non minus atque alii Principes Imperij arma expediverunt, aut commeatu juverunt Imperii exercitus. Poſterius enim factum iam eſt Carolo Magno Cæſare. Militaverunt vero cum alii tū in primis Sobieſlaus Conrado in Saxonia, Vladiſlaus & alter Sobieſlaus Friderico I. in Inſubria, Brzetiſlaus Henrico VI. in Luſatia, Wenceſlaus II. denique Friderico II. Cæſaribus. *Tertio* Iidem Duces Cæſares Germanicos Dominorum titulo ſemper honoraverunt: idque diſertim memoratur de Boleſlao Sævo, utroque Brzetiſlao, & Friderico, poſtquam ad officium redierunt domiti à Cæſaribus. *Quarto* vocati iidem Duces ad curiam Cæſaream comparuerunt, cauſſas ſuas dicturi. Sic Ludovico Pio adfuit Francofurti cum muneribus Neclanus, Ratisbonæ Henrico Aucupi Wenceſlaus quem Sanctum cognominant, Iaromirus & Vldricus Henrico II. Sobieſlaus I. Bambergæ Lothario Saxoni, Vladiſlaus Roncaliis Friderico I. Eidem Norimbergæ Fridericus, Przemiſlus Philippo Moguntiæ, & Friderico II. Baſileæ Wenceſlaus II. *Quinto* Multi Ducum invitis etiam & reluctantibus Bohemis a Cæſaribus dati ſunt, donec populo eligendi reddita per Philippum reddita ſed confirmandi

ſirmandi inveſtiendique anctoritate Cæſaribus ſuperſtite. Ita enim Vldricus I. ab Henrico II. Boizvvogus II. Vldricus II. & Vladiſlaus ab Henrico V. Cæſare, Vladiſlaus poſtea Rex à Conrado, Sobieslaus II. & Fridericus à Friderico Barbaroſſa, Henricus Bizetislaus ab Henrico VI. Wenceslaus I. à Friderico II. creari ſunt. *Sexto* Ipſum Regium nomen ſolo Germanicorum Cæſarum beneficio Bohemis obtigit, & quidem ita ut primum perſonalis duntaxat illa dignitas fuerit, à Cæſarum nutu dependens, donec eam perpetuam fecit Cæſar Philippus anno MCXCIX. Nec vero antehac nomen illud impetravere, niſi ab Henrico I. (ſi fas eſt credere) Wenceſlaus Sanctus; ab Henrico IV. Wratiſlaus Iuſtus, à Friderico I. Wladislaus. Quæ omnia non tantum Germanicorum ſed & Bohemicorum ſcriptorum veterum teſtimoniis probare in facili eſt, & Iam tum cum aliis tum à Goldaſtu præclare oſtenſum. Sole autem clarius utique exhibent hæc Imperii in Bohemiam, ſaltim ad Fridericum uſque II. perpetua iura.

Bohemiæ vero fortunam MORAVIA indubie comitatur. Etenim Moravorum omne Regnum iam à Carolo Magno leges accepiſſe, & Arnolphi Cæſaris iuſſu proſcripto ultimo Rege Zuentepolco, in partes diſcerptum à Polonis & Vngaris aliiſque occupatum eſſe, iam tum ſupra narravimus. Quod hodieque nomine illo audit non niſi illud eſt quod Polonis tum occupatoribus ceſſit. Id vero ſeculo undecimo Vldricus & Brzetislaus Duces, faventibus Cæſaribus, ereptum Polonis Bohemiæ vindicaverunt, atque ita Moravia iſta Bohemorum quaſi provincia facta fuit. Quo de ne dubitemus, effecit conſenſus Bohemicorum pariter & Polonicorum ſcriptorum.

LVSATIAM itidem omnem à Carolo Magno iam ſubactam eſſe, iam tum diximus. Illius ea pars quam Inferiorem appellitant quum in Germanici ſanguinis Principum dudum fuiſſet poteſtate ex Cæſarum beneficio, anno 1075. Cæſaris Henrici IV. dono, in præmium navatæ variis bellis operæ, Wratislao Bohemorum tum Regi & Bohemis in perpetuum ius eſt tradita: atque adeo nec ipſa Imperii finibus excidit. Quinimo cum ab aliis aliquandiu fuiſſet occupata Ludovici IV. Cæſaris beneficio Ioanni Regi eſt reddita. Superior, ſive Hexapolis, Bohemici iuris fuit uſque ad annum ſeculi decimi ſexageſimum quintum, quando in dotem Miſeconi Polono ceſſit. Ab iis ad Brandeburgicos Marchiones devenit, & Ioanne demum Rege, itidem Ludovici IV. Cæſaris auctoritate, ſeculo quartodecimo rediit in Bohemicum corpus. Indubie itaque & Luſatia ſaltim ad Fridericum II. Cæſarem, ab ævo uſque Caroli Magni finibus Imperij fuit comprehenſa.

Igitur ſi Bohemia una cum Moravia & Luſatia deſiit eſſe in ditione Imperii, id factum fuerit oportet à ſeculo uſque tertiodecimo. Et vero una cum titulo illo perpetuo Regio integram libertatē Bohemiæ redditam, ſunt qui affirment. Verum enim vero tametſi ſolito maiorem dignitatem Bohemiæ Reges acceperint à Philippo Cæſaribus, tamen vel ipſæ illæ tabulæ Friderici II. Cæſaris anno MCCXII. exaratæ ſatis roborant Imperii iura. Diſerte ſiquidem in illis eſt cautum: *Quicunque ab ipſis* (Bohemis ſcil.) *in Regem electus fuerit, ad Imperatorem accedat REGALIA DEBITO MODO RECEPTVRVS.* Quotieſcunque etiam Comitia Imperii fuerint inſtituta Bambergæ, Norimbergæ, & Mersburgi, Reges teneri in Curia comparare ſi vocentur: trecentos itidem cataphractos ſubmitti à Regibus debere Romam Coronæ Cæſareæ cauſſa profecturis electis Imperatoribus. Quicquid præterea ipſis immunitatum à Friderico eſt datum, privilegii tantum modo illis concedi, proditur: quod ipſum à pleno iure multum eſt, diverſum. Iam vero notum eſt nec negare poſſunt Bohemici, ab ipſo illo Friderico Cæſare anno MCCXXVI. Wenceslaum primum, Ottocarum ſecundum à Richardo anno MCCLXII. iterum à Rudolpho anno MCCLXXVI. Wenceslaum ſecundum anno MCCXCII. ab Adolpho, Ioannem ab Henrico VII. patre anno MCCCX. Georgium anno MCCCCLIX. & Vladislaum anno MCCCCLXXVII. Ferdinandum I. à fratre Carolo V. anno MDXLI. Mathiam à Rudolpho II. fratre anno MDCIIX. Ferdinandum ſecundum anno MDCXVII. à Matthia Cæſare, alios ab aliis, Regalibus beneficiis inveſtitos eſſe. *Hinc* ipſo illo ſeculo tertio decimo & gloriati ſunt ipſimet Reges titulo Principum Imperii, & à Cæſaribus illo affecti. Refert Gevvoldus I. de Septemviratu cap. 9. Tabulas Rudolphi Cæſaris ſcriptas Erphordiæ anno MCCXC. quæ & alibi paſſim produci ſolent, de dignitate Pincernatus: ubi Cæſar Wenceslaum Regem appellat *Principem & filium cariſſimum.* Ipſe Wenceslaus in aliis Tabulis ab eodem Gevvoldo ex autographo deſcriptis ſeſe nuncupat: *Sacri Romani Imperii Principem & Pincernam.* Quo pertinent & illa à Gevvoldo annotata: *Principem Imperii & Germaniæ Statum eſſe Regem Bohemiæ, docent inter caetera, Imperatorum documenta, quae in Bohemia concepta vice Archiepiſcopi Moguntinenſis, Archicancellarii Germaniae, ſubſcripta & recognita fuerant, & adhuc hodie recognoſcuntur & ſubſcribuntur à Vicecancellariis aulae Caeſareae.* Spectans huc & Carolus IV. Cæſar iis tabulis, quibus Tabulas Friderici II. auctoritate Cæſarea confirmavit, Regnum Bohemiæ profeſſus eſt eſſe *nobilius S.R. Imperii membrū.* Adhoc dum & Cæſar Carolus IV. & Proceres Bohemiæ auctoritate Imperii Principū fecerunt anno MCCCXLVIII. Tabulas Friderici II confirmarunt: agnoverunt utique eo ipſo Imperij in Bohemiam iura. At vero nonnulli Cæſarum Friderici illas tabulas non habuerunt ratas, quantum videtur: ut nec ipſe Carolus videtur illas omni ex parte probaſſe. Et quidem cum Albertus tum Henricus VII Cæſar, extincta Regia familia maſcula, in Imperij recidiſſe poteſtatē Regnum illud, nulla habita ratione electionis popularis, crediderunt ſi monumentis fidendum eſt. Sane Crantzius l. 7. VVandal. cap. 46. notat, VVenceslao III Rege cæſo *perveniſſe Regnum iure feudi ad Romanum Imperium*: atque ita ab Alberto Cæſare filium veluti *Romani Regni feudatarium in Regnum provectum eſſe.* Eandem rem deſcribens Gerhadus de Roo Hiſtor. Auſtr. l. 1. cap. 5. tradit: *Bohemiæ proceres extincta in VVenceslao Regum familia virilis ſeminis, de novo creando Rege conſilia Pragæ iniiſſe, diſſidentibusque in Rudolpho Alberti Caſaris filio & Henrico Carinthio Procerum ſtudiis, Wenceslai filias Annam & Elizabetham in*

Comitia

Digitized by Google

Comitia veniſſe, vt ſui ratio haberetur oraſſe. Fuiſſe itaq; Henricum Annæ maritum in Regem electum. Cæſarem vero electionem NON ACCEDENTE IMPERII AUCTORITATE FACTAM, *nullius momenti eſſe docuiſſe.* Inſeruit Goldaſtus tomo II. operis cui fecit titulum Reichs-Satzung pag. 29. hiſtoriam Senatusconſulti Procerum aliquot Imperij coram Henrico VII Cæſare inſtituti, vbi Cæſar ſcribitur in hæc locutus verba: Das Königreich Bohemen welches Erbloß worden achten wirs dafür / daß es an den Römiſchen Keyſer gefallen ſey / vnd wir haben es macht zu geben worhin es vns gefellig. Proceres hanc pronunciant ſententiam: Das der Heinrich aus Kärnten / welcher jhme das Königreich Bohemen dem Heiligen Römiſchen Keyſerthumb zu wieder / ſelbſt muthwilliger weiſe zugeeignet vnd noch beſitzt / durch dieſe that alle ſein Recht bey dieſem Königreich ſampt ſeines Gemahels anfaden verlohren habe. Den es iſt vnbillich / das der jenige der ſich wieder die Keyſerliche Rechte aufflehnet ein König / noch der ſo das Lehen vom Keyſer nicht empfangen / ein Fürſt genennet werden ſoll. Derhalben wollen Ewre Keyſerliche Majeſtät jhme das Königreich Böhmen ſampt dem Fürſtenthumb Kärnten nehmen / vnd dieſelben anderweit verſehen. Porro & Carolum IV. electionem populo Bohemiæ, tantùm familia Regia omnino extincta, permiſiſſe clariſſimum eſt e vt proinde etiam ipſe crediderit, juris Cæſarij eſſe privilegium à Friderico conceſſum, cùm Imperio eſſet detrimentoſum, nonnihil reſtringere.

Arguit præterea Imperij in Bohemos auctoritatem hodieque ipſa illa dignitas Pincernatus & Electoralis, qua Reges gaudent. Nec vero leve indicium eſt ſubjectionis, quod Reges teneantur Cæſari in Comitijs Imperatorijs in prandio aut cœna primum poculum miniſtrare: etſi ex privilegio Alberti Cæſaris aliorumque, nulla corona tecti præſtare idipſum illis ſit indultum. Quid quod non deſint, qui hodieque judicio Imperij Reges teneri libere profiteantur? Goldaſtus ſane ita loquitur l. 4. de Regno Bohem. cap. XIII. n. 1: *Licet ſubditi ſint exempti, ipſe tamen Rex Bohemiæ, eſt immediatus Imperii Princeps, recte riteque poteſt in (a-mera conveniri, in cauſis primæ inſtantiæ ad iudicium Cameræ pertinentibus. Et hæc eſt communior Interpretū opinio, exemplis & præiudiciis Saxonis, Brandenburgici, Auſtrii Burgundi, Lotharingi, & Sabaudi firmata.* Idem Goldaſtus l. 2. cap. 16. operoſe nititur probare, teneri hodieque Bohemos ad onera Imperii ferenda. Nec me latet in quammultis Imperijs acriter ea de re diſputatum eſſe, ab Imperij Ordinibus. Verum quoniam res illa eſt controverſi juris, nolo ergo hinc in re liquida pro auctoritate Imperij argumentum capere. Cum tamen forte extra dubium ſit, teneri Reges hodieque in iter Romanum comitari Cæſares, ſubmiſſis aliquot centum cataphractis (etſi enim illo ſe onere ſolvi quondam voluerint Reges, minime tamen in id ab Electoribus eſſe conſenſum, conſtat ex libro Hartmanni Mauri de coronatione Caroli V Cæſaris & ijs quæ recitat Goldaſtus tom 2. Reichsſatz. pag. 178) poſſit hoc in ſignum ſubjectionis adferri certiſſimum. Cæterum Imperij Finibus Bohemiæ Regnum includi, quum jam abunde oſtenderimus, ne huic quidem aut ſimili argumentationi immorabimur.

Quæ Bohemiæ eadem & SILESIÆ conditio eſt. Pars hæc quondam Poloniæ: eoque ad Fridericum II Cæſarem vſque, prout vniverſa Polonia, & ipſa indubie in obſequio fuit Imperij. Concidente vero cum Friderico Imperij auctoritate, reverentiam exuit quidem Polonis plæraque, vt mox audiemus, Sileſia tamen redijt intra Imperij limites. Nec vero niſi auctoritate Cæſarea & Imperij Ordinum conſenſu Bohemiæ vnita eſt. Quo de ne dubitemus (etſi alias apud hiſtoricorum vulgus imo & apud alios doctiores, ceu liquet ex Nicolai Henelij *Sileſiographia cap.* VII, altum ea ſit de re ſilentium) efficiunt Tabulæ Cæſarum, quarum apographa hodie in medio ſunt, ipſa autographa apud Bohemos hodieque in archivis integra detinentur. Germanice verſas illarum aliquot publicavit Melchior Goldaſtus tomo ſecundo operis ſui cui nomē Reichs-Satzungen: alibi Latinè prodierūt & quidē non ſemel. Eas inter primo merito loco memorabiles ſunt Tabulæ à Rudolpho Cæſare anno 1290. cōſcriptæ, quas proinde nō poſſumus non hoc loco inſerere ſaltim Germanicè verſas. Wir Rudolph von Gottes Gnaden Römiſcher König / allezeit Mehrer des Reichs / entbieten allen vnſern des Römiſchen Reichs getrewen / denen dieſer Brieff vorkompt / vnſere Gnade vnd alles Gutes. Vnd thun Euch zuwiſſen / das wir die Ordnung vnd Vertrag / wie es mit dem Breßliſchen oder Schleſiſchen Fürſtenthumb / ſo vns vnd dem Keyſerthumb vnters Lehen gehörig künfftig gehalten werden ſolte / beſiegelt geſchen: als nemlich / wann vnſer Herre GOtt den Durchleuchtigen Heinrichen / Hertzog in Schleſien / Todes halben abfodern würde / das der Durchleuchtigſte Ottogarus König in Böhmen / oder ſein Erbe vnd nachfolgende Böhmiſche Könige / Jhme die gantze Landtſchafft Schleſien Erblich einnehmen vnd beſitzen möchte. Dieweil dann dieſes Recht auff dießmal Könige Wenceſlao vnſerm allerliebſten Sohne / angefallen / vnd Er ſich deſſen anmaſſen wil / ſo thun wir jhme ſolches hiemit in Krafft vnſers Römiſchen Königreichs beſtättiget übergeben. Datum Erdfurt Anno 1290. den 25. Septemb. vnſers Reichs im 17. Jahre.

Argumentum integrum harum literarum repetiit Carolus IV. Cæſar in Tabulis ſcriptis Pragæ anno 1355. facta mentione & aliarum quarumdam literarum cum Rudolphi illius, tum Friderici II. Cæſaris, quibus ſimiliter Bohemiæ Regibus jus in Poloniæ illas partes auctoritate Cæſarea eſt attributum. Dabimus illas integras: quum ſint noſtro inſtituto cumprimis vtiles: & quidem emendatas nonnihil ex Gerlaci ArchiEpiſcopi Moguntini Tabulis, quas ſimul cum Carolinis Goldaſtus Tomo I. Conſtitutionum Imperialium pag. 346. & ſeqq. vt & poſt illum alij ediderunt.

In nomine Domini, Sanctæ & individuæ Trinitatis. Carolus Dei gratia Romanorū Imperator ſemper Auguſtus, &c. ad perpetuam rei memoriam. Inſignes laudabiles famæ titulos moderni temporis meretur glorioſa poſteritas, ſi quod prædeceſſorum Illuſtrium circumſpecta pridem inſtauravit proviſio, vigilanti cura proſequitur, & grata ſolicitudinis munit officio, vt fructuoſi laboris ſolertia perenni ſucceſſorum commendentur memoria, & ex perfectione bonorum operum,

Digitized by Google

quaſi ex relucenti ſpeculo vetuſtatis ſurgat de felicibus mortuis felix memoria rediviva. 1. *Sane licet pridem recolendæ memoriæ Divus* FRIDERICVS *Romanorum Imperator Auguſtus, prædeceſſor noſter, de ſingulari ſuæ benignitatis munere, claræ recordationis Illuſtri Vladiſlao quondam Bohemiæ Duci, qui regnum Bohemiæ ante coronationem ſuam regebat, & ſuis heredibus Bohemiæ regibus cenſum de terra Poloniæ, quem anteceſſores eius Duces Bohemiæ à Polonia multis temporibus accipere conſueverant, quemque Poloniæ & Sileſiæ Duces ſacro Imperio ſolvere tenebantur, prout in literis Imperatoris præfati evidenter exprimitur, liberaliter duxerit erogandum, ipſi quoque Duces Poloniæ & Sileſiæ eundem cenſum Illuſtribus progenitoribus & prædictis noſtris Bohemiæ Regibus in ſignum ſubiectionis debitæ, & in recognitionem ſui ſuperioris dominii rite perſolverint, multis temporibus retroactis: tamen ad abundantius cautela præſidium tractu temporis dicti Duces ſuorum heredum & ſucceſſorum nomine atque vice, Principatus Terras ac Dominia ſua à claræ memoriæ Illuſtri Ioanne quondam Bohemiæ Rege, genitore noſtro cariſſimo dum viveret, & demum præfato genitore noſtro defuncto à nobis & à Corona Regni Bohemiæ, in feudum cum ſolemnitate debita ſuſceperunt, nobiſque ac noſtro genitori dum viveret, tanquam Bohemiæ Regibus, & Coronæ Regni Bohemiæ præſtiterunt ſolemniter obedientiae, homagii, ſubiectionis & fidelitatis debitae iuramenta corporalia.*

2. *Et licet inſignis Ducatus Vratiſlavienſis & Sileſiæ, cum ſuis omnibus pertinentiis, ad vtile & immediatum dominium illuſtrium quondam Bohemiæ regum, progenitorum & prodeceſſorum noſtrorum, & Coronam Regni Bohemiæ ſpectaverit ab antiquo, ſicut hoc literæ recolẽdæ memoriæ Domini Rudolphi Romanorum regis prodeceſſoris noſtri oſtendunt. In quorum prima quandam ordinationem inter Illuſtrem Ottocarum quondam Bohemiæ Regem, proavum noſtrum charissimum ex vna, & Henricum Ducem Vratislavienſem parte ex altera: videlicet quod dictus Ottocarus Rex eidem Henrico Vratiſlavienſi & Sileſiæ Duci, in caſu, ſi Ducem præmori contigerit, in præmiſſo Ducatu Vratiſlavienſi & Sileſiæ; terris, & omnibus ſuis Dominiis deberet ſuccedere, præſe factum adſerit: Et in ſecunda ipſarum, dicto Henrico Duci iam ſublato de medio, prædictum Regem Ottocarum, heredes & ſucceſſores ſuos, Reges Bohemiæ, de Ducatu Vratiſlavienſi & Sileſiæ, terris & Dominiis præfatis, tanquam actu vacantibus, propter multa grata ſervitia, quæ Illuſtres Bohemiæ Reges Sacro Romano Imperio fecerant, ſolenniter* INVESTIVIT, *lucidius atteſtatur. Tamen Illuſtris quondam Ioannes Bohemiæ Rex, genitor noſter præfatus, cum Henrico ſeptimo & vltimo Vratiſlaviæ & Sileſiæ Duce, ſororio noſtro, dum vterque ipſorum vitam ageret in humanis, quandam ordinationem iniit & tractavit; videlicet quod dictus Dux Henricus terram & diſtrictum Glacenſem cum vaſallagiis, feudis, dominiis & aliis omnibus pertinentiis ſuis, de cõſenſu dicti genitoris noſtri, ad vitæ dũtaxat tempora habere, deberet, vt tamen eo moriente, Ducatus ſui (puta Vratiſlavienſis & Sileſiæ) ac prædictum Glacẽſe Dominium ad vſum & poſſeſſionem genitoris noſtri, heredum & ſucceſſorum ipſius Regum, & Coronæ Regni Bohemiæ, ſine difficultate qualibet revenirent. Sicut hoc proceſſu dierum ad finem devenit inventum. Eoque dictus genitor noſter, dum viveret, moriente Duce præfato, Ducatum Vratiſlavienſem & terram Glacenſem præfatam iniit & poſſedit, & Nos vtrumque de præſenti velut Bohemiæ Rex in poſſeſſione tenentes, vtrobilibet dominamur.*

3. *Et quamvis Marchia Budiſſinenſis & Gorlicenſis, quæ cum cæteris civitatibus, oppidis & pertinentiis ſuis ad Regnum & Coronam Bohemiæ ab antiquo pertinuerunt, per Illuſtrem Ottocarum quondam Regem Bohemiæ, proavum noſtrum, in perſonas quondam Illuſtrium Brandenburgenſium Marchionum, ex certis cauſis & rationibus alienatæ fuerint: aliquando tamen Marchionibus prædictis, abſque ſexus maſculini heredibus decedentibus ex hac vita, Nobiles, Milites, Clientes cives, vniverſique incolæ Marchiæ Budiſſinenſis & Gorlicenſis præfatæ, animadverſione debita cognoſcentes, qualiter ad Coronam & Regnum Bohemiæ, tanquam ad immediatum & naturalem Dominum dudum pertinuerant, ad ſubiectionem & obedientiam Illuſtris Ioannis quondam Bohemiæ Regis genitoris noſtri, tanquam ad ordinarium, legitimum & naturalem dominum ſuum & ad Coronam Regni Bohemiæ, de cuius gremio iamdudũ conſtiterant, vt præſcribitur, deliberatione non improvida redierunt.*

4. *Nos igitur indefeſſam ſolicitudinis operam, & diligentiam exquiſitam, quam ſæpedictus proavus, pater, ac progenitores noſtri cariſſimi, quondam Bohemiæ Reges, ad obtinendum ſubiectionis vaſallagium, & obedientiam Illuſtrium Sileſiæ & Poloniæ Ducum, videlicet Lignicenſis, Brigenſis, Munſterbergenſis, Olſnenſis, Glogavienſis, Saganenſis, Oppolienſis, Falckenbergenſis, Strelicenſis, Teſchinenſis, Tolnenſis, Bruthenienſis, Stenavienſis, Oſiatienſis: Principatus Maſoviæ, & Ducatus in Plotzka, Principum & fidelium noſtrorum; Principatus ſeu Ducatus Vratiſlavienſis & Sileſiæ, nec non Civitates, videlicet Vratiſlaviam, Novum forum, Franckenſtain, Stenaviam Gorauum & mediam partem Glogoviæ, Namslaviam & pertinentiarum ipſius: & etiam Budiſſinenſem & Gorlicenſem Marchiam, vt præfertur, non abſque magnis impenſis & infinitis laboribus habuerunt: noſtra Maieſtatis acie continuo revolventes, vt virtutum ipſorum frequentia, & ſoliciendo laborum præterita, ſub felice noſtro regimine ſolidetur: ſicut dudum de plenitudine Romanæ Regiæ poteſtatis ſtatuendum duximus; Ita & nunc ex certa ſcientia* STATVIMVS DE NOSTRÆ IMPERIALIS PLENITVDINE POTESTATIS, *quod omnes ſupradictæ ſententiæ & clauſulæ Imperialium & regalium literarum, quas ad probationem dictarum intentionum adduximus, ſemper & vbique in iudicio & extra, & in ſingulis actibus publicis & privatis, quoties tenorem præſentium legi & publicari contigerit; eiusdem efficaciæ, vigoris & auctoritatis exiſtant, ac ſi in ſignis propriis originalia viderentur. Et præcipue cum eadem originalia per nos & nonnullos ſacri Imperii Principes, Barones, Proceres, auſcultata & examinata fuerunt diligenter. Et demum communicato ſuper omnibus præmiſſis, nonnullorum Sacri Imperii Principum, Baronum & Nobilium conſilio ſpeciali, prædictis omnibus de verbo ad verbum, prout ſuperius exprimitur intellectis, & in examine deliberata & provida diſcuſſionis adductis, ne ex interpretatione ſiniſtra quorumlibet, noſtris heredibus & ſucceſſorum noſtrorum Regum Bohemiæ, & Coronæ Regni eiuſdem, iuribus, honoribus, & ſtatus valeat impoſterum derogari:* AVCTORITATE IMPERIALI *dictos Si-*

leſia

leſia Polonia & cæteros prædictos Duces, noſtros Principes & Vaſallos, cum Principatibus, feudis & vaſallagiis ipſorum, præſertim cum à Corona Regni præfati immediate dependeant: dictum quoque Ducatum Vratislavienſem, cum civitate Vratislavia, Novforenſi, Franckenſtain, Stinavienſi, Gorenſi, Glogovienſi & cæteris oppidis ibidem: nec non Marchiam Budiſinenſem & Gorlicenſem, cum vaſallis, vaſallagiis, feudis, feudatariis, militatibus, fructibus, obventionibus, iuriſdictionibus, iudiciis, honoribus, iuribus, conſuetudinibus & omnibus dictorum Ducatuum & Marchia pertinentiis, velut utile & immediatum dominium noſtrum, & Regni Bohemia præfati, eidem Regno & eius felici Coronæ, IN PERPETVVM ADIVNGIMVS, incorporamus inviſceramus, adſcribimus, adpropriamus, & indiviſibiliter & inſeparabiliter counimus.

5. Speciali etiam ex nomine interpretamur, pronunciamus, diffinimus, proteſtamur, & dicimus, ac de certa noſtra ſcientia declaramus, quod præfati, Duces Sileſiæ & Polonia heredes & ſucceſſores ipſorum in perpetuum, quotiens Ducatus eoſdem aut alterum ex eis vacare contigerit, ipſos vel ipſum à nobis, heredibus & ſucceſſoribus noſtris Bohemia Regibus & Coronæ Regni eiuſdem, homagii, obedientiæ, fidelitatis & ſubiectionis debita teneantur ac debeant præſtare & facere corporalia iuramenta; ſupplentes omnem defectum, ſi quis in litteris vel privilegiis dictorum Imperatorum & Regum Romanorum memoria recolendæ, aut etiam in ordinatione ſeu tractatu dicti genitoris noſtri, quem cum præfato Henrico ſeptimo & ultimo Vratislavienſi & Sileſia Duce habuiſſe dignoſcitur ſeu in reditu Nobilium, militum, clientum, civium & incolarum Budiſinenſis & Gorlicenſis Marchiæ, qui ad Regnum Bohemiæ, ut praemittitur, ex cauſis legitimis redierunt: vel in praeſentibus noſtris litteris verborum defectus, interpretatione dubia, ſententiarum obſcuritate, vel alia quavis occaſione, compertus fuerit; de certa noſtra ſcientia, ac de praedictæ IMPERIALIS PLENITVDINE POTESTATIS, non obſtantibus legibus, conſuetudinibus, uſibus, obſervantiis, iuribus, municipalibus vel communibus, ſtatutis ſeu edictis, publicis vel privatis factis & editis in contrarium, quibuſcunque quas & quae, quantum adhaec, ac ſi nominatim de verbo ad verbum praeſentibus inſcripta & inſerta conſiſterent, etiamſi de his iure vel conſuetudine deberet fieri mentio ſpecialis, revocamus, caſſamus, irritamus, annihilamus, & de prædicta Imperialis poteſtatis plenitudine decrevimus firmiter, fore nullius penitus momenti.

6. Nulli ergo hominum liceat hanc noſtræ adiunctionis, appropriationis, coniunctionis, incorporationis, inviſcerationis, adſcriptionis, interpretationis, pronunciationis, diffinitionis, proteſtationis, declarationis, diſcreti defectus ſuppletionis, revocationis, caſſationis, irritationis & annihilationis paginam infringere. Contraria vero facientes ſi quid fuerint, (quod abſit) ultra indignationem noſtræ Celſitudinis, quam ob hoc ſe noverint incurſuros, mille marcas auri puri noſtro & ROMANI REGNI FISCO componant: ipſarum videlicet medietatem noſtræ ſeu ſucceſſorum noſtrorum Curiæ ſeu Cameræ, reliquam paſſis iniuriam irremiſſibiliter applicandam.

Signum Sereniſſimi Principis ac Domini, Domini CAROLI Quarti, Romanorum Imperatoris Semper Auguſti.

Teſtes huius ſunt: Venerabilis Erneſtus Pragenſis Archiepiſcopus. Illuſtris Rudolphus Senior Dux Saxoniæ, Sacri Imperij Archimarſchallus, avunculus noſter. Ac venerabiles Pretzlaus Vratislavienſis, Cancellarius Aulæ noſtræ. Iohannes Olmucenſis, Iohannes Luthomienſis, Theodoricus Mindenſis, Henricus Lamudenſis, Epiſcopi.

Illuſtres Rudolphus iunior Saxoniæ & Ioannes Opaviæ, Duces. Spectabiles Burghardus Magiſter Curiæ noſtræ, Burggravius Magdeburgenſis, & Albertus de Anchal, Comites.

Et Nobiles Iohannes de Roſenberg, Iohannes de Sternberg, Ztrincko de Haſſenberg, Gonslaus de Schwamberg, Batzcko de Conſtat, Dionyſius de Romnitz, & Vlricus de Viſa: & alij quam plures noſtri fideles, præſentium ſub Bulla Aurea. Datum Pragæ, Anno Domini 1355. Indictione octava 7. Idus Octobr.

Hactenus Tabulæ Carolinæ. Docent vero nos illæ, Friderici II. Cæſaris beneficio deberi exordium omnium iurium quod in Sileſiam Bohemiæ Reges ſibi comparaverunt: & feudi demum lege Vratiſlavienſem Ducatum ex conceſſione Cæſaris Rudolphi ad Bohemum tranſiiſſe: Carolum porro ipſum Bohemiæ Regem Proceresque Bohemicos agnoviſſe ſumma Imperii iura in omnem Sileſiam, ac proinde auctoritate Cæſarea poſſeſſionem eius Bohemiæ Regno tranſcripſiſſe mulcta additi, cuius pars Imperii fiſco cedat; & haud obſcure facto indicio, abſque illa Cæſarea foret auctoritate, ius Regum in Sileſiam iuſta controverſia haud cariturum. Vſque adeo ſane ſuſpexit Cæſar ille Imperii ſuperioritatem in Sileſiam, ut quum forte vereretur ne ſuæ Tabulæ, quaſi in propria cauſſa ſcriptæ, minus fidei & roboris mererentur, fecerit illas à Moguntino Archiepiſcopo tanquam Imperii per Germaniam Archicancellario confirmari. Exhibent illud Moguntinum diploma, ceu ante diximus, cum Goldaſtus, tum alii: neque attinet illud integrum hoc loco recitare; quum occupetur magnam partem in argumento literarum Carolinarum recenſendo: operæ tamen fuerit pretium ſaltim ultimam eius clauſulam & exordium heic expendere.

NOS GERLACVS Dei gratia ſanctæ Moguntinenſis Sedis Archiepiſcopus, & Sacri Imperij per Germaniam Archicancellarius, ad perpetuam rei memoriam. Sereniſſimus ac invictiſſimus Princeps & Dominus, Dominus CAROLVS divina favente clementia Roman. Imper. ſemper Auguſtus & Boemiæ Rex, Dominus noſter gratioſus, provida ſua circumſpectione advertens; qualiter inſignes & laudabiles famæ titulos moderni temporis meretur glorioſa poſteritas, quod prædeceſſorum Illuſtrium circumſpecta pridem inſtauravit proviſio, vigilanti cura proſequitur, ac grata ſolicitudinis munit officio, ut fructuoſi laboris ſolertia perenni ſucceſſorum commendetur memoriae, & ex conſequentia bonorum operum, quaſi ex relucenti ſpeculo vetuſtatis, reſurgat de felicibus mortuis felix memoria rediviva.

Hactenus exordium. Quæ ſub finem annectuntur auctoritatem Imperii luculentius demonſtrant. Habent vero illa ſeſe hunc in modum. *Nos igitur, qui ſupra, Gerlacus Sedis Moguntinenſis Archiepiſcopus, ex eiſdem rationalibus & evidentibus cauſis quibus ante dictus Sereniſſimus Princeps, Dominus noſter Imperator CAROLVS, circumſpecta*

Add.

ſua providentia motus dignoſcitur, & ex omnibus prædictis tanquam ex motivis legitimis, Sacri Romani Imperii ſtatum & augmentum proſpicientibus, propenſius animati, ſupradictis adiunctioni, incorporationi, inviſcerationi, adſcriptioni, adpropriationi, communioni, interpretationi, pronunciationi, diffinitioni, proteſtationi, declarationi, decreto, defectuum ſupplecioni, revocationi, ceſſationi, irritationi, annihilationi, pœnarum adiectioni, & omnibus aliis, quæ exprefſantur, aut ſunt expreſſata ſuperius, VELUT Archiepiſcopus Moguntinenſis, Sacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellarius, & Princeps Elector, animo deliberato, & ſano procedente conſilio noſtrum benevolum conſenſum & aſſenſum præſentibus adhibemus; ac ſupradicta omnia & eorum quolibet, ſingulaque in omnibus ſuis tenoribus, ſententiis, punctis & clauſulis de verbo ad verbum, prout ſupra evidenter expreſſa, ex officii noſtri debito, laudamus, approbamus, & de certa noſtra ſcientia confirmamus, pleniſſime perpetuis temporibus valitura, præſentium ſub noſtro ſigillo teſtimonio literarum. Datum in Nurnberg, anno Domini MCCCLV. in die beatæ Luciæ Virginis,

Ex hiſce verbis Moguntinarum Tabularum iam luce meridiana clarius patet, vera eſſe quæ de Imperij in Sileſiam iuribus diximus. Non latuit vero res illa etiam auctorem magni Chronici Norimbergenſis quod anno MCCCCXCIII editum eſt, ut qui teſte Henelio memoriæ prodiderit, Reges Bohemiæ Sileſiam clientelari iure Imperatorum beneficio tenere. Nec fortaſſis aliunde orta eſt fabula illa vetus de Vicariatibus quatuor Imperii, quorum unus ſit penes Sileſiam. Fabulam aio: nec enim univerſa illa in quaterniones Germanici Imperii diviſio quidquam trahit ex vero, ſed pictoris alicuius aut poëtæ otioſi inane commentum eſt.

Hæc quamvis ita ſeſe habeant, *hærent tamen quidam ex Bohemis*, uti quidem refert Paulus Stransky Reipubl. Boiemæ cap. VII, *& quærunt, quo iure ſubnixi Rudolphus I. vel Carolus IV. Imperatores, in Sileſiam, Provinciam ſuper alioquin Polonis non Imperio obnoxiam, quamque aliis titulis quam ipſorum beneficio Reges Bohemi ſuam iam ante fecerant, non dubitarint poteſtatis Imperatoriæ plenitudinem exercere, idque adeo, quod in deceſſorum, nec in ſua ditione unquam fuiſſe norant, aliis vel dare vel occupatam confirmare.* Verum enim vero hæſitationem hac vel ignorantiam arguere eorum qui ita hærent, vel nominis Germanici impotens odium, (quo vitio etiam Stransky ſe laborare nimium prodit) ex iis quæ iam attulimus in medium ſatis apparet. Fuit ſcilicet Polonia atque adeo & Sileſia iam à multis ſeculi in ditione Imperii, & ſervivit tributaria. Poſtquam Friderico I. Cæſare annitente ceſſit Sileſia per vim quaſi patria pulſis Vladiſlai filiis, inque eam terram coloniæ Germanicæ tranſierunt, ſolito magis videtur terra illa omnis Cæſaribus obnoxia reddita. Et vero quum Rudolphus Cæſar diſerte feudi iura ſibi in terram illam adſcribat, eaque ultro agnoverint tot illuſtres Bohemiæ proceres, & cum primis ipſe Carolus, ſi quis alius vafer & ſuarum rerum privatarum ſtudioſus, quid mordet illa cura aut invidia hodie demum homines ſuperos, infimæ ſortis, & rerum veterum parum gnaros?

Sileſia igitur vindicata licet iam nobis POLONIAM ſigillatim hoc nomine ita appellatam, inviſere. Illam vero univerſam non minus atque Bohemiam Imperii leges audiviſſe ad Friderici Secundi Cæſaris ætatem, ſupra capite decimo octavo oſtendimus. Cum minus dicto eſſet obediens, ab eodem Cæſare cenſum Imperiali fiſco debitum eſſe Bohemiæ Regibus conceſſum, modo audivimus Carolum IV. affirmantem. Secuta tempeſtate fractis multum Imperii rebus, Poloni magis magiſque Imperii ſeſe obſequio ſubduxit, & ad plenam libertatem aſpiravit. Cuius conatus ingens indicium orbi prodidit anno circiter MCCXCV. Præmiſlus Dux maioris Poloniæ, Sendomirienſi & Cracovienſi principatu ſibi addito adeo tumidus, ut non dubitaverit, inconſulto Cæſare Regium diadema titulumque ſibi attribuere: cuius exemplum ſucceſſores omnes ſunt imitati. Etſi enim non deſint qui narrent Vladiſlaum Locticum auctoritate Ludovici IV. Cæſaris anno MCCCXX. eſſe coronatum, cumque illo defuncto Caſimirus, quem ſui magnum nuncupant, idem minime admitteret, hunc eodem Cæſare publico *Imperii* decreto eſſe proſcriptum; refragantur tamen huic narrationi non tantum Polonorum ſed & Germanorum illius ævi monumenta. Diſerte Crantzius l. IIX. Wandaliæ cap. 2. *Poloni ſicut & Bohemi Reges habuere per intervalla creatos à Romanis Imperatoribus; ſed quum illos tæderet geminæ ſubiectionis; omiſſis regibus duces creavere. Lakoldus* (ita appellatur Crantzio Vladiſlaus ille Locticus) *hac tempeſtate dux erat Cracoviæ, & qui per omnem Poloniam facile principabatur. Hic à Ioanne Pontifice Romano ſuſcepit coronam, quod Ludovicum, quem execrabatur Papa, non duceret legitimum Imperatorem, evitans etiam ne per eam occaſionem ſubiectus Romano Imperio cenſeretur. Iam enim Pontifices in eam venerant maieſtatem (quam Principes ſeculares dicunt præſumptionem) ut Reges crearent, citantes verbum primi poſt Chriſtum Pontificis: Ecce (inquit Petrus) duo gladii hic. &c. Lakoldus autem à Pontifice Rex nominatus & conſecratus, ut videretur Eccleſiæ gratus, omne regnum fecit beato Petro tributarium, ut per ſingula quotannis capita ſolvatur nummus unus, qui appellatur S. Petri.* Eadem de re ita ſcribit is qui Lodovici IV. Cæſaris hiſtoriam ſumma prudentiæ, eloquentiæ, & [illegible] laude noſtra ætate eſt perſequutus Nicolaus Burgondus l. 2. de Ioanne Papa verba faciens: *Denique Vladiſlaum Locticum Poloniæ Ducem avulſurus à corpore Imperii, miſſo diademate Regem appellat fide accepta, quod in tanti beneficii gratiam propelleret ille in provinciam Brandeburgenſem Lituanos, qui Cæſarem detinerent in Germania occupatum bello domeſtico. Cæterum Lituani ea tempeſtate Chriſtiana ſacra necdum acceperant, cum Teutonico Ordine continenter bellare ſoliti; at tum quidem Pontifex Magiſtrum Ordinis ad duorum annorum inducias compulerat, quo liberius barbari graſſarentur.* Hæc illi.

Itaque non eſt quidem quod dubitemus, ſaltim à Præmiſli illis conatibus Polonos obſequium omne Imperio iam per annos trecentos quinquaginta amplius detrectaſſe: Sed & id certum eſt, tanto temporis ſpacio pro iuribus Imperii tuendis, vi quidem & armis in Poloniam nihil eſſe tentatum. A nonnullis Imperatoribus aliquo tamen modo (quo uno ſcilicet poterant) aliquamdiu

Digitized by Google

aliquam diu cautum eſt fugitiuæ Imperii dignitati. Sic quum anno milleſimo treceteſimo Wenceſlaus Bohemiæ Rex, pulſo Vladislao Loctico, à Polonis in Regem eſſet electus, Albertus Cæſar clientelari iure Imperii nomine Poloniam poſſidendam eidem conceſſit. Edidit Cæſaris literas Germanico idiomate Goldaſtus parte ſecunda operis cui nomē Reichs-Satzungen pag. xxix. & mereotur hic à nobis transferri, quales ſunt editæ: Albertus Von Gottes Gnaden Römiſcher König/ allezeit Mehrer des Reichs: dem Durchleuchtigen / Großmächtigen Fürſten Wenceſlao König in Böhmen / vnſerm liebſten Bruder / vnſer Gnad vnd alles Guts. Die vnzweiffelhafftige Auffrichtigkeit deines getrewen Gemüts / welche gegen vns vnd dem Keyſerthumb von dir / vor allen Königen vnd des Römiſchen Keyſerthumbs Fürſten / zuſpüren / beweget vnd führet vns dahin / daß wir das Jenige / was zur Erweiterung deiner Ehren dienlich / nicht vnterlaſſen mögen. Derentwegen vergönnen vnd verleihen wir dir / in Krafft des Römiſchen Keyſerthumbs / das du ſampt deinen Erben vnd nachkommenden Königen in Böhmē / die Länder welche du nachm Hertzogen Vladislao in groß Polen erlanget vnd inne haſt / erweitern / vnd nach geſtalt des Lehenrechten / jetzt vnd in künfftigen ewigen Zeiten halten mögeſt. Deſſen zu Vhrkund haben wir dieſen Brief mit vnſerm Inſiegel befreſtigen vnd verfertigen laſſen. Datum zu Maintz im Iulio Anno 1300. Vnſers Reichs aber im andern Jahre.

Ab Henrico Cæſare quicquam actum pro ſeruanda Imperij in Poloniam auctoritate, haud reperio. Nec ſatis certa fide traduntur, quæ a nonnullis de Ludouico IV. Cæſare memorari, paulo ante monuimus. Tantum fatentur Polonorum Annales, lite orta inter Cruciferos & Caſimirum Polonum, auctoritate ſuá interpoſita vetuiſſe Cæſarem illum, ne apud alios iudices cauſa iſthæc diceptaretur præter aſſenſum ſuum. Sed hoc non adeo pertinet ad res Polonicas quam Pruſſicas. Carolum IV. Regium nomen haud detuliſſe Polonorum Principibus (indubie memoria veterum Imperii iurium) obſeruare quidem eſt, at pro Imperii illis iuribus aliud quidquam conatum haud legas. Multo minus ſuccedentium Cæſarum quiſquam vel in controuerſiam vocauit Polonicam libertatem. Imo iam amplius ducentos annos Regium nomen Polonis, quaſi iure partum, ſponte conceſſum eſt. & multi contractus cum iis initi tanquam cum vere liberis populis. Quæ res (niſi vehementer fallor) certo eſt indicio, vetera Imperii iura derelictione, vt ita loquar, & tacito Cæſarum Ordinumque conſenſu dudum expiraſſe: atque ita Polonos omnem Imperii finibus non amplius vt olim comprehendi.

Quæ Poloniæ eadem & MASOVIÆ fortuna fuit. Accepit illa Duces proprios (perinde ac hodie à Polonico regno peculiari Ducatus titulo eſt diuiſa) ex inſtituto Conradi II. Cæſaris, imperio vnice non autem Poloniæ proprie ſic dictæ obnoxios: ceu iam ſupra cap. xix. monuimus. Poſt ſeculum tertium decimum inclinare cœpit etiam iſthæc Imperii reuerentia. Itaque ſeculi quartidecimi anno viceſimo nono Ioannes Rex Bohemiæ, prætextens tamen Imperii auctoritatem, Wenceſlaum Ducem gentis adegit in verba ſua iurare. At vero Caſimiro ſecundo Rege, à Polonis prouincias iſthæc in fidem recepta eſt. Et de re ita loquitor Cromerum, vt ſolet, deſcribens Salomon Neugebauerus l. 3. Hiſtor. Polonicæ. *Acceſſit eodem anno Maſouia ad ſocietatem cæteræ Poloniæ, Ziemouito Duce ſuis pactis in Regni Regiſque poteſtatem ſe ſubmittente, vt totius quidem Maſouiæ dominatum ipſe obtineret, verum non hereditario iure ſed regia munificentia, & in feudum ſe eam habere, Regiſque maieſtatem ſe cum poſteris ſuis comiter conſeruaturum, & contra quoſuis hoſtes, barbaros iuxta ac Chriſtianos, auxilio Polonis ſemper affuturum, nec cum vllo fœdus vllum inconſulto Rege ſancturum, ſolenni iureiurando profiteretur. Acta ſunt hæc Caliſſii ad ſextum Calendas Ianuarii, anno Chriſti milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quinto.* Ex eo tempore fuere Maſouiæ Duces in clientela Polonica, donec anno MDXXVI. repente non ſine ſuſpicione veneni è medio ſublatis duobus fratribus, omnis illa familia expirauit, & ditio iſthæc integra Poloniæ eſt. Nec vero fortaſſis pro iuribus Imperii in prouinciam illam quidquam auctoritate eſt publica actum: niſi, quod in Tabulis illis Carolinis, quas paulo ante recitauimus, Bohemiæ Regno Maſouiæ etiam Duces adſcripti ſint, & in matriculam Imperii Ordinum ſeculo ſuperiore relati certo in cenſu indicto. Hi enim ſunt illi Hertzogen von der Maß dicti: quo nomine alij alios intelligunt. Ne verbulo autem occupanti terram illam Sigiſmundo Regi Polono ab Imperio forte eſt contradictum; imo ne quidem iam ante, cum pene omnem ſibi ſubiiceret Ioannes Albertus Rex, Imperii in gratiam quiſquam eſt reluctatus: tametſi cum Sigiſmundus Rex illam dotalem eſſe iuſſiſſet Bonæ vxori ſuæ, noluerint ordines Regni in id conſentire, quod *vererentur ne quo caſu Maſouia à Polonia ſepararetur*; quod diſcimus ex l. 1. Annalium Orichouii: nondum ſcilicet firmatis tum in eam prouinciam Poloniæ viribus. Multo minus ex eo Maſouia à noſtris repetita eſt. Ac proinde & illa ſic ſatis lata Sarmatica ditio imperii finibus exceſſit.

Vtinam non pari ſucceſſu PRVSSIAM quoque & LIVONIAM amiſiſſemus, cum vtraque tum exemplo a ſeculo decimotertio demum in Imperii iura tranſierit, & quidem à Germanis occupata Germanos incolas acceperit, inque mores noſtros tranſmutata, plenius quam vnquam Polonia, Imperii dignitatem coluerit defenderitque!

Viſtula amne ad Balthicum mare à Caroli Magni æuo vſque terminabatur Imperium Germanicum: Vlteriora proxime PRVZII. dicti populi aut Sembi tenebant. Horum ſimplices & probos mores, quales erant ætate Henrici IV. Cæſaris, miris laudibus proſequitur Adamus Bremenſis; ſed cum tractu temporis mutaſſent, nec exemplo vicinarum gentium ſacra Chriſtianorum obſeruaret populus, ſed odio potius religionis ductus vicinis grauis eſſet, cum primis vero Maſouios infeſtaret, horum Dux Conradus hoſtibus impar, Culmenſem terram ereptam ſibi dolens, in auxilium Ordinem ſacrum militum Germanicorum, qui & Mariani & Crucigeri, & Milites domus hoſpitalis in Hieruſalem appellantur, præcipua tum virtute & geſtarum rerum fama, aduocauit. Cœperat ille Ordo in caſtris ad Ptolemaida non adeo pridem

Google

circa annum ſeculi duodecimi nonageſimum, cum iſthac tempeſtate crederetur, Chriſtianis in omnes & à ſacris illis alienos iuſtum & æterna mercede dignum bellum eſſe, vocati Culmenſi provincia mox Pruſſos ejecerunt. Num dono Conradi plene ceſſerit ipſis illa terra, an vero conventum ſit, quod Poloni tradunt, ut debellatis Pruſſis Culmavia Maſovio Poloniſque redderetur, nihil attinet nunc diſputare. At vero Friderici II. Cæſaris beneficio, non ſolum terræ Culmenſis, ſed totius Boruſſiæ, omniumque terrarum, in quas ejectis barbaris religionem Chriſtianam propagaturi eſſent Crucigeri, poſſeſſio ac dominium ipſis ac eorum ſucceſſoribus decretum & confirmatum eſt: ceu tabulæ Cæſaris ſuperſtites loquuntur. Sic brevi ab anno circiter MCCXX. rara armorum felicitate, Boruſſia univerſa uſque ad mare Balthicum & Lithuaniæ fines, priſcis incolis, non laudando inſtituto tamen, extinctis partim, partim in miſeram ſervitutem pariter & Chriſtiana ſacra vi adactis, Imperii provinciis acceſſit: & quidem ſaltim hactenus non immerito, quod & auctoritate Imperii & bonis Germaniæ publicis Ordo univerſus niteretur. Haud multo poſt pari ſucceſſu Gedanum cum vicina Pomerellia trans Viſtulam occaſum verſus Poloniæ regibus, verſus orientem Samogitia Lithuanis erepta eſt, Quo & Polonorum & Lithuanorum perpetua fere odia in Ordinem ſint concitata. Poſt varias tamen contentiones, cum Caſimiro quidem ſecundo Polonorum Rege tranſactum eſt æquiſſimis conditionibus. Eam rem hiſce verbis enarrat poſt Cromerum Neugebauerus *lib. 3. hiſtor. Pol. pag. 201. Lite cum Cruciferis ad extremum perducta, cum ii diris devoti, nil tamen auctoritate Pontificia moverentur, ut iudicata facerent, facile Caſimirus conceſſit petentibus, ut iure omni, quodcunque ipſi à maioribus ſuis haberent in Pomerania, Culmenſi, & Mechalovienſi ditione, ſeſe poſteroſque ſuos, iureiurando interpoſito, & literarum monumentis conſignatis abdicaret, ac de ſigillo etiam, quo diplomata regia ſignantur, Pomeraniæ nomen eraderet, Cuiaviam ac Dobrinenſem ditionem ab eis reciperet. Itaque conſtituto cum Magiſtro Cruciferorum congreſſu Inouladiſlaviæ, ad vigeſimum ſecundum diem menſis Iulii comitia quoque ſuis indixit. Vbi abdicatio illa promulgata, Caliſſiæ vero non modo Regis, ſed etiam Ziemoviti Vraſnenſium, Ziemoviti Cirnenſium, ac Boleslai Plocenſiū, Maſoviorum Ducum, procerum quorundam Polonorū, & primariarum civitatum, nempe Cracovienſis, Poſnanienſis, Sendomirienſis, Sandecenſis, Caliſſienſis, Vladiſlavienſis, ac Breſtenſis diplomatis conſignata eſt. Epiſcopi neque ut ſignarent, neque ut approbarent, adduci ulla ratione potuere. Annus, quo hæc acta ſunt, fuit milleſimus treceenteſimus quadrageſimus tertius.*

Hactenus Neugebauerus. Floruerunt porro res Ordinis uſque ad annum circiter quadringenteſimum poſt milleſimum. Inde cum non neceſſariis imo iniquis bellis Lithuaniam & Poloniam infeſtantes, Vladiſlaum Iagellonem Regem, Polonicis Lithuanicis & Tartaricis copiis ſolito potentiorem hoſtem irritaſſent, ab illo anno MCCCCX. ingente prælio ad Drevanciam fluvium in Maſoviæ finibus cæſi bonam Boruſſiæ partem amiſerunt. Fide ſubditorum pene in integrum reſtituti, impotente mox dominatu horum quoque animos uſque adeo à ſeſe abalienaverunt, ut omnis nobilitas urbeſque Boruſſiæ fœdere mutuo, anno eiuſdem ſeculi quadrageſimo, adverſus Ordinis vim ſeſe munierint. Cumque ne ſic quidem ſaniora illi conſilia ſequerentur, imo effeciſſent apud Cæſarem Fridericum III. ut atroce lata ſententia anno MCCCCLIII. fœdus illud ceu vitio factum irritum pronunciaretur, addita mulcta graviſſima, & amiſſæ libertatis privilegiorumque pœna nobiles plærique oppidaque ſequenti anno, renunciato Ordinis Magiſtro fidelitatis ſacramento, Regi Poloniæ (erat is tum Caſimirus tertius) ſeſe ſuaque in fidem obtulerunt, & à Rege ac Proceribus Polonicis in ſocietatem regni recepti ſunt. Per tredecim annos cum adverſa fortuna fortiter luctati quidem ſunt Cruciferi, ſed & ipſi tandem certis conditionibus in ſacramentum & fidem Poloniæ Regum & Regni ſeſe dediderunt, anno ſeculi illius ſexto poſt ſexageſimum. Ita tota Pruſſia in Polonicæ reipublicæ corpus tum conceſſit. Detrectavit quidem illud ſacramentum Fridericus Saxonicus Magiſter Ordinis; ſed nihil præterea movit. Fecit idem Albertus Brandenburgicus correptis inſuper armis, ſed cum imparem ſeſe ſentiret & nulla ab Imperio auxilia liceret ſperare, tandem & ipſe pro ſe & hæredibus ſuis anno MDXXV. cum Polono pactus; & , ceu ante, Pruſſia univerſa in ditione Reipublicæ Polonicæ ex eo iam permanſit.

In hunc modum & acquiſita intra hos quadringentos annos fuit Pruſſia & viciſſim amiſſa. Iure an injuria Imperio ſubducta ſit nobilis adeo provincia, difficilius nonnihil eſt expeditu. *Primum* tamen id videtur patere ex iis quæ attulimus, quo tempore Ordines Pruſſiæ in fidem Polonicam conceſſerunt, nihil in terram illam univerſam juris fuiſſe Polonis. Nec enim unquam tota illa fuerat Polonorum, & quæ portio illis paruerat, illa ſaltim ex parte cum Caſimiro ſecundo, non dubio amplius jure facta fuerat jam anno MCCCXLIII. Cruciferorum. Tametſi etiam Vladiſlaus Iagello omnem pene Pruſſiam ſubegiſſet, eandem tamen viciſſim amiſerat, per nova pacta ſalvis iterum Ordinis rebus. *Secundo* ſi uſque adeo impotens & ſæva fuit Cruciferorum in provinciam dominatio, qualem vulgo ferunt, nec oppreſſis ſubditis à Cæſare & Imperii Ordinibus, poſtquam illis deſiderium ſuum detuliſſent, quidquam licuit ſperare mollius, nemo eos temere damnaverit, quod tandem jugum intolerabile & tyrannicum excuſſerint. Nec enim mancipiorum ritu obſtricti erant Cruciferis: ſed plærique vel ipſi vel eorum maiores, propoſita conditione magnæ libertatis & multarum immunitatum, in vacuas terras ex Germania acciti à Cruciferis: quas proinde hi ex pacto quaſi, ſaltim provincialibus illis Germanicis coloniis, præſtare tenebantur, niſi irritum vellent fidelitatis ſacramentum. *Tertio* ſi potuerint Pruſſi fidelitatis ſacramentum jure Magiſtro Imperio renunciare, ſicuit illis etiam alteri ſeſe ſubjicere. Et vero is qui ſui eſt juris poteſt utique in fidem alterius jure concedere. Quidni itaque & illis licuerit idem, ſi ſane fas ipſis fuit in plenam libertatem rejectis antiquis dominis ſe vindicare. *Quarto* Non videtur vel Cæſarem vel Imperii Ordines, Imperii quidem cauſa, ullo aliquo auxilio iuviſſe

Digitized by Google

luviſſe cauſſam Cruciferorum quintodecimo ſeculo, nec quando primum illi in fidem Polonicam conceſſerunt, Imperii ergo actioni iſti ſive interceſſiſſe ſive contradixiſſe. Non ſane in monumentis hiſtoricis fide dignis tale quidquam memoratur. Eſt autem talis negligentia, & tale ſilentium indicio haud obſcuro tacitæ derelictionis: ceu jam ſupra diſputavimus. *Quinto* nec Albertus Brandenburgius ſeculo decimoſexto quidquam opis ab Imperio potuit ſperare. Itaque aut plane pereundum Ordini tum fuit per Pruſſiam: quouſque tamen ille Imperio non fuit unquam obligatus: aut vero conditiones à Polono propoſitæ fuerunt Ordini illi neceſſario ineundæ. Nec vero tam hoc vitio datum fuit Alberto & reliquis Cruciferis, quod ille in fidem iterum Poloni redijſſet more multorum deceſſorum; quam quod paſſus eſſet bona Ordinis in hereditariam poſſeſſionem ſibi tradi: & hoc maxime nomine Cameræ Spirenſis judicio Albertus anno MCXXXI. proſcriptus eſt. At vero hoc quidem controvertere non eſt hujus inſtituti; utpote quum nihil aliud agendum mihi veniat, quam ut deſpiciam, num jure an injuria Pruſſi & Cruciferi ab Imperio ſeceſſerint. Id quod eos feciſſe jam ante Albertum ſeculo quarto decimo, palam eſt ex iis quæ jam narravimus.

Supereſt ut LIVONIAM perluſtremus. Illam terram ab antiquiſſima uſque memoria Æſtyorum gentes incoluere: quas à Germanis fuiſſe diverſas ipſa lingua ſatis prodidit, ut quæ ætate Taciti Britannicæ proprior fuit, etſi ritus habituſque Suevicum quid præ ſe ferret; quod ille libro de moribus Germanorum memoravit. Ex Plinio aliiſque diſcimus alios Æſtyorum Hirros alios Scyros tum appellatos. Quorum vocabulorum veſtigia nec dum deſierunt: Æſtyorum communi appellatione in Æſthonia, Hirrorum in Harria & Wiria, Scyrorum in Curis ſuperſtite. Priſcam terræ fortunam cum deſint monumenta, ignoramus. Seculo nono autem Curos à Sueonum claſſe ſubactos, legere eſt in hiſtoria vitæ S. Anſgarij. Danorum quoque in provinciam iſtam expeditiones aliquot felices, loquuntur illorum annales. Sed & Ruſſos & Lithuanos haud parum ibi potuiſſe conſtat. Germani noſtri ſerius quidem ibi vim ſuam exeruerunt, at dominatu certo & conſtante conſtituto tarditatem illam compenſavere. Primam huic occaſionem negociatores Bremenſes dederunt, qui circa annum MCLX. tempeſtate in Dunæ fluvij oſtium rejecti, cum vicinis Livis & commercia & in futurum pro mercandi libertate pacta quædam inierunt, eorundem conſenſu ſacello in Dunæ inſula extructo, quæ à re Kirchholm deinceps nuncupata eſt. Paulo poſt Menardus monachus à Bremenſibus adductus ſparſo ibi divini verbi ſemine cum feliciter ſacra Chriſtiana propagaſſet, meruit ab Alexandro III. Papa anno MCLXX. Epiſcopus gentis conſtitui, ſede ad Dunæ ripam Vxkillæ ipſi attributa. Qui ſucceſſit defuncto Bartholdus cum vim & arma tentaret, à barbaris trucidatus, locum fecit Alberto ex canonicorum Bremenſium collegio evocato, qui triginta tria annorum ſpatio, maiore armorum felicitate, miſeræ & pene exciſæ genti, & ſacra imperavit quæ docere debuiſſet, & perpetuam ſervitutem impoſuit, Riga urbe circa annum MCC. condita in firmum Sedis ſuæ domicilium. Eam in

Add.

re uſus eſt cumprimis ope ſacræ iſtius militiæ Germanicæ, quæ Ordinis Fratrum militiæ Chriſti & Enſiferorum titulo inclaruit, non multo poſt in corpus Mariani Cruciferorum Ordinis cooptata, Livonico Magiſtro alteri illi Pruſſico certis legibus ſubiecto. Quæ omnia cum a Cæſaribus publica eſſent auctoritate confirmata, à ſeculo uſque decimo tertio, ingens terrarum tractus ad orientale maris Balthici litus, centum & viginti octo milliaribus Germanicis in orientem, à Croni fluvii quem Memelam hodie vocant oſtio ad Narvam Ruſſorum emporium, in meridiem ad Lithuanos & Ruſſos exporrectus, ſenſim in provinciam Imperii Germanici receptus eſt: Archiepiſcopo Rigenſi & Epiſcopis in numerum pontificum Germaniæ & Magiſtro Ordinis denique cum libertatem ſibi à Pruſſico ære redemiſſet, anno ſeculi ſuperioris tertio decimo in claſſem Imperii Principum, relatis.

Hic ſtatus rerum duravit, donec anno MDLIIX. Ioannes Baſilides Moſchorum tyrannus, devictis duobus Tatarorum regnis Caſane & Aſtracane ferox, immanem in modum in Livoniam omnem cœpit ſævire. Incolæ tantæ moli tantiſque malis impares, cum ab Imperio auxilia fruſtra flagitaſſent, nec ſpes ulla melior ſeſe oſtenderet, aliena auxilia circumſpicientes, alii ad alios ſeſe inclinaverunt. Primi Revalienſes cum nobilibus eius diœceſeos, quibus paulo ante ſuperbiſſimis literis Moſchus bellum denunciaverat, urbem & agrum vicinum omnem Daniæ Regis dominio & tutelæ obtulerunt, ſed repulſam paſſi ſunt. Biennio poſt cum Moſchi iterum ſupra quam dici poteſt immaniter ſævirent, & tandem Vellino munitiſſimo oppido capto ad ipſas Revaliæ portas excurreret, nec *in tantis anguſtiis ulla ab Imperio vel propria virtute & viribus ſpes defenſionis appareret; Revalienſes neceſſitate adacti extrema* (verba recito Davidis Chytræi locupletiſſimi ſcriptoris ex libro xx. Chronici Saxoniæ) *Ruſſis aſſidue ad eorum portas excurrentibus, & non ſolum pecora, ſed cives & incolas ab urbe egreſſos abducentibus, ab ERICO Sueciæ rege vicino, pecuniam mutuam, &, ſi à Moſcho urbs obſideretur, auxilium & defenſionem petiverunt. Cum autem Ericus, non eſſe pecuniam regno Sueciæ aliis mutuo dandam reſponderet; verum ſi imperio & tutela ipſius ſe Civitas Revalienſis ſubiiceret, ſe non cupiditate proferendi fines ſui regni, quod alioquin ſatis amplum haberet, ſed Chriſtiana charitate, ut ut Moſchum vicinum, ſi ea urbe potiretur, regno ſuo intolerabilem futurum, arceret; ſe patrimonium ad defenſionem illius urbis ſuſcepturum, omniaque privilegia & immunitates antiquitus urbi relicturum eſſe polliceretur: Revalienſes, re cum nobilitate vicina & civibus communicata, Magiſtro Livoniæ iuramentum fidelitatis ſuperiori anno praſtitum renunciant, ac Erico Sueciæ regi, qui paulo ante patri Guſtavo ſucceſſerat, ſe ſubiecerunt.*

Præcedente anno, poſt milleſimum quingenteſimum quinquageſimo nono, aliter nonnihil Archiepiſcopus Rigenſis & Magiſter Ordinis cum Polono pepigerant: at vero coacti & illi fuere tandem Polono ſeſe totos dedere anno ſexageſimo primo illius ſeculi. Recitabimus utrumque ex eodem Chytræo: qui hæc omni diligentiſſime & ſummæ fide poſteritati tradidit. De priore pactione

M 4

Digitized by Google

ita ſcribit. *In Livonia graſſante ingentibus copiis Moſcho, & loca munita paſſim occupante, cætera impune pervagante, & infinitam hominum multitudinem captivam hoc biennio abducente; archiepiſcopus Rigenſis & ordinis coadiutor cum ſe ab Imperio Romano non iuvari, & ſolos ad reſiſtendum hoſti tam potenti impares eſſe cernerent; Sigiſmundum Poloniæ Regem vicinum, & archidiœceſis protectorem rogarunt, ut defenſionem Livoniæ, ſalvo tamen Imperij Romani iure, ſuſciperet, & pro ſumptibus belli novem arces ac præfecturas pignoris loco acciperet. Quas Livoniæ magiſtratibus poſtea redimere ſexcentis millibus aureorum liceret. Hæc defenſionis pacta ſolemnibus literis & iuramentis utrinque confirmata ſunt.* Quæ anno ſexageſimo primo contigerunt, hiſce verbis narrat idem Chytræus. *POLONIÆ Rex, ad cuius patrocinium & tutelam, Magiſtrum Ordinis Livoniæ, & Archiepiſcopum Rigenſem, ac Nobilitatem illis ſubiectam confugiſſe diximus, cum diſtractiones Livoniæ inteſtinas, varias & multiplices, & urbem Revaliam cum tota vicinia VECO ſe ſubiecisse, aliquot etiam provincias, à Magno Holſatiæ duce teneri cerneret; non amplius teneri prioribus pactis de defenſione, cum Magiſtro Ordinis & Archiepiſcopo initis, multo minus conatum defenſionis aliquem adverſus Moſchos ſuſcipere voluit, niſi Archiepiſcopus & Magiſter Ordinis, cum omnibus ſubditis ſuis ſe Regno Poloniæ & Lithuaniæ penitus ſubderent, & ſolenni ſubiectionis iuramento devincirent. Cum igitur Archiepiſcopus & Magiſter Ordinis, ab Imperio Romano cuius auxilium & opem aſſiduis legationibus ſupplices imploraverant, ſe plane deſertos indicarent; & ingentia Livoniæ, iam magna ex parte à Moſcho & aliis occupatæ, vulnera remedium præſens flagitarent: extrema coacti neceſſitate, ut reliquas adhuc Livoniæ provincias, ne in Moſchi poteſtatem pervenirent, nomini & Religioni Chriſtianæ conſervarent; conditionem ſubiectionis à Rege Poloniæ flagitatam ſubire coacti ſunt. Quare poſt multorum menſium tractationes, tandem Rex, Nicolaum Radzivilum, Principem Lithuanum in Olica & Niſchevvitz, Palatinum Vilnenſem, cum plenis mandatis in Livoniam miſit, ut executioni tranſacta daret, & permiſſas ſibi ab Ordinis Magiſtro arces provincias, documenta & literas acciperet, & à Rigenſi civitate, iuramentum fidelitatis, nomine Regis Poloniæ exigeret.* Hæc Chytræus, qui mox ſubiungit & Tabulas Regias quibus dedititiis Livonibus cautum eſt & alia multa ad negocium illud pertinentia. Iam tum antea Daniæ Rex Fridericus Fratri ſuo Magno ab Oſelienſi Epiſcopo reſignari curaverat Epiſcopatuum illorum ditiones, & hoc illud erat quod cauſabatur Polonus, quo minus pacto priori ſtaret.

Neutri deditioni vt nec Danicæ illi lego à Cæſare aut Imperii Ordinibus interceſſum. Attamen cum anno ſeptuageſimo pax inter Daniæ & Sueciæ Reges poſt octo annorum bellum Stetini conficeretur, & Magnus Holſatus à Moſcho Livoniæ Rex eſſet renunciatus, qui tranſactioni pacis aderant *Caeſareani legati, Livoniam ab Imperio avelli, & à Magno Holſatiae Duce Regis Daniae fratre, titulum Regis Livoniae, in praeiudicium & contumeliam Romani Imperij à Moſcho acceptum uſurpari aegerrime ferebant.* Inter capita pacis hoc ante omnia tum conſtitutum fuit: *Caeſareae Maieſtati & Imperio, Suecus, quae in Livonia poſſedit, velut ſupremo Magiſtratui & Domino cedit. De quibus diœceſin Revalienſem & Oſilienſem, Padis, Sonneburgam & Habſel, Daniae Regis tutelae Imperator ſtatim ſubiiceret. Urbs vero Revalia & Wittenſteinum tantiſper in Sueco poteſtate manebit, donec Caeſarea Maieſtas cum eo Imperii nomine, de belli ſumptibus in defenſionem Revaliae impenſis tranſegerit. Qua de cauſa, Rex Daniae, Moſchum & fratrem ſuum, ſe ab obſidione Urbis Revaliae iam diu avocaturum ſperat, dum Imperii totius nomine, Caeſarea Maieſtas, & Principes Electores, deputato die, conſilio & ope Regiae Maieſtatis Daniae, Poloniae & Sueciae, de ſplendida legatibus ad Moſchum inter ſe conveniant, ut vel pacem cum Moſcho conſtituant, vel acri bello coniunctis viribus eum reprimant.* Ita quidem tranſactum fuit initio anni. Sequente vero anno Iunio menſe, *Caput illud primum pacis de Urbe Revalia & diœceſi vicina Caeſari & Imperio à Sueciae Rege conceſſa, Maximilianus Imperator per Ionam Offenburgerum Revaliam miſſum Senatui Revalienſi expoſuit. Qui nihil adhuc ſibi de ceſſione illa Regis ſui nomine ſignificatum eſſe indicavit. Velle autem ſe mandata ipſius Regiae Maieſtati Sueciae prima occaſione nunciare, & paulo poſt Caeſareae Maieſtati reverenter reſpondere.* Quæ omnia is quem ante laudavimus Chytræus libro XXII. his ipſis quæ adduximus verbis memoravit.

Ex eo tempore motam aliquam ex pacto Suecis controverſiam Imperii nomine haud invenio. Duravit vero in Livonia omni Moſchorum ſævitia adhuc deinceps annos complures, Revalia ipſa anno ſeptuageſimo ſeptimo denuo *totas ſex hebdomadas obſidione cincta, & aſſiduis ac horribilibus tormentorum fulminibus & globis ignitis in tecta vibratis irrito tamen conatu oppugnata eſt.* Nec acquieverunt Moſchi, donec multis prœliis feliciter à Ioanne Sueciæ Rege devicti Eſthonia omni, quam pene ſuam fecerant, cedere & pacem tandem duris conditionibus petere coacti ſunt: quæ demum anni nonageſimi quarti initio fuit conſtituta. Cum Polonis quoque haud lego Imperii nomine occupatæ Livoniæ ergo diſputatum vel actum eſſe. Geſſerunt vero & ipſi acerrimum cum Moſchis bellum vſque in annum octuageſimum primum; quo exeunte demum pax compoſita, & Livonia cedere Moſchi compulſi ſunt. Haud invenio etiam cum Dano expoſtulatum, occupatæ Oſiliæ cauſſa, à Cæſare & Imperii Ordinibus, etſi ille poſt obitum Magni Ducis ſui illam iuris feciſſet. Ex adverſo Eſthoniam ſibi dedi poſtulantibus Polonis, electus tum Polonorum Rex Sigiſmundus III. qui & Sueciæ ſimul imperabat, anno octuageſimo ſeptimo reſpondit teſte Chytræo lib. 28. *Suecos, Caroli V. Ferdinandi & Maximiliani II. Imperatorum literis ad Guſtavum, Ericum & Ioannem Reges diverſis temporibus ſcriptis, tutelam eius provinciæ ab Imperio ipſis commendatam demonſtraturos eſſe.*

Atque ita quidem & Livonia nobis periit poſt Pruſſiam. Quicunque vero omnia iſthæc cum cura expenderit, niſi vehementer fallor, culpa aliqua Imperii hæc ita contigiſſe non diffitebitur. Primum enim in officio vtique fuit Imperii, Moſcho non verba ſed arma opponere, iiſque ſalutem civium enixe opem implorantium ſaltim pro virili defendere: & tamen omne hoc fuit ſurdis auribus exceptum. Imo ne quidem aliqua miſſa legatione

tione Moſchum mitigare tentatum eſt. Quod ipſum apud omnes prudentes & probos ſolet haberi iudicium certum derelictionis, prout capite nonodecimo multis diſputauimus. *Secundo* facta iam illa Liuonum ab Imperio defectione, nec à Polono nec à Dano quidquam Imperii nomine fuit repetitum, pene iam integros centum annos. Quæ cum Sueco erant pacta itidem nulla facta vindicatione aut etiam repetitione, ſpacio nonaginta pene annorum irrita itidem ſunt facta: omni republica celerem, certe præſentem magis, curam exigente. Vt proinde etiam hoc alterum ſignum fuerit factæ derelictionis. *Tertio* quo tempore facta eſt illa ab Imperio ſeceſſio, ne verbulo quidem fuit contradictum, tametſi minime omnium lateret quid fieret: adeoque non obſcure fuit indicatum, illam ſeceſſionem nihil iniqui habere, ab Imperio nullis auxiliis ſuppetentibus. *Poſtremo* ita comparatum eſt, vt abſque ſummo Liuonum incommodo recuperari priſtina Imperii auctoritas nequeat. & tamen Imperio non fuere illi ſubditi quondam ad vtilitatem dominantium ſed ſuam. Fuerit igitur & recuperandi conatus cum aliqua iniuria coniunctus. Quæ cum ita ſeſe habeant, iam & Liuonia iure Imperii finibus excidit.

CAPVT XXX.

De finibus Imperij Marinis, & totius operis peroratio.

PEragrauimus iam omnia Imperii regna, eorumque iura ab exteris vindicauimus. Poſtquam igitur ſatis eſt factum inſtituto noſtro, licet fortaſſis, bona cum venia lectorum, argumentum hoc deſerere. Et vero quod ſuperſit dicendum, pro modulo quidem noſtri inſtituti, nihil ſupereſt: niſi forte de maris, quod & Germaniam & Italiam & Arelatenſe regnum alluit, dominio nonnihil ſit adiiciendum. Sane hunc locum hactenus non attigimus, & tamen ad diſputationem de Finibus videtur pertinere, quo conſtet num extrema ora continentis aut inſularum ſit pro termino, an vero vltra exporrecta ſit Imperii via, & in ipſo mari fines eius ſint quærendi. Ne quid ergo in nobis deſideretur, breuiter & de illa re diſſeremus.

Ac principio quidem, quin poſſit mare & ipſe immenſus Oceanus, ſaltim magna ſui parte, priuata poſſeſſione teneri, ceu certum & dubio carens, nunc quidem conſtituimus. Nec enim bonos eſt temporis cum iis contendere, qui exiſtimant omnimodo mare dominii aut propriæ poſſeſſionis eſſe incapax: & iam tum cum olim tum non adeo pridem viri doctiſſimi, Ioannes Seldenus præcipue, & Iacobus Gothofredus rem iſtam omnem hactenus quidem liquidam reddidere. Id hoius eſt officij, vt inquiratur, num quod maris dominium reapſe Imperio competat, & ſi quod competat, quemadmodum illud ſeſe habeat, quove vſque extendatur.

Ab ipſis igitur Cæſaribus noſtris vim aliquam Imperii in omnia illa maria vnquam eſſe exercitam, haud liquet. Scio quidem titulum Caroli V. Cæſaris noſtrate lingua ita perſcribi ſolere, quaſi ille dominus fuerit Oceani. At vero non Imperii ſed Hiſpaniæ cauſſa quondam verba id quæ præ ſeſe ferunt titulo addita ſunt: perinde vt omnia quæ proxime adiacent, de Inſulis Canariis, Indiis, & Terra firma: eoque nemo ſecutorum Cæſarum Oceani vllam in titulo ſuo fecit mentionem. Sed & error quidam videtur in interpretatione Hiſpanici tituli commiſſus ab hominibus noſtris: quod etiam Ioannes Seldenus annotauit *l.1. Maris clauſi cap.17.* Nam noſtri quidem ita pene loquentem Carolum introducunt: *Inſularum Canariæ, nec non Indiarum & Terra firma, maris Oceani &c. Rex, Archidux Auſtriæ*: quaſi & Maris Oceani Regem ſeſe Carulus dixerit. *Sed hallucinatio eſt* (vt recte ſcribit Seldenus.) *Hiſpanica enim ſunt Rey de las Islas, y terra del mar Oceano &c. id eſt Rex Inſularum, & Terra firma Maris Oceani. Scilicet ſiue Inſulas ſiue Continentes Oceani, ſeu in Oceano poſitas ſpectes (quas Ferdinando V. Hiſpaniarum Regi conceſſit Alexander VI. Pontifex Romanus, vniuerſas à primo longitudinis circulo in Occidente poſitas) earum ſe Regem nuncupat, non ipſius Oceani.*

Porro etſi Principibus marium accolis regalia quæ appellantur Cæſares conceſſerint, haud tamen fortaſſis eorum cuiquam maris aliquod dominium conceptis quidem verbis ſunt largiti. Mihi ſane in omnibus quas vidi Tabulis feudalibus Cæſarum (vidi autem complures,) nihil tale eſt obſeruatum. Inſulæ tamen maris continenti viciniores paſſim ſolitæ in beneficium dari: vt & fluuii inſignes in mare retento ſuo nomine late excurrentes. Mutant ſcilicet identidem littora vices ſuas: & quem locum aliquando fluuius tantum aliquis alluit, illum mare tandem occupat, ſuperſtite tamen nomine priſco fluuij in loco iſto. Id quod in Oſtfriſia patria mea circa Amaſum obſeruare eſt: cuius nomine etiam pars illa Oceani venit hodie quæ continentem inter & inſulas quaſdam proximas diffunditur: adeoque cum alia tum & Amaſi appellatione Principibus meis à Cæſaribus ſolet diſertis verbis in fidem concedi. Sic in Tabulis Pacis cum Regno Sueonum nuper initæ art.x. conceditur in feudum Sueonum Regno: *è Pomerania vlteriore Stetinum, Gartz, Dam, Golnou, & Inſula Wollin, vna cum interlabente Odera & MARI, vulgo* das friſche Haff *vocato ſuiſque tribus oſtiis* Peene Schwine & Drevanow/*atque adjacente vtrinq; terr a ab initio territorii regii VSQVE IN MARE BALTHICVM.* In Tabulis quibus Otto Magnus Cæſar olim Papæ Romano multa donauit Adriatico pariter & Tyrrheno mari vicina, fit mentio *maritimorum* & quæ *terra marique ad ciuitates* nonnullas *pertinent*: cen liquet ex illis quæ cap. x. in medium adduximus: ſatis tamen apparet per ea quæ *mari* dicuntur pertinere ad ciuitates, inſulas vicinas intelligi, vt per *maritima*, partem continentis mari proximam, eoque hanc opponi *montanis* ſiue montis Appennini partibus.

Non deſunt, ſcio, ex Iuriſconſultis, qui vicini maris dominium omnibus littorum dominis competere exiſtiment, eamque ſententiam ſic ſatis peruulgatam eſſe: & inter eos à nonnullis vſque illuc vbi vox ex littore clamantis poteſt exaudiri, ab aliis ſagittæ iactu, ab aliis centum milliaribus, ab aliis ſexaginta Viciniam iſtam definiri. Verum enim vero cum omnis priuata poſſeſſio vnice ab

Digitized by Google

hominum ſit inſtituto, & gentium mores hac in re plurimum varient, neque naturali neque omnium gentium legibus de dominij huius marinis finibus certi aliquid eſt conſtitutum, atque adeo ex illis quidem fontibus peti nihil certi poteſt, quod huc pertineat. Romanorum legibus nihil itidem huius eſt definitum, & quamuis eſſet, non tamen illæ Imperii Germanici dominia maritima oſtendere idonea forent. Ergo omne hoc definiendum vnice eſt ex moribus & inſtitutis receptis ſingulorum populorum. At vero Germanici quidam populi olim maris dominium plane videntur contempſiſſe. De Antharito Longobardorum Rege ſcribit Paulus Warnefriedus l. 1. de geſtis Langobardor. cap. 33. illum Regium vſque extremam ad fretum Siculum Italiæ vrbem, vim regiam exercuiſſe. *Et quia*, inquit, *ibidem intra maris vndas columna quaedam eſſe poſita dicitur, vſque ad eam equo ſedens acceſſiſſe, eamque de haſtae ſuae cuſpide tetigiſſe dicens; Vſque huc erunt Longobardorum fines.* Ferunt alii ſimilem in modum Magiſtrum Ordinis Germanici, limites dominij ſui in mare Balthicum Pruſſiam alluens, equo candido in littore extremo inſidentem exerto gladio definiiſſe. Alij lanceæ in extremum mare Cimbricum iactu Ottonem Magnum terminos Imperij conſtituiſſe narrant: ſed qui referunt lanceæ illum jactum Saxo Sialandicus l. x. & alij, iſtum in finem id factum haud affirmant. Saxo diſerte *monumenti gratia* id actum memorat. Cæterum ne hoc quidem perpetuum fuit omnibus Germanicis gentibus; nam Norvvegicæ Danicęque, quę itidem Germanicæ vtique ſunt, ipſiuſmet vaſti oceani bonam partem ſuæ ditionis jam olim crediderunt, qua de re præclare diſſerit Iſacius Pontanus l. 2. Diſcuſſion. Hiſtoricar. cap. 11. & xxi. Fecerunt idem & Angli Saxoneſque Britannici, Germanicæ & illi originis, quod pulchre oſtendit Seldenus at hujus loci non eſt enarrare.

Præterea vero Imperij quidem Germanici, ſaltim poſt Carolum Magnum, auſpiciis nunquam forte claſſis aliqua in maris dominium inſtructa eſt. Ne alteri quidem maris alicujus cura publica eſt Imperij numine tradita, ſi excipias id quod ſemel forte atque iterum eſt factum. Certe non in Regno vel Arelatenſi quod à mari Tyrrheno, vel in Lotharingico quod ab Oceano alluitur, tale quid vnquam legas factum. In Regno Germanico de Oceani Ammiralio, vt loquuntur, conſtituendo, actum quidem eſt Rudolpho II. Cæſare ſub initia hujus ſeculi, ſed ſucceſſu res caruit. Ferdinandus II. Cæſar Walleſteinium & Oceani & Balthici maris Ammiralium creauit: at res noui exempli ſtatim magnis motibus occaſionem præbuit, & mox irrita euanuit. In Italico Regno ſimilem magiſtratum mari Tyrrheno præfecit primus quod ſciam Fridericus II. Cæſar. In cujus epitaphio proinde hunc verſiculum etiamnum legit Sicilia: *Qui MARE, qui terras, populos & Regna SVBEGIT.* Ad illud exemplum præfecturam ejuſdem maris Henricus VII. Lucelburgius Friderico Siciliæ Regi, Carolus quintus Andreæ Auriæ commiſerant.

Claſſe tamen nonnullæ Imperij ciuitates maritimæ plurimum valuerunt iam ab aliquot centum annis; & quidem vſque adeo, vt quædam haud dubitauerint omne vicinum mare ſuam in poteſtatem redigere, & tanquam rem priuatæ poſſeſſionis ſibi vindicare. Ita ſane Piſani vicinum omne Tyrrhenum mare, Genuenſes Liguſticum ſui juris fecerunt. In Balthicum etiam mare vrbes vicinæ, cumprimis Lybeca, late ſatis jamdudum imperium exercuerunt. Aliæ etſi non plenum dominium ſibi aſſeruerint, tamen piſcandi jus ſolis ſibi per ingentem maris illius tractum occupauere: de reliquo maris illius, qua littoribus noſtris vicinius eſt, vſum liberum & communem omnibus, priuata quaque dominatione excluſa permittentes. Et vero florentibus adhuc Slauorum rebus, in ipſo Balthico iſto mari valida fuerunt potentia Venedi, Danis ipſis ſæpe ſuperiores; quod paſſim fatetur Saxo. In eandem potentiam mox Saxonicæ coloniæ, oppida maritima occupantes, ſucceſſerunt. Imo aliquamdiu pene vniuerſi illius maris imperium potiſſima ex parte penes Hanſici fœderis vrbes fuit.

In Oceano multum quoque ſemper potuerunt vrbes proximæ, in Saxonia cumprimis Brema & Hamburgum, in Friſia & Hollandia complures. Etſi vero dominium aliquod Oceani proximi ſibi nunquam arrogauerint, tamen piſcandi jus ſibi proprium effecere, & ab aliis dominium aliquod ibi arripi nunquam paſſæ ſunt, libertati ſuæ Oceano relicto. Et vero nullus populus, nullus Princeps in omnem Oceanum illum Germanicum vel affectauit vnquam antehac dominandi aliquod ius. Primus ſane Albericus Gentilis homo Italus ſed in Anglia degens, vniuerſum Oceanum Anglicano ſceptro obnoxium pronunciauit, *l. 1. Aduoc. Hiſpanicae cap.* 8. cujus inſanum illud dogma deinceps defendendum ſuſcepit, magna quidem & ingenioſa opera ridicula tamen, integro libro ſecundo Maris clauſi, vir lectionis infinitæ Ioannes Seldenus: cum tamen ipſamet ſapientiſſima Elizabetha exacte aliter & rectius iudicauerit, quod diſcimus ex Cambdeno ad annum 1580. & Iacobus Rex limites Regni ſui marinos publico edicto longe diſtinxerit vt ab aliis ita & à Germaniæ vicinia: quod ipſemet Albericus non potuit diffiteri. Eadem olim conditio fuit maris Adriatici, donec illius dominium vſu ſuum effecerunt Veneti: quod demum exercere cœpiſſe videntur Thepolo Duce circa annum MCCLXIII. quantum ex l. 8. Decad. 2. Blondi colligere eſt, etſi alii ad ſeculum duodecimum eius initia referant. Quamuis vero non Imperii vniuerſi mandato Vrbes & populi dominium illud maris exercuerunt: reapſe tamen omnia Imperii tacita auctoritate ſunt geſta, vtpote quum ſubditi lucrari ſoleant ſuæ reipublicæ.

In vniuerſum igitur omnia æſtimantibus haud difficulter apparet: *Primum*, vltra littora extenſos vbiuis Imperii limites, atque adeo non ſola continente Imperii vim & iura circumſcribi. *Deinde*: non vbiuis æqualiter tamen eo porrigi maris illud dominium, ſed alibi illud latius patere, alibi arctioribus finibus includi, idque non niſi exploratis cuiuſuis locis priſcis moribus iuribuſque exacte poſſe definiri Quod ipſum demonſtraſſe, nunc quidem ſatis eſt pro inſtituto. Vt proinde de Finibus Imperii, quod nos quidem hoc loco diſſeramus, nihil ſit reliquum.

IMPERII FINES, per longi temporis actus,
Inque vicem bona ceſſa malis, immenſaque quondã
Anguſto contracta loco, ſed iure perenni

Ampla

Digitized by Google

Ampla tamen ſatis, & reliquo ſat robore tuta
Perſcripſi: quæ rara pedum veſtigia ſignant,
Auia iamdudum, peragrans dumiſque referta,
Interea miſere lapſas res erigit omnis
Teutonia, magnique agitans Comitia Regni
Magnus, & Auguſto ſubolem diademate cingens,
Vocibus innumeris applaudente æthere. Cæſar,
Fortunate nimis triplici iam murice ſplendens,
O IVVENIS, iam tum Heſperii ſpes vltima mundi,
Et vos Semidei Proceres, generoſa propago
Heroum: Vobis heic ſanctus panditur ordo
Imperii. quondam ſeu duro Marte regendum
Mollibus aut fueris ducendum pacis habenis.
Fas mihi ſit dare thura ſacris: vbi maxima Roma
Auſoniique omnes adolent, vbi victima multa
Burgundo mactante cadit; Lotharingius ingens
Ipſeque cum Venedo ſupplex Theotiſcus adorat,
Mille alii feſtoſque dies, ritusque celebrant,
Danubio multum latante fatentibus & Diis.
Salue magne Iſter, liceat mihi dicere verum,
Et caſus memorare graues, duroſque labores
Imperii. Memini iſti autem & felicia ſecla,
Germanam quando trepidabant vndique gentes
Ferri aciem; rurſumque eadem præſage futuri
Fata ſecuturis Ponte ministaris ab annis.
O vtinam ſua priſca animis Concordia noſtris,
Cana Fides, pridemque Themis proſcripta redirent!
Sæfelix Germane fores in Finibus arctis.
Fallor, an & priſcam longe trans culmina celſæ
Pyrenes, tranſque aërias vim diderit Alpes
Teutonia, ac noſtrum, victo licet orbe ſuperbus,
Pronus odoraret veſtigia Turcus equorum?
Tunc ego, iam multo fortaſſis tempore fractus
Iam tremuluſque licet, frontem redimitus oliua,
Et niueam indutus vittam, Fineſque reuerſos
Dicerem & æternis celebrarem laudibus annum!

F I N I S.

ANT 121.B.10

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google